6.G.159.

PRAXIS MEDICA CURIOSA.

HOC EST,

GALENI METHODI MEDENDI LIBRI XIV.

Nova, eaque omnium accuratiſſima Verſione, & perpetuis plus vice ſimplici deſideratis

COMMENTARIIS, ET CASTIGATIONIBUS PRUDENTISSIMIS,

Illuſtrati

à

CASPARO HOFMANNO,

Philoſopho ac Medico abſolutiſſimo, in Academia Altorphinâ quondam Profeſſore Publico.

Adjectis nonnullis, in Epidorpismatum vicem, cumprimis de Dicterio illo,

MEDICE VIVERE ESSE PESSIME VIVERE.

Cum Oratione

JOANNIS GEORGII VOLCKAMERI, Phil. & Med. Norici celeberrimi,

Hanc ad rem apprimè facientibus.

Curante

SEBASTIANO SCHEFFERO, M.D.

FRANCOFURTI,

Impenſis JOANNIS JUSTI ERYTHROPILI, Bibliop.

Typis JOANNIS ANDREÆ.

CIϽ IϽC XXC.

BOSTON MED. LIBRARY
JAN 10 1905
2265

VIRO

Nobiliſſimo, Excellentiſſimo, Experientiſſimo

Dn. Joanni Georgio Volcamero,

Phil. & Med. Doctori Noricorum celeberrimo.

BOSTON MEDICAL LIBRARY

NIhil mihi venit aliud in mentem, vel certe nulla commodior ratio, mei in Te viciſſim animi declarandi, quam quâ me nunc uſum vides. Etenim quum rei Medicæ non exiguum pondus accedere poſſe exiſtimaverim per ſcripta τȣ̃ χαριεςάτȣ *Caſpari Hofmanni* p. m. antehac nondum edita, & jam olim mihi à *Guidone Patino*, heu! quondam Amico noſtro communi credita, hucuſque tamen in arca noſtra recondita, inter ea tantò majorem applauſum habituram eſſe judicavi Methodum *Galeni*, perpetuis ejus annotationibus illuſtratam, ſi publicè excuſam pari jure in redhoſtimentum Tui in me amoris, Tuo Nomini mihi præ aliis chariſſimo inſcriberem,

betem, Teque ſimul ad reliqua ejus Viri Manuſcripta publicanda quam humaniſſimè invitarem, quorum pleraque poſt obitum ejus ad Te, quum meliorem poſſeſſorem habere non poſſent, quaſi per hæreditatem delata ſunt; horum quædam recenſui in dedicatione ad *Patinum* noſtrum Trigarum de uſu Lienis, Cerebri & Ichoribus, anno 1664. typis exſcriptarum. Porrò addidi Auctoris nunquam ſatis laudandi IV. Orationes de dicterio illo; Medicè vivere eſt peſſimè vivere; quarum tertiâ Te in Tua promotione Doctorali 2. Maji 1643. extulit; prima 14. Decembr. 1637. in promotione *Dn. Jo. Gerlachii*, ut & *Dn. Joannis Kobii JCti*; altera in promotione *Clariſſimorum Io. Ebneri Noribergenſis, & Georgii Abrahami Merclini*, deſignati t.t. Poliatri Imperialis Weiſſenburgenſis habita fuit; quarta verò quando prodierit, auctor non commemorat. His pace Tua addidi Orationem Tuam gravem & ornatam, & in laudibus piè defuncti Auctoris mirificè extructam, de qua ad me non ita pridem ſcripſerat noſtrarum deliciarum Argus *Georgius Francus*: *Illuſtris noſtri Volcameri oratio in obitum* τοῦ πάνυ *C. Hofmanni Deaſtri mei, eſt elegans, terſa, mereturque Tuis Hofmannianis adnecti egregia purpura.* Eminens Tuum ingenium t.t. juvenile, ubertim notarunt in litteris ad Parentem meum p.m. exaratis Viri magni *Hofmannus* & *Iungermannus*, ut Succeſſorem nullum alium quam Te in cathedra exoptarent, quemadmodum etiam ex *Richteri* Veſtri Orationibus, & *Ruperti Altorphini*

torphini

torphini litteris videre eſt. Sane quanquam maximè ſit dolendum, Tuæ tamen Tibi non defuere rationes, cur docendi munus in celebrioribus illis locis, qui eruditionem Tuam ſummoperè expetebant, non obiiſti. Tunc enim Padua quoque per Anatomicorum Principem *Veslingium*, & *Carolum Arantium* Tibi obtulit Profeſſoriam dignitatem in Re Botanica, quod ſtudium ante annos XL. præterpropter in Italia & Galliis exactè excolueras; à quo dein Neapolin manus Chirurgica nobilis illius Chironis *Severini* Te avocavit. Quantos autem labores hac in re Romæ indefeſſus præſtiteris, docuit Exc. Dn. *Nicolaus Larchæus* Chirurgus ejus loci ſolertiſſimus. Taceo, quantum Tibi omnis Materia Medica debeat, ne actum agere, & quod orbi notiſſimũ, in tenui hac charta depingere velle videar. Accipe igitur in bonam partem hoc teſtimonium Amoris in Te maximi fideliſſimum, non faciam Tecum paria, fateor, neque ἀντάξιον δῶρον iis rependam, quibus me ſingulis nundinis noſtris ſemper affeciſti. Alias rationes, quibus Tibi ſum obſtrictus, non profero. Sufficiat igitur dixiſſe, me Tuum perpetuò fore & ſtudiis & officiis proprium, & nihil magis habere in votis, quam ut me protenus eorum in numero habeas, quos & ames, & à quibus ameris. Vale. Dabam Francofurti ad Mœnum Id. Martii. CIↃ IↃC XXC.

Excellentiæ Tuæ

addictiſſimus

SEBASTIANUS SCHEFFERUS, D.

PRÆFATIO AUTORIS.

NOn minus pulcrum eſt quàm verum proverbiale illud, NECESSARIA ignoramus, quia NON-NECESSARIA didicimus. Hoc proprio exemplo probo. Cum enim ſerò ad Philoſophiam & Medicinam appuliſſem, detentus domi quidem ab infelicibus Orbiliis, foris autem ab immiti Fortunâ, poſtquam tandem perveni, omnia tumultuariè egi, diem in noctem converti, & quidem ſolis LOCIS COMMUNIBUS intentus, uti tum ferebat uſus. Hinc adeò factum eſt, ut cum neque in ſtudiis eos ſentirem profectus, quos poteram, ſi minus properâſſem, neque valetudo uſque firma eſſet, ut cruda ſtudia præcipitârim. Tantò magis, quò contentius volvi idem ſaxum in Italiâ quoque. Cum eò res perveniſſet, ut docere alios deberem, quæ didiceram, variè anxius fui, quo modo tutus eſſem à telis diſcipulorum, quibus neq; FUCHSIUS ſatis erat, neque SENNERTUS, neque quicunque alius, cum VERITATEM perſequerentur. Hac ratione cum in amorem quidem illius pellectus eſſem; contrà in MENDACII odium deductus: variè pugnatum fuit in animo meo. In hoc bivium primus deduxit me Plato, cujus verba laudat *Gal.* 11. *Meth.* 12. ἡ ἐπιςήμη, inquit, πρὸς σωτηρίαν διαφέρει τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὸ σφάλμα αὐτῇ εἰς ὄλεθρον τελευτᾷ. *Scientia eximiè confert ad ſalutem humanam: ſed aberratio ab ipsâ deſinit in perniciem ipſorum.* Detinuit me ibidem vulgatum illud Ariſt. *Amicus Plato, amicus Socrates: ſed magis amica VERITAS.* Non ſivit me diſcedere etiam GALENUS ipſe, qui paſſim prædicat ſtudium VERITATIS ſuum. Multò minus abſtraxit me per vim Sarcaſmus Pontianus, QUID EST VERITAS? Hoc enim vult, *Miſelle, tu neſcis, quæ pericula ſecum trahat VERITAS!* Intereà opus intrepidè aggreſſus, hyeme quidem, ut juſſus eram, exercui auditores in προπαιδεύμασι Galeno dictis, h. e. *in viſceribus animalium*, quam rationem Ζωοτομίην Δημοκρίτειαν nuper in publico ſcripto vocavit CL. SEVERINUS noſter, Chirurgus Neapolitanus: æſtate autem, in horti Medici defectu, deduxi illos in montes & ſilvas vicinas, quâ in re comitem individuum uſque habui CL. SONERUM, Collegam meum amantiſſimum. Atque ut ibi NECESSARIA

tan-

tantùm ſectatus ſum, relictis *nervis recurrentibus* Galeni, *venis lacteis* Aſellii, aliisque τερθρεύμασι: ita heic urſi præcipuè OFFICINALIA, quod viderem, Pharmacopœos noſtros verſari in profundâ ignorantiæ caligine. Idem præſtiti in publicis lectionibus, cum poſt obitas eas, exemplo Ill. D. CASP. BAUHINI, Doctoris mei, exhiberem adoleſcentibus eas plantas, quæ in uſu quotidiano ſunt. Hoc modo cum decurriſſent aliquot anni, & inclutus Senatus noſter vocâſſet huc anno 1625. CL. JUNGERMANNUM, tradidi ei ego utrūq; laborem, converſus ad emendationem GALENI, à Wechelis Francofurtenſibus mihi oblatam. Quo tempore toto cum diligenter notâſſem, quid Galenus ſenſerit in ſingulis Medicinæ partibus, quidve NATURA REI poſtulet: cœpi cogitare de novis Inſtitutionibus, idque ad mentem Gal. 7. *Meth. 3. extremo.* Hinc adeò factum eſt, ut NECESSARIIS princeps daretur locus, NON NECESSARIIS alter & ſecundarius. Verum enimverò, cum ad librum ſextum, qui eſt *de Methodo medendi,* perveniſſem, & comperiſſem, non ſolùm ſingulos Inſtitutioniſtas aliam Galeno affingere mentem, ſed & quæcunque de hâc materiâ ſcripſiſſent, aliorſum ire: cœpit tædere contradictionum. Ut rem in pauca conferam, cum plerique noſtrûm deſiderent novas verſiones, neſcio quàm ſano conſilio, dedi illis verſionem Gal. Methodi, ut vel ita allicerem quoſdam ad ſeriam Galeni lectionem. Ad hunc laborem præcipuum momentum dedit mihi Perioche Methodica, uti vocat, horum librorum, concinnata à viro alioqui verè magno, JOA. CRATONE, Medico Cæſareo. Quid enim? Non eſt heic opus ἐπιτομῇ: eſt opus διεξόδῳ, quâ Galenus etiam utitur in negotio tanti momenti. Altera cauſa mihi fuit, ut oſtenderem, JACCHINUM, virum ſummum, *in Arte rationali*, injuriam facere Galeno, cùm obſcurum eſſe queritur, ob immenſam prolixitatem. Immenſam verò? Conferat quis cum opere MERCATI, *de Indicationibus*, & ludum, jocumque dicet. Eandem dicam non obſcurè ſcribit Galeno, vir item ſummus, FRANC. VALLESIUS: quin dicit, ſe nolle cum Galeno certare. Atque ut libenter concedo, habere multa ſalutaria præcepta: ita divinam eſſe (quò immortalis SCHERBIUS illam evehebat:) nondum do. Ut enim hoc tantùm dicam, indicationes ſummas, Contrarii & Contra-

tratii-ſimilis non ſatis lucidè explicat. Galeno autem hanc laudem unicè do, ſi quis adoleſcentum eò pervenerit, ut debeat τεχνωθῆναι, quo verbo uſum eſſe quendam è præceptoribus ſuis, ait Galenus: illi ego ſpondeo, non habiturum meliorem ducem Galeno *in his libris*. Ille idem lectâ unâ atque alterâ paginâ intelliget eſſe heic non pauca, quæ in nullo *Practicorum*. Tertia, & jam accidentaria cauſa eſt, hactenus à noſtris nõ tacta, quod Galenus etiã heic intrudit tres animas ſuas, quarum vires ſeorſim conſervatas vult. Quâ in re video opus mihi eſſe παλινῳδίᾳ, ne porrò credam Avicennæ, *quæſtionem Logicam eſſe in Medicinâ, doctrinam de Animâ*. Imò, Methodus medendi convincit nos, cum Ariſtotele ſtandum eſſe. Quò minus moleſti eſſe debent nobis, qui τριψυχίαν barbaram crepant etiamnum. Sed hi quidem valeant: tu autem, Lector, diſce Methodum Galeni ex ipſo Galeno. Cujus interpretem minus venuſtum ſi qui dicere volent, perſuade tibi verum eſſe Sapientum dictum,

Citius Solem cariturum luce ſuâ, quam VIRTVS Obtrectatoribus ſuis.

Perſcriptum Altorfii, quod in vetere Norico eſt, ineunte Octobri, Anni 1646.

METHO-

METHODI MEDENDI
LIB. I.

CAPUT I.

1.

LIcet & tu, amiciſſime Hieron, & unà tecum alii ſodalium ſæpè me rogârint, ſcriberem ipſis Methodum medendi; ego etiam & vobis & poſteris gratificari voluerim, quantum in me eſt: cunctatus tamen ſemper ſum, & diſtuli in diem propter cauſas, quas nunc commemorare fas eſſe duxi, antequam rem adgrediar, quod contineant utile quid ad ea, quæ dicenda ſunt.

2. Concurrunt autem cauſæ ferè omnes in eo, quod veritus ſim, ut fruſtrà ſcribam. Nempè enim, ut in proverbio eſt, *Nemo hoc ſeculo Veritatem curat:* ſed divitias, & potentiam civilem, & immenſas voluptates, & adeò quidem, ut inſanire credatur, qui ullius ſapientiæ ſtudioſe dedit. Ipſam quidem primam & propriè dictam *Sapientiam, quæ ſcientia eſt rerum divinarum juxtà & humanarum*, in univerſum ne eſſe quidem putant: Medicinam autem, Geometriam, Rhetoricam, Arithmeticam, Muſicamque, & omnes ejusmodi artes, ſinunt quidem, ſed excellere in iis nemo vult. Me verò illi etiam, qui non fucatè me amare præ ſe ferunt, non raró increpuerunt, quod ultra modum ſtudeam Veritati, nec vel mihi in totâ vitâ meâ conſulere velim, vel aliis, deponendo fervorem illum perſequendi Veritatem, contrà autem obambulando à tempore matutino ad veſperam uſque, præ foribus potentiorum, cum quibus cœnes poſteà.

3. His enim nunc moribus publicè vivitur, hinc amor mutuus naſcitur, hinc conjunctiones fiunt, hinc artifices æſtimantur: non autem ex privato uniuscujusque inſtituto. Non enim ſunt, qui id curent, omnibus per totum diem occupatis, manè quidem ſalutationibus publicis; poſt hæc autem euntibus plerisque vel ad forum, vel in judicia; nō paucioribus ad ſaltatores & aurigas; aliis ad aleam properantibus, aliis ad amores ſuos, ad balnea, ad comeſſationes, ad has, illasve corporeas voluptates: Veſperi autem unà omnibus convenientibus ad ſymbolas. Ubi cum vino ſe ingurgitârint, non circumlatâ in orbem lyrâ, aut citharâ,

aut aliquo alio inſtrumento Muſico (quibus in talibus congreſſibus gaudere olim pulcrum putabatur, turpe autem valde contrarium) ſed nec colloquiis oblectantur, qualibus veteres, quorum ſcripta habemus, nec ullâ aliâ re liberali. Contrà verò propinant ſibi invicem, certantes amplitudine poculorum. Optimus enim eſt, non qui plura tractat inſtrumenta Muſica, aut quæſtiones proponit Philoſophicas, ſed qui plures & majores exſorbet cyathos. Quamobrem talium pleriq; etiam manè videntur ebrii eſſe: imò, tam manifeſtè olent vinum, atque ſi jam bibiſſent. Hinc fit, ut, poſtquam talium aliquis ægrotare cœperit, vocetur Medicus non ex optimis aliquis (in ſtatu enim ſanitatis nunquam nôſſe tales voluerunt) ſed congerronum aliquis, qui adulari doctus, etiam aquam frigidam dabit poſcentibus, poſt balneum, imò vinum nive refrigeratum, quidquid imperatum fuerit. Inſtar enim mancipiorũ, ſtant ad nutum, non autem quomodo veteres Aſclepiadæ illi, qui ægros non minus morigeros habebant, quam duces milites ſuos, quam reges ſubditos, non autem ſubeſſe illis, & ancillari, velut Getæ, Tibii, Phryges, Thraces, adeoque omne genus illud venalitium. Quare, non qui rectius callet Medicinam, ſed qui adulari didicit, in pretio eſt, & huic omnia pervia ſunt, huic fores patent, hic ſubitò fit dives & potens, huic diſcipuli dantur pulchelli illi, qui divitum libidinibus diu ſervierunt, poſtquam non amplius apti ſunt.

4. Hoc intelligens Theſſalus ille, non in aliis tantum adulatus eſt divites Romanos, ſed & in hoc, quod intra ſpacium ſemeſtre docturum ſe promiſit artem, quo promiſſo facilè ſibi acquiſivit multos diſcipulos. Si enim neque Geometriâ heic opus eſt, neque Aſtronomiâ, neque Dialecticâ, neque Muſicâ, neque ullâ elegantiori diſciplinâ iis, qui Medici futuri ſunt, quemadmodum generoſiſſimus ſpondet Theſſalus; ſed neque longâ experientiâ, aut diuturnâ morâ: ubique facilè fuerit Medicum fieri. Hinc adeò & ſutores, & architecti, & tinctores, & fabri ferrarii pro Medicis ſe gerunt, relictis veteribus ſuis opificiis. Hinc qui pridem ſcruta ſua venum exponebant, hodiè de primatu inter Medicos litigant. Et hæc cauſa mihi fuit, cur ſcribere methodum medendi diu noluerim, quam inchoârunt quidam è priſcis viri: abſolvere autem tentârunt poſteri illorum.

5. Ab initio quidem contentio erat non modica inter Coos & Cnidios Medicos, cum utrique ſuperiores eſſe vellent inveniendo. Hæc enim duplex in Aſiâ ſupererat Medicorum Aſclepiadarum natio, poſtquam deficere cœpit illa, quæ in Rhodo. Certabant enim inter ſe pulcrum illud certamen, quod Heſiodus laudat, etiam qui in Italiâ Medici, Philiſtion, Empedocles & Pauſanias, & horum ſocii. Atq; hi tres chori nobiles erant inter ſe pugnâ illâ, cum felicior Cous numero eſſet: ſed in propinquo ſtaret Cnidius. Sed & contemni nolebat Italicus. Interim, nullus ex his divitum fores frequentabat, ſupplicaturus illis, aut etiam cœnam oraturus: ſed ut Heſiodus inquit,

Divi-

Divitem aliquem conſpicatus quis, qui non habebat, quod ageret,
Incepit & ipſe arare, arboresque plantare.

Sic & illi ſemper pugnabant invicem, non arando, aut plantando (hæc enim indigna genere Aſclepiadum, Heſiodo autem digna:) ſed exercendo, & augendo ſemper, & perficiendo artem Apollinis, Æſculapiique. Nunc verò intercidit quidem honeſta illa contentio, aut certè parum quid obſcurè ſupereſt inter homines: regnat autem infamis illa altera, quam nemo auſit avertere aut curare, Heſiodi exemplo,

Neque tibi animum à labore arceat lis malo gaudens.

Hæc enim, ut divinior alter Poëta ait,

Exiguum armata eſt ab initio: mox autem
Cœlo caput firmat, in terrâ ambulans.

COMMENTARIUS.

Exponens Gal. cauſas ſerius ſcripti hujus operis, graviſſimâ oratione inceſſit mores Romanos, & quam contemnantur ab iis Medici genuini. Verùm, ò Galene, ſi contingat tibi reditus ad nos, videris non tantum omnia à diro Marte conculcata, ſed & ſcholares noſtros, habitu militari indutos, audere omnia contra omnem honeſtatem, quodque rei caput eſt, ludibrio habere ſeniores, contemnere ſtudia, voluptates omnis generis perſequi, nihil non agere eorum, quæ ad perditionem ducunt. Hinc viri facti nihil ſolidi ſciunt, quia nihil tale didicerunt. Quid igitur exſpectamus? BARBARIEM. Sed de hac juſtiſſimâ querelâ alibi: ego unguem imprimo illis, ἣν εἰσηγήσαντο, μετὰ ἄνδρες παλαιοὶ, &c. Heic enim breviter & in genere dicit, quod infrà *l. 9. c. 8.* fuſè, & de Hippocrate quem cum Trajano Imp. comparat in ſtudio reparandarum viarum.

CAPUT II.

1. AH hac contentione in furias actus Theſſalus ille, Hippocrati, cæterisque Aſclepiadis maledictis moleſtus eſt, ſtatuensque libros ſuos quaſi in communi totius orbis habitabilis theatro, in illo & judicium ſubit, & in cauſâ ſuperior eſt, & coronam accipit præ veteribus aliis omnibus, propriâ, ſe ipſo præcone, voce victor declaratur. Hoc fecit & in l. de Communitatibus, & in Syncriticis à ſe dictis, & in aliis omnibus contumeliis pugnans, quemadmodum etiam in Epiſt. ad Neronem, ubi ſtatim ab initio his verbis increpat: Poſtquam ſectam novam condidi ego, eaque ſolam veram, quod priores Medici omnes nihil utile contulerint, vel ad ſanitatis cuſtodiam, vel ad morborum depulſionem, &c. in ſequentibus ita pergit: Hippocrates nociva præcepta dedit.

2. Quid? Auſus eſt etiam Aphoriſmis inſultare, dedecus commemorabile committens, dum ipſe prodit ſeipſum, nunquam fuiſſe in cenſu diſcipulorum

 Hipp.

Hipp. nunquam ab ullo Præceptore audiviſſe ullos Hipp. libros, & tamen velle ſe ipſum coronatum. Ideò & ego, quamvis non ſolitus refutare legitimè inſtitutos, videor mihi dicere poſſe aliquid contra ipſum, propter contumeliam, quam aſpergit veteribus. O tu, quid ita audes calumniari utilia, ut vulgus te æſtimat, cum liceat tibi ſuperare eos, qui vera ſectantur, ſi laboris amans eſſes, & veritatis ſtudioſus? Quid ruditate auditorum abuteris ad veterum blasphemiam? Utrum, Theſſale audaciſſime, judices conſtitues paternæ officinæ ſocios? Non eſt de nihilo, vinces his ſedentibus & Hipp. accuſatum, & Dioclem, & Praxagoram, aliosque è veteribus omnes. Atqui hi omnes (contra quos agis) ſunt dialectici, ſcientifici, in judicando vero & falſo exerciti ab ineunte ætate, in diſcernendo eo, quod ſequitur ad quidvis? nec minus in eo, quod pugnat cum hoc, cum illo quomodo ſit determinandum? quod ipſum eſt methodi Apodicticæ proprium?

3. Contra tantos, talesque in conſilium introduxti hos judices? his præſidibus auſus es reprehendere Hipp.? his audientibus voluiſti accuſare Hipp. funeſtâ illâ tuâ, barbarâque voce? Primum quidem, non eſſe illi concedendum, ut de Naturâ humanâ tantoperè ſit ſolicitus. Deinde, ſi etiam concedatur hoc illi, concedendum tamen ſimul eſſe, malè præfuiſſe officio, & falſa omnia ſcripſiſſe. Quis igitur erit judex, hoc repudiato? Fortaſſis Plato, quia hunc unum non conviciaris? Ego verò nec diſcipulos ejus repudiârim, nec Speuſippum, nec Xenocratem. Ariſtotelis autem vel rogem te judicium maneas, & cum eo Theophraſti. Optarim autem, pro judicibus etiam acceptare Zenonem, Chryſippum, & omnes tales: (Stoicos puto) Nemo enim horum recuſavit Hipp. ſententiam de Nat. hum., quam nullatenus agnôſſe videris: imò ſi agnôſti, non intellexti.

4. Sed & ſi intellexiſti, non potes judex eſſe, qui apud patrem, in contubernio mulierum, flagitioſè lanam pectebas. Nec enim putes latere me, & admirabile genus tuum, & inſtitutionem tuam famoſam, & quod in ſurdo theatro malè loqui ſoleas de Hipp. aliisque veteribus. Tu verò demonſtra prius, quis ſis, & unde domo? cujus generis? cujus inſtitutionis? Deinde dic hoc ipſum, primum hoc præmonitus, O confidentiſſime, quod non omnibus in publico dicere permiſſum eſt, in ullâ bene conſtitutâ Rep. ſed illis tantum, qui celebres ſunt & genere doctrinæ, & inſtitutionis, id conceditur à legibus, ad populum loqui.

κωφὸν θέατρον intelligo, quod ἠχεῖον non habet. Vide Com. in T. VI. p. 5.

5. Tu verò cum nihil horum probare poſſis, audes, O generoſiſſime, accuſare Hipp. judices conſtituis in libris tuis nugatoriis Græcos. Fers etiam ipſe ſententiam, non exſpectatis ipſis, coronasque te ipſum, modo adverſus omnes medicos: modò adverſus omnes in univerſum Græcos. Hæc enim tua eſt profligata audacia, tua, inquam, ſapientiſſime Theſſale, viciſſe te omnes Medicos te diribitore, te judice facto: deinceps etiam alios Græcos ad certamen vocans, rhetoras, geometras, grammaticos, aſtronomos, philoſophos: mox, ſtans in medio illorum agmine, & voce lanificâ uſus, proclamas, te omnium principem eſſe. Medicinam quidem præſtare alias artes omnes: inter Medicos omnes te eſſe victorem,

ctorem, quod unum fortè bono collegit ſyllogiſmo Theſſalus. *Si enim medicina omnium artium prima eſt; in ipſâ autem primus Theſſalus: fuerit hac ratione omnium hominum primus Theſſalus, etiam Socrate, Lycurgo, aliis, quos Apollo Pythius laudavit, aut ut ſapientes, aut ut bonos, aut ut Muſarum cultores, aut ut Jovis miniſtros, aut ut aliud quid divinum poſſidentes.*

6. Agedum igitur Theſſalo hymnos inpoſterum canant omnes, carmina victricia condant, & publicum totius orbis theatrum fiat, accedatque aliquis, & ſuccinat, quòd is, qui in textrinâ natus & altus, vicit quidem Demoſthenem, Lyſiam, aliosque oratores: vicit quin etiam Platonem, Socratem, aliosque Philoſophos: vicit porrò Lycurgum, Solonem, cæterosque legislatores: coronam etiam accepit publicam adverſus omnes homines, oratores, philoſophos & legislatores. Si enim meminero tantum geometrarum, grammaticorum & nominatim muſicorum, poſt tales victorias, injuriam feciſſe videbor homini. Ubi enim victi ſunt Lycurgus, Solon, Plato, Socrates, & Pythagoras: ecquid gloriæ ſupereſſe poſſit Hipparcho, Archimedi, Ariſtoxeno, Ariſtarcho, aliis minoris famæ, ut quidem Theſſalus loqueretur? Verum enim verò, ubi offendemus poëtam tam altiſonum, qui ſatis celebrabit talia? quem Homerum excitabimus, qui Epico carmine Theſſalicam canat victoriam? quis Melicus poſt Pindarum tam altos intonabit dithyrambos, quibus ut olim ille Bacchum, ita hic Theſſalum cœlo inferat? An, non indigemus tali?

7. Quin potius Archilocho aliquo, aut Hipponacte jambographo? aut alio ex ſcenâ Tragicâ, qui dicat illi,

Miſer, manedum quietè in lectulo tuo,
Non enim vides, quæ putas te clarè videre!

Hem tibi, Theſſale, ſomnium Oreſtis (furentis)! Hoccine eſt theatrum illud, in quo Hipp. vincis? ubi qui ſedebunt judices? qui honorum diſtributores: Nunquid placet ante omnia Platonis audire ſuffragium? Fortaſſis enim ex non negabis hunc poſſe eſſe judicem?

8. Sed quid dicit ille ipſis verbis? An animæ naturam rectè putas cognôſſe poſſe, non cognito toto? *Si Hipp. è gente Aſclepiadéa, quidquam credendum, ne corporis quidem natura cognoſci poteſt absq; hac methodo. Rectè, O amice. Oportet enim poſt Hipp. rationem ineuntesq; conſiderare, an conſentiant? Hoc ajo. Igitur, quid eſt de naturâ agere? quid dicit Hipp. & recta ratio? Nunquid non ita de omni naturâ ſtatuere oportet, primum, ſimplexne an multiplex ſit id, de quo volumus vel ipſi artifices eſſe, vel alios in artificio illo erudire? Deinde, ſi ſimplex ſit, intueri facultatem ipſius, quam habeat in quod agendi? aut quam patiendi à quo? Sin multiplex ſit, enumerare ſingulatim ſpecies, & quod in unâ feceris, perpendere in omnibus, quid vid. poſſit agere in quod? quid pati à quo?*

9. Audiſtin' O generoſe, Platonem velle de anima agere ea methodo, qua Hipp. de corpore? Visne etiamnum amplius eligam tibi ex libris ipſius verba?

in quibus æmulatur Hipp. præ aliis, qui præceſſerunt ipſum? an potius, quod alibi feci, in libris inquam de ſententiis Hipp. & Plat., eò ablegabo lectorem? Demonſtratum enim eſt, ut ego quidem mihi perſuadeo, planè evidenter, quàm conſentiant iſti duo viri in ſententiis plurimis & maximis! Tranſitu igitur hinc facto, teſtem vocabo alium chorum, illum, dico, qui ex περιπάτῳ, qui ſcil. Hipp. principia pro fundamentis habet Phyſiologiæ ſuæ. Sed enim & de hoc in aliis Comm. actum eſt, quorum unus eſt de Elementis ſecundum Hipp. cui contiguus eſt alius triplex de Temperamentis. Huic iterum alii duo, de inæquali intemperie, qui ex illo de Temperamentis quaſi exſiſtit: & de optima corporum conſtitutione. Tum verò inſuper, qui de Facultatibus naturalibus triplex.

10. Hos libros ſi quis legat, manifeſtè agnoſcet, Ariſtotelem eſſe interpretem rationum Hipp. de naturâ. Et profecto, etiam in iis, qui de Morborum differentiis libri, quot & quales ſint, æquè ac de ſymptomatum tam differentiis, quàm cauſis, Hipp. quidem primus omnium, quos ſcimus, rectè incœpit: Ariſt. autem latè explicuit. Hoc ita eſſe intelliget is, qui legere volet, quæ mihi ſcripta ſunt de ſingulis. Quare, ſi Peripatetici ſedebunt judices, Hipp. credo vincet: Theſſalus autem, tanquam impudens & væcors, theatro expelletur.

11. Quid verò fiet, ſi Stoici admittentur ad ſuffragium. Certè, ex iis, quæ ſtatuunt dogmata, ex iis coronabunt Hipp. Nam calidum, frig. hum. & ſicc. primus introduxit Hipp. poſt ipſum demonſtravit Ariſt. Quæ igitur in promtu habebant Chryſippéi, ea ſumebant ſine altercatione: ex his ipſis omnia fieri dicebant, hæc in ſe invicem agere & pati. Item, artificioſam eſſe Naturam, ſumma, omnia Hipp. dogmata amplectuntur, & in admodum paucis differunt ab Ariſt. v.g. rectè docente, quod totum corpus ſit σύμπνουν καὶ σύῤῥουν, & omnes partes animalis compatiantur: accipit hæc pars utraque: Differunt autem in hoc ſolo, apud Ariſt. ſolæ qualitates contemperantur: apud Stoicos ſubſtantia quoq;. Hæc verò diſtinguere cum Medico ſit inutile, & ſufficiat hoc, quod in confeſſo eſt, ad opera Medica, quod ſc. qualitates & facultates totæ per totas miſceantur, jam mihi aliás demonſtratum eſt, ſi verò quid deeſt, jam ſupplebitur. Tu puta, & apud Platonem, & apud Peripateticos, & apud Stoicos vincere phyſiologiam Hipp. tantò magis, quod fatentur omnes prædicti philoſophi, non poſſe rectè curari morbos ſine hac phyſiologia, quæ conſiderat naturam humani corporis. Nunquid igitur coram his philoſophis vicit Theſſalus, de primatu contendens? His, inquam, qui omnis ſuæ phyſiologiæ ducem habent Hipp.?

Vide Pacium in Com. col. 52.

12. Quid autem? Si Geometris, Aſtronomis, Muſicis, Oratoribus judicium commiſit? Putabimusne illos, prætergreſſo Hipp. alium quendam coronaturos? Ego perſuaſiſſ. ſum, neque alium primas laturum, multò minimè autem ſtupidiſſ. Theſſalum? Nemo enim tantoperè deturpavit aut geometriam, aut aſtronomiam, aut muſicam, aut rhetoricam quàm Theſſalus. Ut hac ratione agon hic inſtitutus ſit in theatro parum amico? Ille verò hoc nunquam committet, ut judices

dices in thronum collocet, quos ſibi anteà hoſtes fecerit! Collocabit autem ſolos in Dialectica exercitos philoſophos, utpote qui norunt, quæ rationes veræ aut falſæ ſunt. Atqui ſi Platonicos, Ariſtotelicos, Chryſippéos, tanquam minus verſatos in hac palæſtrâ, præterierimus, alios non inveniemus. Si igitur, neque aliarum artium profeſſores pro judicibus admittit Theſſalus, neque in Dialecticis conſultiſſimi philoſophi dabunt illi votum: quorum tandem judicio viciſſe dicetur? qui illi theatrum conſtituent? qui illum renunciabunt victorem? qui illum coronabunt? profectò ipſe ſe ipſum? Et hoc ipſum jam fecit in admirandis ſuis ſcriptis, in quibus & judex eſt, & renunciator, & coronator.

COMMENTARIUS.

13. Sæpè miratus ſum, cur Galenus tam operoſè refutet Theſſalum? Debebat ſtultum hominem amandare ad Ariſtophanem, qui depingeret illum coloribus ſuis! Sed rectè fecerit: ego voco illud in dubium, an verè dixerit Galenus Ariſtotelem eſſe interpretem Hippocratis *in phyſiologicis*? Verè dixit, ajo. Ex eadem enim ſchola prodierat uterque, & exiguo temporis ſpatio differt factum Hippocratis, qui *Medicinam* vulgaverat, à facto Ariſtotelis, qui *Philoſophiam*. In hoc verò inconſideratus eſt Galenus, cùm ſententiam Hippocratis elicit ex *l.1.de Nat.hum.*, quem nos habemus, cum differant dogmata δὺς διὰ πασῶν! Quæ cauſa mihi fuit, cur principio χρηςομαθ. φυσιολογ. probare voluerim, non minus νοθεύνειν, quàm *ſecundum & tertium*, de quibus id publicè conſtat. Quò minus pati poſſum, illum *libros duos de Elementis* inſcribere SECUNDUM HIPP.

14. Multò minus pati poſſum ſociare illum *libros tres de Temperamentis*. Nam neque totum, neque partes conſtant ex 4. humoribus illis. Multò minimè permittere poſſum, ut jungantur illis libri de Facultatibus naturalibus, in quibus Galenus purus putus eſt *Peripateticus*. Quid tandem fiet *de Differentiis & Cauſis morborum & ſymptomatum*, de quibus loquitur Galenus tam clarè, ac ſi legiſſet apud Ariſtotelem? Nihil certius, quàm quod legerit, adeoque fragmentum illud, quod ultimum eſt inter *Parva naturalia, de Sanitate & morbo*, nihil aliud eſt, quàm principium *Pathologiæ Ariſtotelis*. Hinc Inſtitutionum noſtrarum *liber tertius* eſt *de Sanitate & morbo*. Hinc naſcitur mihi hoc πόρισμα, cladem quam ab Apelliconte Tejo acceperunt opera Ariſtotelis, de qua ex Strabone dixi, *χρ. φυσ. cap.* 52. non extendere ſe ad fragmentum illud, ſed recentiorem eſſe. Et hæc quidem ita mihi videntur.

15. Ex quibus etiam defenſionem paro ſcriptis meis, præcipuè noviter editis *Inſtitutionibus* contra balatrones quoſdam, qui dicunt, *Nova eſſe, & neſciri, Verane ſint, an falſa*? Atqui Galenus hic dicit, Hippocratis eſſe, Platonis, Ariſtotelis & Stoicorum. Sed ita fit in religione quoque! Heu pudor, ubi es?

CAPUT

CAPUT III.

1. AN imaginatus ſibi eſt Theſſalus, honori ſibi hoc fore, & occaſiones allaturum celebris nominis? ſi, conviciando viris optimis, cogat nos contradicere illi? Hoc modo Zoilus quoque eſſet celebris, propter flagellationem ſtatuæ Homericæ, & Salmoneus, qui fulgurantem Jovem eſt imitatus, & turba non exigua ſceleratorum hominum, quæ vel ſe meliores reverita non eſſet, vel Deos ipſos calumniata eſſet. Verum hi neque bonam de ſe opinionem reliquerunt, neque quiſquam æmulatur illos, ut neque Zoilum Homeromagiſta, neque inſanum Salmonea, quamvis à maledicis Zoilus laudetur, & à ſacrilegis Salmoneus. Sed quid hoc refero? Cum & crumeniſecæ exemplum capiant à crumeniſecis, & proditores à proditoribus, nec quiſquam ſit hominum (malorum) qui non cœtum aliquem trahat, cui in deliciis ſit. Et ſi ſcripſiſſet Theſſalus tanquam coquus, tinctor, lanificus, coriarius, textor, certans cũ fullonibus, ferretne ideò victoriam de Hipp.? neque quiſquam illi contradiceret? At poſtquam omnes homines conſtituit judices; inter hoc autem & Plato eſt, & Ariſt. & Theop. & Chryſippus, nequaquam omnes calculos feret ſolus, ſed licebit alicui provocare aliò.

2. Quamvis enim Hipp. detrectarit, indignum ſe ratus, qui cum Theſſalo pugnet: fortaſſis Eraſiſtratus non detrectabit, multoque minus Herophilus, & hoc rurſus Aſclepiades, aliique Medicorum recentium, qui natura contentioſi ſunt, non contemnent injuriam, quam facit Theſſalus omnibus in univerſum Græcis, ſed in medium producto exhibebunt libros ipſius omnes, inſcitiæ extremæ plenos, ut qui in tot & tam magnis operibus, tot nugaciſſimis verſib. conſtantibus, nullibi ullam dederit demonſtrationem, ſed tyranni adinſtar jubeat, duas tantum eſſe differentias in quocunque victu, morborum, *Fluidum* & *Adſtrictum*, non perpendens, quod differentiam morbi attulerit, notam quidem etiam anterioribus Medicis, ut probavimus: ſed nemo tam erat indoctus, ut putaret, differentias has eſſe ipſos morbos, & remediorum indicationem ab ipſis ſumeret, ſubſtantia ipſa prætermiſſa.

3. Sed hic error Theſſali parvus quidem eſt, O Jupiter, Diique omnes, quem puer etiam, in liberalibus Studiis inſtitutus, ſtatim agnorit. Nihilominus parvus hic error tam impudentem fecit illum, ut videatur ſibi dixiſſe magnum quid & venerabile, æque ac ſi quis dixiſſet, Omne animal aut rationale eſſe, aut irrationale, putet aliud dixiſſe quàm differentiam animalium, cum idem ſit, ac ſi dixiſſet, Omne animal aut mortale eſſe, aut immortale. Utrobique enim tota differentiarum oppoſitio de omnibus ſpeciebus dicitur. Omne igitur animal aut ferum eſt, aut manſuetum, omne animal aut pedes habet, aut non habet. Omne animal aut cornua habet, aut non habet. Nec invenire eſt differentiam nobiliorem in ulla oppoſitione, nec quæ magis ſit in particularibus. Verum, cum de

anima-

animalibus quæritur quot & quæ ſint,non oportet dare unam differentiarum oppoſitionem. Ita enim erunt duo tantũ animalia,nec ullum magis vel rationale,vel irrationale,mortale vel immortale,ferum vel manſuetum, aut oppoſitionum aliarum quælibet.

4. At ſi relictis differentiis, ut par eſt, equum quis reſponderit, bovem, canem, hominem, aquilam, apem, formicam, leonem, ovem, ſumma, omnia animalia in ſpecie enumeret; apertum eſt, quod rectè quærenti reſponſum fuerit, quot ſint animalia? Quin, ſi multa quidem numeret animalia; proteſtetur autem, non poſſe ſe omnia numerare: etiam hic rectè reſponderit. Cum igitur ſimilis ſit quæſtio de morborum numero apud veteres Medicos, & quidam dicant, in totum ſeptem eſſe, quidam pauciores, quidam plures: (mirum eſt) omnes reſpectum habere non ad ſubſtantiam, ſed ad differentias! Nimirũ tam indocti non erant, nec Logicæ tã imperiti, ut differentias quidẽ loquerentur, ſubſtantias autem in animo haberent? Solus ille, qui ex gynæcéo prorepſit Theſſalus, inceſſit tales viros, cum ipſe dicere non poſſit nec genus ſuum, nec ubi enutritus ſit, nec ubi inſtitutus, qualem inſtitutionem dictorum ſinguli profitentur, ille quidem Ariſtotelis, hic autem Platonis, alius Theophraſti contubernium prædicat, aut alîus cujusdam eorum, qui in Logicis exercitati ſunt. Ut igitur, ſi quis interrogetur, quot vocis alicujus ſint elementa, duo dixerit eſſe, (omninò enim aut vocalem eſſe dicet, aut conſonantem vocis illius, de qua interrogatur:) is verum quidem dixerit, ſed ad quæſtionem non reſponderit. Eodem modo, puto, ſi quis omnium morborum numerum comprehendere volens, ſpeciem quidem unam transſiliat, v. g. inflammationem, ſcirrhum, œdema; differentias autem ſolas edat, ſive adſtrictum id ſit, ſive fluidum, ſive rarum & denſum, ſive durum & molle, ſive tenſum & laxum, verum quidem dixit, ſed quæſtioni non ſatisfecit.

5. Primùm enim neque omnis differentia addita generi, confert aliquid ad ſpeciei generationẽ: ſed illa, quæ fit ex propria generis diviſione: Hæ enim ſolæ ſunt ſpecificæ differentiæ, reliquæ omnes ſuperfluæ. Propriæ enim animalis differentiæ mortale & immortale ſunt, rationale & irrationale, manſuetum & ferum, & ſi quæ ſunt talia: ſed molle & durum, denſum & rarum, grave & leve, magnum & parvum, non jam animalis ſunt differentiæ, ſed ſubſtantiæ. Si igitur appoſuerit animali differentiam mollis aut duri, denſi aut rari, magni aut parvi, nihil ille contulerit ad ſpeciei conſummationem: ſed ſi aut rationale, & immortale, aut rationale & mortale; illo quidem modo Deum fecerit, hoc autem hominem. Sic, ſi animali rationali addideris duas differentias proprias, terreſtre & bipes, facies ſic quoque ſpeciem quandam, hominem. Unde impoſſibile eſt, ullius rei ſpecificas invenire differentias abſque inventione definitionis.

6. Præter hanc alius eſt error penes imperitos definitionum, cũ invenerint aliam quandam oppoſitionem differentiæ, putant ſe inveniſſe ſpeciẽ quandam

propoſiti generis,ut paulò ante dictum eſt de vocum elementis. Vocalem enim cum quis dicit aut conſonantem,nondum dixit omnia elementa vocis: ſed duas tantum primas generales differentias. Si verò iterum dividat vocales in longas,breves & ancipites ; conſonantes autem in ſemivocales & mutas; iterumque longas,brevesque dupliciter, ancipites autem tripliciter; ſed & mutas iterum in denſas,tenues & medias; & has iterum tripliciter; ſemivocales autem ſiquidem ſecuerit ſecundum propriam diviſionem,ne longior ſim: ſic invenerit viginti vocum , quibus utimur,elementa.

7. Dicere enim hoc tantùm, Elementorum vocis quædam eſſe Vocales, quædam Conſonantes, nondum facit auditorem artificem, neque exactè ſcientem omnium elementorum : ſed ſi dividat in brevia,longa & ancipitia, brevia quidem dixerit duo, τὸ ε καὶ τὸ ο : longa itidem duo, η καὶ ω: ancipitia autem tria, α, ι, υ, artificem ſic faciet auditorem de vocalibus omnibus. Eodem modo de conſonantibus. Sic qui incipit docere morborum numerum,quot ſint illi,hunc non oportet in primâ ſubſiſtere differentia, ſed dividere & explicare uſque dum ad extimas ſpecies pervenerit, quæ dividi amplius non poſſunt in aliam ſpeciem. Hoc præſtare non eſſe cujusvis, ſed hominis egregiè exercitati in methodo diviſiva,qui volet, diſcat *ex Philebo Platonis*,de hac methodo ſcripto dialogo. Poſt hunc relegat Sophiſtam & Politicum. Res hæc tum primum illi difficilima videbitur,cum attigerit *lib.1. de Part.animal.* Ariſt. Tentat quidem in illo enumerare omnes animalium differentias : motis autem dubiis plurimis, timidus tandem vix audet aliquid determinare.

8. Quò fit, ſi Ariſtoteli & Platoni tam operoſa res fuit, accuratè ſecare res in proprias differentias, & poſt illos Theophraſto, aliisque Philoſophis , tentantibus elaborare modum, nondum ab illis explicitum: quid ſperandum de audaciſſimo Theſſalo, affirmante, & credere ſibi volente,duo tantum eſſe circa diætam morborum genera, ſimplicia, inquam, & prima, & veluti elementa ? Tertium enim quoddam inde exſiſtit,compoſitum ratione,conſtitutum ex utroque. Hæc ſi inveniſti methodo quadam, ut jactas; cur nobis non patefeciſti illam ? Sed totum eſt contrarium ſplendido illi nomini, quo uteris, ô Methodi ignariſſime,& temerarie,dum de Methodo garris ? Nam neque principium attigiſti rei,à quo ordiri fas eſt illum,qui rectè tradere velit ſpecies & differentias proprias rei alicujus.O fili,inquit alicubi Plato,uniuscujusq; rei unum eſt principium optimum, quo ignorato neceſſe eſt aberrari paſſim , ſcire,qua de re ſit quæſtio ? Et hoc verum eſt , non in diviſionibus tantum,ut incipiamus à ſubſtantia rei : ſed in quacunq; uti oportet hoc principio.

9. Oportebat igitur & heic, quid ſit morbus , quid ſymptoma , quid πάθος diligenter limitare,& dicere, in quibus conveniant,in quibus non,tum de-

demum dividere illa in proprias differentias, eâ methodo, quam docuerunt Philoſophi illi. Quod ſi melior quæ inventa ſit poſt ipſos, illam quoque ſtudioſè explicare, & oſtendere, quod ille, qui è textrina venit, ſuperavit Methodum logicam Platonis & Ariſtotelis, quin conculcavit Theophraſtum, Stoicosque in Dialecticâ, manifeſtè refutavit omnes iſtorum aſſeclas, quod non viderit ullus illorum primas morborum differentias, nec Herophilus ille in Dialecticis benè verſatus, nec condiſcipulus ejus Philotimus, ſed neque Praxagoras, præceptor ejus, qui Æſculapium audivit, & cum his, & ante hos, Eraſiſtratus, Diocles, Mneſitheus, Dicuches, Philiſtion, Pliſtonicus, Hipp. ipſe. Atque ut ſimpliciter dicam, Imperatoris, non docentis vox eſt dicere, quoad victum duos tantum eſſe morbos: debebat enim addidiſſe, qua Methodo invenerit, qua demonſtratione, quo probabili argumento, qua correctione, ut ſic appellem παραμυθίαν, quo tandem modo, & non nudè in veteres invehi. Eſto, ſiles, qua Methodo Logica inveneris, certè, adhibitum aliquid oportuit, ex quo progreſſus oſtenderis, cur credendum tibi ſit, te vera attuliſſe. Logicæ enim artes ſolæ habent facultatem inveniendi id, quod quæritur. At verò confirmanti benè inventa, duo ſunt omnibus hominibus κριτήρια, Ratio & Experientia. Interroganti igitur, cur huic febricitanti præbuiſti aquam frigidam? duæ in promtu ſunt reſponſiones:

10. Altera quidem, ut demonſtret generationem & naturam febris, de qua ſermo eſt, ut & tempus particulare ejusdem, nec non naturam aquæ frigidæ. Hoc ubi factum, ut pariter doceat, quod huic morbo, hoc tempore morbi, probabile ſit, hoc genus remedii ſit benè ceſſurum. Altera autem, nihil horum molitur, ſed confugit ad experientiam; viſum fuit in tali morbo, tali temporis articulo, ſæpius prodeſſe. Debebat igitur Theſſalus, puto, aut experientiam aut rationem arceſſere, ut ratio illi conſtet, quare ita doceret, non Tyranni inſtar nobis imperitare, ut credamus illi absq; demonſtratione. Sed quam demonſtrationem poſtulas? inquit. Ita enim reſponſant nobis conſecranei. Et rectè quidem id faciunt, cum ignorent, quid ſit demonſtratio vel Geometrica, vel Arithmetica, vel Dialectica, vel Analytica, vel ullo modo ad Logicam pertinens,

11. Reſpondendum igitur illis, quod ſerò nimis diſcere cupiant, quid ſit demonſtratio? Nec fieri poteſt, ut brevi temporis ſpatio diſcatis, quæ ſubtili mente opus, vos inprimis, qui non aſſueti eſtis ſubtilitatibus, in diuturnâ verſantes perverſitate. Hos igitur tales relegabimus, cum nec intelligant veras diſciplinas, nec diſcere velint, nec judicare poſſint.

COMMENTARIUS.

12. Si comparem mores Romanos cum noſtris, adeoque loco unius Theſſali centum videam, deſerentes veterum conſenſum in *Phyſiologiâ Medicâ*,

 videor

videor mihi jure dicere poſſe, *Seculum hoc inficetum acriori etiam lixivio indigere quàm prius illud.* Tantò magis, quò peſtilentior hoſtis, una cum Marte, ſævit nunc in Hierarchiam noſtram literariam, PENNALIS, inquam, *Diabolus* ab omnibus vocatus. Is enim perſuadet adoleſcentibus noſtris, ne audiendos quidem eſſe Profeſſores illos, qui VERITATIS urgent opus. Quid enim eſt VERITAS? dicunt cum Pilato. Si quis dicat cum Galeno hoc loco: *Eſt conſenſus veterum ſapientum in Phyſiologiam Hippocratis & Ariſtotelis*; nihil lucrabitur præter cachinnum. E.g. Si Geryona quis urgeat triplicem, viciſſim audiet τριψυχίαν ἀνθρωπίνην. Et quid plura cumulem?

13. Hanc fortunam mihi exſpectandam eſſe, cum ſcirem etiam ab initio profeſſionis meæ: nihil cunctatus tamen, in medios hoſtes irrupi. Eadem confidentiâ cum *Inſtitutiones* meditarer, ſcripſi *præfationem*, quæ nunc in omnium manibus eſt, in qua obſcura quædam ὑποτύπωσις eſt eventuum, qui nunc in caput mihi inſultant. Sed nihil moror. τὸ εὖ μετ' ἐμοῦ, ut jam alibi ſcripſi. Τὸ εὖ illud eſt conſenſus ille, de quo Galenus, quem ideò heic repeto, ut conſtet de ingenuitate mea.

CAPUT IV.

1. NOs verò cum iis, qui & exercuerunt artem demonſtrativam, & naturâ prudentes ſunt (neque enim promiſimus docere velle aſinos Theſſaléos) ad id, quod propoſuimus ab initio, regrediamur, & ſtatim cum ipſâ doctrinâ Methodi medendi explicabimus cauſas, ob quas errârunt plerique Medicorum, quam invenire illam ſategerunt. Nam neque hoc parum confert ad firmiorem VERITATIS cognitionem.

2. Ac primum quidem cavebimus ab utroque, ne ſimul tradamus & Methodum rationalẽ, & experientiam irrationalem. Propoſitum enim nobis eſt agere velle, non de univerſâ remediorum inventione, ſed de ſola Methodicâ. Quemadmodum de Empiricâ nos quidem in alio ſcripto egimus: ipſi autem vocati Empirici plurimum inſudarunt. Et ſic optarim Logicos Medicos omnes inſiſtere propoſito, non confundere, & perturbare, & invicem miſcere Analogiſmum cum Experientia, ſed ſeorſim utrumque tractare, & perpendere quam vim habeat, & quantum ad finem artis conferat. Methodo igitur aliquid invenire, eſt oppoſitum illi, quod fortuitò & ſpontè.

3. Eſt autem Methodo invenire, cum quadam viâ & ordine, ut aliquod ſit primum in ordine, aliquod ſecundum, & tertium & quartum, & ſic deinceps alia omnia, uſque dum perveniat ad primum, quod ab initio propoſitum erat.

4. Rectè igitur faciunt Empirici, cũ confitentur quod apud ipſos neq; invẽtionis, neq; doctrinæ ſit ullus neceſſarius ordo. Experiẽtia enim eſt inartificiale quid, & irrationale, & bona fortũa indigũ, ut inveniatur id, quod quæritur.

5. Qui verò Rationem fecerunt ducem inventionis, & ordinem & viam quandam, ad finem ducentem, præſuppoſuerunt: his neceſſarium fuit incipere à primo quodam, confeſſo omnibus hominibus, & progredi ita ad reliqua. Non tamen ita faciunt.

6. Sed

6. Sed & plerique principia conſtituunt inter ſe pugnantia, non tamen demonſtrantes, ad reliqua eodem modo progreſſum faciunt, leges potius ponentes quam demonſtrantes. Hæc accidunt illis præterea, quod nihil antea de demonſtratione meditati ſint, ſed ſimul & ſemel inſiſtant quæſitis, & utantur illis ad demonſtrationem. Hi ſimile quid faciunt illi, qui globum metiri volebat, aut cubum, aut conum, aut cylindrum, aut horum aliquid, cum neque Geometriæ gnarus eſſet, neque Logiſticæ, imò, nec cubiti, palmive, aut pedis menſuram præparatam haberet, & tamen indignetur illis, qui vel demonſtrationem ab illo exigant, vel tacere jubeant.

7. Ut enim ibi ridiculus fit, qui dicat, Rectanguli trigoni, cujus alterum latus (ſi ita contingat) circa rectum angulum quinque ſit pedum, alterum duodecim, aream non eſſe 30. pedum, ſed 40. nec ejus rei demonſtrationem afferat: ita heic ridiculus fit, qui quidquã affirmat, quod demonſtrare nõ poteſt.

8. Ut enim in Demonſtratione trigoni (neq; enim deſerendũ eſt nobis exẽplũ, qui indoctos iſtos Methodicos jam aſpulimus) ipsũ, quo propoſitũ eſt, ex duabus his propoſit. colligebatur, una, quæ ſpatiũ id, quod laterib. pedũ quinq; & pedũ 12. continetur, 60. pedum effici dicit; altera, quæ triangulũ, dimidiũ ejus eſſe ſpaciũ proponit, & oſtendit: harum utraq; rurſus, ut demonſtrat. fidẽ recipiat, aliis propoſitionibus egebat, mox illæ aliis, quoad perventum ad primas eſſet: hæ verò nec ex aliis, nec per demonſtrationem, ſed ex ſe fidẽ faciunt:

9. Sic (arbitror) & in iis omnibus, quæ in Medicina demonſtrantur, in primas quasdam & indemonſtrabiles propoſitiones & ex ſe fidẽ habentes, reduci oportere omnes. Hoc modo ſi locuti eſſent, omnes qui de Medicinâ, ſeu Methodo medendi aliquid ſcripſerunt, profectò conſenſiſſent ſibi ipſis, prorſus ut & Arithmetici, & Geometræ & Logiſtæ ſibi conſentiunt.

10. Ab his igitur ſtatim initio diſcere oportet, quid ſignificet unumquodq; nomẽ, quo uti volũt, & quas propoſitiones indemõſtrabiles (axiomata vocant illi) ad diſputationẽ adhibituri ſint. E.g. quod lineam quidẽ vocant longitudinem citra latitudinẽ: ſuperficiem, longitud. & latitudinem tantũ habentẽ: trigonum eſſe hoc: tetragonũ eſſe hoc: reliqua ad eundẽ modũ. Præterea, quod talibus axiomatis uſurus ſit, prædicens, Quæ ſibi ſimilia ſunt, etiam inter ſe eſſe ſimilia: ſi æqualia æqualibus addantur, tota eſſe æqualia. Poſteà demonſtrare theoremata tentat, nihil extra illa, quæ ab initio præſumſerat, addens.

11. Vulgus autem Medicorũ, quod & ipſe nôſti, opt. Hieron, ubi inventionis initium fecerunt, quod feciſſe ſe dicunt interrogati, tantũ abeſt à principiis indemonſtrabilibus, & ab omnibus confeſſis, ut neq; reſpondere poſſint, quod ſibi conſentiat: ſed Euripi inſtar, ſurſum & deorſum lapſant, dum unusquisq; ponit contraria in progreſſu orationis, iis, quæ ab initio poſuerat.

12. Quas igitur ſapientiſſ. Theſſalus *Communitates* ponit, & perſpicuas eſſe ait, illas paulò poſt affirmat non tantum Veteribus incognitas fuiſſe, ſed & primo illarum genitori, Themiſoni. Huic igitur ſolo transſcribit monſtroſas

illas *Communitates*, veluti patri legitimos liberos. Qui verò poſt ipſum omnes, & inter ſe, & à Theſſalo diſſenſerunt tantoperè, ut neque eaſdem attulerint, neque ſibi conſentaneas vel in uno, ut ſæpè tibi oſtendi, præſentibus Methodicis ipſis. Fortaſſis olim, cum habuero ſufficiens otium, ſcribam de diſſenſu illorum.

13. Nunc, ex magno acervo, tantillum ad propoſitum negotium aſſumere oportet, debuiſſe eos, tanquam ſectæ ſuæ autores, exponere prius, quâ de re ſingula nomina accipiant. Ut igitur Empirici faciunt, qui apparere ajunt, quæ ſub ſenſum cadunt, cognoſci autem, quæ memoriâ tenentur; apparere autem & cognoſci ſimul, quæ aliquando ſub ſenſum ceciderunt, & jam eodem modo cadunt. Nunquid igitur & illi hoc modo apparere dicunt *Communitates*, tanquam ſenſu cognitas? an etiam, quæ ratione aſſequimur, apparentia vocant?

14. Empirici quidem, non admodum concedunt, apparens appellari poſſe quidquam illorum, quæ ſola ratione cognoſcuntur: ſed priſci Philoſophi apparentium genus conſtituunt, unum quidem, quod Empirici etiam acceptant, ſenſu quodam perceptum, v.g album & nigrum, durum & molle, calidum & frigidum, & his ſimilia: alterum autem aliorum, quæ ſub intellectu ſunt, primo occurſu indemonſtrabile, ut, quæ eidem ſunt æqualia, etiam inter ſe æqualia: ſi æqualia æqualibus addantur, & reliqua ſunt æqualia, & contra. Hujus generis & hoc eſſe dicunt, Nihil fit ſine cauſâ. Et, Omnia fiunt ex eo, quod eſt: quod verò omninò non eſt, ex eo nihil fit. Sic & hoc, Nihil corrumpi in abſolutè non Ens. Et, De omni valet, eſt aut non eſt. Et talia multa, de quibus in Logicis agitur, & ego in libro de Demonſtratione ſcripſi, quàm potui, apertiſſimè.

15. De his, cum de ejuſmodi principiis ſermo eſt, quæ Logica appellamus, quidam è Philoſophis dubitant & litigant: verum tam egregiè ſapiunt, ut nulli demonſtrationi credant, fatentes, puto, quamvis non dicant, quod hoc planè credunt, nihil poſſe demonſtrari, niſi fides habeatur principiis Logicis.

16. Qui autem eò uſque rerum ignari & ſtolidi ſunt, quod nec hoc quidem intelligant, demonſtrationes quidem moliuntur: quæ verò illæ ſint, & qualia demonſtrationum principia neque ſciunt, neque inquirere volunt, neque alio docente audiunt, ſed abſolutè verba jactant, quæ quid ſignificent, diſtinctò dicere non poſſunt. Hinc ſcribuntur ab iſtis opera centum librorum, ſimulque quærunt, qua de re Theſſalus uſurparit nomina, nec tamen inveniunt, cui omnia particularia, quæ ipſe dicit, accommodari poſſint. Quamobrem dicere non poſſunt, quæ ſint illæ apparentes *Communitates*, & quomodo appareant, etiamſi tot alteros ſcribant libros.

17. Nam vel ſenſui prorſus occurrere debet id, quod apparet, aut intel-

lectui confertim utraque uno occurſu, ſine demonſtratione. Quod verò intellectui ſe non offert uno occurſu, ſubitò controverſum eſt, & demonſtratione indiget, nec fas eſt ullam artem ab hac re ordiri. Hæc ſi exercuiſſent in Methodis Logicis, & ipſi ſcirent, & non cogerent nos fruſtrà terere tempus. At quia inexercitati ſunt & indocti, per væcordiam audent demonſtrationibus uti, antequam ſciant, quid ſit demonſtratio, neceſſariò omnes hos falli oportet, & latè nugari, nec intelligere veras demonſtrationes, ſed fruſtrà tempus diſperdere. Inpoſterum igitur nec diſputemus cum illis, tanquam cum animalibus rationalibus: neque longâ oratione contradicamus illis donec velint diſcere, quid ſit demonſtratio, & quo modo exercere debeant in illo, quomodo rectè illa utendum ſit.

COMMENTARIUS.

18. Qui plura contra Methodicos ſeu Theſſalicos velit, adeat *l. de Sectis, c.6.* nec non *de Opt. ſectâ, c.21. & ſeq.* Quæ an ſint illa, quæ heic minatur, neſcio. Hoc ſcio, fruſtrà legi talia.

CAPUT V.

1. Tibi verò loquar inpoſterum ſoli, uſus Methodis iis, quibus in lib. de Demonſtratione uſus ſum. Quod verò principia omnis demonſtrationis ſunt evidenter apparentia tam ſenſui, quàm intellectui, & quod oportet in omni quæſtione nomen definire, ibi definitum eſt. Nunc autem proximum eſt dicere, non quo modo & invenire, & demonſtrare oporteat: ſed iis, qui jam didicerunt & exercuerunt, ſimul quidem præbere fructum quendam laborum opportuniſſimum, poſtquam invenimus non exiguum quid ejus rei jam nobis propoſitæ, ſimul autem, ſi quibus artium maxima deſideratur, quæ de Animâ eſt hominis: præexercere hos quoque in levioribus. In hâc enim quæſtione huc adlaborandum eſt maximè, ut exerceamur ſæpius levioribus in materiis, antequam manus admoveamus gravioribus.

2. Principium igitur veræ inſtitutionis eſto nobis, quam ſtatim ab initio fecimus, ipſi quidem indagantes artem, alios autem ducentes, qui corrupti nondum eſſent adeò, ut poſtquam propoſitum eſt nobis curationes omnium morborum invenire, ſciant, neceſſariò prius ſciendum eſſe, quot numero morbi ſint? Sed enim quia nullius generis vel differentias vel ſpecies invenire eſt, absque illius, quod dividitur, ſolidâ cognitione, fortaſſis nunc etiam inquirere licet in definitionem morbi, ut ad diviſionem ipſius rectè perveniamus. Quo igitur modo perveniemus? Quo alio, quàm quo in volumine de Demonſtratione dictum eſt? Præſuppoſita notione nominis, ſine qua ad eſſentiam rei perveniri non poteſt. Ipſam autem notionem nominis diximus oportere confeſſam eſſe debere omnibus, absque quo ſi ſit, nullo modo dici

poſſit

poſſit ἔννοια. Quæ igitur apud omnes homines eſt confeſſa illa Morbi notio ? & quâ de re τὸ νοσεῖν uſurpatur ? Annon, cum citra læſionem ullius in corpore actionis, benè valere ſe hactenus homines dicunt ? nec indigere Medicis ? At verò ubi ſenſerint partem ullam corporis, aut malè facere officium, aut prorſus non facere, putant ſe illa parte laborare, cujus actio ſit læſa, & Medico conſultore utuntur. Ego quidem video omnes ita uti voce hac, & dum valent, & dum ægrotant, & ſervare, quam dixi ἔννοιαν in cognatis nominibus omnibus. valere enim hunc omnes ſubſumunt, cujus nulla in parte ſit læſa actio, ægrotare, cujus ſit. Neque ullus in univerſum Græcorum vel aliter nominavit unquam, vel aliò transtulit verbum ullum cognatum, ut latè oſtendi in expoſitione vocum Medicarum. Et hujus jubeo te meminiſſe in toto diſcurſu. Facimus enim nominum exegeſes ex Græcorum conſuetudine, ut in opere de Demonſtratione dictum eſt. At verò inventiones, & quæſtiones & demonſtrationes de rebus ipſis, non ſumimus ex iis, quæ vulgo videntur, ſed ex lemmatis ſcientificis, de quorum inventione dictum eſt ibi.

3. Sumentes igitur principium omnibus confeſſum, quod in Methodo medendi ſubjectum ſit, ut morboſum corpus ad ſanitatem reducatur, h. e. actiones ſecundum naturam, ſi læſæ ſint. Jam autem quod proximum eſt, inquiramus, Quot numero res ſint, quæ loco ſibi ſint propinquæ ? ne fortè in ſequenti ſermone pro morbis habeamus, quæ morbi non ſunt, ſed ſimilia morbis. Ita de ſanitate, ſi quæ illi propinqua. Proponamus autem perſpicuitatis gratiâ, partes quasdam, in quibus ſermo deſinat, & primum quidem oculus.

4. In confeſſo enim eſt de hoc penes omnes homines, non Medicos tantum, ſed quosvis, quod opus ejus ſit videre. Sive enim ἔργον vocem, ſive ἐνέργειαν, nihil nunc interſit. Eodem modo, ſi quis dicat, vel τὸ βλέπειν eſſe officium oculorum, vel τὴν βλέψιν, vel τὴν ὄψιν, vel τὴν ὅρασιν, vel quomodocunq; aliter, nihil intereſt. Imò, etiamſi quis ſolœciſmum committat, re ipſi nullum detrimentum affert, modò clarè dicat, qua de re nomen afferat. In hoc enim principatus doctrinæ eſt.

5. Vocetur igitur *Oculus* pars illa corporis, neque heic habitâ differentiâ inter μέρος καὶ μόριον. *Quidquid enim facit ad complementum totius*, id appelletur alterutro nomine, totius vid. corporis, cujus complementum eſt. Μέρος enim eſt in numero Relatorum. Totius enim & omnis pars eſt, ſicuti (puta) & τὸ ὅλον, & τὸ πᾶν appellatur factâ relatione ad partes ſeu particulas proprias. Et habet ſe, ut dextrum & ſiniſtrum, & viciſſim. Ita & τὸ πᾶν ad μέρος, iterumque viciſſim. Si quis obſervet hanc notionem, malitque μέρος dicere quam μόριον, & viciſſim, apud me quidem rerum inventioni nihil officit : oſtendit autem ſe ex numero eſſe illorum, quos Græci vocant ὀψιμαθεῖς. Eodem modo, ſi quis diſtinguat τὸ ὅλον, καὶ τὸ πᾶν. Ignorat enim Græcorum dialectum. Dictum eſt autem, ut ſcis, alibi de uſu nominum, & ſatis fuſè ?

Cap. 2. ἐκάλεσε vocavit,

Necne

Nunc perſequor, quod neceſſarium propoſito meo, hoc indicato ſolo, quod non oportet nimis diu hærere, & putare eos, qui in his differunt â nobis, differre etiam in rebus. In hoc vides parum verſatos (ut in proverbio eſt) omnes non tantum hodiernos Medicos, ſed & pleroſque Philoſophos. Pauci enim componere ſciunt diſſenſiones, quæ in nominibus, ab iis, quæ in rebus. Sed & hujus diſcretionis methodus in Logicis monſtrata eſt, quâ de re, ſi unquam aliàs, nunc ut dicam, monet me tempus.

6. Quæ verò erat methodus illa? Annon illa, quæ orditur à differentiâ rerum, non verborum, & oſtendit (exempli gratiâ) res ſibi vicinas quatuor eſſe. Deinde demonſtratione conficit; neque plura, neque pauciora eſſe quæ circa propoſitum verſantur. Poſthæc omnibus quatuor nomina imponit, & h. m. rem ad finem perducit, nec quidquam ullibi tranſponit, nec metaphoris utitur, ſed accuratè cavet, ut eo modo explicet, quo ab initio propoſuit. Sic nimirum doctrina fit perſpicua, eademque libera à cavillationibus, quas homonymiæ pariunt, ſimulque facilè refutantur, quæ fruſtrà accreverunt, & celeriter reperiuntur, quæ deerant, quæque conſentiunt, aut diſſentiunt, maximè in talibus expoſitionibus, exactèque diſcernuntur.

COMMENTARIUS.

7. Heic ab initio dicendum eſt, Quales fuerint libri quindecim *περὶ ἀποδείξεως* JACOBUS SCHEGGIUS, ab obſcuritate potiſſ. notus philoſophus, tanti fecit, ut cogitârit de reſtitutione operis. Et fecit *Baſileæ in f. chartis ultra* 200. *anno* 1564. De ipſo opere judicium mihi non ſumo: qualis fuerit demonſtrator Galenus (ſine affectu loquor) exemplo doceo librorum *περὶ δογμ. ἱπποκρ. καὶ πλατ.*, quos *Com.* 2. *de Thor.* ita confeci, ut pudeat omnes aſſeclas ejus. Hic Com. quia eſt de principatu partium; ille verò ſcripſit de eodem, Tub. 1542. fortaſſis licebit trutinæ eidem appendere. Ego non vidi, ideò taceo.

8. Cæterum, quæ in ſeq. ſcribit, & *de differentiis morborum, & de definitione morbi, ἀνέλεγκτα* ſunt, ſed *ἀλλότρια*. Pertinent enim ad *Pathologiam*, ad quam ipſe tacitè refert. Cauſa eſt, diſtinguenda ſunt ea, quæ finem, ab iis, quæ ad finem. Vide *l.* 1. *Inſtit.* 4. quâ *de part. Medicinæ*.

9. Quæ de definitione, facere ad *Pathologiam*, cogit nos fateri, quod *l. de Diff. morb.* 2. ponè iiſdem verbis utitur. Ex utroque loco, quia *principio Animadv.* Mont. *ἀναῤῥήτως* probavi, definitionem eſſe *ὀνοματώδη*, nunc quieſco. Præcipua vis eſt in duobus illis verbis, *ἔννοια καὶ ὐσία*, quæ opponit Galenus.

10. Extremo, ſeu §.6. ita explicatur methodus, ut aliis verbis non ſit opus.

CAPUT VI.

1. ERgò rem nobis denuò repetentibus dicatur, Viſio quidem oculorum actio eſt, locutio autem linguæ, ut ambulatio crurum. Rurſus, actio ipſa eſt motus activus. Horum ipſorum motus quidem eſt immutatio prioris ſtatus: activus autem, qui à ſe editur, ut & motus paſſivus, qui ab externo. v.g. Volatus quidem actio animalis volatilis, ambulatio autem ambulatorii. Quod autem ab alio ſic agitur, ut locum mutet, non agere, ſed pati eſt. Egit enim, qui ex Piræeo Sunium ivit. Motus enim eſt activè, h.e. ex ſe, & propriâ naturâ. Paſſus eſt autem, qui navigavit ex Pyræeo Sunium. Latus enim eſt à navi. Quia autem dixi mutationem eſſe ſtatus prioris; prior autem mutatur dupliciter, aut ſecundum qualitatem, aut ſecundum locum: hæc quidem latio vocatur, illa autem alteratio. Ut latio quidem ſit mutatio loci, (de induſtriâ utor pluribus verbis, hoc ipſum ſignificaturus, quod liceat plures definitiones facere, quæ vocibus tantum differunt, non etiam notionibus:) alteratio autem mutatio ſecundum qualitatem, aut quomodocunque appelles, ut auditor intelligat. Huc enim facit varietas interpretationis.

2. Viſio igitur (rurſus enim ad oculum eſt eundum) actio partis eſt, oculus autem pars animalis. Non enim refert, ceu dixi, μόριον dicas, an μέρος. Inſtrumentum autem voco, partem animalis perfectæ actionis effectivum, ut oculum viſionis, linguam locutionis, pedem ambulationis. Sic & arteria, & vena, & nervus, & organa ſunt, & partes animalium. Hoc igitur nominum uſu, non à nobis ita tantum, ſed & à veteribus definitum, oculus quidem vocabitur & μόριον & μέρος & ὄργανον: at tunica cornea μόριον quidem & μέρος, ſed non ὄργανον. Eodem modo & tunica uvea, & araneiformis, & retiformis. Singulæ enim harum, primum quidem & maximè pars eſt oculi. Et quia etiam faciei, ſunt etiam faciei partes, ſed ſecundariò. Sic & corporis univerſi: quia facies eſt pars totius corporis. Eſt autem (tunica cornea) pars ſimilaris, ut & nomen manifeſtè indicat, quæ dividitur in partes undiquaque ſibi ſimiles. Veluti in oculo & vitreus humor, & cryſtallinus, ut & tunicarum ſubſtantia propria.

3. Monſtratum enim & hoc eſt pluribus in Exerc. Anat., heic ſufficit meminiſſe tantum eorum, quæ huc pertinent. Indigemus autem, in ſingulis partibus eſſe res plures, non obſervatas quibusdam Medicis. Diximus autem hoc utile eſſe, & ut rectè utamur nominibus, quam ob cauſam & heic ſuſcepimus eſſe agendum. Imò verò ad ipſam methodum maximè hoc neceſſarium eſſe monſtrabitur. Inſtrumentum enim oculus eſt, actio eſt viſio. Una verò pars & ſimilaris eſt & prima cauſa viſionis, humor cryſtallinus, ut

ſuo

ſuo loco diximus. Hic enim alterari debet à colore quodam externo, ut animal videat. Alterari autem non poterat, niſi & purum & perſpicuum eſſet, quod non fit ſine hoc temperamento. Monſtratum enim eſt, eorum, quæ ſunt, eſſe talia propter temperiem calidi, frigidi, humidi & ſicci, adeò ut ſi quid horum mutetur inſigniter, aut non videbit animal, aut malè.

4. Sed hoc nondum agnoſcimus, verſantes in ipſo artis veſtibulo. Neque verò æquum eſt nos præſcire quidquam eorum, quæ poſteà tradentur. Sed neque ego propterea memini cryſtallini humoris, cum alibi demonſtrata ſint, ſed ut clara ſint, quæ nunc dicenda fuerant. Cum enim videamus, oculum exactè agentem, & viciſſim non agentem; & hoc quidem eſſe ſanitatem ipſius, illud autem morbum, aut certè *πάθος*, aut ſi quo alio nomine velis appellare, (non enim refert ad ea, quæ agimus:) jam inquirimus, quæ ſit cauſa læſionis?

COMMENTARIUS.

5. Utut ſudet Galenus in avertendò à ſe vitio τῆς ἀλλιότμιτος, ut ſic appellem: non poteſt tamen non fateri, tractari hæc loco non ſuo. Sed eſt hoc illi nativum, cum magnum condit opus.

6. Majoris momenti eſt, quod docet ex hoc loco, τὸ *Pars* eſſe vocabulum ab uno. Ut enim ſubſtantia alia eſt prima, alia ſecunda: ita etiam pars alia eſt ſimilaris, alia diſſimilaris. Quò minus moleſti nobis porrò eſſe deſinant *Ferneliani*, commentitia ſua definitione eſſentiali! Sufficit, τὸ μόριόν ἐστι συμπληρωτικὸν τοῦ ὅλου σώματος.

CAPUT VII.

1. ET unde, dicas, eò perveniemus, ut demonſtremus ex axiomate indemonſtrabili quidem, ſed quod omnibus in confeſſo, ideò, quia intellectui evidens? Hoc verò quod eſt? Hoc, *nihil fieri ſine cauſa*. Hoc enim non conceſſo, ne quærere quidem fas nobis eſt cauſam, cur viſio lædatur, aut omninò tollatur. Quia verò evidens hoc eſt ex cenſu illorum, quæ ad intellectum pertinent, præſupponamus, omninò aliquam læſionis cauſam eſſe, deſcendamusque ad inquiſitionem illius.

2. Hanc cauſam, ſive diſpoſitionem aliquam corporis appelles, ſive corpus aliquo modo diſpoſitum, non refert ad id, quod agimus. Omninò, ſive morbum illam eſſe dicas, ſive morbum eſſe ipſam actionis læſionem, diſpoſitio ipſam lædens erit cauſa morbi.

3. Hoc ipſo loco dubium iterum oritur circa nomen, an ipſam, quæ in oculo, diſpoſitionem, à quâ viſio læditur, morbum vocemus? an ipſam læſionem actionis? an ipſam læſam actionem? Hoc ſi quis velit, neceſſe eſt multò prius ſtatuat, ſanitatem, ſecundum naturam ſe habentem, eſſe actio-

nem,aut diſpoſitionem,à quâ actio fit. Et hoc iterum multo prius, ſive in diſpoſitione,ſive in conſtitutione ſecundum naturã,ſubinferat nomen ſanitatis. At verò qui in actionibus collocet ſanitatem; in diſpoſitionibus autem putet conſiſtere morbum; aut viciſſim: dignum cùm aliis Methodicis,tùm ſtupiditate Theſſali,Ducis ipſorum,dogma foveat.

4. Ferè igitur omnes,qui ſectam hanc ab omni methodo alienam, quin furioſam tuentur,ſanitatem quidem εὐςάθειαν (conſtantiam) actionum naturalium eſſe ajunt,& robur: morbum autem,non jam noxam actionum, & debilitatem,ſed quidam diſpoſitionem corporis,quidam corpus ſic vel ſic diſpoſitum. Quo quis poſſit eſſe major ſtupor? Hoc enim quivis alius invenerit,hoc ſcil., Non deberi in alio genere poni ſanitatem,in alio morbum,ſed utrumque in eodem. Contraria enim ſunt, quæ in eodem genere plurimum à ſe invicem differunt,veluti album & nigrum. Unum enim genus illorum eſt, Color. Igitur ſi contraria ſunt ſanitas & morbus,in quo ſecundum naturam eſt ſanitas,in eodem erit morbus. Ut ſi actio ſecundum naturam eſt ſanitas, prorſus morbus erit actio præter naturam. Sin, vel diſpoſitio vel conſtitutio ſecundum nat. eſt,neceſſariò morbus vel diſpoſitio, vel conſtitutio p.n. erit.

4. Theſſalus igitur ne quidem tentavit definire morbum: ſed divinare oportet,quâ de re nomen efferatur. Quod enim putat,morbum & πάθος, eſſe idem,demonſtravimus ex ſcriptis ipſius, in quibus ex adverſo ſibi ponit, &, tanquam non differant,alterum pro altero ſumit, quaſi nihil interſit,ſive hoc, ſive illo modo loquare. Qui verò ſectæ ipſius adhærent,omnes ſusque deque feruntur,ratiocinantur obſcurè, omnia tentant, ut vel prorſus obſcuri ſint, vel non intelligant. Talis eſt Theſſalus, talis Themiſon, qui ſtuporis hujus primus autor eſt. Quod ſi commemorem tibi, quæ Proclus, Rheginus & Antipater auſi ſunt,præterque hos Eudemus, Mnaſæus, Philo, & Dionyſius, fallerem meipſum,nec amplius tractarem negotium meum, quod & ſcientificum eſt,& utilia promittit.

5. Verum de horum diſſenſu fortaſſis poſteà dicã,ſimulq; de illo,qui omnia perturbat,confunditq;, Menemacho, ut & nugatore Olympico, &,qui poſt ipſum ſcripſit,Apollonida,atq; Sorano,& qui adhuc in vivis eſt,Juliano,quem & nos compellavimus,ut ab ipſomet audiremus magnas nugas. Ignorabat & hic differentiã inter morbum & pathos,cujus rei indiciũ erat maximum,quod dicam: Ultra 20. annos eſt,ex quo convenimus illum Alexandriæ,ex quo tempore ſubinde ſcribit compendia, (ſemper enim tranſponit, aliterq; collocat, nunquam contentus iis,quæ ſcripſit:) in nullo tamen audet effari,quid ſit morbus? Et cum nihil dicat ad rem,non minus uſq; adeo,ut etiam quærat, An pictura conferre poſſit Medicis? quã Menemachus,deprehenſus eſt in eo,quod agnôrit abſurditatem ſectæ methodicæ,& ne nunc quidem in ſuis compendiis ſcripſerit,quid morbum appellet,quid pathos? Mihi certe interroganti illum aliquando reſpondit oratione tam prolixâ,tam obſcurâ,ut nemo intelligeret,

cogererq; dicere illi in os, Deſerere illum Olympicum, qui tamen ſit pater hujus doctrinæ? Julianus enim hic diſcipulus eſt Apollonii Cyprii: Is autem Olympici condiſcipulus.

5. Olympicus igitur, ut dicebam, definire auſus ſanitatē & pathos, illā quidem diſpoſitionē fecit per excluſionem morbi, hoc autē permutationē ſtatus naturalis in ſtatū præter naturā ſtabilem. Profectò, utrumq; horum eſt magnæ ſtultitiæ plenū, quā & tunc coràm expoſui Juliano, & nunc ſummatim dicam.

6. Quod omnē confuſionē facit, hoc eſt, Olympicū non ſolū ſimpliciter loqui, Sanitatem eſſe διάθεσιν, quæ excludat morbū: ſed addere orationi, Quā ſanitatem definimus ἐυςάθειαν & robur actionum naturalium. Non enim conjecturâ aſſequi poſſum, Utrum ponat ſanitatem in ſolâ actionum ἐυςαθείᾳ? an in corporis diſpoſitione ſimul? an in utroque? Fortean, quemadmodum, more Methodicorum omnium, Græcorum verbis uti ſolet aliter atque ipſi, & confuſè: ita nunc quoq; διάθεσιν transfert, non ad corpus, ſed ad actiones? Ut ſermo ipſius ita ſit accipiendus: Sanitas eſt diſpoſitio actionum ſine morbo. Debebat addidiſſe, ut ego arbitror, alterutrum, Aut actionum, aut corporis, ut talis fiat definitio: Sanitas eſt diſpoſitio actionum ſine morbo. Aut ſanè ita, Sanitas eſt diſpoſitio corporis ſine morbo. Quin, ſi utrumq; junxiſſet, & clarè & paucis diceret, Sanitas eſt diſpoſitio corporis & actionum ſine morbo. Quid autem, cum ſubjicit, Quam διάθεσιν definimus ἐυςάθειαν actionum naturaliū, & robur earundem? Quid ſi jungatur utrumque, ut una fiat definitio? An ſermo hic per ſe eſt perfectus, & docet, quid ſit ſanitas? quemadmodū Methodicis quibusdam placuit? dicentibus, Sanitatem eſſe ἐυςάθειαν actionum naturalium? Sed, ſi ſermo prædictus eſt perfectus, non video, quomodo doceat, διάθεσιν eſſe? Quod enim ait, ſine morbo, tale eſt, quod etiam puer rideat. Si enim concedamus illis, ut ita definiant, utraq; definitio non docebit quid res, ſed quid non ſit. Sed ſinamus, ajebam Juliano, ſi ita placet, & hoc, ſunt enim quodammodo πάρεργα: Illud certè non ita ſini poteſt, quod in ſanitatis negotio omnia adſcribuntur actionibus aut ſolis, aut cum manifeſtâ confuſione τῆς διαθέσεως, ut Olympicus facit. Sed & in definitione τῦ πάθος non amplius ſit mentio actionum. Illud enim ſatis illi fuit, quod πάθος ſit converſio corporis ex eo, quod ſecundū naturā eſt, in id, quod præter naturam, ſtabilis. Oportebat enim (dicebam) utrumq; ponere vel in actionibus, vel in diſpoſitionibus.

7. Ille verò mihi reſpondit, quod ſæpè tibi narravi, Hiero optime, & nunc meminiſſe licet, Nihil admirandi eſſe, ſi in actionum quidem conſtantiâ cum robore ſanitatem: in diſpoſitione autem corporis præter nat. morbū ponat. Contraria enim non ſunt, ut tu reris, inquit. Eſt enim medium quid, quod neq; ſanitas eſt, neq; morbus. Hoc ego audito ſermone, obſtupefactus abii, & triſtis ſimul. Oportet enim dicere, quod evenit: Antè enim id tempus inter hujus ſectæ homines, non incideram in tam inſigniter ſtupidum: cum verò inciderem

primum, veriſimiliter extra me raptus ſum, non quod hic ſolus tam inſenſatus eſſet, ſed quod multò craſſiores haberet diſcipulos, qui in ipſo inſtitutionis principio videntes tantoperè falſos Methodicos, non ſubito relinquant ſectam illam? An quia prorſus non vident, planè ſunt attoniti? Quid enim ad rem, quam agimus, morbum non eſſe ſanitati contrarium, quia ſit medium quid inter illa? Fiet enim hinc, ut neque album ſit contrarium nigro, quia medium inter illa eſt, & flavum, & fuſcum, & rubrum, & pallidum, & reliqui colores. Hac ratione neque calidum erit frigido contrarium. Nam & inter hæc eſt medium, tepidum & temperatum.

Perturbata hæc ſunt valdè, meo judicio. 8. Sapientiſſimi igitur Methodici cum ſtatim in limine ita offendant, quid veri inpoſterum ab illis exſpectes? Nihil ſanè. Demonſtrabitur enim, omnia in Medicinâ ab his pendere. Et meritò. In iis enim artibus, quæ methodo traduntur, conſtitutionis principium eſt notio finis. Et erratum quidem in aliis multis eſt in Medicinâ, tum verò in hoc, quod alii dicant, finem Medicinæ eſſe valere ut plurimum benè: alii facere, quæ conducunt ad valetudinem: alii, morborum cauſas exſcindere: alii, ſuo arbitrio vivere: alii, ut res ferunt, adeoque definire debere unumquemque quid privatim poſſit. In his quidem illi ita variant: nemo tamen tam ſtupidus eſt, ut in alio quidem collocet genere ſanitatem, in alio morbum: ſed aut actiones conſiderat, aut conſtitutiones partium, quos διαθέσεις vocant quidam.

Non cohærent. 9. Summa, ſi in actionibus ſecundum naturam eſt ſanitas, in iis, quæ præter naturam morbus erit: ſi in conſtitutionibus naturalibus ſanitas eſt, in non naturalibus morbus erit: ſi in diſpoſitionibus, in his erit morbus. Non enim heic opus eſt profundâ ſpeculatione: ſufficit, non eſſe perverſum. Quis enim neſcit, ſi videre eſt valere, ægreſcere eſſe vel cœcutire, vel prorſus non videre? Quis non intelligit, ſi audire eſt valere, ægrum eſſe vel vix audire, vel nullatenus? Sic concoquere eſt valere, difficulter vel nullo modo concoquere malè habere. Ita, ſi ex arbitrio moveri eſt ſanitas, morbus fortè erit ſpaſmus, palpitatio, paralyſis, tremor, & in univerſum omne, quod aut tollit motum voluntarium, aut aliquatenus impedit. Eodem modo, ſi ſecundum naturam ſentire ſanitas eſt, inſenſibilitas, & diminutus ſenſus, & ſtupor, & dolor erunt morbi. Ita, ſi reſpirationem liberam habere ſanitas eſt, ablata & difficilis reſpiratio morbus erit. Atqui, ſi hi ſunt morbi, apertum fit, quod diſpoſitiones partium, à quibus partibus actiones fiunt, morborum cauſæ fiunt. Neque dici debet, neque inflammationem, neque ſcirrhum, neque eryſipelas, neque apoſtema, neque ulcus, neque œdema eſſe morbos (ſed cauſas.) Quod ſi morbos dicas, clarum eſt, quod nullum illorum morbus eſt. Duo enim rerum genera ſunt, quorum neutrum ſimile eſt alteri, ſed omninò naturâ differunt. Nominant autem alterum Corpus, alterum Actionem. Oculus igitur, lingua, auris, crus, & ſingula horum, corpus eſt, aliquo modo ſe habens: viſio,

audi-

auditio, locutio, ambulatio, actiones ſunt dictorum corporum. Itaque, ſi corpora aliquo modo diſpoſita ægrum faciunt: actiones aliquo modo benè ſe habentes, ægræ non erunt. Quod ſi in hoc eſſet ægrum, apertum iterum eſt, quod non in corporum diſpoſitione eſt. In eo enim, quod diſpoſitio eſt cauſa; & viciſſim, quod actio non eſt cauſa, ſed id, quod fit à diſpoſitione corporis, conſiſtit id, quod Medico debet in confeſſo eſſe, & quod omnibus modis obſervandum eſt. Qui ignorat, is in re neceſſariâ deceptus eſt. Qui verò aut noxam actionis, aut diſpoſitionem corporis morbum nominarit, quamvis non ita debebat: poteſt quidem de rebus rectè ſentire, veruntamen rectè curare morbos non conſiſtit in nominibus, ſed in rectâ de rebus opinione.

10. Sed & multi Medici hoc ignorant, & putant, re ipſa differre inter ſe eos, qui corporum diſpoſitiones putant eſſe morbos, ab iis, qui læſas actiones cenſent eſſe morbos. Horum omnium errorum, ut ſæpè dictum eſt, & dicetur iterum, una hæc cauſa eſt, quod ii, qui tentant aliquid invenire ratione duce, non ſunt exercitati in Logicâ methodo: ſed ſimul atque ab Empiricis diſceſſerunt, quaſi jam verſati eſſent cum noſtratibus, præ ſe ferunt ſcientiam Logicam, ideoque immenſum falluntur. Sæpius igitur offendi illos de nominibus certantes, quaſi de rebus lis eſſet. Hinc fit, ut putent, nomina ſe neſcire, cum res maximas neſciant, v.g. cum de negotio nobis propoſito agitur, diſcernere non poſſunt, quod diſpoſitio corporum cauſæ rationem habet: actio autem id, quod perficiunt, pariter, quod id, quod curatur, eſt diſpoſitio corporis. Neceſſariò enim comitatur hanc, cum ſecundum naturam ſe habet, ut ſecundum naturam agat: cum excidit ſtatu illo, etiam actionem eſſe præter naturam. In hoc totum conſiſtit, hoc eſt principium, & quaſi elementum primum totius methodi medendi. At verò, an hoc ipſum ſit vocandum morbus, an potius læſio actionis, pertinet ad illos, qui de nominibus litigant. Dicetur autem mihi quoque aliquid de nominum uſu, ut in aliis quoque factum eſt. Nunc de illis nondum diſtinctè ago, ut opere ipſo hoc confirmem, & monſtrem, quod ſit principium & radix methodi medendi, de qua & alii multi, qui ſe Logicos & Dogmaticos vocant, ſcripſerunt, circa quam & principes Methodicorum falſi ſunt. Et hoc quidem prudentibus ſatis cognitum eſt, quod id quod curatur à Medicis, nihil aliud ſit quàm corporum diſpoſitio, ut in ſequentibus docebitur.

COMMENTARIUS.

11. Heic ſtatim ab initio inquirit in genus *Logicum* morbi: Ubi etiam illud tenendum eſt, quod antea dixi, totum hoc non eſſe *Therapeuticum*, non enim finem concernit, ſed pertinet ad ea, quæ ad finem; uno verbo, eſt *Pathologicum*. Quare ſi conferas cum iis, quæ *libro de Diff. morb.* tantum non gemina experieris, excepto eo, quod heic ἴδιον ἐξαίρετον eſt, ut Galenus ſolet

loqui,

loqui, quod heic exquirit, Ex quo rerum genere ſit hoc petendum? Docet autem ex Ariſtotele & ait, ex eo, è quo *Sanitas*. Hinc depromptum quia docui 3. *Inſt.* 2. eſſe ἀμελγίαν: quid indignantur quidam magnifici? Opponis te viro ingenti, & per Europam celeberrimo, cujus umbra tibi gravis eſt, cujus: Sennerti, qui *Qualitatem* vult. *Parcius iſta!* Veritas præſcriptionē non patitur, & fuit ille tā homo quā ego, quiq; Ariſtotelem & Galenum non minus reveritus eſt quàm ullus alius. Eccos autem tibi duos Hercules, illum quidem *in Poſtprædicam.* hunc autem *h.l.* §.3. contra quos ſi ſtare vis, non ego tibi invideo laudem, quam acquiſiſti. Quæ ſequuntur, παρεπληρώματα ſunt: imò etiam inſititia.

12. Hiſtoria colloquii cum Juliano docet ſimul mores ſectariorum, ſimul deteſtabilem facit ἀπαιδευσίαν, quæ præcipuè pendet ab imperitiâ Logicæ, quam noſtri homines ſibi propriam faciunt contemtu Veritatis, quo abſterrent adoleſcentes, quò plures habeant ſuæ farinæ, imò furfuris comedones.

CAPUT VIII.

1. SEd jam (relictis aliis, & longè à Methodo diſtantibus) propoſitum nobis eſto, corrigere ignorantiam eorum, qui neſciunt, quot in univerſum in hoc ſermone res ſint ſibi invicem vicinæ? Videtur autem ex corporibus quidem unum duntaxat genus eſſe: ex actionibus autem alterum. Et præcedere, adeoque producere actiones corpora: ſequi autem illas, in iis videlicet corporibus, quæ ſecundum naturam ſe habent, inculpatè & ſecundum naturam diſpoſitas; contra in iis corporibus, quæ præter naturam, aut prorſus non fieri, aut valdè impeditas eſſe.

2. Præter hæc duo tertium genus eſſe, cauſas, quæ actiones cient. Quam enim rationem habet diſpoſitio ad actiones: hanc aliud quid habeat oportet ad diſpoſitionem, hoc ſolo differens, quod diſpoſitio unà cum actionibus exſiſtit, nec unquam poteſt eſſe, aut actio naturalis, ſine diſpoſitione corporum naturali, aut vitioſa absque corporum vitio.

3. Cauſæ verò diſpoſitionis, impedientis actionem, poſſunt quidem etiam nondum eſſe, poſſunt verò etiam nunc ſuperſtites eſſe. Quò fit, quod cauſæ ſunt diverſæ à diſpoſitionibus, adeoque inventum fuit hoc tertium genus, actionis, & efficientis illam diſpoſitionis.

4. Præter hoc tertium genus, inventum etiam fuit aliud quartum diſpoſitionis, eorum, inquam, quæ corporibus adhærent, ſive illa ſecundum naturam ſe habeant, ſive præter naturam, cæterum, neque juvantium, neque lædentium actiones. E. gr., ſi corporis color aut niger fiat, aut albus, cum diutius vel in Sole verſatum eſt, vel in umbrâ. Neque enim actio eſt, neque diſpoſitio corporis, factiva actionis. Multo magis nec cauſa eſt, quæ diſpoſitiones præter naturam creat. Eſt autem ſymptoma, neceſſariò ſuperveniens corporibus propter diverſas alterationes, ſive corpora ſecundum naturam ſe habeant, ſive præter naturam.

5. Poſt-

5. Poſtquam igitur jam quatuor definita ſunt genera, quibus cognitis, aut non cognitis, benè vel malè ordiatur quis methodum medendi: liceat porrò cuivis nomina illis dare, quæ velit: Ex. gr. Diſpoſitionem corporis præter naturam, cum læſerit actionem aliquam, Morbum vocet: ipſam autem læſionẽ actionis inſigne quoddam morbi ſymptoma: quæ aliter accidunt, ut colores, vocet & illa ſymptomata, ſed diſtinguat ab actionum læſione, ἐξαίρετα nominando, cum hæc οἰκεῖα, καὶ ἴδια, *familiaria & propria*. Quædam etiam præter hæc, ſi velit, nec familiaria, nec propria, ſed fortuitò incidentia. Quartum verò inſuper ponat cauſarum morbificarum. Et harum quidem aliæ, quæ in ipſo corpore animalis conſiſtunt, *Antecedentes* dicantur: quæ verò extrinſecus accedunt, *Præincipientes*.

6. Hæc ubi ita poſueris, vel etiam aliter, quomodocunque volueris, clarè, & ex uſu legentium, non amplius transponas, aut transmutes uſum, ſed ſemper ſerves per totum ſermonis fluxum, ut diſcamus, quæ dicis, facilè, & contradictiones, redargutionesque manifeſtè & diſtinctè inſtituamus. Quomodo, inquis? Nam & hoc dilucidandum propter ſtupidos iſtos Methodicos. Ponamus ita, quod inflammatio ſit diſpoſitio præter naturam; ipſa verò læſa actio partis affectæ ſit morbi inſigne & familiare ſymptoma, in pede quidem ambulatio, in oculo autem viſio, in auribus auditus; rubor autem, ſi ita accidat, & tenſio, & reniſus, & præter naturam tumor, qui partem inflammatam ſequitur, aliquod aliud aut ſymptomatum genus, aut accidentium, aut quomodocunque appellare velis: illud modo ſcias, aperteque definias, non eſſe idem genus cum vitio actionis. Rurſus, plethora (ſi ita contingat) ſit inflammationis cauſa antecedens, quemadmodum hujus præincipiens, ciborum copia.

7. Quemadmodum igitur ego feci, exempla propoſui evidentia ſermonis, quatuor genera definivi, notiones ſingulorum indicavi: eodem modo Theſſalum feciſſe oportuit, poſt tot, tantosque viros, contra quos, quaſi præconis voce, ſeipſum victorem declaravit, cum vellet novam ſectam condere. Verum, neque ille, neque quiſquam illorum, qui illum ſecuti ſunt, quidquam clarum & perſpicuum attulit.

COMMENTARIUS.

8. Quam *cap. 5. ex tr.* explicârat methodum in genere, eam heic *ſua methodo medendi* ita accommodat, ut Corœbus ſit, qui non intelligat.

CAPUT IX.

1. AUſus igitur Olympicus definire, quid ſit πάθος, non πάθους ſed ſymptomatis attulit notionem. Prorſus igitur non intelligit,

neque quid ſit πάθος, quidvè differat à morbo? Sed hoc quidem deinceps definiam: omnia enim ſemel dici non poſſunt. Conceſſo igitur illi hoc, pathos & morbum eſſe rem eandem, videamus, quid dicat.

2. Pathos, ut paulo antè dixi, ait eſſe converſionem ſtatus corporis ex eo, qui ſecundum naturam, in eum, qui præter naturam ſtabilis. Deinde parumper progreſſus ait, Sciendum verò eſt, pathos à ſymptomate differre; pathos enim eſt, quod dixi: ſymptoma eſt, quod huic accidit, quaſi ſpecialem & particulariſſimam habens imaginem, (ſignificationem.) Et hæc admirabilis Olympici locutio eſt, audentis definire pathos & ſymptoma: illa verò plena eſt tot & tantorum delictorum, ut ſuccurrat illud ſtulti ad cribrum ſtantis, Non invenio, ubi initium obturandi faciam?

3. Quid enim primo loco quis dicat? quid relinquat? Omnia enim quæ perperam dicta ſunt, refutare, longum foret. Omnis mutatio ex eo, quod ſecundum naturam, in id, quod præter naturam, Morbus eſt, ſi modò adſit τὸ μόνιμον. Sed decolorationem vos ipſi, & atrophian ad ſymptomata refertis, non etiam ad pathe.

4. Sed quid eſt cacochymia? quid cachexia? quid alimenti defectus? quid ejuſdem redundantia? Annon præter naturam? Quamobrem ſi accedat illis τὸ μόνιμον, jam numerabuntur inter morbos? At vos ipſi repugnatis? & rectè facitis. Adeſſe enim oportet hoc, id quod præter naturam, eſſe diſpoſitionem, quæ lædat actionem. Quamdiu enim actiones omnes ſunt illæſæ, quamvis millies immutentur, nulla diſpoſitionum illarum morbus eſt. Quod enim curam deſiderat, nil aliud eſt quam diſpoſitio actionem lædens.

5. Quo enim principaliter indigemus & præcipuè, actio eſt ſecundum naturam; propter hanc autem indigemus, vel diſpoſitione, vel conſtitutione ſecundum naturam, aut quomodocunque appelles. Viſione enim indigemus, & auditione, locutione & ambulatione, non oculis, auribus, linguâ, cruribus. Si igitur viſio fieret per aliam partem quam per oculum, quid opus erat oculo? Si auditio fieret per aliud inſtrumentum quàm per aurem, quid opus erat aure? Sic linguæ & crurum nullus erat uſus, ſi abſque his progredi & loqui poſſemus? Viſione enim opus eſt propter ipſam: oculis non propter ipſos, ſed propter viſionem. Pariter linguâ, auribus, cruribus indigemus, non ut multa & otioſa habeamus inſtrumenta: ſed locutionis, auditionis, & ambulationis gratiâ. Quoties igitur gangræna laborat pars aliqua, quæ abſcindi poteſt, ut digitus, pes, manus, non patimur illam otioſam eſſe, & circumferri tanquam pondus alienum, hoc ipſo manifeſtum facientes, non ipſis partibus opus nobis eſſe, ſed actione, quam partes edunt. Ut igitur totam partem habemus actionis gratiâ: eodem modo conſtitutionem ſecundum naturam quærimus propter actionem. Ut itaque diximus anteà, conſtitutio illa habet rationem cauſæ ad actionem. Quæ verò neceſſariò ſequuntur conſtitutionem, ob

quam

quam agimus, in ſanis quidem accidentia vocantur, in ægris autem ſymptomata.

6. Et hæc ſunt 4. genera eorum, quæ circa corpus verſantur, ſive ſecundum ſive præter naturam diſpoſiti ſimus, 1. ἐνέργειαι, actiones. 2. κατασκευαὶ, diſpoſitiones. 3. quæ has præcedunt, & 4. quæ ſequuntur. De cætero, qui ſingulis velit nomina dare ſeorſim, ſi vel Dionem, vel Theonem appellet mea id non refert. Hoc ſolum ſciatur, & obſervetur in univerſum, quod 4. res ſint, ſibi invicem vicinæ.

7. Et quoniam in hunc ſermonem deveni, hoc videor mihi jure poſtulare poſſe, ut, quemadmodum illis concedimus, ut nomina ponant, quæ ipſi volunt: ita nobis uti liceat Græcis, iisque vetuſtis. An grave illis videbitur, ſolœciſmis uti non ſecus ac tyrannos: nobis autem Græcè loqui non licere? Vocent, ſi placet, ſanitatem ἰυςάθειαν ipſarum actionum, etſi à nobis demonſtratum ſit, quod diſpoſitio ſeu conſtitutio partium, quâ ſecundum naturam agimus, *Sanitas* (ὑγίεια) ab omnibus Græcis dicatur. Hoc cum ita poſuerint, tamen *Morbum*, non actionis noxam, ſed diſpoſitionem præter naturam vocârunt. Ut igitur nos illos non interpellamus, nec Græcè, nec Dialecticè loquentes: ita illi concedant nobis, Græcè ſimul & Dialecticè vocare *Morbum*, non omnem præter naturam diſpoſitionem, ſed illam, quæ actionem lædit: quæ verò præter naturam diſpoſitio ſit, non lædat autem actionem, non morbum ſed *ſymptoma Morbi* vocemus. Rurſus, ut illi τὸ ἐπίμονον appoſuerunt, non addentes, quot horis durare debeat illa præter naturam diſpoſitio, ut ſit Morbus: ita illi concedant nobis auferre τὸ ἐπίμονον. Sive enim per tres horas, ſive per 4, ſive per ſemihoram duret diſpoſitio, quâ quis per totum corpus ſenſu, motuque careat, hunc nos Apoplecticum vocamus. Ita ſi convellatur toto corpore, Epilepticum; non habitâ ratione vel horarum, vel dierum. Hæc enim nomina ſignant ſolam rei naturam, non quantitatem temporis, quemadmodum etiam album & nigrum, calidum & frigidum.

8. An admiratione dignum ſit, ſi aqua calida non debeat dici calida, ſi calor ipſius non duret per totum diem? Aut qui per ſex horas febricitet, non dici debeat febricitâſſe? Si enim febricitavit, oportet malum aliquandiu ſteterit, quamvis tempus, quod determinet τὸ μόνιμον, nemo definierit, vel horarum ſpacio, vel dierum, vel menſium. Et, cur ἐπίμονον dicunt, cum πολυχρόνιον poſſint? An ideò quidam per metaphoram δύσλυτον appellârunt? Interim hoc verbi, non ſimpliciter morbi eſt nomen, ſed diuturni, quemadmodum & facilè ſolvi, acuti. At verò putare, differre hæc à ſe invicem, δύσλυτον, ἐπίμονον, καὶ χρόνιον, extremæ eſt inſcitiæ.

9. Præterea, dignius eſt admiratione, ſi iſti, quaſi è ſomno gravi excitati, incipiunt diſtinguere πάθος καὶ σύμπτωμα, cum Dux ſtupidorum iſtorum in 2. Meth. ſcribat, Hæc ſi præcedant, πάθη ſunt: ſi ſequantur, ſymptomata? Am-

pliori admiratione eſt dignum, cum dicunt, Hepatis inflammationem primo ſtatim die πάθος eſſe conceditur : altero verò aut tertio fit ſymptoma. Quamvis quid dico altero die ? Melius enim eſſet dicere, alterâ ab invaſione horâ. Non enim ſecundâ quidem die ſymptoma fiet, ſecundâ horâ non fiet. Quod enim alteri alicui ſupervenit, omninò erit tale. Sed, dicunt, tàm celeriter ſupervenire, non differt ab eo, quod unà irruit. Si hoc admittendum, oportet ſine ambagibus dicere, quot horæ requirantur, & quâ re differant τὸ ἐπιγίγνεσθαι, καὶ τὸ συνεισβάλλειν.

10. Et Theſſalus quidem hæc crepat : At ſectatores Olympici, ac ſi in arcem ſapientiæ jam evaſiſſent, non hoc modo diſtinguunt πάθος à ſymptomate : ſed πάθος vocant id, quod dictum eſt, ſymptoma, quod huic accidit. Quo modo mirificè, &, ſi Diis placet, clarè exponunt eſſentiam rei! Oportuit enim cenſeo addidiſſe, & limitâſſe, quid ſit ſymptoma, cum τῷ πάθει ſupervenit? an ſit diſpoſitio quædam corporis, aut læſio actionis alicujus, aut utrumque? Et ſic illi quidem non explicant ſe: nos igitur divinare oportet, & id ipſum addere orationi illorum, habiturum ſpecialem quandam & particularem in rebus præter naturam ſignificationem, non ſine excellenti perſpicuitatis gratiâ, ſimulque nominum Græcorum uſu peculiari ? Hoc verò quid tandem eſt ? quam ſpecialem in hoc negotio habet ſignificationem τὸ σύμπτωμα ? Quod ut fiat, oportet dicas, quæ ſit comparatio generis cum ſpecie ? Si nullam comparationem admittis, profectò accuratè & apertè rem declaras ? Atqui paucis rem comprehendere poteras, Res præter naturam contineri in triplici genere : morbo, cauſâ & ſymptomate ? Quibus cum τὸ παρὰ φύσιν ſit commune, Morbus quidem actionem lædit : hunc autem præcedit cauſa : ſymptoma ſequitur hanc. Hoc ipſum verò duplex eſt, alterum læſio actionis : alterum diſpoſitio, morbum ſequens.

11. Verum enim verò, ſi quis omnia illorum errata enumeret, finem orationis non invenerit. Hoc tu, amiciſſime Hieron rectè æſtimas, non milleſimam quidem errorum partem me attigiſſe. Hoc ubi addidero, finem imponam libro primo. Nempè enim circa ipſum Methodi limen ceſpitant plerique Medicorum, quod quidam Theſſalum ſequuntur & Themiſonem, qui Methodicos ſe appellitant, extremos & graviſſimos amplexi errores : cum his ſe jungunt non pauci eorum, qui Analogiſtici dici volunt, Dogmatici & Logici.

12. Niſi enim quis invenerit omnes differentias diſpoſitionum, à quibus læduntur actiones, numerus morborum quantus & qualis ſit, nequaquam exactè definiri poterit. Hoc verò ne tentant quidem illi, ſed tyrannorum more proponunt, quæ ipſis viſa ſunt, citra demonſtrationem. Quidam, non ſolum non demonſtrant: ſed neque curant eos, qui demonſtrationes docent.

13. Plerique etiam eorum, qui hodiè famoſi ſunt Medici, tales ſunt. Nec dignum

dignum admiratione eſt. Cum enim Philoſophorum plerique citra demonſtrationem credi ſibi velint, quid de Medicis admireris? Neque enim otium illis ſupereſt ad inquirendam veritatem. Tempus enim matutinum conſumunt in ſalutationibus, veſperi ſaturi ac ebrii ſunt. Ego verò, ô Hieron, certârim etiam cum Muſis in ſtudiis, ut vetus ille Poëta. Turpe enim eſt tubicinem, non in re magnâ occupatum, tam fuiſſe laudis avidum: nos autem tardos & incurioſos eſſe in expoliendâ medendi methodo, olim quidem deſideratâ, nondum autem accuratè ſcripta! Cum poſſimus illam perficere, & extremam manum imponere, differimus rem, ob ſæculi ſocordiam, hodiè uſitatam! Quare jam aliter animatus eſſe videor ac olim. Non enim vobis transſcribo hanc laudem, quod adhortati me ſitis ad abſolvendam hanc methodum. Et liber quidem primus heic finiat: ſecundus autem incipiat ad hunc modum. *παρερμηνίυει heic Gal.*

COMMENTARIUS.

14. Contra Olympicum cur arma ſumamus heic, non eſt ſatis cauſæ. Attingit quidem quæſtionem in Medicinâ difficilimam, *An ad conſtitutionem morbi requiratur τὸ μόνιμον*, ut loquebantur Methodici? Ego quidem fuſiusculè egi de hoc negotio *χρ. παθολ. cap. 9* ſed ſi urgeas, maneo in ſententiâ Montani, NESCIO. Non enim poteſt reddi ratio omnium, quæ Galenus dicit diverſis locis. Si cupis intimum meum ſenſum, dico, Non eſt neceſſaria vox, *ratione temporis*: ſatis eſt, ſi ſit, *ratione diſpoſitionis*. V.g. Satis eſt, ut Colica mea ramicoſa dici poſſit morbus, licet paroxyſmus aliquando non duret ultra horam, dum ſcil. ſolvo alvum acri ſuppoſitorio. Et quid? Dolor tam eſt intenſus, ut ἐφίδρωσις ſubeat toto corpore. Talem Colicam (ſed ſine ramice) curo Laconico in Hypochondriaco quodam.

15. Quæ ſequitur doctrina §. 4. pertinet ad duplicem finem (internum & externum) *Sanitatis*, de quo mihi agitur 1. *Inſt.* 3. §. 2. Ibidem velim unguem imprimi verbis finalibus de differentiâ inter *συμβεβηκὸς καὶ σύμπτωμα*. Quia enim res neglectui eſt Interpretibus noſtris, ſi mihi provincia detur revidendi Galenum Latinum, τὸ *Symptoma* quidem ubique locorum retinerem: τὸ συμβεβηκὸς autem verterem *Accidens*.

16. Quatuor rerum genera, quæ Galenus deinceps proponit & diſtinguit, ad perſpicuam cognitionem rei, magni ſunt momenti. Verùm, plerique negligimus. Vide initium libri ſequentis.

Finis Lib. I.

METHODI MEDENDI LIB. II.

CAPUT I.

1. EOrum, quæ eveniunt corporibus in ſtatu præter naturam Hiero optime, quatuor in univerſum recenſitæ ſunt differentiæ: Una quidem ipſius læſæ actionis: altera autem diſpoſitionis, quæ illam facit: alia & tertia, cauſæ, quæ diſpoſitionem facit: quarta tandem, ſymptomata, quæ neceſſariò ſequuntur illam. Quod igitur aut omnia illa oporteat eſſe morbum, aut quædam illorum, aut denique unum ex his, facilè eſt collectu per ſyllogiſmum. Si igitur nihil eorum, quæ dicta ſunt, ægris eveniat, neque morbus præter hæc fuerit. Conſequens igitur fuerit, aut totam horum congeriem eſſe morbum, aut unum certè ex his. Sed enim congeriem illam eſſe, præterquam quod à nemine dictum eſt, neque dici poteſt. Quæ enim erit morbi cauſa? quod ſymptoma morbi? ſi omnia ſimul ſunt morbus? Nihil profectò. Ergò relinquere oportet duo illa, quæ præter morbum adſunt, alterum cauſarum morbificarum: alterum, quæ neceſſariò ſequuntur ſine læſione actionis. Relictis illis, in alterutro duorum erit morbus, vel læſis actionibus, vel operantibus illas diſpoſitionibus.

2. Verum in diverſa abierunt & olim antiqui, & hodierni omnes, non Medici tantum, ſed & Philoſophi, dicentes vel actionum læſiones, vel diſpoſitiones lædentes eſſe morbos. In iſtâ rerum obſcuritate diſſentire illos, admirandi nihil eſt, non expedire ſe, quaſi de nominibus certarent, animadverſione dignum eſt. Si enim confitentur omnes, ſi auferatur diſpoſitio impediens actionem, curatum eſſe morbum, certè nihil ad rem facit diſtinguere, utrum morbus ſit appellandus vel diſpoſitio vel læſa actio. Alterutro enim admiſſo, æger jam valet, modò adhibeantur debita medicamenta. Diſpoſitiones enim ſunt illæ, quæ alterari debent, mutari, & totæ exſcindi: non autem læſiones actionum. Nemo enim curat claudicationem ingreſſûs (hoc enim ridiculum dictu;) ſed diſpoſitionem, quæ claudicationem facit.

3. Exempli cauſa, inflammationem, ob quam quis claudicat. Huic enim embrocham parat, huic emplaſtrum imponit, hanc ſcarificat, diaphoretica applicat, omnibus modis diſſipare vult. Hoc enim facto ſequitur rectus inceſſus, neque enim prætereà curatione aliâ opus eſt, inflammatione diſparente. Non enim quidquam læſæ actionis ſupereſt, ſi quis accuratè auferat diſpoſitionem. Quod ſi autem accidat relinqui aliquid, neceſſe eſt proportionaliter lædi actionem.

4. Hanc igitur diſpoſitionem, ſive morbum voces, ſive πάθος, ſive cauſam morbi, πάθουςve, nullum id ad curam emolumentum affert, nullumve in-

commo-

commodum. Sed & ſi Theonem quis aut Dionem nominet, modò rectè curet, non læſerit ægrum ullatenus. Imò, ſi quis ne nomine quidem dignetur, ſed adhibeat, quod par eſt, hic præterquā quod non nocebit, optimè curabit.

5. Qui enim alium docere vult, quod ipſe ſcit, indiget omninò nominibus, quæ rebus poſita ſunt, in quibus ſcopum habebit perſpicuitatem. Optimus enim doctor eſt, qui incumbat in hanc curam, ut is, qui diſcit, rectiſſimè intelligat. In his terminis quia nos quoque incluſi ſumus, neceſſe habemus rebus dare nomina. Quod an rectè fiat, vos judicabitis. Sunto autem hæc, Diſpoſitio, quæ actionem lædit, Morbus appelletur: quod hunc ſequitur, Symptoma: quod facit diſpoſitionem, Cauſa.

COMMENTARIUS.

6. Quibus ſuperiorem librum clauſerat Galenus, quatuor rerum genera, denuò reſumit, & tam diſertè & fusè explicat, ut intolerabilis ſit, qui plura velit. Et eſt hoc πολυλογίας Aſiaticæ tam clarum exemplum, ut clarius aliud non ſit. Hoc quaſi obſignat epiphonemate, de uſu nominum in diſciplinis.

CAPUT II.

1. HIs ita definitis, diligenter inæqualitatem nominum inſpicere oportet, quibus uſi ſunt in morbis, qui primi poſuerunt. A variis enim rebus deſumta ſunt, ſed à loco affecto ſæpius, ut pleuritis, peripneumonia, iſchias, podagra, arthritis, nephritis, ophthalmia, dyſenteria.

2. Sæpiculè á ſymptomatis, ileos, tenaſmus, ſpaſmus, palpitatio, tremor, paralyſis, apepſia, dyſpnœa, apnœa, vigilia, delirium, coma.

3. Sæpè ab utroque ſimul, cephalalgia, otalgia, cardialgia, dentium dolor, uteri dolor. Sæpè etiam â putatiâ cauſa, ut Melancholia ab omnibus dicta, Cholera à Medicis Cnidiis. Fortaſſis & Leucophlegmatia ab utroque ita dicta eſt.

4. Aliquando à ſimilitudine quâdam cum rebus externis, ut elephantiaſis, cancer, polypus, uva, vitiligo, formicatio, atheroma, ſteatoma, ſtaphyloma, meliceris, carbunculus, alopecia, ophiaſis, ficatio, Satyriſmus, Priapiſmus.

5. Sed & non pauca morborum nomina ſunt, quæ neque locum affectum tangunt, neque efficientem cauſam, ut inflammatio, gangræna, ſcirrhus, eryſipelas, apoſtema, œdema, empyema, ulcus, luxatio, fractura, ruptura, mutilatio, furunculus, varus, phyma.

6. Sed & horum aliqua locum corporis, ſeu partem affectam denotant: aliqua à prædominante ſymptomate nomen habent. Quod ſi omninò quædam ſunt, quæ ſortiuntur nomen à tacitâ loci affecti inſinuatione: eſt tamen in illis quoque differentia.

7. Ex.gr. Ulcus licet ſit ſolutio continui in parte carnoſâ, & hac ratione indi-

indicet locum affectum: tamen ulcerum differentiæ particulares varias accipiunt differentias, ut Chironium, Telephium, cancer, phagedæna, & omnia, quæ talia, quæ vel à primo curante illa habent nomen, ut Chironium, vel ab iis, qui paſſi ſunt, ut Telephium. Cancer verò à ſimilitudine animalis. At phagedæna à ſymptomate, ut & herpes dictus eſt. Sed phagedæna prorſus eſt ulcus depaſcens, ſive exedens, ſive quocunque modo appelles. Herpes autem ne ſemper quidem ulcus eſt, ſed aliquando quidem cum exulceratione eſt, non ſemper conſiſtens priſtino loco, vicina attingit, more ſerpentis beſtiæ (quod & nomen indicat) deſerit quidem occupata loca, tranſit autem ad alia.

8. At cavum ulcus, ſordidum, purum, æquabile & ſupercreſcens, magis proprias nanciſcitur appellationes, ſed non eodem modò omnes: ſed æquabile quidem à differentiâ: eodem modo & cavum, & carne ſupercuâ luxurians. Sanguineum autem, purum, ſordidum, non ſecundum proprias differentias, ſed ab externis vocatur ſymptomatis.

9. Cum igitur appellata ſint vulnera à tam diverſis occaſionibus, & multò magis cum papulam nocturnam, verrucam penſilem, nocturnam cœcitudinem dicant, hanc quidem cum de nocte fit; illam, cum in ſummâ cutis ſuperficie mobilis eſt; iſtam, cum noctu accidit viſum lædi, & alia multa fiunt. Si enim hæc omnia explicem, videbor operam dare iis, quæ fugienda eſſe dixi.

10. Qui igitur Veritatem inveſtigat, omnibus quidem modis fugere oportet præconceptas de nominibus opiniones: ſed properare ad eſſentiam rerum, intueri illam, & quærere, quot in univerſum ſint morbi, quot ſymptomata, & præterea, quot antecedentes cauſæ.

11. Hoc fecimus in aliis libris, quorum unus eſt de differentiis morbi, alter de ſymptomatum differentiis. Sic etiam cauſas illorum conati ſumus expiſcari, utrorumq; ſeorſim, tam morborum quàm ſymptomatũ omnium, ne quid deſit, ſed in promtu ſint omnia, quæ ad præſentem operam requiruntur. Ideò ne legenda quidem ſuaſerim, ea, quæ poſteà dicentur, antequam in his exercitatus quis ſit. Neglectis enim tot theorematis, ſi quis huc venerit, non tantum non nihil juvabitur, ſed & fruſtrà accuſabit rectè conſtituta.

COMMENTARIUS.

12. Si liberum judicium heic locum habet, fruſtrà Galenus ingreditur immenſum pelagus *de nominum impoſitione*. Quorſum enim oleum & operam impendimus iis, quæ vel fortuitò facta ſunt, vel ab imperito vulgo? Profectò ſatis eſt, ſi in ſingulis morborum ſpeciebus obiter indicetur, unde & quare quilibet illorum nomen habeat? Ad eſſentiam enim nihil facit.

13. Majoris momenti eſt, quod Galenus in fine ultrò fatetur, totum hoc non eſſe *Therapeuticum*, ſed *Pathologicum*, h.e. non explicat finem, ſed aliquid eorum, quæ ad finem. Vide *Inſtit. Medic. l. 1. c. 4. §. 4.*

CAPUT

CAPUT III.

1. IN illis igitur (Pathologicis) particulatim tracto omnia, & morbos & cauſas, & ſymptomata: heic duo alia ubi addidero neceſſaria cognitu illis, qui Methodum medendi exercent, tum tranſibo ad uſum illorum, quæ ibi inventa ſunt. Sed quæ ſunt duo illa, quæ paro dicere?

2. Unum, quatenus morbus differat ἀπὸ τῦ πάθυς? Alterum, quod ſine cognitione elementorum corporis, è quibus id factum eſt, impoſſibile eſt invenire morbos. De his igitur duobus tentabo ego diſcurrere curioſiſſimè. Rogo autē lectores, ne prius ad Methodū medendi accedant, quā ſciant, quot ſint morbi? & ante quā ſigillatim in illos inquiſierint? Quod fiet, ſi noſtra hæc diligenter legerint. Et hoc quaſi jam factum ſit ab illis, ordior jam ſermonem.

3. Oſtenſum eſt tres eſſe in corpore diſpoſitiones præter naturam, Cauſarum, Morborum & Symptomatum. Cauſarum quidem, Plethoram & Cacochymiam: Morborum autem, Inflammationem, & Ulcus: Symptomatum denique, Decolorationem & Gracilitatem. Ultra hæc ſunt immodicè à corpore excreta, aut præter naturam retenta, & læſiones actionum, communiter quidem omnia vocata ſymptomata, non tamen ſub uno contenta genere. Diſpoſitio enim quidam corporis eſt decoloratio: at verò diſpoſitionem illam ſequitur excretum & retentum, ſed ipſum diſpoſitio non eſt. Ita & actio tàm læſa, quàm integra, diſpoſitio quidem non eſt; ſed ſequitur neceſſariò partis diſpoſitionem.

4. Oedema igitur & Inflammatio ſunt ſimpliciter entia: eodem modo Plethora (ſi ita accidat) aut pallor corporis. Actio verò inter ſimpliciter entia non eſt, aut certè non eodē modo. Partes enim actionis nullo temporis ſpatio manent, ut nec ſermonis, nec motûs ullius; ſed omnia hæc ſunt in fieri.

5. Motûs verò cum duplex ſit genus, ſecundum locum unum, ſecundum qualitatem alterum, latio quidem vocatur illud, alteratio autem hoc. Omnis igitur actio motus eſt activus: omnis alteratio paſſivus illius, quod alteratur. Patitur enim id, quod alteratur. Ergò diſpoſitiones moventur in eo, dum alterantur. Ubi autem à motu quieſcunt, alteratæ quidem jam ſunt, ſed non amplius alterantur. Omne enim, quod quomodocunq; habet, omninò in quâdam διαθέσει eſt. Quod verò in difficulter ſolubili, jam καθ' ἕξιν diſpoſitum eſt. Alteratur enim, qui nigreſit: alteratus autem eſt, qui jam nigrefactus eſt. Ut alteratio ſit generatio qualitatis aut diſpoſitionis, aut quomodocunque vocare velis. Non enim pugnant hæc duo, ſi dicam, mutationem eſſe illius, quod alteratum erat: Et, Generationem eſſe qualitatis. Utraque enim coincidunt. Quæ enim prior erat, mutatur & jam fit alia.

6. Illius ergò, qui in Sole verſatur, color mutatur quidem, albedo: generatur autē nigredo. Ita, qui ab igne calefit in eo mutatur quidē frigus, fit autē calor. Cum dicimus, hujus vel illius, quod ſubſtantia non eſt, generationē eſſe, non idē dicimus, ac cum ſimpliciter generationem dicimus. Ita vocata generatio eſt via ad ſubſtantiam; hæc, ut dixerit quis, ad inhærentiam illius. At hoc obiter dictum eſto.

E 7. Quod

7. Quod verò maximè huc facit, jam ferè definitum, nimirum, quædam eſſentiam habere in generatione, & mutatione, & alteratione, aut, ut ſimpliciter dicam, in motu: quorundam ſubſtantiam permanere, ſubſiſteréve. Sanitas enim & morbus, & quæcunque ſymptomata, nec non cauſæ, ſunt diſpoſitiones, ſeu habitus earum rerum, quæ manent: ſed actiones omnes, omnes alterationes, eſſentiam habent in fieri. Adeoque omne corpus, ſecundum quod movetur, ſecundum id patitur, & motus ipſius eſt πάθος.

8. Veteres igitur, etiam omnes ſecundum naturam habentes motus, ſi modò non ſint efficientes, πάθη vocant: junioribus autem neſcio cur viſum fuerit, nomen dandum eſſe motui præter naturam. Sic ipſas quoque ſenſuum alterationes Plato vocavit πάθη. Propriè igitur apud veteres πάθος dicitur de omni externo motu: nunc per abuſum vocantur πάθη, etiam illæ diſpoſitiones, quæ ſunt quidem ex πάθει aliquo, ſed non amplius mobili. Verum, non intellexerunt illi diſpoſitiones diuturniores, vixque auferibiles, qualis eſt diſpoſitio aliqua hectica, aut imbecillitas.

9. Sed hæ nominum impoſitiones à junioribus invectæ ſunt: dictum eſt autem alibi fuſius de Medicis nominibus. Nunc id non agimus, ſed quomodo nos uſuri ſimus perſpicuitatis gratiâ dicemus.

10. Contrariam igitur ſanitati diſpoſitionem, à quà dicimus actionem lædi, morbum tantum appellamus, ſive diu duret, ſive ſtatim ſolvatur, & momento temporis. Omnes autem alias diſpoſitiones, quæ has antecedunt, ſub cauſæ notione habemus. Quæ autem ſequuntur has, ſi actionum læſiones ſunt, ſymptomata & pathe. Eodem modo & immodicas vacuationes, earundemque retentiones, ſi diſpoſitiones ſunt, qualis & decoloratio eſt, ſimul πάθος, & ſymptoma vocamus, ut & diſpoſitiones, quales etiam ſunt.

11. Commune quidem his omnibus eſt τὸ παρὰ φύσιν, morbis, cauſis, ſymptomatis: Proprium autem, morbis quidem, lædere actiones: ſymptomatis autem, ſequi hos: cauſis, antecedere. Non igitur is, qui morbum dicit motum præter naturam, intelligit, quid dicat, ut in ſup. libro oſtenſum eſt, Methodicos quoſdam ita definire, addentes ex ſuperabundanti τὸ ἐπίμονον: neque qui converſionem ex ſtatu ſecundum naturam ad ſtatum præter naturam. Non enim ſeparat vel à cauſis, vel à ſymptomatis. Omnia enim diſpoſitiones præter naturam ſunt, hoc demto, quod ὀξέα nominentur, ſi non diu durent: χρόνια verò, ſi cedere nolint. Nihil autem intererit, νόσον ἢ νόσημα dicas, ut & ἀρρωστίαν ἢ ἀσθένειαν, quod ipſum probatum eſt in Vocabulis Medicis. Eodem modo ægri vocantur νοσοῦντες, ἀρρωστοῦντες, καὶ κάμνοντες.

12. Jam reliquum fuerit exponere, propter quæ hactenus hæc dicta ſunt, omnia cumulantes, ad conſequens aliquod tranſire? Id vero quod eſt? Non diverſum ab eo, quod ſæpè dictum eſt, Hoc debere agere Medicos, & hoc debere eſſe ἔργον ipſorum, exſcindere morbos. Simul enim & læſio actionis diſperit, adeoque ſymptomata omnia abeunt. Indigent enim omnes homines

mines primò & maximè integrâ ſeu ſecundum naturam actione: propter illam autem ſanitate. Propter hanc excutere etiam volunt læſam actionem, ut & morbum. Interim remediis utuntur, non propter læſam actionem, ſed propter morbum, h.e. propter diſpoſitionem præter naturam, quæ lædit actionem.

13. Qui igitur non novit, quæ partibus ſecundum naturam inſunt, cum alia accidentia, tum quæ ſanitatem ſeu cauſas actionum definiũnt: quis credat, invenire illum poſſe diſpoſitionem, à quâ primò actio læditur? Reliqua enim accidentia etiamſi millies mutentur, actionem lædere non poſſunt, quamdiu omnia ſecundum naturam ſe habent. Horum unum quamvis mutetur, tantoperè lædi actionem neceſſe eſt, quantoperè promovet actionem ſecundum naturam.

COMMENTARIUS.

14. Admiratione digniſſimum eſt, Galenum tam diſertè faſſum eſſe, quæ hactenus tractavit, eſſe *Pathologica*, & tamen redire ad eadem! Ut magnum conderet opus! Heic duo proponit ſibi agenda, quæ non repeto: exſequitur autem per πρωθύςερον.

15. Quæ §.3. dicit de tribus rebus præter naturam, illa ſana non eſſe, liquidò auſim jurare, licet & Foëſius in πάθος, & Pacius *in Com.* putet. Symptomata enim cum aliis locis ſint triplicia, quomodo, non præmiſſâ diſtinctione, explicare poteſt per duo exempla, ἀχροίας καὶ ἰσχνότητος? ἄχροια quidem ſymptoma eſt Qualitatis mutatæ: ſed quis intelligit, niſi præmoneatur? Ἰσχνότης ne quidem ſymptoma eſt, ſed morbus, ſiquidem eò progreſſa ſit, ut actio lædatur.

16. Alterum & prius non niſi furtim explicat, & quidem cum παρερμηνείᾳ. Quod enim poſteà dicit §.7. quædam in fieri eſſe, quædã in facto eſſe, ordine naturæ, eſt, & debet explicari per exempla œdematis & inflammationis. Quod ſc. in his factum eſt, morbus eſt: quod fit, πάθος. Interim Galenus ipſe ſæpè pro morbo accipit. Vide Foëſium *l.c.* Et hoc agit §.10. *&* 11.

17. Quod §.12. inducit, eſt quaſi corollarium dictorum, *Quia tot ſunt res præter naturam, quid facere debet Medicus?* Tollere morbum, & omnia ſuſtulit. Quò magis adlaborandum eſt illi, ut ſciat, quid ſit, & in quibus conſiſtat diſpoſitio illa, quæ morbus eſt.

CAPUT IV.

1. MIhi quidem jam dictum eſt totum, clareque oſtenſum iis, qui vera poſſunt ex veris concludere, quod non poſſit omnium morborum methodo comprehendi numerus, niſi ſciat, quot & quæ ſint in univerſum ea, quæ in ſecundum naturam habente corpore concurrunt ad edendam actio-

nem? Horum nihil diſcere poſſunt, qui non legitimè inſtituti ſunt, & alioquin ingenio hebeti, aut etiam jam imbuti nugis Methodicorum.

2. Rurſus igitur ex iis, quæ generatim dicta ſunt, reſumamus in ſpecie unum atq; alterum veluti exemplũ ſermonis, pro iis, qui intelligunt. Cur enim lingua de ſaporibus judicat, reliquarũ partium nulla? Nunquid propter colorem? aut ſitum? aut propter magnitudinẽ? figurã? Affectâ enim illa (puto) & non amplius percipiente ſapores, aut colorem ipſius reducemus ad naturã, ſi propter illũ operabatur, aut illud ex iis, quæ dicta ſunt, aut hoc. Quin ſi quid ſit, quod enumeratum non eſt, patet, quod propter illud, non propter ullum aliud, ad naturam ſuam reductum, ſapor rediit, nec indigemus alio. Eſto, certa pororum denſitas faciat, ut ſapores ſentiat: annon horum ſymmetriam in benè ſanâ cuſtodiemus: ametriam contrà in morboſâ corrigemus? Eſto, ſi ita contingat, linguam proptereà de ſaporibus judicium ferre, quod moderatè calida ſit: annon hinc quoque manifeſtum eſt, debere nos alia quidem inſuper habere, hoc ſolum linguæ conſervare, à quo actionem ſuam habet! Eſto illud quoque, ſi in tantum ſicca & humida ſit, ideò ſentire: quis non, poſthabitis reliquis omnibus, huc vertet oculos, ne juſto vel humidior ſeu ſiccior ſit? Quis etiam, ſi verum hoc eſt, non ſimul facilè inde ratiocinetur, duos tantum linguæ morbos eſſe, hinc quidem ſiccum, illinc autem humidũ? Quemadmodum viciſſim, ſi ſenſus ipſius in mediocri caliditate & ſiccitate eſt, quis non hinc quoq; colligat, duos tantum ejus morbos eſſe, immoderationem caliditatis & ſiccitatis? Ita, ſi ſaporum dignotionem habuit ex ſymmetriâ pororum, proclive fuerat & hinc omninò argumentari, ab immoderatione illam lædi? Duplicem autem eſſe illam, denſitatem & raritatem pororum.

3. Quid verò? annon nimis multa dico contra ſtupidos iſtos Theſſalicos? Facio ideò, ſi nihil aliud lucrifaciam, hoc ſaltem, ut intelligant, neminem poſſe invenire, aut demonſtrare numerum morborum absque notitiâ illius, quæ res ſint cauſæ, cur partes vel operentur hoc, vel ſecus?

4. An licet mihi afferre alterum etiam & tertium exemplum? Fit enim ut hâc ratione quaſi vulnerentur animæ ſtupidorum iſtorum. Eſto igitur, iterum illos ſic compellemus. Nunquid ſentit corpus, cum calida & frigida, dura & mollia, æqualia & aſpera, omnia denique tangibilia, colore ſunt alba? aut cum nigra ſunt? an potius cum ruffa ſunt, aut (ut abſolutè dicam) quando hunc talem colorem habent? An cum nihil horum eſt, ſed propter aliud quid? Apertum (puto) omnibus eſt id, Servari debere illud ſolum, ſi rectè debet ſentire, ex quo ſolo habuit, ut rectè ſentiret. Si enim ex eo, quod alba eſſet pars, ſenſum habet, præ omnibus ſtudere illi, conſervare illud, fugere contrà nigrum. Viciſſim, ſi ex nigro habet ſenſum, formidare utique oportet & timere reliquos colores omnes. Eodem modo, ſi ideò quod flava aut rubra ſit, fugiendos cenſeam omnes alios colores, quaſi ſenſui contrarios. Et ſanè, ſi

ideò

ideò ſentit res, quia dura eſt, lædetur, ſi remolleſcat: aut, ſi ideò, quod denſa ſit; ſi rara fiat. Ita, ſi ſentiebat pororum ſymmetriâ, ametriâ procul dubio eorundem lædetur.

5. In ſummâ, hoc ſolum oportet adſit, ut ſenſus fiat, à quo ſenſum habebat: hoc ſolum corrigere oportet, ſi recedat à naturâ ſuâ, unde ſenſionis læſio.

6. Nunquid res indiget etiam tertio exemplo? an ſufficiant hæc? Puto, prudentibus etiam hæc ſuperflua eſſe, quippe qui univerſale intelligunt ſine exemplis: indoctis autem & malè inſtitutis, fortaſſis etiam contentioſis, neque ſi tertium addatur, ſupereſſe aliquid poſſit. Interim, quia duo allata ſunt, & tamen fruſtrà peſſumdant nobis tempus, fortaſſis abſurdum non ſit, unum præterea addidiſſe. Sanè propoſitum nobis ſit, quomodo corrigendus ſit ventriculus, qui non coquat: loquamur autem non contra ſolos Methodicos, ſed contra illos etiam Logicos, qui putant, methodum aliquam heic locum habere, adeoque artem conſtitui poſſe, ſine cognitione cauſæ primæ actionis, quam *προσεχῆ, proximam* vocare ſolent.

7. Dicat igitur aliquis; (ordiri enim ſatius eſt ab iis, quæ obviam habent abſurditatem, ut, ſi poſſibile, ſenſim illos deducamus ad ea, quæ obſcuram habent cognitionem. Præſupponatur igitur dicere quendam, qui nunc non coquit, ſolo lactis uſu ita corrupiſſe colorem ventriculi, & in albedinem convertiſſe ex rubro, ideoque læſam eſſe actionem. Puto te jam ridere, & meritò ridere. Tu verò ſi ſcias, quam facile ſit huic aliquid de coloribus garrire citra demonſtrationem, tam facile eſſe tibi de pororum (fac ita ſit) ſymmetriâ, aut aliâ diſpoſitione aliquid invergere: ut non putem te riſurum meritò. Aut enim te ipſum irride, aut parce alteri. Utut enim impudentis factum ſit dicere, cauſam malè coquendi in ventriculo eſſe colorem, adeoq;, poſtquam ex naturali colore, qui ſubruber eſt, factus eſt exquiſitè albus, neceſſariò jam malè coquere: tamen libenter audiam, quid reſponſurus ſis. Ego enim alium modum excogitare non poſſum, quàm ut jubeas dicentem probare prius, ventriculum agere per colorem. Si alium habes modum tu, libenter audiam. Sed neque habes, neque habebis alium contradicendi illi, qui colorem cauſam eſſe dixerit malæ coctionis, quàm provocationem ad probandum, quomodo ex colore habeat ventriculus actionem coquendi. Si igitur illi, qui colorem cauſabitur, fides non erit apud te, priusquam probet: quomodo tibi, qui ametriam pororum, erit? antequam probes, ſymmetriam eorundem eſſe cauſam?

8. Sed neq; hoc ago, inquit, neq; aliam cauſam proximam coctionis affero, ſed fateor plane, neſcire me aliam. Atqui, ſi qui cauſam actionis in colore ponit, cauſam læſionis in eodem ponere oportet; ſi qui cauſam actionis in ſymmetriâ pororum, cauſam læſionis in ametriâ: utique is, qui in bonâ temperie caliditatis, frig., hum. & ſicc. cauſam actionis collocat, in

 earun-

earundem vitioſa temperie collocabit etiam læſionem, itaque hypotheſin faciet, quod ſecundum naturam norma eſt illius, quod præter naturam. Hac ratione ſi non agnoſcis, quod ſecundum naturam, non agnoſces etiam quod præter naturam.

9. Nempè & vos ipſos hoc audio objicere Empiricis, quod nemo agnoſcat id, quod præter naturam, niſi prius agnôrit, quod ſecundum naturam. Quæro ego, Totum, an partem? Et partem illam, quam nôſti, eſtne cauſa actionis, an accidentarium quid? Sed enim quid demum ejus agnoſcis? Situm videlicet, magnitudinē, connexionem, conformationem? At nihil horũ eſt cauſa actionis. Nôruntque adeò omnia iſta Empirici. Quin & fatentur, utendum eſſe Anatomiâ κατὰ περίπτωσιν dictâ, & diſci ex illâ, quæ dicta ſunt: non autem actiones & uſus partium. Atqui, inquis, novi & ego actionem. Eſt enim περιστολὴ καὶ τρῖψις, *Circuamplexus ciborum, eorundemque attritio.* Tu verò niſi & cauſam nôris, non nôris morbum. Si enim naturale temperamentum quatuor qualitatum eſt cauſa actionis, diſtemperamentum omninò erit cauſa læſionis. Tu verò putas, inflammationem, ſcirrhum, œdema, apoſtema, & alia, quæ in oculos incurrunt, ſolos eſſe morbos ventriculi, quamvis & hæc, perinde ut Empirici, ſolis oculis, & manibus, aliisque ſenſibus diſcas. Tu verò ad ſubſtantiam ipſorum progredi tenta, & hanc exquiſitè inſpice, non contentus evidentibus iis, quæ ſenſus præbet, quibus Empirici circumſcribunt συνδρομὴν ſuam. Sic enim appellare volunt congeriem ſymptomatum, quæ in parte affectâ concurrunt. At verò ex his ipſis non ſumis indicationem curationis. Neque enim ſi vel tumor adſit, vel renitentia, vel dolor, vel rubedo: ſed ſi obturatio in extremitatibus arteriarum appareat, idque ex coïncidentiâ, tum verò (ut ipſe loqueris) curationem eò referens invenis.

10. Annon hæc eſt Eraſiſtrati doctrina de febribus? Ut contrà alia Dioclis? rurſus alia Praxagoræ? ut & Aſclepiadæ? Nimirum, non oritur illis îndicatio à ſymptomatis, circa partem inflammatam ſe oſtendentibus: ſed ab ipſâ ſubſtantiâ. Non enim inde æſtimant, ſi tumor adeſt præter naturam, isque renitens cum dolore pulſatili: ſed an coincidentia ſit aut impactio circa fines arteriarum, aut obſtructio circa extrema venarum, aut putredo humorum, aut contentio corpuſculorum, ratione tantum contemplabilium, in laxitatibus itidem ratione ſolâ inventis. Quare hi omnes, qui dicti ſunt, à diſpoſitione partis inflammatæ, non à ſubſequentibus ſymptomatis, indicationem remediorum accipiunt.

11. Eodem modo, puto, qui cauſam refert in calidum, frigidum, hum. & ſicc. Verùm, hic quidem, ſi etiam citra inflammationem, aut ulcus, aut apoſtema, aut tale quid, refrigeratus tantum ventriculus non benè coquat, tamen in promtu habet remedia. Qui verò cenſent, inflammationes, ſcirrhos, & talia, quæ in oculos incurrunt, ſola eſſe morbos, planè ridiculi fiunt, cum ajunt,

tales

tales cruditates, ab atoniâ tantum ventriculi eſſe, quaſi atonia ſit diſpoſitio quædam propria & peculiaris, & non fiat ut in ſuppurationibus, ſcirrhis, aliiſque malis?

12. Omnes enim hi morbi, ſive in ventriculo ſint, ſive in hepate, ſive in thorace, ſive alibi, ſtatim faciunt partem debiliorem ad opus ſuum proprium. Hoc verò non eſt ſatis ad indicationem remediorum: quin heic ſtantes, fruſtrà quærunt indicationem, cum res jubeat progredi ad eſſentiam morbi, quâ ignoratâ curatio vera non ſuccurrit. Quare non jam exſpectant, uſque dum à nobis refutentur, ſed ſe ipſos arguunt, qui imbecillitatem dicunt eſſe πάθος illud in quo animal cruditate laborat, nullo illorum affecto, quibus illi τὸ πάθος adſtrinxerunt.

13. Neque enim proprium quid allegant, ſed quod commune eſt omnibus, nec poteſt indicare veriſimiliter curationem. Nudum enim nomen eſt *roborare*, quod imbecillum eſt, & ſcopus potius curandi quàm curatio. Quid enim faciendo robur concilietur partibus ægris, non dicunt. In hoc enim conſiſtebat cura, & antequam inventa ſit diſpoſitio ventriculi, remedia adeſſe non poſſunt. Nam ſi refrigeratus eſt, calefaciendus: ſi humidior, ſiccandus. Eodem modo, ſi ſupra modum calefactus eſt, refrigerandus: ſi exſiccatus, humefaciendus. Et hi quidem ſunt quatuor ſimplices medendi modi: præter hos alii 4. compoſiti. Si enim ventriculus ſit temperamento frigidior & ſiccior, calefaciendus eſt & humectandus: ſi calidior & humidior, contrarium inſtituendum eſt. Et ſic de cæteris. Ut jam octo ſint diſpoſitiones, quæ, ut ipſimet dicunt, imbecillitates cauſantur, & totidem modi curationis.

COMMENTARIUS.

14. Sanè ita eſt, heic multò magis admiratione dignum eſt, Galenum poſt excurſum *Pathologicum* tam longum, facere etiam *Phyſiologicum*, non minus longum. Verùm, qui rectè conſiderârit illa, ad quæ me retuli 1. *Inſtit.* 4. §. 4. ille admirari deſinet, & fatebitur, non minorem uſum in *Methodo medendi* eſſe *Phyſiologiæ*, quàm *Pathologiæ*.

15. Heic aliquot exemplis docet, veras & eſſentiales indicationes non cubare alibi, quàm in *Phyſiologiâ Hipp. & Ariſt.* Hâc in re ſtatim in primo exemplo elucet inſigne Galeni judicium, tam in ſtabiliendis propriis principiis, quàm in refutandis alienis. Non, inquit, poteſt linguæ reſtitui ſapor, niſi reddito temperamento primarum & ſecundarum qualitatum. Hoc autem habemus ex phyſiologiâ Hippocratis & Ariſtotelis.

16. Alterum exemplum eſt ſ. 4. Ex quâ re ſenſum habet corpus? Profectò non aliunde, quam ex eodem temperamento? Ergò, ut ſenſus eſt ex præſentiâ temperamenti, ita ſenſûs reſtitutio ex reſtituto temperamento. Hac in re noto peculiarem Gal. ἑρμηνείαν, cum utitur vocabulo τιτρώσκεσθαι. Quemadmodum

admodum vulnus in corpore dolorem facit, quo monitus aliquis diſcit ſapere: ita Veritatis ſermo relinquit ſtimulos in animis ſtultorum, ut in ſe converſi aliter porrò inſtituant rationes ſuas.

17. Tertium exemplum de malâ coctione ventriculi, eſt §. 6. & pertexit uſque ad *finem cap.* Eſt autem præcipuè directum contra Empiricos & Dogmaticos illos, qui nihil aliud crepabant quàm *imbecillitatem ventriculi. Nihil docetis,* vult dicere: Hac in re latè circumagit illos, ut evincat, Quæcunque detur cauſa malæ coctionis, ejus contrariam cauſam eſſe bonæ coctionis. Vis igitur dicere, colorem ventriculi eſſe cauſam vitiatæ coctionis: dic etiam, oppoſitum colorem eſſe cauſam integræ actionis? Vis dicere, ametriam pororum eſſe cauſam malæ actionis: dic etiam, ſymmetriam eorundem eſſe cauſam integræ. Ego verò, inquit, ſolerter dico, Temperies primarum facultatum ventriculi eſt cauſa bonæ coctionis: ergò intemperies earundem eſt cauſa malæ. Intemperies cum ſint octo numero, 4. ſimplices, 4. compoſitæ, tot erunt cauſæ infirmitatis.

18. Et heic latet reſponſio ad difficultatem Empiricis objectam, *Imbecillitas non præbet indicationem utilem.* Cum enim ſit τὸ ῥωννῦναι, *roborare,* quâ materiâ medicâ id faciam? Reſpondet Galenus, Hæc prima eſt, communis & inutilis indicatio, ab hac deſcende ad ſecundam & particularem, *Si imbecillitas ſit à calore, refrigera,* Et ſic de cæteris. Quo loco obiter dicendum, ſed alibi latius deducendum, *Contrarium hoc debere eſſe proportionatum.* Vide interim *6. Inſtit. noſtr. 6.*

CAPUT V.

1. HEic quidam, qui Dogmatici videri volunt, Empiricis ſe jungentes, dicunt, Non eſſe opus inquiſitione, ſintne actiones naturales, annon ſint? His dico, non licere tale quid quærere. Fiet enim hac ratione, ut evertatur tota ſecta Logica, quæ fatetur, poſſe inſtitui curationem, etiam ignoratâ diſpoſitione morbificâ. Ab experientiâ enim certè curatio peti poteſt, quamvis ex ipſâ rei naturâ indicatio ſumta non ſit.

2. Empirici enim, partim quod impoſſibile ſit invenire quid in rebus obſcuris, partim quod etiamſi probabiliter inventum ſit, non indigeant illo. Ex obſervatione enim habere ſe curationes in apparentibus συνδρομαῖς. Sed & dicunt, neſcire ſe, utrum octo ſint diſpoſitiones, in quibus periclitatur tonus ventriculi: quin ſine talibus curioſitatibus abundè ſibi cautum eſſe de remediis.

3. Ii verò, qui etiam rationem admittunt, ex qua obſcura dijudicant, & dicunt, rationem ſibi exhibere inventionẽ remediorũ, hos ego miror, quo modo non pudeat dicere, aut quod neſciant, an octo ſint diſpoſitiones ventriculi, aut quod non indigeant illis ad curationes. Neque enim ſatis eſt dictu, quod

neſciant

neſciant diſpoſitiones illas: ſed & refutare oportet illos, qui dicunt ſe ſcire, quod falſa doceant. Quamdiu hoc non faciunt ipſi, cæteri autem multas demonſtrationes afferunt illius, Corpus omne agere propter hanc, illamve temperiem; veriſimilius illis creditur, niſi fortè fidem merentur potius illi, qui meras præſumtiones loquuntur, præ illis, qui demonſtrationes. Atqui illi, ſi non aliud, hoc certè facere debebant, perſuadere velle auditoribus, non cogere & imperare: nunc contrarium præſtant, tyrannorum inſtar jubentes, non inquirentes in actionis cauſam. Nos verò Dionyſium, Phalarin, tyrannosque alios ideò proſequimur odio, quia jubent & mandant, non perſuadent, aut docent, ut Solon, Draco, Lycurgus.

4. At ego quidem, inquit eorum aliquis, intra limites artis conſiſto: vos autem aliorſum itis, & ad principia alia ſeducere nos vultis, ſpeculationis Phyſicæ ſcil. Ecquando, ô generoſiſſime, demonſtrabis hoc ipſum, qui ſint limites Medicinæ? & quantum ſcire oporteat illum, qui duce ratione velit invenire remedia? interim larvâ ſumtâ terrere nos vis? Audio te dicentem, quod non oporteat quærere cauſam actionis: audio & Empiricos, nec ipſas actiones eſſe perquirendas: audio etiam dicentem, non ipſas tantum actiones, ſed & cauſas, à quibus fiunt, venandas. Nunquid vis me ſociare iniquis judicibus, qui nolunt audire omnes inter ſe litigantes, uni offerunt calculum ſuum? An primum quidem audire me vis, ſingulos ſeorſim? deinde comparare rationes veſtras, & penſiculare, quis veſtrûm & ſibi conſentiat, & apparentibus? quis contrà, nec ſibi, nec apparentibus? Atqui ſi hoc fecero, Empiricos auſcultabo, qui παραμυθίᾳ quidem utuntur, firmiter non demonſtrant, dum vos ne illud quidem præſtatis.

5. Quis enim ê vobis aut παραμυθίαν aut demonſtrationem attulit, quod non oporteat indagare cauſam actionis. Nam quæ antea dicta mihi fuit methodus demonſtravit, quod indaganda ſit. Vos verò contrà neque demonſtrationem, neque ullam rationem probabilem conati eſtis afferre: ſed exporrecto ſupercilio, cum gravitate quâdam increpatis nos tantum, & pro imperio mandatis, relinquamus accuratam illam phyſiologiam, nec ita ſectemur naturam humanam, ut Philoſophi, aſcendentes ſermone ad prima uſque elementa.

6. Illud quoque vel dixiſſe vobis ſatis eſt, arteriam, venã & nervum eſſe principia proxima, adeoq; elementa eſſe ponenda phyſiologiæ humanæ. Et fuit, qui propterea Herophilum laudavit, qui ita verbotenus dixerit: Eſto, ſint hæc prima, quamvis non ſint. Si quis noſtrûm ad demonſtrationem provocet, & oſtendat, eos, qui ita ſentiunt, hypotheſes habere ſecum pugnantes, hunc cubito repellitis, & fugitis, nec omninò aures præbetis, ſimulantes vos temnere talia, jamq; rationum eſſe oſores, cum rationibus utamini contra Empiricos. Quod enim pugnent ſecum rationes omnium eorum, qui Semidogmatici ſunt, facilimum probatu eſt etiam illi, qui perparum verſatus ſit in methodo Apodicticâ.

7. Si enim ventriculus ſit inflammatus, & propterea malignè coquat, cauſam inflammationis quærunt, nec deſunt illis remedia, quamvis deſerant inventionem Empiricam. Si verò debilis in coquendo ſit ſine inflammatione, talive alio morbo, á ſolâ & nudâ intemperie, jam iterum remedia petunt ab Empiricis. At pugnant hæc invicem, cum Empiricorum ſententia ſibi conſtet, & demonſtrent, & concludant, quod volunt, ex iis ipſis propoſitionibus Apodicticis, quæ vos ipſi conceditis.

8. Si enim omninò fieri poteſt, ut in apparentibus ſymptomatis obſervetur curatio, ignoratâ licet diſpoſitione, non in hac quidem fieri poterit, in hac autem non poterit, ſed in omnibus fieri poterit æquè. Ergò, ne heic quidem ratio vos fugerit, cur ſufficiens experientia ad remediorum inventionem non adſit, in quibus diſpoſitionem invenire non poteſtis.

9. Omnia igitur, tyrannorum ritu, cum imperio agitis: demonſtrationibus autem uti non vultis. Hoc enim præſtat dicere, quàm non poſſe vos. Sed nec iis, qui & volunt uti, & poſſunt, aſſentimini. Quid igitur aliud ſunt diſputationes veſtræ, quàm lis & contentio, & provocatio ad contumelias & pugnas, qualibus utebatur & quidam è doctoribus veſtris, ſemper aut irridens, aut ſi quis de calido aut frigido loqueretur, balneatoribus has voces digniores eſſe clamans, quàm Medicis: quin vehementer intonans, nimis longè à Medicinâ nos recedere, ſatius eſſe cum Eraſiſtrato credere.

10. Et hæc quidem placuerunt ab initio: Verum, cum ſecundò & tertiò audirem, odiſſe cœpi, ceu ſcurris potius digna quàm Medicis. Si enim ſemel autoritas eorum, qui ultra procedendum eſſe nolunt, ſufficiens teſtis ad demonſtrationem fuerit, jam omnia in prolixas nugas deſinent, neque finis ullus disputationum erit, præter illum, quem nunc videtis eſſe, inimicitias, pugnas & calumnias. Qui nimirum deſertis demonſtrationibus, credi ſibi volunt ideò, quia Herophilus ita conſtituit, aut Eraſiſtratus: neceſſariò exſpectent convicia & pugnas, tanquam præmia admirandarum iſtarum diſputationum.

11. Fingamus age, dicat aliquis, huic tali, qui non benè coquit, ventriculum eſſe intemperatum, verſum ſc. ad ſiccius & frigidius, & propterea humectandum & calefaciendum eſſe; alius inſurgat, verſum eſſe à naturali ſtatu ad frigidius & humidius, calidam & ſiccam poſcens diætam; alius & tertius fortè præteriens, neget quidquam horum rectè dictum eſſe, nec audeat tamen contrà argumentari, ſed debacchetur tantum, inutilia in quæſtionem vocari, teſtes adducat Herophilum, Eraſiſtratumque: quomodo enim, ut dixi, initium hoc litium erit, & calumniarum mutuarum? Neceſſariò enim & hi teſtes producent Athenæum, Mneſitheum, Dioclem, Pliſtonicum, Hipp., Philiſtiona, & infinitos alios. Si enim teſtibus agitur, non difficulter vincent. Quod enim morboſæ intemperiei multæ ſint ſpecies, & quod in ſingulis peculiaris ſit cura, non Hipp. modò teſtimonio comprobabunt, ſed plerorumque aliorum Medicorum, ſed

& Pla-

& Platonis, Ariſtotelis, Theoph., Zenonis, Chryſippi, omniumque adeo celebrium Philoſophorum.

12. Quod verò absque accuratâ cognitione corporis, neque morborum differentias nôſſe, neque remediis abundare facilè ſit, rurſus adducere teſtes poſſunt omnes jam dictos Philoſophos juxta & Medicos, profectò, non jubentes, ut illi, tyrannorum ritu, ſed demonſtrantes. His igitur qui ſe opponent dicendo, Calidum & frigidum balneatorum eſſe voculas, ſcurras agent certò, irriſores, moriones, Phrygas & ſcholaſticos ſe declarantes.

13. Conſcii enim ſibi ſunt, non modò nihil ſe ſcire ex doctrinâ Apodicticâ, ſed ne quidem, quid ſit ἀπόδειξις. Ex his igitur ſcommatis naſcitur initium diſſenſus. Ut enim primi omnium, quod nugatores illi ſine demonſtratione audent jactare, meminero, conſidera, quæſo, quomodo litigium ſequi illud, neceſſe ſit? Poſt enim actiones ſeu accuſationes eorum indemonſtrabiles, & fide dignos (ſi Diis placet) teſtes, ſi alii celebriores & multò plures opponant illis teſtes, neceſſe eſt illos cedere & vinci in utroque, tàm eo, quod neſciant demonſtrationes, quàm eo, quod ſuperentur numero teſtiū, & inprimis, quod impudēter dicunt, Eraſiſtratum cæteris omnibus eſſe fide digniorem. Neceſſum enim eſt tum, alium dicere, Non eſſe majorem vel Hipp. vel Mneſitheo, Medicis, vel Ariſt. & Plat. Philoſophis: alium contradicere, & ſurſum, deorſum ventilatâ controverſia, ad inepta & contentioſa deſcendi, qualia ſunt, Non benè tibi conſulis, ſi Eraſiſtratum pro teſte non recipis? Hæc enim quotidiè fieri cernis, ô Hiero, in altercationibus Medicis.

14. Hac ſemel aperta illis via, etiam ad muliebres rixas perveniunt, & conviciantes invicem, neque utile quid vel docentes vel diſcentes, diſcedunt. Hanc turpitudinem negari non poteſt eſſe ab iis, qui demonſtrationes refugiunt. Refugiunt autem multimodis: Hi quidem cum gravitate aliqua inſectantes tantum adverſarium: Illi autem ſcurrile quiddam projicientes: Iſti autem in riſum, ſannasque ſoluti, diſputationem abrumpunt. Quod ſi quis audeat ſtare, & demonſtrationes exſpectare, primum quidem non intelligit, (inexercitati enim non aſſequuntur exercitatos in methodo apodictica:) deindè autem ſi etiam quoquo modo intelligat, quia omnino propugnare vult dogmata, quibus à puero innutritus eſt, epichiremata quidem ſua expedit, ſed convictus iraſcitur, evomens quædam, quæ nihil concludant, ſuperflua, nugatoria, devovet Dialecticos, ceu malorum autores. Scilicet hoc mali heic eſt, quod blennam naribus illorum abſtergunt, & hac ratione curare illos volunt, offerentes non mel, aut placentas, ſed allia & cepas, quibus medemur gallis gallinaceis, cum coryza laborant. Interfuiſti nimirum non ſemel, ſed millies, cum quidam lacrymas emitterent, auditis objectionibus, non ſecus ac ſi allium, cepasve tractaſſent. Nec te latet, multos ſæpè nobis privatim faſſos eſſe, ſentire ſe quidem nunc, quam abſurda ſit ſecta, quam profiteantur: nec tamen poſſe hanc publicè refutare, cum

nec meliora didicerint, quibus poſſint inclareſcere, jamque vulgo noti ſint de longè aliis. Propter hanc cauſam diu ego cunctatus ſum edere methodum therapeuticam, quod benè ſcirem, paucos noſtrorum eâ adjutum iri. Nam niſi magna quædam & divina fiat mutatio rerum humanarum, diſpereunt omnia bona, confuſio fit & perditio paſſim, quod nemo curet Veritatem, ſed omnes videri tantum velint docti. Et nôſti alioqui tu quoque verè, ne quinque quidem ullibi terrarum me offendiſſe, qui eſſe velint potius ſapientes quàm videri. Atqui, niſi quis ſapientiam propter ſe ipſam quærat, ne tempus quidem habebit exercendi Logicas methodos: ſed irretitus curis circa divitias, ſplendorem publicum, alia, in iis turbis omne ſuum conteret tempus.

COMMENTARIUS.

15. Niſi inſignitè fallor, texit heic Galenus hiſtoriam de eventu diſputationum, Romæ habitarum, ut ſcribit alicubi, *in templo Pacis*, quæ ob id non magnoperè ad nos pertinent. Id verò negligendum non eſt, quod de uſu Dialecticæ ait. Scripſit de illâ materiâ ſeculo ſuperiori M. JOH. DINCKELIUS, Rector tum Scholæ GOTHANÆ, circa annum 1586. quo tempore ego nondum ſtudiis his aptus eram. Incidi autem longo tempore poſt anno 1610. in librum Erfordiæ excuſum in 8. & gaviſus ſum. Sed gaudium intervertit trifur nobilis, qui: *ſed motos præſtat componere fluctus*. Scripſit deinde CORNELIUS MARTINI, Profeſſor Helmſtadienſis opellam tam luculentam, ut non dubitem ſenibus commendare. Titulus eſt, *de analyſi Logicâ, anno 1619.*

CAPUT VI.

1. ERgò, his dimiſſis, redeamus ad propoſitum. Eſt autem propoſitum noſtrum, Niſi quis omnium morborum methodum ſtatim ab initio inveniat, graviſſimè offendet in ipſo Therapeuticæ limine. Manifeſtum enim eſt tot eſſe curationis modos, quot & morborum ideæ. Hoc igitur, quod attenti particularibus morborum proprietatibus, non ſtatuturi ſint vel infinitos morbos, neque ſtatim in primis generibus ſubſtituturi ſint, non eſt cujusvis, ſed viri in diviſivis methodis verſati.

2. Principium autem diviſionis, ut jam anteà dictum eſt, eſt definitio (eſſentialis) rei dividendæ. Demonſtratum autem eſt, omninò *morbum eſſe aliquid eorum, quæ præter naturam.* Quatuor autem cum ſint ordines rerum præter naturam, aut actio læſa aut diſpoſitio, quæ illam facit, aut cauſa lædens, aut ſymptomata ſequentia, ſive morbum voces aut læſionem actionis, aut diſpoſitionem ipſam facientem, nihil hoc obeſſe demonſtravimus methodo medendi, ſi hoc ſolum ſciat, primam curationem, quam *Proximam* vocant quidam, eſſe diſpoſitionis, quæ actionem impedit. Diximus autem demonſtratum à nobis

bis eſſe, veriſimilius vocari morbum, licet non prohibeamus, ſi quis morbũ quidem appellet læſionem actionis: efficientem autem ipſam diſpoſitionem, cauſam morbi.

3. Præſupponentes autem, *morbum vocari diſpoſitionem præter naturam actionem lædentem*, inquiſivimus deinceps, quot in univerſum ſint morbi? Patebat verò inde, Inveniendum eſſe primum, ſi quis methodo & ordine procedere velit, non autem, ut Medicorum plerique faciunt, imperare tyranni inſtar, quæ ſit diſpoſitio illa, quæ ſit actionis effectiva? Hanc diximus eſſe bonam temperiem calidi & frigidi, humidi & ſicci, quam ob rem primus morbus, qui in ſimilaribus, in intemperie eorundem eſſe dictum eſt.

4. Alius ſymmetriam collocabit in ὄγκοις καὶ πόροις, ut loquuntur, atq; ideò laborabunt animalia immoderatione τῶν ὄγκων καὶ πόρων. Hoc loco, niſi quis ſe ipſum declarare velit, in quo rerum genere collocet actionis cauſam, neque opponere ſe auſit aliud ſtatuentibus; & tamen imaginetur ſibi ſe methodo progredi, hunc valdè improbum eſſe dicemus. Simul enim non reſpõdet Empiricorum accuſationi: ſimulque ſecum pugnat. Tales enim ſunt *Semidogmatici*, ſeu *Semilogici*. Quo modo enim fiat inflammatio, & ſcirrhus, & œdema, & quæcunque talia, ſolicitè quidem explicant: quod verò ſine his, ex nudâ intemperie, etiã fiat morbus, lædaturq; actio, ignorant, & in curatione Empiricè procedunt.

5. Qui igitur ſcire volunt, quantum hi errent, & quàm multos morbos transſiliant, & quod plura neſciant quàm ſciunt: is legat librum de differentiâ morb. Cognoſcet enim, quod rectâ methodo primus omnium uſus eſt Hipp., æquum autem eſt poſteriores illam perficere. Tantum autem abeſt, ut perfecerint, ut plerique rectè inventa corruperint. Propius autem ad perfectionem & complerionem methodi ab Hipp. traditæ acceſſit Ariſt. & Theoph. Et, ſi verum dicendum eſt, perfecerunt potentiâ definientes illud, Non idem eſſe genus morbi in ſimilaribus & in organicis vocatis partibus. A ſimilaribus autem edi actiones, & propterea in ſingulis organis eſſe unam & propriam partem ſimilarem. Quæ verò aliæ poſt hanc, faciunt ad complementum organi, propter uſum quendam primæ illius, quæ eſt cauſa actionis. Et harum iterum ſingularum ſeorſim eſſe actionem, v.g. in oculis. Fortaſſis enim melius eſt, ut in aliis latius oſtendimus, heic breviter mentionem illius feciſſe. In oculis, inquam, viſionis inſtrumentum eſt humor cryſtallinus. Singulæ autem oculi partes propter hunc factæ ſunt. Et omnium illarum uſus diximus in 10. de Uſ. part. Et licet cryſtallini gratiâ omnes ſint factæ: ſeorſim tamen ſingulæ actionem aliquam habent, communem quidem toti animali, ut vena, arteria, nervus: omnes autem tunicæ, quæ in oculo, nutrientes quippe oculum, neceſſariò facultatum naturalium participes ſunt, ut & actionum illarum. Ubi igitur humor cryſtallinus intemperie laborat, omninò quidem læditur actio oculi, ſed non eſt morbus organicus. At quod ὑπόχυμα vocant, nullius ſimilaris partis morbus eſt: ſed totius oculi, ut inſtrumentum eſt.

 6. Ita

6. Ita ſi obſtructio ſit à craſſis & viſcoſis humoribus in extremitatibus ſimæ partis hepatis, impedietur quidem diſtributio : erit autem morbus totius hepatis, non laborante ullâ ejus parte ſimilari. Si verò intemperies occupet venas, illarum primario quidem erit morbus: per accidens autem hepatis. Deceptus eſt igitur Eraſiſtratus circa ſubſtantiam inflammationis. Non enim neceſſariò fit obſtructiò in finibus arteriarum, quæ in partibus inflammatis: neque ſpiritus ſolus naturaliter in arteriis eſt, ut, ubi de illis egimus, oſtendimus. Qualis igitur morbus eſt *Inflammatio*, ex illius opinione? qualis ſcirrhus ex ejusdem, & reliquorum ſinguli, ut ille quidem obſcurè, ut in plerisque: ſectatores autem ipſius evidentius conantur exponere, ſed ita, ut penè ſine morbo relinquat partes ſolidas, concedens, vulnerari quidem poſſe, diſſecari, comprimi, tale quid pati: morbo autem laborare tali non poſſe, qualem nos deſcribimus octo intemperies.

7. Atqui videmus, omnia corpora, etiam difficulter alterabilia, æs, lapidem, ferrum, calefieri, frigefieri, humectari, ſiccari: arteriam ſolam, venam, nervum nihil tale pati, admirabile eſt! Et hoc admirabilius, Si patiuntur, & tamen ſimul rectè agunt! V.g. Cordis (ſi ita accidat) vis quædam eſt, ſecundum etiam Eraſiſtratum, quâ diſtenditur & contrahitur. Hanc lædi neceſſe eſt aliquando, cum viventi animali cor eximitur, quemadmodum in ſacrificiis fieri ſæpè videmus. Ibi ſi nihil læditur, utique movebitur ſemper, non exiguo temporis ſpatio, ut nunc videmus. Manifeſtum igitur lædi, ideoque ceſſat motus ejus. Quæ igitur læſio eſt? Profectò conſideratu dignum eſt, cum lædi poſſit, etiam antequam eximeretur animali! Quæ alia quàm intemperies? Neque enim figuram ejus videmus mutatam, neque ventriculum, neque ligamentum, neq; oſculum, neque partem ejus ullam deperditam : ſed ſolum naturale temperamentum ejus mutatum.

8. Omnes igitur morbi hi ſimilares, ut dictum eſt, ab Eraſiſtrato ſunt omiſſi, Ubi enim ſanguis, in finibus arteriarum impactus, lædit actionem, morbus eſt organicus : ubi partes ſimilares, octo quidem ſunt nudæ intemperies, octo autem cum affluxu ſubſtantiæ. Qui igitur has demonſtratione vult comprehendere, ab elementis oportet ordiatur, poſteà addat ſingula eorum, quæ dicta ſunt. Sunt autem deinceps libri de temperamentis, deinde de inæquali intemperie, mox de facultatibus naturalibus, aliique libri, qui de morbis animi agunt. Hos ſequuntur, qui de uſu partium, hos iterum, qui de differentiâ morborum & ſymptomatum.

9. Plerique autem Medicorum, neque ſoli, experientiæ animum appellunt, (cum liceat etiam ex hâc ſectâ evadere in bonos Medicos:) quam deinde perficerent additâ ratione, credentes ſcil, aſſertionibus potius abſque demonſtratione, quàm pravis decepti paralogiſmis, non tantum non inveniunt quidquam boni, ſed & perdunt, quæ cognoverant experientiâ: Ratio enim non parum momenti

menti affert vel ad ſplendorem experientiæ augendæ,vel ad peſſumdandam totam. Nam quantum valet recta ratio ad amplificandam experientiam: tantum, & fortè plus, aufert ſophiſtica.

10. Hoc audis ſæpenumerò me occinere vulgo Medicorum, quotquot, antequam exerceantur in Logicis,& conantur aliquid demonſtrare, decipiunt ſe ipſos paralogismis, dividendo quædam in ſpecies & differentias, & poſteà, inſtar malorum coquorum, non articulatim ſcindunt, ſed comminuunt, frangunt, & diſtrahunt, ut in hoc negotio fit. Sanè, omnibus talibus ut ſcis, hoc conſilii do, ut experientiæ ſe dedant. Non parum enim periculi obſtat illi, qui ad altiora aſpirat, quàm ingenio contingere poſſit, ne vel neutiquam attingat, vel prorſus infelix ſit.

11. Quare iis, qui ita nati ſunt, ut in optimos viros evadere poſſint, & in ſtudiis diligentes ſunt, iterum hoc inſtillemus, commonefacientes illius, quod ab initio dictum eſt, ne inter ſe confundant, miſceantque utrumque, & quæ per experientiam inventa ſunt, & quæ per rationem: ſed de utroque ſeorſim agentes, poſteà conjungant. Nos, cum alibi de ſectâ Empiricâ egerimus: de Logicâ heic dicere conſtituimus. Videor autem monſtrâſſe mihi clarè iis, qui didicerunt illa, quæ de differentiâ morb.& ſympt. dicta ſunt, ad quos etiam omnis in poſterum ſermo meus dirigitur, quod Theſſalici ſtatim ab initio lapſi ſunt turpiſſimè. Eſt quidem non mediocris etiam lapſus Aſclepiadæ, cum ab initio ponit elementa erronea: ſed multò major & incurabilior eſt Theſſalicorum, cum, ut ille, duo tantum morborum in victu ponunt diſpoſitiones. Sed & multos Therapeuticos ſcopos furtim auferunt, quibus ille uſus fuerat.

12. Quod verò peſſimum eſt, & planè incurabile, quod nolint agnôſſe pro morbis, neque actionum læſiones, neque cauſas diſpoſitionum ipſarum: ſolis verò vacuationibus, vel cohibitis, vel redundantibus animum adjiciunt. Sed neque docent perſpicuè, neque quid ſit ultra debitum ſiſti vacuationes, neque plus juſto vacuari quid è corpore. Quoniam ſive vires reſpicias, ſive cauſam, ſive diſpoſitionem, ſive quod cuilibet in ſanitate obſervatum eſt, ad idem ſemper referri poteſt criſis. Hinc non exigua inter ipſoſmet bella ſunt coorta, cùm de aliis multis diſſentientes, tùm de notione & eſſentiâ τῶν παθῶν.

13. Verum, ſi nunc Camarinam hanc movero de diſſenſionibus ipſorum, abducam ſermonem ab eo, quod utile eſt. Ceu igitur cum illis agam, qui legerunt libros de differentiâ morborum & ſymptomatum, & præterea de cauſis illorum, & omnia, quæ huc faciunt, quorumque anteà memini, omnem deinceps ſermonem habebo, hinc orſus.

14. Quoniam oſtendimus, omnem actionem fieri à corporibus ſimilaribus, omnes autem alias ſimilares aliquid tantum conferre: duplex ſanè morborum genus erit, alterum quidem in ſimilaribus, alterum autem in totis organis: In illis quidem intemperies: in his autem unum in conformatione, alterum in nume-

numero, aliud in quanto, & rurſus aliud in ſitu. Commune autem & ſimilaribus & organicis eſt *Continui ſolutio*. Sex igitur in univerſum erunt morborum genera, Unum quidem ſimilarium proprium: quatuor autem organorum, ut in hoc veſtigio dictum eſt; præter hæc, Continui ſolutio. Singulares horum differentiæ, uſque ad ultimas ſpecies, in *de Diff. morb.* dictæ ſunt.

COMMENTARIUS.

15. Ad *Pathologica* regreſſus, venatur denuò differentiam & numerum morborum, idque propter Methodum medendi. Hâc in re ſumit initium §. 2. à numero 4. rerum præter naturam. Deinde ponit §. 3. definitionem morbi, de quâ nondum conſtat, nominalis, an eſſentialis ſit? Ex quâ deducit primum morborum genus, Alius eſt ſimilaris, ſeu in intemperie; alius organicus. Intemperies eſt duplex, vel nuda, & ſine materie, vel cum affluxu ſubſtantiæ. Mox §. 5. inceſſit Methodicos, qui nudam quidem intemperiem concedebant: inflammationem & congeneres negabant.

16. Cum omnis actio ſit à ſimilaribus, eodem §. 5. oſtendit, quomodo id fiat in oculo, v.g. quæ pars diſſimilaris eſt, ſeu organica? §. 7. probat contra Eraſiſtratum, dari inflammationes & congeneres. §. 8. quomodo inveniendus ſit numerus illorum?

17. §. 9. & 10. Conſilium dat, quo modo ex *Empiricis* fieri poſſint *Logici*? Tandem ἀνακεφαλαίωσιν omnium morborum, in quâ ſubdiviſionem deſidero morborum in Conformatione, absque quâ verus numerus non conſtat.

CAPUT VII.

1. HIs ita ſe habentibus loquendum jam fuerit de Indicationibus curativis, hoc ipſum primùm exponentes nomen, ἔνδειξις. Dicimus autem ἔνδειξιν οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας, & vertimus, *Quaſi inſinuationem conſequentiæ*. Invenitur ſanè, τὸ ἀκόλουθον etiam experientiâ: ſed non ita, quaſi in præcedenti aliquo præſignificatum ſit. Quamobrem nemo Empiricorum utitur τῷ ἐμφαίνεσθαι τῷ δέ τινι τὸ δέ τι, etiamſi dicant ἀκολουθεῖν τόδε τῷδε, & προηγεῖσθαι τόδε τῷδε, & συνυπάρχειν τόδε τῷδε, & in univerſum totam artem dicunt eſſe τήρησιν καὶ μίμησιν; quid cum quo, quid ante quod, quid poſt quod viſum eſt. Invenire igitur, quod ex ipſâ rei naturâ prodit, citra experientiam, eſt feciſſe inventionem ἐνδείξει.

2. Hoc ipſo igitur iterum definito, recordari fas eſt illius, quod anteà quoque dictum eſt, quod tota ars Therapeutica absque experientiâ conſiſtit, & quod non rectè faciunt, qui in unum cogunt, adeoque confundunt utramque doctrinam, Empiricam & Logicam.

3. Sed nos perſequamur reliqua. Fuerit autem primum omnium id, quod primum omnium ſequitur dicta, *Totam Therapeuticam abſolvi per Indicationes.* Indi-

Indicatio enim totum id dicitur,quo Empirica abeſt à Logicâ.Quare,qui benè conſtituere volet methodum Therapeuticam,primùm initium faciat oportet à primis indicationibus: tranſire verò inde ad proximas: hinc rurſus ad contiguas: nec conquieſcere,uſque dum ad finem perventum ſit: finis autem eſt hujus noſtri operis ,invenire remedia pro omnibus morbis.

4.Quod igitur eſt principium viæ,quæ hùc ducit? Cognitio morbi, qualis naturâ ſit,ut anteà demonſtratum eſt.Si enim,quod curatur id eſt,rationabiliter indicationes inde initium capiunt. Quæ igitur generalis & communis omnium morborum indicatio eſt? Hanc primùm invenire oportet,deinde progredi ad ſpecies. Neceſſum enim eſt,omnes morbos dici participatione unius cujusdam,ut ſc.& hominem,& bovem,& canem,& quodlibet animal. Unum enim & idem in omnibus hominibus eſt,ob quod etiam homines dicimur. Sic & in canibus omnibus eſt unum quid, cui cogitatione innitimur, cum canem nobis imaginamur. Eodem modo in equis. Hoc clarius perſpicitur in homonymis. In omnibus enim quadrupedibus,quæ latrant, unum eſt, quod & quadrupedes ſunt,& latrant. At marinis belluis, iisdemque rapacibus, quas etiam canes vocamus, unum ex illis eſt, quod in terreſtribus non eſt, quod nihil commune habet cum canibus,præterquam nomen. Aſt homini ad hominem, ut Socrati ad Alcibiadem, non nominis tantum communio eſt, ſed & eorum, quæ inſunt.Nā & animalia ſunt,& bipedia,& terreſtria, & rationalia,& mortalia,neq; in univerſum quidquam repereris,quod ulli hominum,quà homo,inſit, non inſit etiam aliis hominibus. Canibus terreſtribus, cum marinis comparatis, multa inſunt, quæ differentiam faciunt, & in corporis ideâ, & in moribus. Manſuetum enim hoc eſt animal,& amicabile hominibus: illud malignum & ferum.Sic,terreſtre eſt hoc: illud marinum. Et,hoc quadrupes: hoc ſine pedibus. Et,hoc latrabile: illud non. At non terreſtrium canum ille quidem latrabilis eſt: ille autem non. Et quadrupes ille: ille autem non. Sed omnium eadem ſpecies eſt,quatenus canes nominantur. Et hoc non ſubſtantiis tantum ineſt, ſed & accidentibus,aut quatenus diſpoſitiones ſunt,aut quatenus actiones, aut quatenus πάθη, ἢ παθήματα. E.g. homo ambulans nihil differt ab homine ambulante,quod ad ambulationem,ſed neque uſtus ab uſto,neq; ſectus à ſecto, neq; albus,ab albo,neq; niger à nigro.In eo, quod magis & minus, ſingula hæc non parum differunt,E.g.magis & minus albus: ſed quatenus albus,unū album habet id,quod alterum.Quemadmodum & quatenus homo habet unum quid & idem,quod quivis alius. Eodē modo & valere & ægrotare,hoc quidē omnibus ægris ineſt, hoc autem omnibus ſanis,utrobiq; unum & idem. Atque ut τὸ ἄνθρωπος idem ſignificat: ita & τὸ ὑγίεια. Declarat & quotidianus inter nos ſermo,quod in quibus non latet homonymia, ſignificatum eſt unū. Cum enim dicitur,quendam lapide in caput percuſſum eſſe,nemini oratio aut obſcura eſt,aut ambigua: ſecus cum dicitur, Coriſcum devoratum eſſe à cane. Quæret enim alter,à quo cane? Quia duo ſunt genera canū,terreſtre & marinum. Non autem

quæret, à quo lapide,& quod caput. Omnis enim lapidis unum eſt genus, quà lapis: & omnis capitis,quà caput. Canis autem non unum, quà canis,ut & linguæ,quà lingua. Nam & tibiæ & calcei,& animalis pars eſt lingua. Et mandante quodam,ut lingua ematur,incertum eſt, quam velit linguam: non ita, ſi ventriculum, aut veſicam,aut hepar. In ſingulis igitur ſignificatis unum eſt ſubjectum,non autem in ſingulis vocibus unum. Aliquando enim una vox unam rem: aliquando res nulla ſubeſt.

5. Sed de iis,quæ hoc modo dicuntur,nunc non eſt ſermo: in quibus autem non ſolum ſignificatur unum quid, ſed & res aliqua ſubeſt, quot fuerint ſignificata,tot ſunt etiam rerum ideæ. Vocis, quæ unum ſignificat, neceſſariò una eſt rerum ſpecies: numero tamen plures eſſe has nihil vetat,ut & τὸ α. Propterea ſeptem vocales eſſe dicimus: elementa autem 24. in univerſum, noſtrâ quidem dialecto,ad communem omnium ſpeciem referentes, quæ una eſt, non ad particulares,quæ ſcriptæ ſunt chartis,lignis, coriis, lapidibus, quarum tanta eſt copia,ut numerus iniri non poſſit, adeoque in infinitum extendatur. Poſſunt enim toto temporis ſpatio, infinita ſcribi α. β. γ. & eodem modo reliquarum literarum ſingulæ, ſed omnes 24. eſſe dicimus, non intelligentes particulares, ſed ſpecies tantum,ſecundum quas etiam nomina imponimus. Quia, non id, quod in chartâ ſcribitur,dicitur α; non id,quod in ligno pingitur, (imò, cum hoc,tum illud.) Sed & hoc ipſum, ſive terræ inſcribas, ſive lapidi inſculpas, ſive coloribus pingas. Neque plures docet quis pædagogus α. καὶ β. καὶ γ. & ſic de cæteris: ſed unumquodque horum unum, ſimul autem omnia 24. Ita ſi monſtres puero, unum equum, unum camelum,ubi viderit is poſteà plures equos,plures camelos, non interrogabit, credo, quale ſit illud animal? ſed hoc quidem equum vocabit,illud autem camelum, quia ſimile ſit, quod hodiè videt,illi, quod pridie viderat, quamvis (ſi ita fiat) prius jam mortuum ſit, alterum,quod videt,ſuperſit. Vinum dicunt homines idem ſe bibiſſe heri, hodieque idem,puta, ſpecie. Aliquando autem dicunt, tria vina ſe bibiſſe hodiè, aut certè unum,ad ſpeciem reſpicientes. Ita,quindecim fores obſignatas fuiſſe uno ſigillo,in omnibus his ſpeciem intuentes.

6. Adeò manifeſtum eſt omnibus naturâ,& hominibus & pecudibus,aliud eſſe ſubſtantiâ unum,aliud ſpecie,ut & aſinis,qui brutorum ſtultiſſimi ſunt,aliud numero. Camelum igitur ubi aſinus aſpexerit, extra ſe rapitur,& fugit, & timet primo intuitu: at verò ſi aſſueverit,etiamſi alium atque alium ipſi oſtenderis,non jam timet ob conſuetudinem,ſed ut ſpeciem illius, quam prius viderat,intuetur. Sic & homines non reformidat ob conſuetudinem: ſed & hos agnoſcit pro unâ ſpecie. At verò ſi agaſonem viderit, non ſolum ut hominem, ſed ut hunc hominem agnoſcit,movetque ſæpiculè auriculas, caudamque, rudit & exſilit,ſignificans familiarem ſibi eſſe. Et hunc quidem ut hominem agnoſcit,familiaremque: illum autem,quem jam primum videt,quatenus homo eſt, eodem modo: quatenus familiarem,non eodem. Ut non ſolum nos,ſed & aſini

hoc quidem ut numero idem vident & dignoſcunt,& memorant: illud autem, ut ſpecie. Et Dionem quidem agaſonem (ſit hoc ipſi nomen) aliter ut Dionem, aliter ut hominem agnoſcunt domeſtici aſini: communem enim ſpeciem,& ad alios homines relatam, ut hominis recipiunt,propriam autem, ut Dionis ſolius.

7. Tantumque abeſt, ut veteres Philoſophos ob id laudem, quaſi magnum aliquod ſeu ſapiens inventum ſit, quo idem ac diverſum, unum & non unum, non ſolum numero,ſed etiam ſpecie ſtatuerunt audiendum, ut dicam, etiã ipſis aſinis hoc ineſſe naturâ. Quod igitur à veteribus Philoſophis adjectum eſt, hoc eſt, eſſe aliquid unum & idem,non numero tantùm, ſed & genere: verum jam hoc non egeo ad præſens negotium. Hoc enim ſolum ſatis mihi eſt, cum aſinis ſint inſenſatiores ii,qui non concedunt, aliud quidem ſpecie eſſe unum: aliud autem numero dici, magisque hoc etiam, qui unum quidem phreniticum eſſe dicunt, unum autem empiricum, ſed concedere nolunt, unum eſſe hominem. Aut qui non intelligunt,quod ſpecie quidem unum eſt homo: numero autem non eſt. Neque quod Socrates quidem unus eſt & ſpecie & numero: phreniticus autem ſpecie quidem unus eſt,non autem numero.

8. Non enim contingit, & Dionem, & Socratem, & Theonem, & Coriſcum, ſi omnes ſimul phrenitide laborent, omnes quatuor unum numero eſſe, ſed genere quidem unum,numero non unum. Abſurdius autem multò eſt,quod Empirici dicunt,cum unum eſſe Empiricum volunt, ſed interrogati, quâ ratione unus ſit & vivus & mortuus? & is,qui in Græciâ,cum eo, qui in Ægypto? mirificum dant reſponſum, *Quatenus*,inquiunt,Empiricus eſt,eatenus unus eſt: hoc enim extremæ ſtupiditatis eſt, ſi addentes τὸ *Quatenus* & *Eatenus*, non intelligunt, quid loquantur? Si enim eatenus Serapio & Menodotus ſunt unus, quatenus empirici,certè in aliis non erunt. Quod ſi omninò unus ſunt, ex ſuperfluo & fruſtrà adjicerentur τὸ *Quatenus* & *Eatenus*,cum ſimpliciter dici poſſit, Serapionem & Menodotum eſſe unum,ita quidem,ut,ſi de ſolo Menodoto loqueris,non opus eſſet addidamento illo: ſed ſimpliciter diceres, Unus eſt Menodotus. Si igitur Menodotus ſimpliciter eſt unus; Menodotus autem & Serapio non ſimpliciter unus,ſed quatenus Empirici: omninò alia quædam ipſis inerunt,ſecundum quæ duo ſunt,non unus utrique. Hinc efficitur id,quod Veteres dicebunt, Aliud quidem numero eſſe idem,unumque: aliud autem ſpecie. Nec admiratione dignum, ſi Menodotus cum Serapione, ſecundum aliquid idem ſit atque unus: ſecundum aliquid non unus, non idem. Quatenus enim empiricus, eſt unus: quatenus aut ſimus, aut grypus, aut niger, aut albus, aut magnus aut parvus,non unus. Nunquid igitur uterque ipſorum homo eſt, ut vel grypus eſt vel ſimus? an ſic,ut empiricus eſt? An hoc quoque puer intelligat, quod, quatenus homo, unus eſt: quatenus vel grypus, vel ſimus, non unus? Nunquid igitur non extremæ amentiæ eſt, aut contentionis, aut neſcio quo nomine appellem, unum quidem eſſe phreniticum, quatenus phreniticus; eodem modo & lethargicum & pleuriticum: neminem autem hominem, quatenus

tenus homo ? Et, hunc quidem unum Empiricum dicere, quatenus Empiricus ? non unum equum, quatenus equus ? Cum audire liceat Ariſt. & Theoph. affirmantes, poſſe quidem hoc diverſum eſſe ab alio ſpecie: numero non item ? Amplius, ante hos, illum, qui dux ipſorum fuit in diſtinctione horum ſignificatorum ? Dicit enim, Admiratione dignum non eſſe, Unum eſſe multa, & multa eſſe unum. Tam enim luculenter omnem hunc ſermonem Plato in Philebo expreſſit, ut putem etiam ſtupidis eſſe clarum.

9. Cognoſcunt igitur aſini & hominem & camelum & bovem: cognoſcunt etiam & hunc hominem, & hunc camelum, & hunc bovem. Eodem modo & ſemitam, non modò ſimpliciter, ut ſemitam, ſed & hanc. Statue igitur aſinum in principio ſemitæ ignotæ, & vide quomodo in illâ pergat rectà, non declinans in alterutrum latus, niſi ubi bivium eſt, ſignificans, ſe ipſam illam ſpeciem, quæcunque ſit, meminiſſe, & benè diſcernit. Ambulat igitur tritâ: quatenus autem ignorat, fallitur. Non enim individuã illam & numero unam recordatus, illam, quã non novit, ingreditur. Manifeſtum eſt autem, quod illam ſemitam, quam jam ingreditur primus, quatenus ſemita, quaſi in ſpecie agnoſcit, ideò in illâ ambulat: quatenus autem numero una, eatenus ignorat, quia & nullo modo ingreditur non tritas, & quà ſcinditur neſcit, quà eundum, quod ſciret exactè, ſi tertiùm, aut quartùm illuc eundum foret. Poſteaquam enim alteram novit, alteram ignorat, quatenus id, quod omni ſemitæ commune eſt, ſcit: quod proprium huic, illive, ignorat. Quatenus enim ſcit, non fallitur: (it enim, quà tritũ eſt:) quatenus ignorat, ſæpè errat in triviis, dũ neſcit, utrã eligat. Duplicem igitur cognitionem habent & aſini, unam ſpecierum communium, alteram propriarum.

10. Quod reſtat, an unam illam ſpeciem velis vocare commune, aut genus, aut communitatem, obſervans notionem, quam ego nunc explico, ſi dubites, de nominibus quidem lis erit: rem autem non mutabis. Quamvis de nominum impoſitione alius quidam tecum contenderit, veluti tu, in rebus ipſis inexercitatus: at nos non dubitabimus, ſed illud monebimus, meminiſſe te debere Platonici illius, *Vunum eſſe multa, & multa unum.* Mirabilis ſermo, & qui facilè in dubium vocari poſſit, qui alterutrum affirmare velit. Si enim hoc tueri voles, non amplius litigabis, ut nunc facis partim, ob ignorantiam, partim, ob contentionis ſtudium. Sed ſive quis unum dicat eſſe phreniticum, unum concedes eſſe: ſive multos, & hoc concedes. Ita & Empiricum, & Dogmaticum & Methodicum. Ita Medicus dicetur tibi & unicus & multi. Unum quidem, quatenus Medicus: non unum, quatenus numero plures ſunt. Ad Empiricum enim non addes τὸ *Quatenus*: auferes autem de Medico loquens. Ut neque Medico addens, neque *Homini* demens. Sic nec phreniticum dices unum, quà phreniticus: ægrotantem autem non unum. Nam & hic, quà ægrotat, eſt unus.

11. Jam nunc igitur obliviſcere nugarum iſtarum, quas litigans in aliis libris propo-

proponis, volens oſtendi tibi hominem ſolum, & ſeorſim ab aliis hominibus, quemadmodum ipſe oſtendere potes Empiricum, ſine Menodoto & Serapione; & aliis particularibus Empiricis, aut certè, quomodo unum phreniticum ab aliis phreniticis.

12. Ubi igitur eſt error? & unde mutatio illa, ut homines fiant aſinis ſtultiores? Nimirum, ut in aliis quoque decipiuntur. Cum enim à verbis ad res tranſire volunt, ut inexercitati in Logicâ ſcientiâ, errant, confundentes cum rerum incertitudine verba ipſa. Excipit enim heic eos quæſtio de generibus & ſpeciebus, errare faciens non ſolum inexercitatos in Logicis, ſed & exercitatorum quoſdam, niſi diligenter adhibeant mentem.

13. Veruntamen non propter dubia in ſubſtantiâ rei abſtinere ab evidentibus notionibus oportet, neque putare, excellens quid ſe inveniſſe Empiricos quidem, ſi dixerint, ſe unum quid inveniſſe, niſi addiderint, quo ſignificato: Methodicos autem, ſi loco generis, aut ſpeciei, aut alterius communis, jactent κοινότητας ſuas. Mihi enim ſatius videtur, clarè diſtinctâ notione, quod quatenus phrenitici ſunt, eatenus omnes unum ſunt: quatenus hic quidem juvenis eſt, ille autem ſenex, aut craſſus, vir aut mulier, eatenus multi, uti in poſterum veteri appellatione, & cum Ariſt., Theoph., Platone periclitari de voce, cum dicunt, omnia iſta ſpecie eſſe unum, numero autem non unum, non phreniticum modò & lethargicum, ſed & Empiricum, & Dogmaticum & Methodicum, item, hominem, & equum, virum & mulierem, & quodvis aliud.

14. At verò ſi ad particularia deſcenderis, v.g. hanc mulierem, quam digito oſtendere potes, hanc non licet, ſpecie quidem unam appellare, numero autem multiplicem. Secundum utrumque enim eſt una, quæ digito oſtendi poteſt, & ſpecie, & multitudine, quæ eadem eſt numero. Alii longè aliter procedunt, ſed κοινότητας vocant, quaſi non multo magis de iis dubitari poſſit, quàm de generibus & ſpeciebus. Alii rurſus non ſic faciunt, ſed hoc aliquid dicunt eſſe unum: quatenus autem non unum, nullibi explicant. Oportebat ſanè & hos, veluti Menodotus & Serapio, & Theodas & Glaucias, Apollonius & Callicles, Diodorus & Heraclides, & Lycus, unus ſunt omnes, quatenus Empirici; ſic viciſſim, quatenus non unus omnes, ſed multi ſunt, declarare. In hac ipſâ enim declaratione fortaſſis reſiperent, & diſcerent, quo reſpectu unum & multa dici poſſint idem.

14. Menodotus enim & Serapio, quatenus Empirici, ſunt unus: & profectò, etiam quà Medici & homines. Quid verò, quà animalia? æquum erat ab illis quærere. Nunquid hoc reſpectu Menodotus & Serapio unus ſunt? Si enim negârint, & nos negabimus, quatenus Empirici, eatenus duos

homines fieri unum. Sin concedent, eatenus duos homines fieri unum, quatenus uterque eſt animal, ſtatim illud ſubjiciemus, Rectè igitur à veteribus Philoſophis dictum eſt, aliud quidem numero, aliud autem genere, & aliud ſpecie dixerunt unum & idem eſſe.

15. Deinceps porrò quæremus, Phreniticus Menodotus, phreniticus Serapion, eſtne idem aut alius? Si quis reſponderit, eatenus utrumque eſſe unum & eundem, quatenus phrenitici: ab eo viciſſim quæremus, Quatenus ægrotat uterque, an non eatenus unus quoque & idem ſit? Si negabunt, neque concedemus nos, quà phrenitici. Si concedent, interrogabimus, Quid hoc rei erit, cujus una idea, de cujus nomine conſenſus eſt omnium, quod Morbus appelletur? Non enim phrenitis erit illa cujus una idea, quæ omnes, qui illâ affecti ſunt, faciat unum. Morbus autem non eodem modo unum efficiet omnes, qui illo ſint affecti.

16. At nulla eſt ita diſtincta ſpecies, inquit, aut animalis, aut morbi, ut hominis, aut phrenitidos. Quid dicis, ô tu? Nunquid nihil tibi videntur ſignificare hæ voces, & animal & morbus? ſed nihil illis ſubeſſe, ut blityri & ſcindapſos? An ſignificant quidem, ſed vocibus nulla ſubeſt res, ut in Scylla & Centaurus? An ſignificant, & ſignificatum eſt unum? Si enim res nulla eſt ſignificata ſub voce ζῶον ἢ νόσημα, utique non dicis rectè, hominem eſſe animal, aut phrenitin eſſe morbum. Si verò eſt, & rectè dicis, quod ibi vides progredi, eſt animal, quem ibi vides decumbere hominem, ægrotare. Omninò, eſt aliquid eorum, quæ ſunt, de quo utrumque nomen uſurpas? Tu verò ad hæc intelligenda non affers mentem exercitatam, quamvis ex iis ſint, quæ prima in Logicis traduntur.

17. Hoc verò quid ad Veritatem? Non certè ex iis, quæ tu non intelligis, judicium eſt ferendum de Veritate: ſed ex iis, quæ aliquis, qui naturâ prudens ſit, qui didicerit, & exercuerit, qui non ſit contentioſus, qui Veritatem amet, quorum nihil in te eſt. Quanquam, ne quid diſſimulem, neſciam, an iſta deſiderent prudentem Naturâ? Quis enim neſcit, non idem ſignificari his vocibus, Socrates, ſimus & calvus? ſed Socratem eſſe ſubjectæ ſubſtantiæ nomen: reliquarum vocum nulla de totâ corporis ſubſtantiâ effertur. Nam neque vel ſimus ita dicitur, vel ventroſus, vel calvus: ſed illud nomen eſt figuræ naſi, hoc defectus capillorum: iſtud magni ventris. Et hæc quidem à partibus ſunt nomina, at verò ſi album dicam Socratem, aut nigrum, de omnibus partibus uſurpamus nomen, non autem ſignificamus illo totam ſubſtantiam, ſed accidens quoddam, colorem. Quin etiam, ſi craſſum aut gracilem nominemus, durum aut mollem, hirtum aut depilem, aut quidquam eorum, quæ Socrati accidunt, neque ſic appellationem á totâ ſubſtantiâ petimus, ſed accidens aliquod ſignificamus. Ita, ſedere, ambulare, moveri, cubare, vigilare, & aliæ tales voces, non de ullo ente efferuntur, ſed de aliquo, quod Socrati adſtat, quæ ſuperiori

ſer-

ſermone vocavimus aut actiones, aut παθήματα, aut diſpoſitiones quaſdam.

18. Præſtat igitur & te hoc modo exerceri, ut in ſuperioribus oſtendimus, non autem nomina curare, ſed à rebus initium facere. Incipe igitur à te primum, & conſidera, ſisne quid ſimplex, aut compoſitum? Utrumne pes ſis, an naſus, aut oculus, aut caput? Apertum enim eſt, quod nihil horum ſis, ſed non ſine his, ſed ex his, & aliis omnibus, certo inter ſe ordine diſpoſitis, factus. Præſuppone igitur, Themiſoni tibi nomen eſſe: cum autem dico, Themiſona claudum eſſe, τὸ claudum quidem ad pedum diſpoſitiones pertinet: τὸ Themiſon autem totius eſſe nomen. Et ſanè, Themiſon & ſimus & cœcus dicitur à parte affectâ: ruffus autem & craſſus, non à parte, ſed à diſpoſitionibus, toti inexſiſtentibus, eo prorſus modo, quo inambulans, ſedens, diſſerens, vivens. Num igitur intelligis, hæc non eſſe ſignificativa totius tuæ ſubſtantiæ? ſed hæc quidem à parte quâdam corporis eſſe nomina: illa verò à diſpoſitione quâdam? Si verò bonum quis dicat, aut juſtum, annon intelligis, & hæc quidem diſpoſitionum ſigna, animæ innutritarum? Et ſanè, ubi cognôris, quod hæc ſint analoga albedini & nigredini, (ut enim illa ſunt nomina diſpoſitionum corporis, ita hæc animi:) cognoſces, puto, quod & artifex, & artium expers ab animi diſpoſitionibus dicitur. Et artificem ubi animo conceperis, cognoſces etiam unde Medicus ſit dictus. Si hoc ſciveris, non multum laborabis in inventione, unde nomen Empirico ſit datum.

19. Hoc verò, quod te jubeo facere, quid eſt? Non aliquid veneratione dignum; non inſigne quid Diſtinguere enim prædicamenta, eſt principium doctrinæ Logicæ, quam penitus vos ignorare ſignum eſt, quod fruſtrà nugamini. Nunc igitur ad ſanam mentem reverſi, incipite nominibus comprehendere ea, quæ corpori accidunt. V.g. quidam albus eſt, quidam niger, aut certè eximiè calidus, qui calorem non ferat ſine moleſtiâ. Hunc adeò magnum calorem, qui actiones lædit, permittite vocari febrem. Omnes enim homines eum, qui eò uſque calet, febricitare ajunt. Neque quidquam provectum fuerit, ſi hæc vox (febricitare) mutata fuerit, quàm, ut tempus veſtrum perdatis. Tu verò, quiſquis es, hoc potius facito, cum dixeris, Themiſon febricitat, Dion febricitat, & jam multos tales nominaveris, diſpice accuratè, An in omnibus his eadem ſit febris, aliave? Invenies enim unam, eandemque eſſe ſpeciem, copiâ autem (quod numero etiam vocamus) non unam. Aliter enim nec reſpondere tibi fas eſt, nec intelligere.

20. Ergò, qui febricitat, quà febricitat, unus eſt. Nam & qui delirat, quà delirat, unus eſt. Quid autem, qui febricitat, & delirat ſimul? Annon & hic unus? Profectò eſt hoc omnibus manifeſtum. Ponatur igitur unum nomen utriſque, & vocetur phreniticus. Quod ſi mente concipere non potes, quomodo uni conveniant duo nomina, admonebo te nominum, quæ ipſe uſurpas. Equum enim aliquando vocas animal hinnibile. Videnturne diverſa eſſe equus & animal

animal hinnibile? Mihi nõ videtur. Atqui ſi hoc ita eſt, ambobus illis nominibus equum appella, ut conciſior ſit ſermo. Ita, ſi quod terreſtre ſit & bipes, loco trium nominum, uno velis indicare, hominem vocabis. Hac ratione fit, ut unum nomen diſcerpatur in definitionem. Imò, contrahere definitionem in unum nomen, ad hunc modum fit, cum ſingulorum ſimplicium notiones ſecundum nomen ipſius tenes, & potes ex duabus ſimplicibus notionem unam compoſitam conficere: mox illi nomen imponere; rurſus compoſitæ illi aliud ſimplex ſuperaddere, & ex tribus ſimplicibus aliam fabricare, eique nomen novum fingere.

21. Quo modo, inquis, & quâ ratione? Non enim gravabor diffundere me, ut exerceam illos, qui liberari volunt à tam diuturnâ inſcitiâ. Calor eſt nomen rei ſimplicis: læſio etiam actionis eſt res ſimplex. Sed talis & tantus calor, qui actionem lædere poſſit, non amplius res ſimplex eſt. Si igitur in toto fiat corpore, multò magis jam ſimplex non eſt. Ne igitur multas voces cumulare cogerentur homines, ad brevitatem alioquin proclives naturâ, hunc talem calorem vocârunt *Febrim*. Facilius enim dictu eſt, febricitare Dionem, quàm talem habere calorem in toto corpore, ut pleræque læſæ ſint actiones. Quando igitur ipſam diſpoſitionem ſignificare volunt, Febrim vocant. Quando ipſum, qui habeat diſpoſitionem, deducto illinc nomine, *Febricitantem* dicunt, eo modo, quo ab albedine album, à nigredine nigrum.

22. Ergò febris eſt nomen rei compoſitæ, multò magis, febricitans. Simplex verò res eſt delirium: at ſi ponatur juxta compoſitum illud, phreniticus quidem erit homo, diſpoſitio autem phrenitis eſt. Ita & homo ipſe, ne dicatur animal rationale mortale, brevitatis cauſâ Homo dicitur, habetque appellatio locum definitionis.

23. Et hoc eſt, quod priſci Philoſophi vocant *Definitionem nominis*, non quidem in infinitum tendentes, ſed in ſimplicibus ſubſiſtentes. Hominem enim ſi reſolveris in animal rationale mortale; & rurſus animal in ſubſtantiam ſenſibilem: non jam amplius ſubſtantiam reſolvere poteris, ut neque ſenſum. Utrumque enim horum jam ſimplex & primum eſt.

24. Ut demirari ſubeat eos, qui concedunt quidem, phreniticum quendam hominem eſſe: non concedunt autem, morbum & animal eſſe. Perinde enim eſt compoſita concedere, dubitare de ſimplicibus, quaſi ſimplicia non forent priora naturâ! Nondum, inquit, vidi animal ipſum per ſe: ſtulte, cum neque hominem ſeorſim videris! & tamen te ipſum ais hominem eſſe? An hoc quidem fatebere: animal te eſſe non fatebere? Non vidi, inquit, unquam morbum ſolum: neque etiam phrenitin vidiſti ſolam, ſed in Theone, aut Dione, aut alio quopiam homine.

25. Quare extremè ſtultum eſt, ſi, quod nunquam videris morbum ſolum, non credis morbum eſſe? Sic enim neque febris erit, neque phrenitis, neque ullus

ullus alius morbus,ſiquidem nullum illorum vidiſti ſolum. Melius igitur erat, non hinc ordiri,ſed à rebus ipſis,ut dictum eſt anteà,& ratiocinando progredi, quot ſint morbi ſimplices? deinde, ubi ſingulis nomina dederis, facere ex illis compoſitos.

26. Præſupponatur igitur corpori ſubjecto ineſſe primùm ſenſum. Hoc corpus vocabimúsne animal,cui hoc ineſt? Atqui ſic de nomine dubitabis? quin negabis,eſſe corpus ſenſile? Quomodo res ipſas deſtrues. Imò,concedes quidem,corpus aliquod ſenſile eſſe,& huic corpori datum eſſe nomen, τὸ ζῶον: ſed audebis dicere,animal nihil eſſe. Ergò,nec album aliquod erit,neque ambulans,neque currens. Ab accidentibus enim corpus appellatur album,ambulans & currens. Horum accidentium hoc quidem albedo dicitur, illud autem ambulatio,iſtud tandem curſus. Eodem modò ſenſus quidem erit aliquid eorum,quæ corpori inſunt: ſenſile autem corpus ipſum. Hoc verò & animal vocatur. Quis igitur viſo corpore ſenſili,prætérito τῷ ζῶον, quæret de ipſo aliquid aliud? Num corpus tantum in intellectu eſt, ut Centaurus? an ſub iſtâ appellatione eſt res quædam ſubjecta? Manifeſtum eſt,quod ſit. Quid verò? In intellectu tantum eſt ſenſus,an eſt aliquid corporis? Mihi hoc quoque videtur manifeſtum eſſe,ſenſum eſſe aliquid eorum,quæ corpori inſunt. Si itaque ambo ſunt,quomodo ex iis compoſitum non erit? Hoc poſito,ponetur & corpus ſenſile.

27. Huic abſurditati vicinum eſt, nolle concedere, morbum eſſe aliquid. Si enim diſpoſitio non eſt,neque morbus erit: datâ verò illâ,morbus quoque dabitur. Quæ enim lædit actionem diſpoſitio,illa morbus eſt. Sed enim, dicunt,tu non potes mihi morbum ipſum per ſe? Ita eſt, O inepte, nec phrenitis oſtendi poteſt,nec febris. Tamen tu ipſe pedibus is in ſententiam illorum, qui dicunt,& hoc eſſe,& alia plura. Subtilitatem enim verborum (quam quidam Philoſophorum magni faciunt,cum evertat omnes loquendi modos conſultos, ut neque illi in ſcriptis ſuis uti auſint;) nunc deprecor, qui alibi de illâ dixi copioſè,præcipuè in libris de Elementis,ubi neceſſaria perſecutus ſum.

28. Voco μικρολογίαν,quà contradiſtinguuntur τὸ ὂν,τὸ ὑπάρχον,τὸ ἐφεςὸς. Nullo enim in diſcrimine hæc nobis ſunt,& heic,& in ſeq. Omnes autem ubique locorum redarguere,impoſſibile eſt.

29. Verum enim verò,Morbi non ſolum propriam notionem eſſe, ſed & rem appellationi ſubeſſe, ſatis ſit nunc dixiſſe. Clarius autem, procedente ſermone hoc deducitur, ubi de Indicationibus ſermo ad finem decurret. Quæ verò heic dixi de morbo, dicta quoque ſunto de ſymptomate, ut & de eo, quod πάθος Græci vocant. Sic de ſanitate, & actionum integritate, de robore & valentiâ, de omnibus aliis, quæ notiones & nomina habent in ſubjectis ſuis. Omnia enim hæc corporibus

 inſunt,

inſunt, quædam ut diſpoſitiones, quædam ut actiones, quædam ut πάθη. Et, quædam ut ſecundum naturam, quædam ut præter naturam. Indicatio etiam oritur ſecundum unumquodque propria, neglecta Medicorum plerisque.

COMMENTARIUS.

30. Qui hoc principium intuetur, putet Galenum ſubitò invaſurum in arcem ſuæ cauſæ: ſed non eſt ita. Allatâ enim febriculoſâ indicationis definitione, ſtatim in altum pelagus ſubvolat, & ſusque deque verſus multa diſputat, quæ volo unumquemque ex ipſomet intelligere.* Facio enim & heic quaſi χειρομαθείας.

Finis Lib. II.

METHODI MEDENDI LIB. III.

CAPUT I.

1. SI igitur, ô Hiero, Indicatio, ex ipſâ rei naturâ progreſſa, quid agendum ſit, invenit, neceſſariò principium inveniendi remedia naſcitur ex ipſâ morborum naturâ. Abſurdum enim fuerit, aliud eſſe, quod indicat curationem: aliud, quod curatur. Unumquodque enim de ſe potius teſtatur, quam de alio. Et hoc ex dicendis manifeſtabitur amplius.

2. Verum quia omnes fatentur, primas indicationes ſumi ex diſpoſitionibus, non oportet longam ordiri orationem, ex ſuperfluo demonſtrando, quod inde capiendum ſit initium. Præſertim, quia nec totum, nec maxima ejus pars, ut Methodici ſibi perſuadent; ſed minimum quid, adeoque principium, id ipſum conemur demonſtrare.

3. Certè, ipſimet ajunt, calculum in veſicâ urinariâ, quia genere eſt præter naturam indicare ablationem. Eodem modo verrucas penſiles, myrmecias, atheromata, ſteatomata & meliceridas, & quæcunque talia. At verò, quod ſcroto illapſum eſt inteſtinum, quia loco eſt præter naturam, & omnes luxationes, indicant reditum in ſuum locum proprium. Verùm, in nullo horum eſt artificiale quid: ſed quod vulgus etiam novit. Ubi enim tale quid accidit, intrudi ſibi colum volunt,* auferri verrucam jubent, & vulnus ſanari, fluxum alvi ſiſtere, &c. verum, per quæ id fieri oporteat, neſciunt. Et hoc ipſum eſt, quod Medicus addere debet.

Videtur aliquid deeſſe.

4. Quare indicatio à morbis principium eſt, & quaſi carceres in ſtudio, methodi therapeuticæ: nondum autem artis Medicæ pars ulla, aut certè non memorabilis, aut propria, ſed quæ etiam plebeculæ nota. Qui igitur invenire poteſt; à qui-

à quibus perfici poteſt, quod à primâ indicatione indicatum eſt, hic erit morborum curator. Quod ſi invenit ductus ab experientiâ, obſervator & Empiricus dicetur. Sin à ratione aut methodo, Logicus, Methodicus, aut Dogmaticus.

5. Ergò plebejus quidem (altius enim ordiendum eſt) venit ad Medicum, & vult ſibi reponi elapſum articulum, aut os comminutum dirigi, aut melicerida exſcindi: ipſe autem hoc neſcit, inventumque eſt artis Medicæ.

6. Et Empirici fieri hæc ajunt omnia per experientiam: nos autem partim experientia, partim ratione. Illam enim non ſufficere: ſed neque rationem ſolam eſſe ſatis. Interim nolumus confundere diſciplinam, ſed ſeorſim habere Empiricam, ſeorſim Logicam. Nam quam utraque vim habeat ſeorſim inventum eſt. Nunc propoſitum eſt nobis loqui de Logica inventione.

7. Utrum igitur habemus methodum aliquam, qua uſi inveniamus ſingula, quæ dicta ſunt, annon? Dico, methodum auferendi, quod ſuperfluit? transponendi, quod locum ſuum mutavit? uniendi, quod ſolutum eſt? An potius opus heic habemus Empirica? Ego verò planè credo, eſſe methodum quandam inveniendi quæſita, cujus principium ſit, quem ſinguli morbi præbent ſcopum. Continui enim ſolutio unionem deſiderat, & dicitur in oſſe κάταγμα; ſed in carnoſis ἕλκος, ut & vulnus, & ῥῆγμα & σπάσμα. Et fit in parte carnoſa vulnere: ſine illo ſunt duo reliqua. Continuum enim ſolvitur carnoſa in parte in rhegmate: in nervoſa ſpasma eſt. Horum omnium ſcopus eſt unio. Is an in poteſtate artificis ſit ſemper, an verò ſæpius excidat voto ſuo, id cognoſcit is primum. Ex vulgo enim nemo uſque eò aſcendit, ut ſciat, an pars nervoſa diaphragmatis, an inteſtina tenuia uniri poſſint? Sed neque eò pervenit in præputio, neque in buccis. Pariter in carie oſſium ſubſiſtit, ut & in carnium eroſione. Ita an κάταγμα concreſcere per tofum ſeu callum poſſit, perinde ac vulnus, neſcit. Ita etiam in fractura cranii nemo è vulgo novit, ſitne ſperanda calli generatio, an aliter tractanda ſit? Multò magis an ſpes curationis ſit in vulneribus cordis, pulmonis, ventriculi, hepatis. Summa, ultra primum ſcopum idiotarum nullus progreditur.

8. Hoc ipſum igitur eſt primum artis opus, an finis ſeu ſcopus attingi poſſit? an potius deſperandum ſit? Duplex autem eſt cognitio, nec tertia alia ſupereſt. Prima per experientiam eſt, quæ longo indiget tempore: altera per ipſam rei naturam. Ars enim partium ſingularum ſubſtantiam conſiderat, & actionem, & uſum, & ſitum, ex quibus progreſſa, & præcognoſcit, tam quod curari non poteſt, quàm quod poteſt, de cujus remediis deliberat.

COMMENTARIUS.

9. Tandem Galenus accedit ad Indicationes, & clarè, non in imagine, ut ſuprà, oſtendit, quid ſit *Indicatio*? Fatendum tamen eſt, claritatem illam egere

 adhuc

adhuc lumine externo, quod eſt, *Indicatio eſt ſyllogiſmus practicus.* Sequitur enim ex præmiſſis ἑτερόν τι, Ergò in curatione hoc eſt agendum. Fatetur autem §.3. Primam & generaliſſ. indicationem eſſe ἄτεχνον, quippe vulgo cognitam, V. g. *Calculus eſt ejiciendus, articulus luxatus eſt reponendus.* Huic proximam & alteram, quibus mediis & rationibus fieri id poſſit & debeat, id demum eſſe artificis. Huic iterum proximam & tertiam, prognoſin eſſe, An fieri poſſit, quod intendimus?

9. In §.7. magnæ ſunt tenebræ, qualis morbus ſit τὸ σπάσμα, & quid differat ὁ σπασμὸς? Has quia diſcuſſi principio κε. εἰσαγωγικῶν, non eſt heic opus aliis.

CAPUT II.

1. MAnifeſtum eſt, Medicum initium facturum eſſe, à ſimpliciſſimis. Quid autem ſimplicius vulnere ſuperficiali in parte carnoſâ? Hoc igitur ſi ſimpliciter ulcus ſit, ſcopus erit *Unio.* Si non ſimpliciter, ſed cum cavitate, duplex fuerit, quia & diſpoſitio duplex eſt. Ulcus enim ſolutio continui eſt: cavitas deperditio ſubſtantiæ alicujus, animali familiaris. Invenitur verò & heic ſæpè alius ſcopus, isque impoſſibilis, ſi ſcilicet non caro tantum, ſed & os ſubjectum perierit. Exactè enim impleri talis cavitas non poteſt: ſed ad cicatricem perduci tantùm, quæ eſt ſanatio ulceris. Interim cavitas manet incurabilis.

2. Hoc igitur omninò cognoſcitur aut experientiâ, aut ratione. At Theſſalus neutro utitur, nec tertium addit. Deinde, non pudet illum nugari, Sine hoc ita. Ille verò vel in tranſitu dicat, Quo modo ſanabimus cavum ulcus in parte carnoſâ, ſi pars ſubjecta nihil ſit paſſa? Imponentes, inquit Theſſalicus medicus, medicamentum ſarcoticum. Euge, quid facilius? Imò, quid ſtupidius, ſi, projecto medicamento ſarcotico, functum ſe putat officio? Si enim ſarcoticum ſcimus, quid amplius requirimus? Dic mihi, quod erit illud ſarcoticum, quo uteris? Thus, puto, dices, aut, irin, aut ariſtolochiam, aut ervi farinam, aut panacem. Siccorum enim medicamentorum prius meminero.

3. Hoc igitur unde habes? Ab experientiâ, inquit. Quid igitur eſt, quod per te amplius eſt adjectum? Quod enim oporteat implere ulcus, id novit quivis è vulgo. At quibus, & per quæ medicamenta id fiat, experientia docuit. Theſſalus autem neque ut Empiricus novit hoc medicamentum, neque ut Logicus. Ut Empiricus quidem, quia non vult: ut Logicus, quia non poteſt. Nam, quod ſciat ut Empiricus exactè ego novi. Cum enim duo ſint inventionis inſtrumenta, experientiæ & rationis, qui ſcit hoc, nec poteſt reddere rationem ejus, maniſtè convincitur, quod ab experientiâ habeat.

4. Ut

4. Ut igitur diſcat, quantum erret, taceat parumper, & fiat auditor noſter. Volo enim quædam diſſerere cum illo, qui ſolius experientiæ magiſter eſt. Æquum enim eſſe puto, ut ille quoque dicat nobis, quo modo invenerit hoc ſiccum ſarcoticum, quod Cephalicum vocant. Compoſitum autem eſt ex iride, Ariſtolochia, & manna thuris. Eſt & aliud tale, cui prætereà cortex panacis injicitur. Rurſus alia, cui Cadmia lota.

5. De his dicatur, quomodo inventa ſint. Et quid, inquit, jubes me ſolicitum eſſe de eo, quomodo inventa ſint, & non potius de dextro ejus uſu? Et hoc quidem in primo congreſſu: in colloquio autem (σύμβασιν vocant illi;) aliquando quidem dicunt, ſomnio eſſe talia inventa: aliquando autem fortè fortunâ effuſo aliquo ſuper aliud, ut quis auſus ſit pro compoſito uti, licet audaciæ illius rationem non dent.

6. Et hæ quidem nugæ ſunt nimis apertæ: tertius quidam inventionis modus eſt à poſteriori, ſeu ratione epilogiſticâ. Si enim omnia iſta ſeorſim quis ducat in experientiam, pro ſarcoticis habens, ſi vidit aliquando fallere, epilogiſmum fecit, Non competere omni naturæ. Si enim in aliquo Ariſtolochia non produxit carnem, in illo thus fecit; ſi thus noluit, iris præſtitit, quod debuit: rationabile eſt, non omnes ab omnibus æque affici. Hoc cum ſemel per epilogiſmum introductum fuit, viſum eſt, plura congenera miſcenda eſſe, ut ſingulæ naturæ habeant ſibi conveniens.]

7. Atqui, ſi aut corporis naturam aſſequi poſſent, aut uſurpati medicamenti facultatem nôſſent, fortaſſis non opus eſſet hac varietate, cum poſſit in promtu eſſe unum medicamentum, quod uni corpori conferat. At verò quia utrumque ignorant, non malè miſcent omnia, cum ſpe, inventuros ſe remedium, quod pluribus naturis commodum ſit.

8. Hunc modum componendi medicamenta priſcis Medicis excogitatum fuiſſe credo, & amplector ut inventum antiquum. Sed in rei veritate tantùm abeſſe video à vera methodo medendi, quantò irrationabilior eſt fabula de transfuſis in ſe mutuò cribris.

9. Si enim non conſiderat ſecum, quod methodus conſtat ex ſolis ejusdem ſpeciei medicamentis: utique non invenit eam, quæ ex contrariis. Dein in copia miſcendorum, fortaſſis unum aliquod competit parti affectæ, ſeptem autem aut octo ex non familiaribus: fit, ut totum pluribus numeris noceat, quàm proſit. Hæc ſi ad animum non revocat, dixerim, plura illum neſcire quàm ſcire de re ipſa.

10. Oleum v. g. infuſum ulceri cavo, omnium contrariiſſ. eſt medicamentum. Si enim ita velis inſtituere curationem, ipſa experientia cognoſces,

Lego enim ἀλογώτερος. Huc tendit Eraſmi & Pacii ſenſus. Vide Notas in Gal.

ſces, ſordidum & flaccidum tandem factum. Si verò & anni tempus ſit calidum, & homo ſit cacochymus, & naturâ catarrhis obnoxius, aut etiam in victu ſit ſolutior, periculum imminet, ut pars ipſa affecta putreſcat. Non minus periculi eſt, ſi ſolâ cerâ utatur, etiamſi liquet oleo. Hæc enim putredinem accerſent parti. Sed ſi ærugine in pulverem redactâ aſperſerit, putredinis quidem metus non eſt, ſed mordicationis inſignis, cum eroſione & inflammatione, quin, ſi copioſè utare, convulſionem accerſet.

11. Quando igitur, neque oleum, neque ærugo, neque cera locum habet, apertum eſt, quod neque miſcebit illa quiſquam Empiricorum: ego verò in debitâ menſurâ miſcebo & hæc, & alia infinita eorum, quæ propriâ naturâ obſunt cavo ulceri. Niſi enim iiſdem facultatibus lædunt, ſed ſubcontrariis, inimica quidem erunt impletioni ulceris: ſed quatenus ex duobus immoderatis medicamentis fit unum moderatum, didicimus ex libris de compoſitione medicamentorum.

12. Non eſt igitur amplius difficile, ex oleo, cerâ & ærugine facere medicamentum ſarcoticum. Si enim ſcieris, quod hoc medicamentum mediocriter ſiccare debeat; non ſiccat autem neque cera, neque oleum: ſcieris ſanè, quod neque alterutrum, neque utrumque implebunt cavum ulcus. Sed neque ærugo ſola id faciet. Immodicè enim exſiccat. Ubi igitur miſcueris habitâ proportione, ſiccum efficere poteris medicamentum. Quâ autem menſurâ id fiat, jam mihi dictum eſt in libris de compoſitione medicamentorum: dicetur verò & nunc, ſi opus ſit, in progreſſu orationis.

13. Aſpellendus enim mihi ante omnia eſt ille ab omni methodo alienus Theſſalus, cum dixero illi, quantum à re aberret. Homini enim prudenti etiam quæ nunc dicta ſunt, dilucidè oſtendunt methodum therapeuticam, qualis debeat eſſe. Verum non eſt nobis nunc cum prudentibus negotium. Itaque neceſſitas poſtulat, ut prius diſputemus cum Theſſaliis, hinc facto exordio.

14. Omnis præter naturam cavitas indicat impletionem, quare & illa, quæ in parte carnoſâ. Hæc autem impletio fit ſcopus inventionis remediorum. Ut autem inveniamus, quæ implent, & multa ratione opus eſt, & multis indicationibus particularibus, & accurata methodo Logica. Vidiſti ſæpè ulcera difficulter ſanabilia, quæ curare neque Empirici potuerunt, illi, inquam, qui tantoperè abundant medicamentis: neque illi omnes, qui analogiſmum profitentur. Theſſalii autem nominetenus Methodici, in rei veritate expertes methodi, tanquã aſini ad lyram pulſandã, ſunt tàm benè, inquam verſati in hac diſciplina, nedum ut ratiocinando invenire poſſint, quod hûc facit. Vidiſti etiam ſæpè, in conſultatione ſuper ejuſmodi ulceribus, Empiricos ab alio medicamento ad aliud tranſire, non certè quod ratio poſtulet tranſitum talem, ſed quia multis uſi ſunt ad tentandam impletionem. Ad ἰδιοσυγκρασίαν, quam illi jactant, ubi ventum eſt, in qua omnia benè ſucceſſiſſe videri volunt, neque diſcernere, ne-

que

que meminiſſe poſſunt. Quare nunc quoque, licet neſciant, ad quod medicamentum tranſire debeant: ſpes tamen eſt, dum experimenta ſua particularia prolixa oratione commendant, fore, ut inveniant, quod ex uſu ſit futurum. Ideoque ab alio ad aliud ſaltum facientes, fortunæ potius quàm rationi eventum committunt.

15. His ſimiles ſunt, quamvis videri nolint, qui inter Dogmaticos educati quidem ſunt, ſed ad phyſiologiam (Hipp.) aſpirare non potuerunt. Hi enim ut anteà diximus, ex dimidio ſunt Dogmatici, qui prima elementa aſſequi non potuerunt. De Theſſaliis autem illis, ab omni methodo alienis, quid aliquis dicat? Reverà, ſoli illi, qui methodo curant & inveniunt, quod oportet, medicamentum, ut & victum, in omnibus ejusmodi ulceribus, & manifeſtiſſimè oſtendunt ipſo opere, quantum ſit bonum, & quantum lucis ad curationes phyſiologia afferat. Etenim ſæpè tibi oſtendi, quod illi, qui ſubitò ab alio medicamento ad aliud transeunt, (Empirici) aliquando negligunt & prætereunt id, quod utile erat futurum. Ut enim de me dicam, uno aliquo medicamento, quò illi fruſtrà uſi fuerant, curavi hujus generis ulcera. Spreta enim fuerat veriſimiliter hujus medicamenti facultas, ob intempeſtivum uſum, ob quem putabatur non ſolum nihil profeciſſe, ſed & nocuiſſe primo uſu.

16. Vidiſti etiam oculorum dolores ſæviſſimos curare nos aut balneo, aut vini hauſtu, aut fomento, aut venæ ſectione, aut purgatione, in quibus vulgaribus Medicis nihil ſuppetit, præterquam medicamenta vel ex opio, vel ex mandragora, vel ex hyoſcyamo, à quibus præſens oculorum nocumentum. Nulla enim alia re juvant, quàm quod videntur ſtatim dolorem levare. At verò quia id faciunt mortificando ſenſum, multos vidiſti, poſt immodeſtum illorum uſum, nunquam rediiſſe ad ſtatum ſecundum naturam, ſed initium fuiſſe viſionis obſcuræ & difficilis, vel progreſſu temporis, ſuffuſio ſucceſſit, vel pupillæ dilatatio, vel phthiſis, vel rugæ. Vidiſti etiam cum à puero nobiſcum converſareris, cùm à nullo Præceptorum tale quid vidiſſem, ſed ex ratione collegiſſem, & quod diutiſſimè ruminaſſem Aph. illum, *Dolores oculorum ſolvit, aut vini meraci potus, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut purgatio*: & quod de Hipp. diligentia perſuaſum eſſet tibi, vel mendacium nullum heic dici, vel impoſſibile quid. 6. A 31.

17. Hoc ipſum fuit, quod me ad inquiſitionem perpulit, qua de cauſa ſingula hæc fierent apud Hipp., & quando, & quomodo ſingulis utendum. Quo ipſo etiam manifeſtum feci multis, qui viderunt, quanta ſit vis methodi medendi, & viciſſim, quantum damni dederint illi, qui, non cuſtodientes veterem Medicinam, novas ſectas inſtituerunt. Itaque & vos, quamvis ab initio invitum, coëgiſtis obſecrando, abſolverem hoc opus, quod ut utile cæteris quoque ſit hominibus, Deos precor. Cæterum, parum ſpero, ob contemtum omnis honeſtatis, nunc regnantem, adeoque ſtudium ambitionis, divitiarum, & civilis potentiæ,

tentiæ, ad quæ qui ſe vertunt, iis jam integrum non eſt Veritatem perſequi in ullâ re. Sed hæc quidem finem ſortiantur, quem Deus voluerit.

18. Methodum igitur medendi, exercitam quidem veteribus Medicis, neglectam autem nunc, reſuſcitabimus quantum in nobis eſt, iterum in manus ſumentes ſermonem de ulcere cavo. De hujus primis indicationibus ſufficiant, quæ dicta ſunt, & concedantur, ſi ita videtur, Empiricis omnia, quæ dicunt: de uſu autem inventorum ipſo opere oſtendi tibi ſæpè, nihilominus & nunc ſermone conabor explicare, quomodo, ſi conſuetum alicui medicamentum nihil agat, transeundum ſit ad aliud ſolerter & artificiosè? Heic in ambiguo ſunt Empirici: nec ſine cauſa. Cum enim neſciant, cur primum medicamentum fefellerit, non poſſunt cavere illud in altero. Ignoratâ enim cauſâ, cur illud ſucceſſum habuerit, non poteſt ſciri, cur alterum decollaverit, & ad quod alterum deveniendum ſit. Nam neque in hoc cavere poſſunt cauſam.

COMMENTARIUS.

19. Ad rem deſcendens Galenus initium facit à ſolutione continui. Cur? Quia eſt morbus ſimpliciſſimus. Tu intellige de vulnere in parte carnoſâ, quod etiam ἕλκος ἀπερίςατον *in lib. de Comp. med.* dicitur. Quamprimum & aliquid accedit, v. g. ut cavum ſit, de quo in hoc veſtigio, jam non eſt amplius ſimplex & ἀπερίςατον. Cujus occaſione ſubitò §. 2. litigat cum Theſſalo de medicamento ſarcotico, quod *Cephalicum* cognominatur, & eſt triplex, idque compoſitum, ut §. 3. indicat.

20. Hac occaſione docet §. 8. quâ ratione veteres ad componenda medicamenta devoluti ſunt, & improbat. §. 13. contra Theſſalum in ſpecie agit, cui §. 15. oſtendit proprio exemplo, quomodo compoſuerit medicamenta, quæ felicem eventum haberent, cum ab aliis uſurpata ſecus fieret. Mox §. 16. oſtendit ſectariis, felicitatem pendere à ſcientiâ *Phyſiologiæ Hippocraticæ*. Hac ratione §. 18. exponit *de methodo medendi* conſilium ſuum, & ulceris cavi curationem promittit.

CAPUT III.

1. Dicamus igitur nunc Hippocraticam & veram curationem ulceris cavi. Oportet autem incipere à ſubſtantiâ rei. Poſtquam in cavis ulceribus propoſitum eſt nobis generare carnem deperditam, de carnis productione præcognoſcere par eſt, quod materia ipſius eſt ſanguis bonus. Hujus opifex & quaſi artifex eſt Natura. Oportet autem non ſimpliciter dicere Naturam: ſed quorum Natura, & ubi? Manifeſtum eſt autem, quod ſubjectorum ſit corporum, quibus caro agglutinari debet. Horum enim natura erit opus generandæ carnis. Monſtratum autem eſt, naturam cujuslibet corporis perfici temperamento quodam cal., frig., hum. & ſicci. Unde manifeſtum ſit, quod bona temperies

peries horum corporum partes illius, cui reddere volumus abſumtam carnem, rationem efficientis habebit. Primum ergò omnium conſideranda nobis ſunt in omni cavo ulcere, duo hæc, Alterum, an ſubjectum benè temperatum ſit, h. e. an ſecundum naturam (probatum enim eſt, in bona temperie partium ſimilarium ſanitatem conſiſtere.) (Alterum, an benè temperatus) etiamnum ſit ſanguis, qui affluit, an, inquam, bonus ſit, & temperatus. Si enim ille quodammodo malus ſit, multæ diſpoſitiones præter naturam ſuboriuntur. Nobis propoſita eſt una ſola, cavitas in parte carnoſa. Præſupponatur igitur, partem quidem affectam eſſe ſanam, affluentem autem ſanguinem inculpabilem eſſe in quantitate & qualitate. His ita ſe habentibus, nihil prohibeat amplius, quin generatio carnis laudabilis fiat, ubi non deſint externa medicamenta. Utrâque enim cauſâ præſente, (materiâ & effiente) & exterius nihil impediente, non contingit etiam impediri effectum.

2. Verum, in ipſa carnis generatione neceſſariò duplex excrementum gignitur, ut & hoc in Phyſicis oſtenſum eſt, quod in omni alimenti transmutatione ſe exhibet, craſſum & tenue. Hæc excrementa cum fiant in toto etiam corpore, tenue quidem ſemper abit per inſenſilem tranſpirationem; prodit ſe autem, cum vel calor nativus debilis eſt, vel utitur pluri alimento, vel vehementior incidit motus: craſſum autem reſtat, & conſtituit ſordes cutis (in ſanis) quemadmodum in ulceribus (analogum quid.) Vocatur autem tenue ἰχὼρ, craſſum ῥύπος. Et propter tenue quidem ulcus fit humidius: propter craſſum autem ſordidum. Ideò eget ulcus duplici medicamento, quatenus humidum ſicco: quatenus ſordidum abſtergente. Igitur, cum Natura nunquam quieſcat, nullum datur tempus, in quo non utrumque excrementum hoc in ulcere propoſito cumuletur. Quare etiam nullum datur tempus, in quo non opus ſit utroque medicamento, ſiccante & abſtergente.

3. Quare jam duplex genere inventum eſt medicamentum, ſed non ſufficit: oportet enim aliquid in ſpecie adſit, quod applicetur. Unde igitur illud, & ex quâ doctrinâ ſumetur? Procul dubio ex opere de facc. ſimpl. In illa enim oſtenſum eſt, quædam eſſe ſiccantia, quædam humectantia, quædã refrigerantia, quædam calefacientia, quædam etiam per combinationẽ, calefacientia & ſiccantia, &c. (In eâdem oſtendimus) Ea medicamenta eſſe numero quidẽ infinita, ſecundum magis & minus differentia: ſed in uſu Medico certis terminis ita circumſcripta, ut quædam ſint in primo gradu, quædam in ſecundo, quædam in tertio, quædam in quarto. Ex quo igitur gradu ſumetur incarnativũ? quod dicebamus modicè debere ſiccare & abſtergere? Ex primo procul dubio. Quod enim intẽſè tale eſt, ut non tantum abſumat affluentẽ humiditatem, ſed & ſanguinẽ contingat, prohibebit carnis generationem, abſumendo materiã ipſius. Monſtratum autem eſt in ſup. talia eſſe thus, farinam hord., & fab., & ervinam, irida etiam & Ariſtoloch., cadmiam & pompholyga. Hæc omnia dicta ſunt, invicem differre ſecundum magis & minus. Nec non eo, quod alia ſimplices habent

facultates prædominantes, alia compoſitas. Ariſtol. enim & panax fortius ſiccant aliis, & calidiora naturâ ſunt. Farina autem hord. & fab. in ſiccando eſt inferior, & nihil caloris habet. Thus moderatè calidum eſt, ſed minus quàm illa ſiccat, ita ut quædam corpora ne ſiccet quidem. Far. et vina & iris ſunt in medio horum, ut & Ariſtol. & panax.

4. Verùm age, quas ſermo noſter differentias attigit, reſumamus iterum. Thus in humidiore naturâ carnem facere poteſt: in ſiccâ non poteſt. Oportet enim ſcire de primis indicationibus, duas ipſarum differentias eſſe, unam ſecundum naturam, quæ conſervationem ſui vult, & propterea ſimilibus indiget: alteram præter naturam, quæ auferenda eſt, ideoque contraria poſtulat. Corrumpuntur enim omnia in contraria, & à contrariis. Hinc fit, ut quò ulcus eſt humidius, eò fortius vult ſiccans: ſed natura corporis quò humidior, eò minus validum vult ſiccans. Ut ulcerum, quæ æqualem habent humiditatem, illud, quod in ſicciore temperamento, validius velit ſiccans: quod in humidiore, tantò debilius, quò Natura à Naturâ magis recedit. Quæ enim jam fit caro ſimilis debet eſſe illi, quæ præfuit. Siccior autem quia fuit illa, ſiccior etiam debet eſſe hæc, quare amplius ſiccare debemus. Et quantò fuerit ſiccior, eò ſiccantius debet eſſe applicitum medicamentū. Contrà, in natura humida tantò minus ſicca locum habent, quò minus ſicca eſt caro.

5. Thus ergò tale habet temperamentum, quale natura humana, cum temperatis enim & mediis conſentit: at humidioribus eſt adverſarium, quia paulò ſiccantius eſt, veluti & valdè ſiccis paulò humidius. Meritò igitur thus in quibusdam ulceribus, & quibusdam naturis, pus quidem facit, carnem autem non facit: quibusdam jam etiam carnem facit.

6. His à me dictis ſi attentus fueris, videbis rem ita ſe habere. In humidioribus enim ſarcoticum eſt: in ſiccioribus non eſt. Et, in mediocriter humidis ulceribus poteſt fieri ſarcoticum: in valdè humidis nequaquam poteſt.

7. Videsne igitur clarè, quot obſervationibus opus ſit illi, qui rectâ methodo curare velit ulcus cavum? Poſtquam enim inventum eſt, prorſus cum malo hoc conjunctam eſſe humiditatem præter naturam, ſiccum medicamentum fuit inter indicantia: verum, quia hujus generis quædam valdè ſiccant, quædam moderatè, partim ex ulceris ipſius differentia, partim ex laborantis naturâ deſumtum eſt, quod huc facit. Ut non ſolum exercitatum eſſe oporteat in phyſiologicis, qui ex arte mederi velit ulceribus talibus: ſed & in medicamentorum facultatibus non ſuperficialiter verſatum, ut & in ſignis corporis humidi & ſicci.

8. Circumſpice igitur, quanta ſit Methodicorum audacia in pronunciando, cum putant hoc ſufficere ſibi ad curationem ulceris cavi, cognoviſſe implendum eſſe carne. In hoc enim non conſiſtit cura, ſed in hoc, inveniſſe medicamentum, quod id præſtiturum ſit.

9. Atqui,

9. Atqui, inquit, jam experientiâ inventum eſt, quod carnem generabit? Dic igitur & id experientiâ inventum eſſe, quod ſanabit, nec fruſtrà freme, experientiam tuam latè explicans. Nam & apud Empiricos ſordet experientia abſque diſtinctione.

10. Hi ſcribunt in lib. de Medicam., Emplaſtrum pro mollioribus corp., pueris, mulieribus, & ſciunt, thus ſervire ulceribus cavis ejuſmodi naturarum, cum nullum aliud ſymptoma adeſt, ſed opus eſt renutritione tantum, & repletione. Verum ignorant utrum corpora talia ſint humida, & propterea indigeant medocriter ſiccantibus? an alia quædam cauſa ſubſit? Nam & viciſſim inveneris apud eos aliud medicamentum ad ſimilia corpora, aliud ad difficulter cicatricem admittentia, & tumida, alia cum aliis diſtinctionibus, in libris Therapeuticis omnibus, quibus, ſi poſſibile, proprietatem curandæ naturæ, unà cum medicamento convenienτe, inveniant. Omnes enim in omnibus artibus diſtinctiones in id ſunt inſtitutæ, ut commune ſeparent à proprio. Quare quò plures quis diſtinctiones, eò propinquior eſt proprio. Quod verò exactè eſt proprium, neque ſcribi, neque dici poteſt. Ideò Empiricis iis, qui diligentiſſimi ſunt in praxi, ut & pleriſque Dogmaticis in confeſſo eſt, Nullam curationem exactè poſſe ſcribi: ſupplendum autem, quod deeſt, ex conjectura, quàm præbet ægri natura, quod dicunt alii ex propriâ experientiâ, alii ex ratione deſumendum eſſe. Nemo tamen illorum tam fuit præceps, ut diceret, unum ſarcoticum ſufficere omnibus. Non enim reperies apud ullum illorum, tale, quod ſanationem permittat omnis ulceris cavi: imò mutare oportet tam pro copiâ humiditatis & ſordium, quam pro temperamento ægri.

11. Relinquentes igitur heic impudentiam Methodicorum, videamus, quid Empirici dicant. Scilicet ex uſu quotidiano & exercitio afferendum eſſe aliquid ad inventionem propriorum ægro medicamentorum. Ut enim ſæpè diximus, nulla eſt in Medicinâ vel res, vel medicamentum, quod ſecundum ſpeciem inenarrabile ſit: quod verò nec ſcribi, nec dici, neque omninò doceri poteſt, quantitas eſt in unoquoque. Et ſanè in ulceribus humiditas & ſordes non ſunt indicibiles: in utroque autem quantitas eſt indicibilis. Interim propè accedere volumus, cum ſignificamus, aut parum, aut multum ſordium eſſe, eaſque vel tenues, vel craſſas, item, vel prorſus exiguum, vel valdè multum, vel in medio utrinque, vel aliter deſcribentes alio atque alio modo, ut quàm proximè accedamus ad indicandam quantitatem.

12. Jam igitur diligenter adhibe mihi mentem, ut ſcias quantum differat, methodo aliquid facere, & ſolâ experientiâ. Sit ita, cognitum ſit medicamentum hoc ſarcoticum in ulcere cavo, in illis (ut loqui nos ſolemus,) qui humidiori ſunt temperamento, aut, ut Empiricus ſeu obſervator, in iis, qui ἁπαλόσαρκοι, quales pueri & mulieres: ſed jam adhibitum tali ſubjecto, nihil facere. Nos quidem quæremus, quâ de cauſâ nihil profuerit? ad duos ſcopos reſpicientes.

Enimverò, aut parcius aut abundantius ſiccavit. Hujus rei ſigna habebimus & ſordes & ichorem. Si enim copioſiores ſint ſordes, & totum ulcus ſit humectius, infrà ſubſtitit: ſin purum & exſuccum apparuerit, plus æquo fecit. Hoc habito, ſimul habebimus menſuram, quæ ſit ultra citraque moderatum ex menſura ſignorum, & tantò in poſterum vel ſiccius vel humidius applicabimus. At Empiricus, quod medicamentum in hoc individuo ſucceſſum non habuit, videt quidem, ſed neſcit, magis an minus ſicca adhibere debeat, atque ita non poteſt tranſire ad aliud.

13. Eodem modo, Eraſiſtratéi & Herophiléi, Semidogmatici quippe, ut & prius oſtendimus, malè tractant ulcus. Tantum enim illos morbos ex ratione curare aggrediuntur, qui Inſtrumentarii nobis ſunt: at ulcus eſt commune ſimilaribus & organicis, ut & hoc anteà dictum eſt. Quare, quatenus in ſimilaribus eſt, id Empiricè curant. Et profectò, ſi quando curare volunt prorſus deperditas partes, ſeu mutilatas, neceſſe eſt ibi quoque aberrare illos à methodo rationali. Si enim deperdita ſubſtantia eſt ſimilaris, oportet illum, qui regignendo illi operam dat, totius naturæ ſcius ſit.

14. Et de his iterum dicitur: quod verò non leviculum negotium ſit rectè proſpicere ulceri, & quod prima illius indicatio quæ etiam idiotis nota eſt, ſit minima pars curationis, manifeſtè probatum eſſe puto. Nam activas qualitates eſſe caliditatem, frig. & cæteras, neceſſariis argumentis inductum eſt. Nec minus illa, quæ deinceps omnia de temperamentis, aliisque his vicina.

15. Et hactenus quidem ſermo fuit de ulcere cavo, dum ſolam cavitatem curamus. Curatio enim quà ulcus, in præſenti tacta non fuit. Conſiſtit verò & illa in eadem methodo. Sumitur enim & ab ejus, quod curatur, temperamento, & præterea medicamentorum facultate. Pendet autem utrumque ab elementis. Niſi enim concedatur, cauſas generationis & corruptionis eſſe 4. qualitates, neque methodus inchoari poteſt, neque progreſſum habere, neque perfici. Probare autem illas in ſe mutuò agere & pati, ad elementorum theoriam pertinet. Quod igitur in anterioribus oſtendimus, confirmatur præſenti hoc diſcurſu, Medicum nihil poſſe utiliter tractare de ſimilaribus absque phyſiologia. Sed ibi quidem de ſimilaribus ſcriptum eſt hoc tantum: heic autem ſermo contingit etiam organica, & perſuadet, neminem invenire poſſe totalem curationem, niſi illud addatur. Oſtendetur autem hoc ipſum evidentius in toto hoc opere.

COMMENTARIUS.

16. Jam demum rectà venit Galenus ad curationem ulceris cavi, & ab initio oſtendit, quomodo id fiat? Uno verbo, reſtituta carne tali, quæ præerat. Ubi hoc ſciendum eſt, Naturam illum vocare temperamentum, quod conſtat ex 4. elementis. Ubi notabis, Galenum heic παρεξμηνεύειν, niſi concedas, alterum propoſitorum effluxiſſe, quod ideò parentheſi incluſi.

17. In

17. In §.2. pulcerrimum eſt theorema de duplici excremento in ſingulis coctionibus, quo inprimis opus eſt mihi ad ſtabiliendam doctrinam *de Humoribus*. Quod enim diſſimulare non debeo, pervenere ad aures meos ronchi quorundam νεοφύτων, qui querantur, haud bonâ fide ſecum eſſe actum, cum 2. *Inſt.* 132. *& ſeq.* tanquam cuneos ponam tantum duo illa excrementa, non probem ex veteri doctrinâ. His ob oculos pono hunc locum, quovis Sole clariorem, ait enim Galenus, Ἐν πάσῃ τῆς τροφῆς μετακοσμήσει fieri duo illa excrementa. Ubi notanda venit vox Græca rariuſcula, μετακόσμησις, quæ ſignificat ulteriorem rei perfectionem, quæ præſupponit κόσμον, *ornatum*. Pro his duobus ulceris cavi excrementis petit §.3. medicamenta ex doctrinâ ſimplicium, & docet, quomodo ab uno ad alterum transeundum ſit, ſi quo utimur, non ſatisfaciat.

18. §.4. & ſeq. examinat thus, quale ſit ſarcoticum, in quibus locum habeat, in quibus non. Et concludit §.8. Non ſatis eſſe inveniſſe ſarcoticum: oportere tale eſſe, quod ſanet. Et hoc contra Methodicos eſt. §.10. contra Empiricos agit, quod non diſtinguant ſatis. §.11. pertinet ad quæſtionem, quatenus ars noſtra ſit conjecturalis? quâ de re eſt 1. *Inſt.* 1. §. 6. §. 12. confert Empiricum cum Logico. §.13. refutat Eraſiſtratéos & Herophiléos. De §.15. moneo, eſſe ibi implicitè, quod §.4. eſt explicitè, duplex ſc. contrarium, de quo ſuprà etiam. Quod enim ſumitur à medicamentorum facultate, eſt ſimpliciter dictum contrarium, Calidum frigido, &c. Quod à temperamento, eſt contrarium ſimile, ut ego appello, contrarium tale.

CAPUT IV.

1. NUnc tempus eſt tranſeundi ad curationem ulceris ſolius. Tale eſt, cum neque diſpoſitio alia ulla præſens eſt, neque ſymptoma. Itaque non eſto pars ulcerata fluxionibus obnoxia, neque cachectica, neque ullo modo intemperata. Sed neque cavitas adſit, neque cutis ulla deperditio. Nam & in hoc hallucinatur vulgus Medicorum, cum non animadvertit, quod, poſtquam ulcus cavum carne impletum eſt, jamque æquabile & planum, duplex etiamnum ſit in parte diſpoſitio, altera quidem ſubſtantiæ cutis jactura, altera autem continui ſolutio.

2. Si itaque hoc ſolum ſit, continui ſolutio, aut epidermidos, aut cutis totius, aut ſimul cum ſubjectâ carne, ulcus eſt hoc pathema, & opus habet ſolâ glutinatione. Si enim labia cutis contrahantur, nihil eſt diverſi ſubter, ut in ulcere impleto, æquabilique, in illo enim extrema ulceris non tangunt ſe invicem, ſed ex ſuperficie tota ulceratâ periit cutis, quam oportet regenerare. At in eo, quod aliquo acuto ſecante factum eſt, ſolâ glutinatione opus eſt, non etiam generatione cutis.

3. Quando igitur propoſitum nobis eſt invenire curationem ulceris ſimplicis, oportet præſupponere, diviſam eſſe partem carnoſam, ſine jacturâ partis. Planum igitur & cicatricis egens ulcus, perdidit omninò cuticulam vocatam. Hanc igitur generare oportet, & ſibi unire.

4. Heic duo propoſiti ſunt ſcopi, ut etiam in ulcere cavo, quia & diſpoſitio utrobique eſt duplex. Quo igitur modo dicat fortaſſis quis illorum, differt ulcus æquabile à cavo, ſi etiam diſpoſitio in illo duplex? & duplex curationis ſcopus? Copiâ partium perditarum, O optime. In cavo enim & cuticula periit, & cutis natura reliqua tota, aliquando etiam ſubjectæ carnis non parum: in pleno autem, caro quidem non amplius deficit, ſed exterius tegumentum.

5. Quæ eſt igitur horum ulcerum cura? Dicemus illam deinceps: nunc autem, cum ulcus eſt ſolum, nec diſpoſitionem aliam nactum eſt, quæ cura ſit adhibenda, aperiemus. Ergò, quoniam diviſio tantum eſt, oportet ſimul eſſe extrema illorum, quæ diviſa ſunt: imò, non ſolum eſſe, ſed manere quoque. Duplex autem eſt congredientium permanſio. Hæc enim vel ex ſe ipſis manent, vel mediantibus aliis. Per ſe quidem, quæ connata ſunt, per alia, quæ ligamentis cohærent, aut alioqui conglutinata ſunt. Quæ connata ſunt, omnimodis oportet mollia ſint. Talis eſt caro ipſa, aut quæ conſiſtentiâ carnoſa ſunt. Quæ verò dura & ſicca ſunt, coire quidem non poſſunt; ſed opus habent glutine, aut vinculo aliquo, ut maneant conjuncta.

6. Horum talium corporum curatio poſteà dicetur: de iis verò, quæ uniri poſſunt, abſolvatur ſermo, inquirentibus nobis in modum aliquem, quo connaſci poſſint. Quemadmodum autem in cavis ulceribus Natura eſt cauſa coalitus: ſic in ſimplicibus concretionis. Unde, cum exquiſitè contraxeris diſtantia, ſine ulla aliâ externa molitione fit coitus.

7. Hinc oritur tibi alius contractionis ſcopus, à quo orſus quæras, per quæ fieri poſſit. Si enim vinculum ex duobus initiis injeceris, aut ſueris, aut hamos impoſueris, aut vel unum ex his adminiſtraveris, aut omnia ſimul, contrahes diviſa. Oportet autem, quod circumjicies, non nimis eſſe molle, & algæ ritu tortile, ut tuto contineat: neque rurſus tam durum, ut premat. Sed neque injectio tam laxa eſſe debet, ut nihil faciat: neque tam vehemens, ut premendo dolorem faciat.

8. Hæc ubi feceris, & ulcus non fuerit ſolum, absque cacochymia, absque fluxione, aut intemperie, aut inflammatione, aut alia malitia, omninò unietur. Sin ob amplitudinem fieri non poſſit, ut corpora ſejuncta componantur, neque locus ſit, vel ſuturis, vel hamis, vel deligaturâ, & præterea ichor aliquis ibi colligatur, aut dolor adſit, glutinari ulcus ſola adductione non poteſt. Dolor enim plus facit affluere. Sed non plus affluat, quam oportet, facultas debilis partium dolentium & vulneratarum non feret etiam id, quod affluet, ſed gravabitur tanquam à copioſiore.

9. Hinc

9. Hinc prorſus ichorum copia, à quibus ſi non fiat inflammatio, mirabor. Sed adſit ichor intra labia ulceris ſine dolore, aut etiam ſit locus quidam vacuus ſine ichore: tamen aëre plenus erit, qui impediet, quo minus ulcus curetur ſola adductione. Nam & ichor impedit jam unionem, & loca vacua uniendorum corporum perhibent ſe invicem tangere ſuperficies. Quare illæ ſaltem ulceris partes ut coëant, etiam cárne prius impleri à Natura prius volunt. Porrò, hæc caro adeò eſt exigua, ſi rectè adducatur ulcus, ut intra diem, aut certè biduum fieri poſſit.

10. Hoc igitur tempore opus eſt medicamento ſiccante, ut, ſi quis ſubſit ichor, hunc abſumat, & impediat influxum in vacua ſpatia. Jam ergò recordare mihi medicamenti ſarcotici, quod mediocriter ſiccet, ut ſciamus, debeatne, quod glutinabit, ſiccius eſſe, an non? Sarcoticum certe ſi abſumeret omnem, qui affluit, ſanguinem, materiam incarnationis auferret: at glutinatorium, aut omninò non indiget carne generata, aut illa pauca. Quare plus ſiccet oportet ſarcotico.

11. Hactenus igitur partum inter ſe different: eatenus autem multum, quod ſarcoticum debet eſſe abſterſorium, ne ſiccet tantum ſuperfluum humorem; ſed & auferat ſordes: at glutinatorium nec abſtergat, nec purget, ſed totum contrarium agat, contrahat in ſe totam ſubſtantiam. Hoc, ni fallor, faciunt, quæcunque medicamenta vocantur auſtera & adſtringentia. Hæc enim contrahunt & denſant, non abſtergunt, aut purgant.

12. Quare diligenter cavere oportet adſtringens medicamentum, ubi incarnare volumus. Ita enim impingit ſordes, ut non amplius cedant. Vinum igitur præſtantiſſ. eſt medicamentum ulceribus omnibus, quatenus ulcera ſunt; ſed & ſi non apponas Quatenus: tu tamen ſubintelliges. Adeſt enim, ne quis negligat, memoriæ gratiâ, non quod peculiare quid definiat. Quod ſi tibi in memoriâ ſint, quæ in libro ſup. dicta ſunt de iis, quæ ſingulis nominibus ſignificantur, & quæ nominibus ſubſunt res, non opus habebis novâ limitatione. Illud tantum ſatis mihi ſit definiiſſe in ſingulis, quæ diſpoſitiones ſimplices ſint, quæ compoſitæ, quâ de re antè etiam dictum eſt.

13. Dicendum verò nunc etiam aliquid, non tam propter res ipſas, quam propter perſuaſionem vulgarium Medicorum, qui voce decepti differentias vulnerum eſſe putant, cavum & æquabile, ſanguineum & vetuſtum, ſordidum & purum, ſine inflammatione & cum inflammatione.

14. Neceſſariò igitur diſtinguendum eſt, quæ ſint propriæ ulcerum differentiæ, & quæ ſint complicationes aliarum diſpoſitionum. Et hac quidem de re poſterius: uſurpata veteribus doctrina, quam nunc quoque velim in uſu eſſe, maximè naturalis eſt, cum ſeorſim ponunt proprium uniuscujusque diſpoſitionis remediũ, quod inter alios potiſſimùm Hipp. facit. Methodus enim medendi hac ratione bellè procedit, ſi de ſingularibus ſeparatim agamus primùm: deinde de compoſitis omnibus alium inſtituamus ſermonem.

15. Ut

15. Ut enim, ſi duo eſſent ratione victus morbi, ſtrictus & fluidus, poſtquam utriusque propriam curationem expoſuerimus, conſequenter complicatos illos exponeremus, ut Theſſalici faciunt: eodem modo, puto, ubi ulcerum omnium, quà ulcera, unam eſſe ſpeciem dixerimus, & ſic inflammationum, quà inflammationes: oportebit, ſeorſim quidem ulcerum, ſeorſim etiam inflammationum curam tradere, ſic tandem conjungere utramque diſpoſitionem. Hoc ubi fecerimus, omnia ulcera ſiccari & adſtringi velle dictâ methodo invenerimus: non autem omnia etiam abſtergi. At verò cavitatem in carne ſiccari & abſtergi velle, non adſtringi.

16. Et ſanè, eodem modo, quem anteà diximus, in cavis ulceribus analogum quid conſiderare oportet, corporis, inquam natura, mollis & fluida ſitne, aut contrà dura & ſicca, renitensve. Prior enim, quatenus mollior, eatenus minus ſicca vult: poſterior, quatenus ſiccior, eatenus minus ſicca vult, & potius adſtringentia.

17. Empiricus igitur, ut puto, heic quoque puerorum meminit & mulierum, & aliorum, molli carne præditorum, opponens illis juvenes, agricolas, & nautas. Cæterum, niſi ſubintelligit, in pueris & fœminis viſa fuiſſe præſtare hæc medicamenta propter humiditatem temperamenti; propter ſiccitatem autem contrà meſſoribus & nautis alia convenire: neque accuratè conjiciet uniuscujusque curationem, nec ſciet, cur voto exciderit. Neque intelliget, quomodo ad melius tranſire debeat, ſi fallant, quæ ipſe per experientiam cognovit.

18. Hæc in univerſum de medicamentis glutinatoriis dicta mihi ſunto: deinceps verò alia quædam methodus procedit, ad præparationem & compoſitionem eorum apprimè neceſſaria. Cavis enim ulceribus quidvis obvium ſtatim applicamus, ſive humidum ſit, ſive ſiccum. Integrum enim nobis eſt vel imponere, vel aſpergere cuivis ulceris parti: in vulneribus autem profundis, ſi ſemel labia adduxerimus, non jam contingere poſſumus ea, quæ in alto diviſa ſunt. Oportet igitur contemplari, non ſimpliciter, ſiccatoriumne ſit, & mediocriter auſterum, ſed an penetrare poſſit in altum. Lithargyrus & ceruſſa mediocriter quidem adſtringunt & ſiccant: ſed ſi cineris modo aſpergas in orbem vulneris, nihil aget: Facultas enim horum ſiccorum non penetrat in altum. Indiget igitur humore aliquo, ut quaſi emplaſtrum fiat, aut aliud emplaſtro humidius. Et hoc propriè pertinet ad artem componendi medicamenta, non ipſius methodi medendi. Quod ſi videbitur aliquid huc pertinere, in ſeq. libro memorabitur.

COMMENTARIUS.

19. De ulcere ſolo ſeu ἀπεριςάτῳ tradit heic præcepta, quæ non opus habent alio, quàm attento lectore. Porrò, §.13. ſedes eſt materiæ de *doctrinâ Elementari*, de quâ primus, quod ſciam, SCHERBIUS commonefecit auditores

tores ſuos. Scripſit autem θ. de illâ PICCARTUS olim noſter. Nihil aliud de illâ vidi.

CAPUT V.

1. CÆterùm reditum facio ad ulcus, quod cicatrice indiget, & eſt de genere cavorum. Oportet enim generare aliquid, quod periit, non ſimpliciter unire diſtãtia labia. Et eſt alius modus ab eo, qui in cavo. Ibi enim ſanguis eſt materia: heic caro. Agenitâ enim carne impletur cavum, quæ generationem à ſanguine habet: ad cicatricem autem devenit, quod jam impletum eſt ſub generatâ cute, quæ ex ſubjectâ carne fit. Caro autem ſpecie eadem cum deperditâ generari poteſt in cavo ulcere: cutis autem non generatur talis accuratè, qualis erat deperdita, ſed ſimile quid cuti, quod uſum ipſius præſtare poteſt, licet non vera ſit cutis.

2. Cur autem nobis poſſibile non ſit cutim generare ſemel deperditam, ut carnem & pinguedinem generamus, phyſicum eſt problema. Quo modo autem quis imitetur & colorem & naturam cutis, liquebit ex propoſito negotio, in quo methodum medendi cudimus.

3. Quandoquidem propoſitum eſt nobis carnem tegere naturali ſuo tegmento (hoc verò eſt, ulcus ad cicatricem perducere;) aut cutis nobis gignenda eſt, aut ſuperficies carnis cuti paranda eſt ſimilis. Sed enim cutim parare non licet. Ideò, quod licet tentandum. Quis igitur operationis modus? Alteratio certè. Carnis enim partem, non jam amplius carnem manere volumus, ſed quaſi carnem fieri volumus. Quo modo ergo alterabitur?

4. Sine dubio, alteratâ qualitatum aliquâ. Occurrit enim nobis nolentibus iterum ſermo de elementis, ſine quo nec medicamentum epuloticum inveneri- mus, nedum ſarcoticum, aut glutinatorium. Itaque, quia cutis carne ſiccior eſt, denſiorque, ſi ſiccaverimus & adſtrinxerimus, cuti efficiemus ſimilem.

5. His verbis caput explicuimus medicamentorum epuloticorum: ſed non ſufficit. Glutinatoria namque & ipſa ſiccantia erant & adſtringentia. Quid igitur differunt hæc ab illis? Hoc invenies, ſi intuebere ſubſtantiam rei. Cum enim in glutinantibus, non ſolum, quod affluit, ſed & quod in carne jam eſt humidum abſumere velimus, multò ſanè ſiccius eſſe fas eſt epuloticum glutinatorio. Glutinanti enim unus hic ſcopus præſtitutus eſt, abſumere ſuperfluum ſecundum naturam: cutim autem molienti etiam id proprium eſt naturæ.

6. Galla igitur omphacitis, & cortices granatorum, & fructus ſpinæ Ægyptiæ (quæ Acacia eſt) ſunt medicamenta moderatè ſiccantia: chalcitis autem (uſta) æs uſtum, ſquama æris, Miſy & alumen ſciſſile multò fortiora. Miſy quidem & chalcitis maximè: minus autem ſquama æris: minimè æs uſtum. Quod ſi uſſeris, mitiſſimũ habebis pharmacum. Pertinet verò hoc quoq; ad compoſitiones medicamentorũ, quorũ doctrina ſequitur methodũ medendi, quẽadmodũ præcedit illam doctrina ſimplicium, de quibus alibi dictum eſt. At verò componere

medicamenta, poſterius quid eſt. Ubi enim hæc docuerit univerſalia, (dico, ſiccare, humectare, refrigerare, calefacere, & hoc vel moderatè, aut vehementer, aut obſcurè;) ſciverimus verò ſimplicium facultatem ſeorſim & per ſe conſideratam: tum, dico, quo modo quis aptè miſceat ex uſu definire oportet. Hinc fit duplex medicamentorum methodus, altera, quæ de facultatibus agit: altera verò de compoſitione & præparatione. Sed jam progredi oportet ad ea, quæ in ulceribus ſuperſunt.

COMMENTARIUS.

7 Hæc quoque facilia ſunt, modò attentum lectorem ſortiantur. Hoc mihi videtur admonitione dignum, Galenum fruſtrà diſtinguere cognitionem τῆς φαρμακευτικῆς, quatenus vel antè vel poſt Methodum diſcenda? *Eſt miniſtra Methodi*, ubi ubi etiam collocetur.

CAPUT VI.

1. REſtat, puto, ut dicam de ulcere, in quo caro luxuriat, quem affectum ὑπερσάρκωσιν vocant Medicorum plerique. Hic morbus eſt in quantitate ſeu magnitudine partium. Voces autem, ut libet. Ex hoc genere & cavitas eſt, de quâ prædiximus. Quemadmodum igitur quod vocant ulcus, non eſt unus morbus, ſed cavitas ſimul & ulcus: ſic ulcus, in quo caro ſupercreſcit, non eſt unus morbus, ſed carnis excreſcentia & ulcus ſimul. Indicat autem eo ipſo, quo morbus eſt in magnitudine, primam indicationem (quam & ſcopum dicimus inventionis remediorum;) ablationem ejus, quod abundat. Hæc indicatio expletur à ſolis medicamentis, non autem à naturâ, ut ſe habet res è contrario in incarnatione & glutinatione: Illa enim naturæ opera ſunt, pharmacis tantum amoventibus, quæ impediunt actiones. Ablatio autem ſuperaugeſcentium carnium, non eſt ullum naturæ opus: fit autem à ſtrenuè ſiccantibus.

2. Hæc medicamenta ſunt proxima iis, quæ fortiter abſtergunt, ut & quæ cicatricem ducunt. Ut contingat ſæpiculè falli eos, qui accipiunt, vel pro cathæretico, vel pro eo, quod ſordes purgat, vel quod cicatricem ducit. V. g. Miſy, chalcitin ſi applices naturæ humidæ, purgat potius quàm cicatricem ducit. Hinc, ſi fortè talibus cogamur uti ad cicatricem, aliis non præſentibus, debemus in minimâ quantitate uti, apicem ſpathæ demittentes tantum in medicamenta tenuiſſimè lævigata, & poſteà quaſi pulviſculum quendam aſpergimus partibus glutinatione indigentibus. Si verò & purgare volumus, quæ exſtant, largius imponimus.

3. Inter hæc ærugo maximè eſt cathæretica, ut ſit prorſus extra epulotica. Si combuſſeris illa, minus quidem acria evadent, ſed magis epulotica. Si etiam laveris, mitiora. Meminiſti autem procul dubio illius, qui præter rationem curabat ulcus ſordidum uſitato medicamento, quod χλωρὸν vocamus. Miſcebat

enim mel,ſed cum poſt aliquot dies non minus ſordidum eſſet,in dubio erat,nec habebat aliud,ad quod tranſiret; (accidit enim,ut ſordes quidē non minuerentur, ſed & ſimul abſcederet carnis aliquid, cum medicamentum eſſet fortius, quàm natura laborantis vellet.) Miſcebat autem Medicus quotidie plus mellis, ut validius purgaret,quaſi prius fuiſſet ignavum. Sed evenit contrarium. Quò magis enim acrimonia intendebatur, eò magis colliqueſcebat caro ſubjecta. Decipiebant autem Medicum ſordes ſuper ulcere viſæ,quaſi nihil faceret medicamentum. Eadem ignorantia,quæ in curatione, erat & in dignotione.

4. Ubi enim æque ſordidum apparet ulcus in uſu utriusque medicamenti, fit etiam magis cavum à fortiter colliquantibus,prætereà labia intumeſcunt, rubrum fit,& propè eſt inflammatio. Aliquando etiam evidens eſt morſus à tali medicamento. At ubi contrarium fit,ubi,inquam,minus ſiccat quàm debebat, neque mordicat,neque quidquam eorum facit,quæ dixi. Manifeſtum puto & illud eſt,quod Empiricus,etiamſi maximè reſtrictâ utatur experientia, tamen ſcitè ad aliud conveniens tranſire non poteſt. Hoc verò ſolus poteſt ille,qui ex methodo curat,quam ego trado.

COMMENTARIUS.

5. Hoc caput plus habet in receſſu, quàm primâ fronte promittit. Titulus quidem eſt de ὑπερξηραινούσει: illa verò includit duo magni momenti, quorum alterum eſt de *Indicatione contrarii ſimilis*,ut jam bis vocavi: alterum de tranſitu ab uno ad alterum medicamentum. Ut intelligas. Omnis quidem indicatio eſt à contrario, ſed hoc duplex eſt,ſimpliciter dictum, & contrarium ſimile. Illud eſt,cum calida frigidis opponuntur: hoc,cum tanto calori tantum frigus,quod non faciat vim Naturæ. Hoc alibi declaravi exemplo duorum febricitantium,quorum alter juvenis,alter ſenex: Utrique ſi dederis contraria in eodem gradu,juveni quidem proderis,ſenem autem enecabis. Ita, quod ad negotium noſtrum,Carnis generatio eſt à naturâ ſeu temperamento partis ulceratæ; at quia caro hujus individui differt á carne illius, ſi utrobique iiſdem cathæreticis utaris,hunc quidem ſanabis, illius autem carnes colliquabis,& malum facies pejus. Hinc eſt præceptum practicum, *Conſideratis conſiderandis adhibe hoc tale medicamentum. Si benè facit,perge: ſin, tranſi vel ad calidius, vel ad temperatius.* Hoc,inquit Galenus, *Empirici* non poſſunt: quia gradus ſimplicium ignorant. *Logici* poſſunt. Atque utinam non hærerent in eodem luto cum *Empiricis Chirurgi* noſtri! Ego video omnibus hoc accidere,ad Ill. uſque D. ab Aquapendente! An ex his reformanda ſunt,quæ 1. *Inſtit.*2.*de officio Naturæ* dicuntur? Non pertinent hæc ad Medici officium, necubi Naturam præcipitet, & fiat hoſtis Naturæ.

CAPUT VII.

1. A Methodo enim alienorum Theſſaléorum iſtorum Methodicorum methodi nomen eſſe inane nôſti, omnis operæ vacuum. Hi enim, cum methodus curandorum ulcerum tanta & tam vaſta ſit, neque Empiricorum uſi ſunt diſtinctionibus in inveniendis medicamentis, neque à naturâ rerum indicationem ſumſerunt, velut Dogmatici, duntaxat dicentes, quod idiotæ etiam ſciunt, cavum quidem ulcus requirere impletionem: plenum autem cicatrice. Ita, quod carne ſupercreſcente abundat, ut illa dematur; ſordidum, ut expurgetur; purum, ut cicatrice claudatur & glutinetur. Hoc dicto, putant ſe abſolviſſe univerſam hanc methodum, tantum abeſt ut ſciant, humidioribus naturis opus eſſe minus ſiccantibus: ſiccioribus autem magis.

2. Quod ergo in toto diſcurſu noſtro manifeſtè apparuit, iterum reſumendum eſt, ut nos quidem attentiores ſimus, alii autem omnes, qui corrumpunt priſcam methodum, apertius cognoſcant, quantoperè errent.

3. Incipiam autem ab ulceribus incarnatione egentibus, hoc exemplo uſus, quoniam & anteà de illo locutus ſum: deinde, de totâ ſimul curatione in univerſum ſermonem habebo. Apparuit non rationem tantum conſulentibus, ſed & experientiam, non omnem naturam eadem velle medicamenta, ſed debiliores & molliores temperatiora, fortiores & ſicciores validiora. Sic etiam ſe habet res in iis, quæ cicatrice indigent, & amplius, quæ glutinatione. Simpliciter enim molliores non tolerant valida medicamenta. Huic rei ſi diutius immorére, planum fit expreſſè, partim, quod & natura laborantis non ſit negligenda, partim, quod ſingulorum hominum peculiaris ſit cura. Et præterea tertium, quod præterquam quod id, quod individuo proprium eſt, indicibile eſt, & incomprenſibile accuratâ ſcientiâ, is optimus ſit Medicus omnium particularium morborum, qui methodum quandam in animo circumferat, quâ dignoſcat naturas à naturis, & conjectet, quid cujusque proprium ſit, ratione remediorum. Putare enim communem quandam omnium hominum eſſe curationem, extremè ſtultum eſt, licet ita ſentiant Methodicorum ſtupidiſſimi.

4. Illi tamen firmiter ſtare ajunt omnia Medicinæ theoremata, h.e. in cognitione ſcientifica eſſe & ſolida. Eſſe verò cognitionem iſtam artem quandam communitatum, non proprietatum, quaſi communem & genericum hominem curarent, non individua. Ut igitur in aliis omnibus ſtatim ab initio falſi ſunt: ita & heic. Curatur enim homo, non communis ille & genericus: ſed noſtrûm quisque, qui habemus ſuum temperamentum & naturam. Illi perſuadent ſibi, unam eſſe omnium curam: ego verò, ſi exactè ſcirem individuales naturas, imaginarer mihi, me eum eſſe, quem Æſculapium

fuiſſe

fuiſſe fingo. Hoc quia impoſſibile eſt, quàm proximè accedere, & quantum homini datum eſt, volo, ad hoc me exerceo, atque ut idem faciant alii hortor.

5. Tentant igitur etiam Empirici, quantum fieri poteſt, diſcedere quidem à communibus, accedere autem ad propria: ſed quantum & his deſit ad perfectionem, anteà dictum eſt. Non enim in pueris, aut mulieribus, aut ſenibus, aut teneram, albamque carnem habentibus, aut his talibus, ut illi faciunt, hoc diſtinguendum: ſed quàm humidum aut ſiccum ſit corpus?

6. Empiricis igitur cùm in aliis multis, tùm in his conſentiendum eſt, cum ad proprietatem naturæ laborantis accedere volunt. Poſt omnes itaque alias diſtinctiones, quibus utuntur, etiam illam à conſuetudine in medium producunt, quaſi ibi etiam abundent familiaribus ægro remediis. Dicetur autem nobis amplius in ſeq. de conſuetudine, cum oſtendemus, veteribus multa inventa eſſe de cognitione proprietatis laborantis naturæ, etiam ex conſuetudine. Hanc igitur diſtinctionem aſſumunt Empirici, & præter hanc, ſi Medicus ſæpè affuerit ægrotanti, felicius illum verſari in curâ quàm illum, qui non affuerit. Hæc omnia ubi addiderunt, nondum habere ſe ajunt firmam & ſcientificam proprietatis dictæ cognitionem. Impudentiſſimus autem Theſſalus, qui hoc ſolum ſcit, cavum ulcus eſſe implendum, ſtabilia & firma eſſe ait Medicinæ theoremata, quamvis nôrint omnes homines, ut dictum eſt, non illi modò à tempore, quo Theſſalus, alter Æſculapius, in mundum venit. Fortaſſis & illi, qui ante Deucalionem & Phoronea, ſi modò & illi Logici erant. Sed, præterquam quod ſciebant, cavum ulcus carne eſſe implendum, etiam hoc intellexerunt, quod ille, qui ſcit, medicamenta, hoc ulcus carne impletura, ille ſit Medicus. Si igitur experientiâ talia ſunt inventa, manifeſtum eſt, Empiricè nobis curandum eſſe: ſin ratione, Logicè. Non enim aliud inventum eſt: alio dextrè utetur. Verùm de hoc contendimus cum Empiricis.

7. Quod verò nondum dixi, Vera Medicina naturam laborantis conjecturâ quærit. Vocat hoc vulgus Medicorum ἰδιοσυγκρισίαν, fatenturque omnes incomprenſibilem eſſe, & propterea veram Medicinam Æſculapio & Apollini tranſcribunt. Hæc oratio tota pendet à duobus principiis, hinc quidem ab evidenter apparentibus, apud Empiricos & obſervatores: illinc autem, ab Elementis, apud Logicos. Quod enim aliud medicamentum alii prodeſt, propè jam pueri ſciunt, & conſentit ratiocinatio ab elementis petita. Si enim ſupponas quindecim differentias eſſe in eo, quod magis & minus, in temperamentis humanis, & in naturâ humidâ: oportet te quindecim pariter differentias nôſſe medicamentorum, quibus uſurus ſis, & has quidem magis ſiccas, ut unicuique naturæ conveniens invenias.

8. Quod ſi quindecim alias differentias in ſiccitate ſuppoſueris, eodem

modo quindecim aliis opus ſit medicamentis, 30. naturis accommodatis. Hís uti poterit ſolus ille, qui de temperamentis corporum rectè cogitârit. Ergò, ſi totum corpus ſiccius ſit, à medicamentis ſiccioribus juvabitur: ſi verò pars aliqua reliquis ſit ſiccior, minus ſiccis indigebit. An liquet hinc quoque, ſicciorem temperamento partem indigere ſiccioribus, humidiorem humidioribus? Et hoc totum prætermiſerunt Theſſalii illi methodi expertes, putantes, unum medicamentum omnibus convenire partibus. Empirici autem quantò ditiores ſunt Theſſaliis Methodicis, tantò magis vincuntur à veris Methodicis, qui iidem Logici ſunt. Habent certè illi quoque à verâ experientiâ docti, aliud quidem in ulceribus oculorum, aliud in auribus, aliud in articulis, aliud in carnibus, aliud in ſolâ cute medicamentum. Sed quod neque illi ad aliud tranſire poſſint, ex iis, quæ anteà dicta ſunt, manifeſtum eſt.

COMMENTARIUS.

9. Toto capite hoc agit contra *Empiricos*, & falſos *Methodicos*, curationem non eſſe hominis in genere, ſed hujus hominis, Coriſci, Socratis, & quidem non ſecundùm totum tantum, ſed & omnes & ſingulas partes. Quâ in re hoc præcipuè tenendum eſt, quod ait §. 4. Se, ſi ſciant ἰδιοσυγκρίσεις ſingulorum, exiſtimaturum, ſe Æſculapio æquiparandum, idque ideò, ut ab uno ad aliud tranſire poſſit, ſi opus ſit. An ex h. l. explicandus *Aph. 52. ſect. 2. Omnia ſecundum rationem agenti ſi non reſpondeat effectus, non eſt tamen transeundum ad aliud, ſtante eo, quod ab initio viſum eſt.* Practicorum quidam dicunt, Non mutandi ſunt ſcopi (hoc prohibet Hippocrates, per ea, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς;) ſed remedia: hoc eſt, ſi viſum fuit utendum eſſe calidis, perge, & utere calidis, ſed vel remiſſioribus, vel intenſioribus: non autem ſubitò frigidis. Hoc videtur ſuadere ἰδιοσυγκρισία, de quâ Galenus. Hoc videtur velle analogia in externis, de quibus Galenus etiam heic. Quemadmodum ulcera dyſepulota ſæpè non curantur hoc ſarcotico, ſed tamen ſarcotico alîus gradus: ita in internis. Alii permittunt, ut ad contrarium eatur, & utuntur autoritate Antonii Muſæ *apud Suetonium*, in morbo ancipiti Augusti Imp. Hunc dicunt fuiſſe Colicam ex cauſâ calidâ, in quâ calida exacerbabant dolores. Contra hanc ſententiam ſunt illa Hippocratis, μένοντος, &c. Cæterum, opponunt quidam contrarium Avicennæ *aph. 1. 4. c. 1. Qui absque ratione operatur, huic in operatione diutius perſiſtendum non eſt, licet in præſentia nihil incommodi aut periculi ſequi videatur.* Ego hinc præceptum exſculpo contra Patavinos noſtros: ubi enim in morbo Italico ficto, aut aliis malis contumacibus, nihil actum eſt, utuntur ſeptem dierum digeſtivis cum inſequenti purgatione, repetitis. Non debetis, O boni, *andar la ſtrada de' muli*, quod illi proverbialiter dicunt: ſed mutare tàm alterantia, quàm purgantia, ut Galenus *h. l.* v. g. pro decocto Ligni fervido decoctum Chinæ temperatè humidum, quod corpus reddit emaciatis. Tum vera erit Vall. vox, divinitus edita, *Medici plures curarent, ſi ſcirent, ſe Naturæ miniſtros eſſe.*

CA-

CAPUT VIII.

1. QUia & hæc ſatis definita ſunt, redeamus iterum ad orationis principium, miſturi omnes, quæ cum ulcere diſpoſitionum differentias, incipiendo à primâ intemperie. Si igitur infortunio aliquo vel prius, vel ipſo tempore ulcerationis, fiat pars ulcerata calidior æquo, aut etiam frigidior, deſiderabitur medicamentum, quod non tantum modicè ſiccare poſſit, ſed & quod tantò calidius, aut frigidius ſit, quò magis caro ſubjecta à naturâ receſſerit.

2. Fieri enim non poteſt, ut vel incarnatio, vel repletio, vel glutinatio, vel cicatriſatio ulceris ritè fiat, ſi malè habeat caro ſubſtrata. Neque fruſtrà diximus anteà, iſta omnia eſſe opera naturæ: purgationem tamen ſordidorum, & mundificationem ſuperexcreſcentium fieri etiam absque eo, quod caro ſecundum naturam ſe habeat. Eſſe enim medicamentorum tantum. Quamobrem major tibi ſit bonæ temperiei partium ulceratarum cura, tum vid, cum carnem generare vis, quam glutinare, & cicatricem ducere. Servare enim fas eſt motus naturæ, quos ſequitur dictorum quidlibet. Non ſervabuntur autem, niſi pars undiquaque ſana ſit.

3. Quemadmodum igitur ſi inflammatio ſit cum ulcere, priusquam hanc ſolverimus, nemo auſit vel carnem generare, vel glutinare, vel cicatricem moliri: ita, puto, etiamſi ſine inflammatione ſit ſola intemperies dictorum, ne quid futurum ſperemus, antequam illa ſanetur.

4. Ergò hinc iterum indicatio quædam exſiſtit inventionis medicamentorum dictorum. Nam omnia erant quidem ſicca: ſed differebant ſecundum magis & minus. Nondum quidem dictum eſt, qualia ſint in cal. & frig.: ſed methodus cogit nos hoc quoque indagare. Conſiderare enim oportet, non ſolum ſi calefaciant, aut refrigerent: ſed & quam validè id faciant. Vitabis igitur hyoſcyamum, mandragoram & papaver, tanquam ultra modum frigida, licet ſiccent tantum, quantum ulcus vult. Reſina, pix & bitumen etiamſi moderatè ſiccent: ſunt tamen ultra modum calida; propterea nemo utitur illis ſolis, ſed cum modicè frigidis, ut fiat compoſitum temperatum.

5. Hæc ſi ita ſe habent, ut ſe habent, intueri etiam oportet aëris temperamentum. Quaſi enim medicamentum extrinſecus allabens corporibus, ſi immodicè calidus & ſiccus ſit, impedit curam: ita aër facit. Oportet igitur opponere illi medicamenta. Quare Hipp. quoque utitur contrariis anni temporibus, frigidioribus quippe in calidis ſtatibus.

6. Non dubito nôſſe te quendam è numero ſtolidorum Methodicorum, fatentem quidem videndum eſſe, quantum aër caleat vel frigeat: non concedentem tamen anni tempora eſſe admittenda, ut & nomina, à priſcis uſurpata. Sed, neceſſarium eſſe volenti ulcus curare methodicè, conſiderare prima elementa, ut & tempora anni, & temperamenta corporis totius, partiumque ejus, ſatis puto probatum eſſe.

7. Rur-

7. Rurſus igitur mentionem facere oportet illius, quod dictum eſt de indicatione humidi & ſicci. Ut enim in illis natura humida requirebat humidiora, ſicca ſicciora: Ita nunc quoque, calidior aër calidioribus indigebit, frigidior frigidioribus. Viciſſim, indicatione acceptâ ab iis, quæ ſecundum & præter naturam: quæ ſecundum naturam, ſibi ſimilia volunt, quæ præter naturam contraria, tum verò, hæc quidem tueri oportet: illa verò diſperdere.

CAPUT IX.

1. ET temperamenta corporis, partiumque ejus, unà cum temporibus anni, cum conſideranda eſſe dixi ei, qui rectè curare velit ulcus, videor mihi rem clarè demonſtrâſſe. Ac primus quidem medicationis ſcopus ſumitur mihi à ſolâ diſpoſitione, unde remedia capi non poſſunt, niſi prius ad elementa aſcenderimus, & laborantis temperamentum tàm in corpore toto, quàm in parte affectâ intuiti fuerimus, ſtatimque poſthæc regionis, quæ ſe extendit ad conſtitutiones aëris illas, quæ morbos Epidemios facere ſolent.

2. Quod autem ſæpè contrariæ indicationes oriantur in unâ medicatione, & quomodo oporteat tractare illas, deinceps fuſius dicetur. Interim à re non fuerit alienum, paucis heic quoque de illis egiſſe. Nihil enim (puto) miri, humidiore quidem temperamento eſſe laborantem: partem autem affectam ſicciorem. Aut viciſſim, partem quidem affectam humidiorem: totum autem ſiccius. Eodem modo de cal. & frig. ſe habet res.

3. Quemadmodum igitur ſi totum corpus eſſet medii temperamenti, quod optimum eſſe oſtendimus, nihil tamen, quod ad hoc, in medicamentis novi tentaremus: ita ſi ſiccius aut humidius, frigidius aut calidius æquo ſit, intendere facultates medicamentorum tantò magis oportet, quò intemperatius erit corpus. Non enim obliti ſumus libri de inæquali intemperie.

4. Fac igitur totum laborantis corpus humidius eſſe, & ita minus indigere ſiccis medicamentis; partem autem affectam eſſe ex cenſu earum, quæ ſicciores ſunt, quales ſunt, quæ minus carnoſæ ſunt: (tales ſunt, quæ propè digitos, & articulos, aures, nares, oculos, dentes, ſimpliciter, ubicunque cartilagines multæ, membranæ, oſſa, nervi; è contrario pinguedo & caro, vel nulla, vel pauciſſima:) in his profectò diverſa eſt indicatio à parte affectâ, & à totâ naturâ laborantis. Quare, quò temperamentum ægri eſt humidius medio ſeu ſymmetro: tantò pars quoque eſt ſiccior media ſeu ſymmetrâ, neque medicamento quidquam addi aut demi poteſt, ſed applicandum eſt tale, quale accepimus in temperamento corporis ſymmetro, ulcere conſiſtente in parte ſymmetra.

5. At ſi particula juſto fuerit ſiccior, cum corporis temperamentum ſit juſto humidius: tantò magis intendere debes ſiccitatem medicamenti, quantò ſuperior eſt pars temperamento totius. V. g. ſi pars ulcerata ſit ſiccior ſymmetro quatuor numeris, tribus autem natura ægri humidior temperatâ: mani-

manifeſtum eſt, partem, quæ nunc exulcerata eſt, ſiccius uno gradu medicamentum deſiderare.

6. Hæc omnia conjecturâ capi, & quod optimè conjectat, qui exercitus eſt in talibus, nimis apertum eſt. In his omnibus uno ſæpè tempore contrarias eſſe indicationes (certum eſt.) Neque opus eſt, ut de calido & frigido demonſtrem illis, qui quid ſit analogum, ſciunt: in aliis verò, in quibus temporibus ſtatim indicationes diſtinguuntur, oportet. Tunc enim altera quieſcit, certè in principio curæ: altera agit, ubi ſc. ulcus & cavum & ſordidum eſt valdè. Diſpoſitiones enim heic tres ſunt, ulcus, cavitas, & ſordes: ordo autem curationis incipit à ſordium ablatione, quod neque glutinari poſſit ulcus, neque carne impleri, antequam purificetur. Secundum locum vult habere cavitas. Sive enim glutinemus, ſive cicatricem inducamus, ſive (ut in ſummâ dicam) curemus ulcus, cavitatem amplius implere non poſſumus.

7. Fac iterum, non tria illa ſola conjuncta eſſe cum ulcere, ſed & adeſſe inflammationem, aut eryſipelas, aut gangrænam, aut intemperiem vel ſimplicem, vel compoſitam: annon inde clarum eſt, niſi quis ante omnia ſanet illam, carne impleri ulcus non poſſe? Dictum eſt enim anteà quoque, quod carnis generatio fit ex ſubjectâ ſanâ. Ex inflammatâ, & alioqui intemperatâ, ſimpliciter, morbidâ, non poſſe gigni novam carnem.

8. Scopus igitur in omnibus talibus complicationibus ſit tibi triplex: Primus, velut à cauſis ſumtus ejus, quod futurum eſt. Alter verò, hoc tantum habet, quod ſine illo alterum ſanari nequeat. Tertius eſt, qui urgentium & ſtimulantium nominatur. Bona igitur temperies ſubjectæ carnis rationem habet cauſæ, faciens concreſcere, quod ulceratum eſt, & implens cavum. Puritas autem ulceris cauſa eſt ſine qua non. Et hanc interpellantes ſordes curationem impediunt. Habet enim cavitas, ratione ulceris, cauſam ſine qua non. Antequam enim carne impleatur cavitas, ad cicatricem perveniri non poteſt.

9. Ad hæc reſpiciens, ordinem curationis invenies. Scilicet, inflammatio, cavitas, ulcus & ſordes ſimul in eadem parte ſunt, & volunt primum inflammationem auferri: deinde ſordes: tertiùm cavitatem: quartùm, ulcus. In dictis enim & ordo eſt, & ſcoporum inventio: at qui ab urgentiâ ſcopus, hinc abeſt, in aliis eſt. A diſpoſitione enim primùm & maximè periclitatur homo, & huic primò ſtudendum eſt. Aliquando non primo tantùm, ſed & ſoli. V. g. ſi puncto muſculi initio convulſio ſequatur, quæ nullo medicamento conſueto ſiſtatur. Qui enim diſſecuerit transverſim totum muſculum, convulſionem quidem ſanaverit, ſed aliquem partis motum læſerit.

10. Ita in hæmorrhagiâ ex venâ vel arteriâ inſigni, ſi quis totum vas per transverſum inciderit, non poterit quidem amplius ſolidare vulnus illud: ſed periculum ex hæmorrhagia effugerit. Sed & punctum nervum cogimur aliquando amputare, ſi convulſiones, aut deliria, aut utraque, quæ gravia

 ſint,

ſint, videamus ſequi vulnus. Eodem modo ſi luxationem cum vulnere ſinamus, ſine repoſitione, ſi fiat in magno articulo. Vulnus enim curamus, luxationem relinquimus, quia & heic, ſi tentemus quid, convulſiones utplurimum ſequuntur.

11. Tertius hic igitur ſcopus eſt, qui fit ob urgentiam, alter vid. illorum dictorum. Non enim idem eſt, aliquid habere loco cauſæ, aut cauſæ ſine qua non, aut ut urgens. Sed & quod urget, aliquando tale eſt, ut pro incurabili habeatur alia quædam diſpoſitio. Et quod diſpoſitio illa ſæpè à nobis ipſis conſultò inducitur, vel in nervo puncto, tendineve, vel hæmorrhagiis vaſorum, vel vulnere accepto in capitibus muſculorum. Ubi enim luxatio eſt cum vulnere, non idem facimus, ſed tantum à curatione abſtinemus. Dicetur autem de his etiam deinceps accuratius.

COMMENTARIUS.

12. Admodum miror diligentem copiam (ſic loquor) Galeni in differentiis ulcorum. Si enim conferas cum parcimoniâ noſtrorum Chirurgorum, noctem cum die comparabis. Quid verò lucrantur hi? Ut contemtibiles ſint, & dici verè poſſit, cauſam eſſe, cur pleraque Xenodochéa ſint plena ejusmodi ulceribus dyſepulotis, quibus non aliter conſulunt quàm paregoricis ſuis. At verò ſi conſulere vellent conſcientiis ſuis, digitum ſaltem intenderent in hæc Galeni. Huic ego labori publicè deſtino virum Ill. & induſtrium D. MARC. AUR. SEVERINUM, Chirurgum Neapolitanum, DN. & amicum honorandum, qui edito ſcripto de ABSCESSIBUS, Neapoli 1632. vel quaſi debitorem ſe conſtituit.

13. Obiter heic moneo etiam, quod §.3. de *l. de Inæq. int.* dicitur, explicitum ibi fuiſſe, quod 2. *Temp.* 6. diligenter inculatur. Antequam de totius temperamento judicium fertur, conſiderandum an omnes partes æqualiter ſint temperatæ. Hoc enim quia non eſt in noſtro, dubitavi jam alibi de ingenuitate ipſius.

CAPUT X.

1. JAm enim præſenti ſermoni quaſi Coronidem imponere placet, reditum faciens ad proprias ulcerum differentias, ut ne ſi quæ heic ſit indicatio remediorum, non inſuper habeatur. Ulcus igitur cum inflammatione, putreſcens, exedens, gangrænoſum, eryſipelaceum & cancroſum, cum vel ſine dolore, & alia talia vocant, quæ differentiæ ſunt ulcerum. Si quis alius, curationem Empiricam meditans, loqui aliter velit, huic controverſia non moveatur, ſi differentias appellet. Millies enim dictum eſt, de nominibus litigandum non eſſe. Si quis verò præ ſe ferat, ſe artificioſum quid propoſiturum de Indicationibus, illi dicendum fuerit, Compoſitas eſſe omnes dictas diſpoſitiones. Alias autem differentias eſſe ulceris ſimplicis & ſolius, absque conjunctâ ullâ aliâ diſpoſitione.

2. Si

2.Si enim ſolutio continui facta ſit ab acuto telo, cujus formam referat vulnus, orientur differentiæ multæ vulnerum obliquorum, rectorum, capreolarium, hamiformium, aliter atque aliter habentium, omnes à figurâ. Sed & à magnitudine ſecundum magis & minus erunt infinitæ aliæ. Erit enim vulnus magnum & parvum, aliud alio majus, minus: aliud breve, aliud longum: aliud ſuperficiale, aliud profundum, in ſingulis magis, minus, pro magnitudine, quantitate, aut quomodolibet loqui velis, diverſum. Hæc ſi ita habent, ex conſequenti etiam aliud æquale, aliud inæquale erit in profundo diviſionis. Secundum enim longitudinem inciſo femore, ſuperior vulneris pars in profundum ibit: inferior in ſuperficie ſtabit. Et contrà. Sic ſanè, inciſum eſſe aliquid magnâ ex parte poteſt, & ſubingredi telum ſub cute oblique, ut aliqua vulneris pars ſit evidens, aliqua lateat. Et hoc contingere poteſt vel ſuperius, vel inferius, vel oblique. Ex his omnibus peti differentiæ poſſunt. Rurſus, in tempore etiam fiunt. Aliud enim vetuſtum eſt, aliud novum, illud vel magis vel minus diuturnum, in omnibus magis, & minus, in magnâ latitudine.

3.Et hæ quidem ſunt differentiæ eſſentiales, & harum quædam principaliſſimæ, quædam minus principales, v.g. quæ à figura & talibus: aliæ forinſecus accedunt, & habent rationem cauſæ ſine qua non, v.g. quæ in tempore, unde aliud eſt recens, aliud vetuſtum: aliud totum eſt conſpicuum, aliud ex parte tantum. Jam à modo generationis (etiam exſiſtunt differentiæ) quod alicubi ſecta aut rupta eſt pars tota, alicubi particula ejus ſecta, altera ruptâ. At verò ſi differentias à loco etiam dinumeres, v.g. ſi vel tendo muſculi, vel caput, vel venter vulneretur, vel hepar, vel ventriculus, etiam hæ erunt differentiæ.

4.Et hæc quidem ita ſe habent: at cum non ex natura rei petuntur, ſed ex locis, in quibus ſunt, (aliud eſt.) At ſi quis loquatur de ulcere cum inflammatione, cum carne ſupercreſcente, cum cavitate, & poſteà putat, ſe attuliſſe differentias vicinas ulcerum, de quibus deſii dicere, hic neceſſariò in methodo medendi falletur.

5.Ita enim dictum ulcus cum inflammatione videtur eodem ſenſu dici ac ſi ulcus eſſet parvum: ſed quod ſignificatur, non eſt. Cum enim dicimus ſuperficiale aut profundum ulcus, propriam ejus differentiam ſignamus: at cum inflammatione ne quidem eſt ulceris differentia. Poteſt enim pars inflammari ſine ulcere. Ideò dictionem immutare licet. Si enim dixeris, laboraſſe aliquem ulcere ſine inflammatione, loqueris & clarius & propius ad rem: non autem, ſi alicui magnum fuiſſe dicas, alicui exiguum. Propius enim rei naturam acceſſerit, & clarius locutus ſit, qui in hoc ulcus magnum agnoverit, in illo parvum. Unde, ſi poſſibile, ut, mutata lectione, res aptius habeat nomen, & auditoribus clarior evadat, omninò id faciendum. Principium enim eſt nolle decipere in rebus, uti dictione definita.

6.In his igitur quæ methodus eſt? Tradendum eſt enim præceptũ quoddam,

& quaſi ſcopus, cui attendentes, expeditè diſtinguere poſſimus, an differentia ſit allata cujuscunque diſpoſitionis, an potius ſit miſtura cum aliâ? Sit igitur hæc tibi diſtinctio. Quod ſeorſim, & per ſe conſiſtere poteſt, hoc nunquam fieri poteſt alterius differentia. Magnitudo igitur & parvitas, æqualitas & inæqualitas, tempus & figura, accidunt aliis. Ulcus autem, inflammatio, gangræna, & putredo ſeorſim & per ſe conſiſtere poſſunt. Diſpoſitiones enim ſunt corporis noſtri, præter naturam conſtituti, non autem quæ diſpoſitionibus neceſſariò ſuperveniunt. Omnibus enim hic dictis neceſſariò accidit, quod aut parvæ, aut magnæ ſint, æquales aut inæquales, vetuſtæ aut recentes, faciles cognitu, aut difficulter. Inflammatio autem non eſt ex numero accidentium ulceri, ut neque putredo, neque gangræna. Omnia enim hæc ſunt ex numero morborum, diſpoſitiones quippe præter naturam, quæ actiones lædunt. Viciſſim alio modo eſt ulcus dolens, aut ſordidum: dicitur quidem quaſi ulceris differentia, ſed & heic compoſitum quid eſt, ſed alio modo quàm illo, quo ulcus inflammatum dicebatur & putridum. Ibi enim diſpoſitio eſt inflammatio & putredo: heic autem dolor & ſordes ex genere ſymptomatum ſunt. Eodem modo ſi quis dicat ulcus vel cacochymum, vel fluxionibus obnoxium, vel exedens. Significat enim cauſam unà cum diſpoſitione.

7. Ex his manifeſtum fit, quod quaſi elementa quædam methodi medendi primi & ſimplices & incompoſiti morbi ſint, & hanc ob cauſam in l. de diff. morb. omnes enumeravimus. Nihil autem intereſt, ſive prima ſive ſimplicia dicas. Nam & quod primum ſimplex eſt, &, quod ſimplex primum eſt, quare & elementare. Indicatio autem curationis non fit ab omnibus differentiis. Recens enim & vetus ulcus nihil indicat, quamvis id videatur quibusdam. Sed decipiunt ſe ipſos, ut & in victû, de quo dicunt, alium eſſe in augmento, alium in ſtatu, alium in declinatione. De quo latius cum dicturi ſimus in ſeq., jam non oportet heic ſtare, ſed dicere, quæ ad præſens negotium.

8. Recens vulnus (quia utplurimum ſine alio ſymptomate eſt,) aliam habet indicationem à vetuſto, dicunt. Hoc verum non eſt. Hoc enim ulcus tantum eſt, (eſt enim id, quod cavitatem non habet, non dolet, non eſt ſordidum, & abeſt ab omni aliâ diſpoſitione;) indigetque ſolâ propriâ curatione, cujus ſcopus eſt vel glutinatio, vel coaleſcentia, vel continuitas. Sæpè enim dictum eſt, Vocet quis ut vult, ubi in re nihil mutatur. Sive igitur recens ſit tale ulcus, ſive vetuſtum, ſemper eâdem opus habet curatione, nec quidquam proprii à tempore illi accedit. At verò ſi profundam cavitatem habeat, ſub cute abſconditam, conſiderare oportet, ſitne pars ex illis, quæ ſitum habent ſuperiorem, ut ichores deorſum ſubterfluere poſſint? an inferiorem, ut in ulcere ſubſiſtant?

9. Quæ ex primo genere, habent eandem curam cum aliis: quæ ex ſecundo, oportet nos machinari tale quid. Duplex autem machina eſt, aliquando, ut totam incidamus cavitatem: aliquando, ut ex oppoſita parte aperiamus tantum in fundo,

fundo. Quando verò alterutrum ſit faciendum, docebit te partim natura loci: partim ulceris magnitudo. Si enim locus ipſe ſit doloſus, & ulcus magnum, conſultius eſt aperire in oppoſita parte: ſi verò contra, ſuperius. Deligatura autem incipiat quidem ſuperius: deſinat verò inferius, ubi effluxus.

10. Quod verò differentia, quæ ab ipſis partibus vulneratis, perquam neceſſaria ſit ad indicationem, dictum eſt anteà. Verùm illa quidem ut ſimilarium eſt: hæc autem, cujus nunc memini, ut organicarum. Dicetur autem de hac, vel ut ſimilarium eſt, vel ut organicarum, pluribus deinceps: nunc iterum ad proprias ulcerum differentias eundum, ſive per obliquum ſectæ ſint partes, ſive in directum, ſive profundè, ſive in ſuperficie, ſive parum, ſive multum. Obliqua enim vulnera, quod labia plurimum diſtent & hient, indigent adductione accuratiore, ut vel ſuturis opus ſit. Quæ verò per longitudinē muſculorum eunt, ſi ex duobus principiis ligentur, neq; ſuturis neq; hāis indigent. Si verò aliter vincire libeat, aut hami ſufficient, aut ſuturæ perquam exiguæ. Et magna quidem vulnera, validè ſiccantibus tractabis, ſi meminiſti antè dictorum: parva autem etiam modicè ſiccans percurabit: profunda autem etiam magna ſunt. Ea indigent deligaturis, & ne ſubitò glutinentur: quæ verò longa & profunda, duobus modis magna ſunt, & duplicem habent indicationem, ut & valdè ſiccantibus indigeant, & adductione labiorum matura, & deligatura ex duobus principiis, & ſuturis profundis. Eodem modo, quamvis videas differentias copulatas, quæ ſingulares, & proprias habent indicationes, ſi non pugnent inter ſe, optimum fuerit omnibus uti: at verò ſi quà diſſideant, dictum jam eſt, quo modo diſtinguendum ſit, & dicetur pluribus poſteà. Jam enim tempeſtivum mihi videtur claudere tertium librum: in quarto autem ſermo nobis erit de ulceribus, quibus utplurimùm junguntur multæ diſpoſitiones. Adſcribemus autem curas etiam antecedentium cauſarum.

COMMENTARIUS.

11. Planiſſimè puto, cap. hoc 10. præcedere debere duo priora, vocat enim ἀνακεφαλαίωσιν. Primum autem docet, quæ differentiæ reverà ſint ulcerum: quæ compoſitarum diſpoſitionum. Hanc in rem mox regulam ſtatuet, Ubicumque duæ ſunt appellationes, quarum altera ab alterâ ſeparari poteſt, non ſunt differentiæ, V. g. Ulcus inflammatum, eryſipelaceum, gangrænoſum, non conſtituit differentiam ulceris, ſed duos dicit affectus, ſeu, ut ego loqui malo, duas diſpoſitiones morbificas, quarum altera ulcus eſt, altera inflammatio, eryſipelas, gangræna.

12. Huic regulæ §. 2. ſubjicit veras ulcerum differentias, præcipuè duas, à figurâ & magnitudine. Has §. ſeq. diſpeſcit in eſſentiales

& accidentales, quas ait habere rationem cauſæ ſine qua non. Mox diſtinctione repetit, & explicat §.5. Eandem §.6. diſtinctis verbis proponit: Quod ſeorſim & per ſe conſiſtere poteſt, id alterius differentia non fit. §.7. accingit ſe ad refutationem eorum, qui volebant, ulcus recens habere alias indicationes à vetuſto. Hos perſequitur §.8. & 9. docetque quid agendum ſit, ſi ulcus vetus factum ſit fiſtuloſum ſeu ſinuoſum. §.10. attingit indicationem à parte vulnerata, quam fideliter, & per partes explicat.

Finis Lib. III.

METHODI MEDENDI LIB. IV.

CAPUT I.

1. EX ſuperioribus intelleximus, ex morborum generibus unum eſſe, quod *Continui ſolutio* dicitur, quæ omnibus quidem corporis partibus accidit: ſed non in omnibus idem habet nomen. In carnoſa enim parte *Ulcus* dicitur: in nervoſa autem *Spaſma*, vulſio ſeu divulſio. Hujus generis eſt *Diaſpaſma* aut *Apoſpaſma*, & *Rhegma* & *Thlaſma*, quorum illud à quibusdam tribuitur ligamentis: hæc duo vaſis & muſculis, & eſt à plaga violent, vel caſu, vel alio quodam valido motu. Ἐκχύμωσις (*ſugillatio*) autem utplurimum cum ruptura, contuſioneve eſt. Incidit verò & ſimul cum ἀναστομώσει vaſorum, & vocatam à quibusdam διαπήδησιν, diverſum à ſolutione continui genus. Sed & per διάβρωσιν aliquando corrumpitur continuitas in partibus animalium, quo modo eſt mixta quædam diſpoſitio. Attingit enim aliud quoddam morborum genus, quod in magnitudine partium eſt, ut de cavis ulceribus ſuprà diximus.

2. Eſt autem & horum duplex genus. Aliquando enim ab *Circum-amputatione* ſit: aliquando autem *Eroſione*. Illa quomodo fiat, omnibus apertum eſt: hæc, ſi interior ſit, & in ipſo animali, ſoboles eſt pravorum humorum: ſin exterior, à venenis fit, (aut proximis veneno) igneve. Et ſanè animadverſione dignum eſt, ut & anteà dictum eſt, diſtinguendas eſſe ſimplices diſpoſitiones à complexis. Par enim eſt, ut in ſimplici morbo ſimplex ſit curatio, in non ſimplici compoſita. Quæ igitur methodus locum habeat in compoſitis, dixi: oportet autem ſcire non tantum, quod univerſale eſt in illa: ſed & exerceri in particularibus. Nam & in his opus eſt multis particularibus methodis, ut ſic dicam. In ſingulis enim morborum ſpeciebus eſt propria quædam methodus.

3. Rurſus igitur, quod ſupereſt in ulcerum curatione in hoc libro dicatur. Inde ordientibus nobis. Omne ulcus, aut ſolum eſt & per ſe, non comitatum alia diſpoſitione, vel præcedente, vel inſecuta: neque conſiſtit cum alia, ſive una illa

illa ſit,ſive plures. Harum diſpoſitionum quædam,non tantum ab initio cauſarunt ulcus, ſed etiamnum gravius faciunt: quædam habent rationem cauſæ ſine qua non curatio fit.

4. De his poſterioribus dictum eſt anteá: de illis heic dicetur. Eſt autem duplex in illis ſcopus,aut exſtirpare prorſus è corpore tales diſpoſitiones,aut debilitare vires illorum. Hoc, ſi diſpoſitio ſit exilis,fieri poteſt: ſin major ſit, ulcus ad cicatricem perduci non poteſt prius,quàm curetur. Quæ igitur ſunt iſtæ diſpoſitiones,& quot? Id ipſum diligenter conſiderandum eſt,facto initio inde,unde incepimus.

5. Omne ulcus,ſive cum cavitate ſit, ſive ſine illa,& indiget carne ſubjecta naturaliter ſe habente,& ne quod corpus inter labia glutinanda medium ſit, ut ſæpè fit,v.g. pilus,arena,ſordes,oleum,aut tale,quod glutinationi obſtet. Hæc quaſi ſymptomata ſunt,quæ præſentiâ ſua glutinationi obſtaculo ſunt, quo minus curatio fiat,abſentiâ ſua promovere non poſſunt.

6. Diſpoſitio autem carnis ſubjectæ habet rationem efficientis ad effectum. Ex illa enim & mediante illa, & diſtantium labiorum glutinatio fit, & carnis defectæ locus ſarcitur. Oportet igitur exquiſitè ſecundum naturam ſit, ut utrumque dictorum ſine vitio fiat. Benè autem ſe habere,in familiari temperamento conſiſtit,ut in aliis quoque. Temperatam igitur eſſe oportet tam ad glutinationem,quàm ad incarnationem.

7. Ergòne hoc ſolum ſufficit? An etiam ſanguinem affluentem oportet bonum & moderatum eſſe? Mihi id multò maximè requiri videtur. Corruptus enim ſanguis ut ſit idoneus,vel glutinationi, vel generationi carnis tantum abeſt,ut potius eroſionem & exulcerationem cauſetur: quà verò copioſus eſt,excrementoſas facit partes affectas,itaque ineptas curationi, ut alicubi dictum eſt anteà. Et hi quidem videntur tres eſſe modi incurabilium ulcerum: unus ex intemperie carnis præſentis: alter ex malitiâ ſanguinis: tertius ex copiâ ejusdem.

8. An non ita eſt inſtituenda diviſio? ſed hoc potius modo? Quod difficulter curabilium ulcerum quædam talia ſunt ob intemperiem carnis ſubjectæ: quædam talia fiunt ob affluxum humoris. Et,quod intemperiei duæ ſunt differentiæ,quandoque cum ſolis qualitatibus vitioſa eſt caro: quandoque ob tumorem quendam acquiſititium. Et rurſus,cum affluxus duæ aliæ ſunt cauſæ, humorum affluentium peccatum in quantitate & qualitate? Quandoque verò miſcentur etiam diſpoſitionum dictarum aliquæ: quandoque omnes? Traditur autem curatio diſpoſitionum non ſimul omnium,ſed ſeorſim ſingularum.

COMMENTARIUS.

9. Ab initio cum tradidiſſet quædam involutius de nominibus ſpecierum ſolutionis continui,præſertim de trib. diſpoſitionibus ſanguifluis, *ἀναστομώσει, διαπηδήσει, καὶ διαιρέσει*: adſtringit ad genera duo, *περιαίρεσιν καὶ διάβρωσιν*. Eſt

autem

autem quæſtione dignum, cur διαπήδησιν vocet ἕτερόν τι γένος? Puto, quia vitium eſt ſanguinis tenuioris, non vaſorum. Tum verò §.2. hoc monet, diſpoſitiones ſimplices à compoſitis diſtinguendas eſſe.

10. Hoc ipſo in veſtigio §.3. exponit, quid ſit ulcus ſimplex? quid compoſitum? In hoc duplicem ait eſſe ſcopum, de quorum priore, qui ad cauſas ſpectat, fuſè & dilucidè docet, quæ & quot ſint illa, quæ prohibeant ulceris coitum.' Quare ego officioſus fruſtrà ero. Hoc tantum moneo, §.8. poſſe abeſſe, & haberi pro κιβδήλῳ.

CAPUT II.

1. ERgò igitur carnis intemperiem curabis, ſiquidem ſqualida ſit & ſicca, fotu frequenti aquæ temperatæ. Eſto autem tibi hic ſcopus in ſingulis applicationibus, ut quamprimum pars fuerit & rubicundior & tumidior, deſiſtas. Diſcuties enim ſanguinem, quem attraxiſti, ſi pergas perfundendo, ne quidquam ſuperſit tibi. Quin etiam facultas humectatoria ſit paulò amplior illâ, quæ de ſanâ parte dicta eſt.

2. Contra, ſi viſa tibi fuerit pars humidior, contrarium fuerit agendum, transferendo te ab humiditate ad ſiccitatem: imò, ne uti quidem aquâ. Sed ſi ablutione opus ſit, vinum adhibebis, aut poſcam, aut decoctum aliquod adſtringens parabis.

3. Eodem modo calidior juſtò caro refrigeranda, ut frigidior recalefacienda. Utramque nôris ex colore & tactu, laborantisque ſenſu. Quandoque enim uri ſibi videntur: quandoque manifeſtum eſt frigus in parte, gaudentque vel frigidis vel calidis. Quædam ulcera rubent: quædam exalbida ſunt. Hoc definire non eſt hujus loci. Non enim methodum diagnoſticam exercemus, ſed therapeuticam: excurrimus autem ſequelâ orationis. Redeamus ergò ad priùs propoſita.

4. Partes cum tumore aliquo præter naturam ulceratas curare oportet curato prius tumore. Quæ verò curatio ſit tumorum præter naturam omnium, deinceps dicetur. Nunc autem, quantum ex ipſis cohæret, cum ulcerum curâ, dicendum eſt. Cum ſola ulcerum labia multum decoloria ſiccaque fuerint, circumcidere oportet uſque ad ſanam carnem. Ubi verò diſpoſitio multum aucta fuerit, conſideratio incidit, Utrum præcidendum ſit totum id, quod præter naturam eſt, an paulatim curandum ſit? Hâc in re tentandum eſſe animum ægri, citra dubium eſt. Quidam enim longiore temporis ſpatio potius quàm ſectione curari volunt: quidam quidvis potius pati volunt, quam tamdiu cruciari.

5. Ita etiam res ſe habet in influentibus ulceri pravis humoribus. Heic quidem dicetur cura, quatenus ulcera ſunt: alibi autem, quatenus cum cacochymiâ aut plethorâ humorum. Si igitur humor affluens aut paulò copioſior ſit, ſed

minus

minus malignus, avertere illum oportet, & repellere adſtringendo & refrigerando vicinas partes. Oportet etiam deligaturam inchoare quidem à parte affectâ: diſtribuere autem uſque ad ſanam, ut l. de Tract. juſſit Hipp. Sed & medicamenta ipſi ulceri admota ſiccantiora eſſe oportet quàm in ſimplicibus dictis ulceribus.

6. At verò cum affluxus cohiberi non poteſt à medicamentis, conſideranda venit cauſa, & ante omnia auferenda. Si igitur à debilitate partis recipientis ſit, huic occurrendum. Hæc verò ſit propria curatio partium ulceratarum: ſin ob plethoram aut cacochymiam, aut totius corporis, aut alicujus ex ſubjectis partibus, illa prius corrigenda.

7. Debilitas igitur partis, ob quam plures æquo ſunt humores, omninò quidem ad intemperie ſit: ſed non omnem intemperiem ſequitur debilitas. Propterea ſæpè fit, ut ulcerata caro ſit intemperata, non ideò debilis. Nonnunquam utrumque accidit, ut & intemperata & debilis ſit. Errores enim ubi majores fiunt partibus affectis cauſa oritur imbecillitatis.

8. Mederi autem his oportet, calidis refrigerantes obvertentes, ſiccis humectantes, & ſic de cæteris. Sic quoque de combinationibus, ſi locus ſit frigidior ſimul & humidior, calida & ſicca opponentes, eodemque modo ſemper vincentibus qualitatibus contrarias objicientes.

9. Hujus rei ratio hæc eſt. Omne, quod naturæ ſuæ reſtituitur, non in animalibus tantum, & plantis, ſed & in aliis omnibus moderatum aliquod eſt, expers omnis peccati. Ubi enim locum non habet vel additio, vel ademtio ſive ſubſtantiæ, ſive qualitatis, undique inculpabile eſt. Quod verò indiget, vel demto aliquo, vel addito, id jam ab optimo ſtatu excidit, nec datur ad illum redire abſque hoc, niſi ſuperfluum abſcindatur, defectus ſuppleatur.

10. De iis, quæ deſunt partibus, ſuperſuntve, alius eſt ſermo: ubi autem ſuperat qualitas, ſubitò vel victam eſſe oportet contrariâ, vel vitium corrigi, introductâ iterum illâ, quæ hactenus imperium obtinuit. Ubi enim refrigerâris calefactum, ſimul quidem introduces, quod deerat: ſimulq; auferes, quod nimium.

11. Adeò neceſſarium eſt eorum, quæ exceſſerunt naturam ſuam, curationem fieri per contraria poteſtate. Sic caro, quæ propter imbecillitatem à fluxione factam, aut quæcunque pars carnoſa, ubi percurata fuerit diſpoſitio illam infeſtans, deinceps etiam vulnus curabitur, non quod alio modo jam curata ſit intemperies, quàm ſi ſine intemperie laborâſſet.

12. Unde apparet, quod non ulceris ſit propria hæc cura: ſed intemperiei. Eodem modo, ſi propter aliud quoddam membrum, vel ipſum totũ corpus plethoricum, cacochymumve, affluat quid pravi ulceroſis partibus, oportet prius curare, aut cauſam fluxionis, aut totum corpus. Ita & varices, qui non rarò ſe oſtendunt ſuper ulceroſis partibus, prius curabimus, ut poſteà curemus ulcus. Eodem modo lienem in lienoſis, aut ſi quæ alia pars nobilis afficiatur, prius

curabimus, deinceps ad ulcera ipſa venturi. Cæterum, nulla ex his cura ipſius ulceris eſt, ſed alterius diſpoſitionis, ulcus vel generantis, vel augentis.

COMMENTARIUS.

13. §. 1. 2. & 3. docet curare intemperies ſimplices. §. 4. & ſeq. cum afflictu ſubſtantiæ. Quâ occaſione §. 7. quatenus debiles ſint roborandæ. §. 9. & ſeq. pulcerrimum explicatur philoſophema, quomodo pars unaquæque agat, quod debet, & quomodo non agat. §. 12. erudit lectorem, quomodo procedendum, ſi pars aliqua nobilis, aut totum etiam corpus, foveat ulcus.

CAPUT III.

1. TEmpeſtivum jam fuerit illud monere, Nullam cauſarum prægreſſarum quidquam indicare, ſed indicationis initium capi à diſpoſitione ipſâ: inveniri autem particulares actiones, partim ope primi ſcopi, partim loci affecti, partim aëris, & quæ his homogenea ſunt. Ut enim rem in compendium conferam, A nullo eorum, quæ amplius non ſunt, utilis indicatio peti poteſt. Verum, cum obſcura ſæpè ſit diſpoſitio, & ratione & ſenſu oporteat nos incumbere cauſæ prægreſſæ: opinio apud vulgus excitatur, quaſi hæc quoque coindicet.

2. Sed non eſt ita. Hoc diſces rectè ex iis, in quibus evidens eſt diſpoſitio. Nam ſive ſugillatio ſit, ſive ulcus, ſive eryſipelas, ſive inflammatio alicujus partis, ſupervacuum eſt quærere id, quod fecit, ſi non amplius facit. Sic enim ſimul tā id curabimus, quod factum eſt, quàm prohibebimus, ne amplius faciat, quod fecit. Si autem fecit, ſed abiit, quod factum eſt, curabimus: quod autem non amplius eſt, ne quidem ſi velimus, exſcindere poterimus. Curatio enim debetur illis, quæ ſunt: quæ futura ſunt, præcautio eſt. Quæ autem non ſunt, neque in metu ſunt, jam extra limites ſunt artis tàm curatricis, quàm præſervatricis, ut neque indicatio ab illis ſumi poſſit, neq; prævíſio: ſed cognitio cauſæ prægreſſæ confert tantum in iis, quæ notitiam noſtram fugiunt.

3. Ab Empiricis autem cauſæ prægreſſæ aſſumuntur aliquando, tanquam pars totius concurſus plethorici, in quo curationem obſervârunt, veluti in rabientibus canibus, & omnibus venenum ejaculantibus beſtiis. Hoc locum habet apud illos quoque Dogmaticos, qui ſine rationali indicatione volunt mederi talibus. Nam & hi inquirunt in cauſam prægreſſam, tanquam in partem totius concurſus.

4. Qui verò ex præcedenti experientiâ cognoverunt facultatem venenatorum animalium, & indicationem ab illis capiunt, iis prodeſt cauſa prægreſſa, non ad notitiam curationis, ſed ad cognitionem præſentis diſpoſitionis. Fac, ſcias venenum ſcorpii eſſe frigidum facultate, & capias indicationem curæ tanquam à frigido; at verò, quia ſignum frigiditatis in corpore nullum: manifeſtum

feſtum eſt,ſi ſcorpium percuſſiſſe didicero,calefacturum me totum corpus,partemque ictam, non exſpectatâ amplius experientiâ, ſed indicatione acceptâ ab ipſâ rei naturâ.

5. Demonſtratum enim eſt in libris Simplicium, in quibus exercitum eſſe juſſi illum,qui velit ex his commodum aliquod capere, ſine experentiâ non eſſe ullam facultatem. Profectò,eſſet felicitatis pars quædam,ſi quis inſpecto tantùm lithargyro,aut caſtorio,aut cantharidibus, ſtatim agnoſceret facultates illorum : ſed,ut in aliis omnibus,ita hîc,aberrationes in defectu & exceſſu fiunt, & contradicunt,ut videtur,ſibi ipſis,non ſemel tantùm,ſed δὶς διὰ πασῶν, tàm illi,qui ne nunc quidem,poſt tot annorum ſeriem, ſcire ſe fatentur medicamentorum vires, quàm illi,qui poſt unam aliquam. Nam & hoc temerarium eſt, (ſiquidem ita dici poteſt,quod impoſſibile eſt:) & alterum illorum, qui vel extremè ſtupidi ſunt, vel ſtudio rixoſi.

6 Sed enim,ut dicebam, non oportet jam de his loqui velle, cum dictum ſit de illis,& in 3. *de Temp.* & *in lib. de Med. ſimpl.* (heic autem ſufficit;) quantum facit ad dignotionem diſpoſitionum,& cauſarum prægreſſarum. Hæ ubi cognitæ fuerint, evaneſcit & uſus ille.

7. Dictum verò mihi & anteà eſt, quod non oportet copulare utramque diſciplinam, ſed privatim tradere Empiricam,privatim Logicam.

8. Memento & hoc,quod poſtquam viſum fuit ſolam Logicam heic tradere,ſi non ſemper addatur,ſcribi iis ſolis, qui ſolâ methodo curant,(non enim ſemper verum eſt:) & quod debeat aliquis ſubintelligere, & de ſuo addere. Jam verò id addidimus, Nullam ex cauſis prægreſſis quidquam utile conferre ad indicationem curationis,ſed tantum ad cognitionem diſpoſitionis. Interim fatemur, cauſas dictas apud Empiricos in quâvis curatione eſſe partem quandam totius concurſus,ſive in cæteris Logicè procedant,ſive Empiricè. Hoc in ſeq. non ſemper adſcribetur.

9. Rurſus igitur ad propoſitum redeuntes, principium confeſſum ſumemus, quo etiam anteà uſi ſumus, dicentes, Diſpoſitionem, curationis egentem, eſſe primum illum ſcopum,ex quo reliqua omnia. Cum hoc ſcopo communionem nullam habere cauſas prædictas, ex ipſis ulceribus, è quibus ſermo proceſſit, diſces. Ortum igitur ulcus eſto ex abſceſſu : ſi hoc, ergò ex pravis humoribus. Hoc enim facere ſolet natura, cum in morbis expurgat totum corpus, excrementa deponere ad cutim,unde in illâ ulcus fit, & corpus ita expurgatur. Quæ igitur horum ulcerum curatio ? Qualis omnium aliorum, quibus non jungitur diatheſis aliqua maligna. Hoc ſi ita habet,manifeſtum fit,nullam aliam indicationem ad ulcus concurrere,præter cauſam,quæ ulcus facit. Atqui ſi cacochymia maneat,ab illâ quoque indicatio peteretur.

10. Sed & aliàs hoc abſurdi ſequeretur, curationem velle illius quod non amplius eſt,ſive,curationem indicare,quod non indiget illâ. Unde fit,ut omni-

bus modis abſurdum ſit, ex cauſis prægreſſis oriri indicationem curationis. Quia igitur hoc non eſt, manifeſtum eſt, quod cauſa præſens indicationem affert. Quæ igitur indicatio illa eſt? Si quis accuratè loqui velit, προφυλακτικὴ dicta: ſi metaphoram admittat, θεραπευτική. Etenim, ipſorum ulcerum curatio, (ſive ſimpliciter ulcera ſint, ſive cum cavitate:) accurate loquendo, (προφυλακὴ eſt,) quia vitamus & præcavemus, quæ naturam moleſtatura ſunt, (non ἴασις.) Summa, in quibus id, quod fit, naturæ ipſius opus eſt, ut glutinatio ulceris & incarnatio eſt, hujus rei accuratio eſt ex genere prophylactico, ſed nihilominus ἴασις dicitur ab omnibus hominibus. Et hoc ipſo diſtinguitur à prophylacticâ artis parte: Diſpoſitionem quandam morboſam jam factam exſcindere, eſſe in altero genere prophylactices: prohibere autem nondum genitam in altero. Adeò heic quoque ignorant Medici recentiores, quod de nominibus contendant? Fas autem erat, illos, ſiquidem res illis erant curæ, hoc inveniſſe, Duas eſſe in operationibus medicis differentias. Aut enim jam factas diſpoſitiones curare volunt, aut nondum factus amoliri. Illud, exſcindere factas, (ſive id fiat tollendo ea, quæ abigunt impedientia, quo minus actiones Naturæ fiant, ſive ipſi aliquid tentent medicamentis;) omnes homines vocant θεραπεύειν: hoc, prohibere ne fiant, προφυλάττειν. Sanè, qui artem exercent ratione & methodo, cum curant ulcerata ex cacochymiâ, partim tollunt hanc, partim auferunt, quæ naturæ motus impediunt. Utrumque horum apud accuratè loquentes, eſt προφυλακτικόν. Prohibent enim, ut libro ſup. dictum eſt, omnia talia, ne ſordes generentur in ulceribus, aut alioquin humor copioſus aut pravus.

COMMENTARIUS.

11. Diſputat Galenus contra adverſarios, qui volebant, Cauſas etiam procatarcticas (quas ut Externas ſeu Primitivas vocat) indicare, hoc fundamento, *Quæ non ſunt amplius non indicant.* §. 3. Empiricos & Semidogmaticos apprehendit, quatenus illi huic culpæ affines ſunt. §. 4. & 5. dicit, quatenus Logicis ſerviat cognitio dictarum cauſarum, ne errent in applicatione remediorum, V. g. ne in ſcorpii veneno calefaciant. §. 7. prohibet confuſionem Logicæ cum Empiricâ. Subinde monet §. 8. ne lector poſtulet ubique addi, Galeno cum Logicis eſſe rem. §. 9. ad præcipuum ſcopum reditum faciens, docet, Non cauſas, ſed diſpoſitionem à cauſis factam eſſe primam illam indicationem. §. 10. Diſputationem otioſam ingreditur, quæ actio Medici, vel ἴασις ſit, vel προφυλακή. Ego, quod officii mei eſt, moneo, Orationem Græcam multimodis ἀνακόλουθον eſſe. Experiantur vires ſuas, qui me feliciores ſunt.

CA-

CAPUT IV.

1. NOn oportet igitur ſectari *μικρολογίας* nominum, ſed præſtat dicere methodum curandi ulcera, quam & hoc, & ſup. libro perſequimur. Equidem demiror ſtupiditatem Theſſali, ſic ſcribentis de curatione ulcerum malignorum: *Magnoperè neceſſaria ſunt & communitates ulcerum diuturnorum, neque ſaneſcentium, neque cicatricem ducentium, ſed recrudeſcentium iterum. Deinde conſiderandum, quid impediat, quò minus quædam coëant, & quomodo hoc auferendum. Mox, quomodo, quod cicatricem quidem duxit, ſed ad priſtinam naturam rediit, cogendum ſit, ut cicatrix perſtet, reelementantes partem affectam, aut in univerſum corpus totum, & quaſi impatibile facientes per auxilia ad id apta.*

μετασυγκρίνειν infra §. 24. Galeno eſt, τὸν τρόπον τῆς πορο-ποιίας ὅλον ὑπαλλάττειν.

2. Hæc Theſſalus initio libri de Chirurgiâ cum præfatus eſſet, deinceps ſic de iiſdem pergit: *Diuturna autem ulcera, & non ſaneſcentia, nec cicatricem admittentia, ſed ubi admiſerunt, iterum rejicientia, his ſignis agnoſcas. Quædam illorum, quæ non coëunt, (ita tractare oportet,) exſtirpare ea, quæ coalitum negant, & affectas partes quaſi de novo facere, quod eſt, efficere ſimilia recens vulneratis, iterumque curare eo modo, quo recentia (ſeu ſanguinea.) Si non perſtiterint talia, mitigare inflammationem, & reliquum adhibere ſtudium. Quædam alia, quæ cicatricem acceptant, & tamen recrudeſcunt, in ipſis paroxyſmis, dum iterum ulcerantur, ſimili modo tractare fas eſt, quo tum, cum primitus inflammarentur, cataplaſmatis, inquam, mitigatoriis, donec affluxus quieſcat: ubi verò remiſerit ille, juvare naturam in cicatrice producendâ. Poſthæc, per phœnigmos rubrificare circumcirca cutim, lato ambitu, malagmate parato ex ſinapi, aut alio, quod alterare poſſit, & facere, quo minus promtè afficiatur pars. His ſi non ceſſet affluxus, oportet curam habere totius corporis, reelementantes illud variis exercitiis, geſtationibus, vocis exercitiis, in præſentia phonaſcorum, & victu κατὰ πρόθεσιν dicto, (cum modò augetur, modò minuitur:) initio facto à vomitu per rhaphanum. Uti etiam oportet hellebori albi exhibitione, aliiſque omnibus, quibus utimur in victu eorum, qui morbis tenentur diuturnis & difficulter mobilibus, (uno verbo, incurabilibus.)*

Hoc Reecorporare eſt Cœlio Aurel. Vide Lexicogr. & Foeſ. Perſtiterint. Vide Foeſ. in κρατύναξ.

3. Et hæc quidem Theſſali verba ſunt, in quibus eſt admirari hominis ſtuporemne dicam, an audaciam? Stuporem, ſiquidem perſuaſit ſibi, ſe rectè loqui: audaciam, ſi ſcit, ſe nihil dicere? & tamen ſperavit ſe lectores omnes ſupplantare poſſe? O generoſiſſime, ex ulceribus diuturnis quæ indicatio oritur curationis? Ego, neque ex his, neque ex recentibus, neque unquam ex tempore in ullo morbo elicere potui ullam curationem: elicui autem ex diſpoſitione, quam curare mihi propoſui. In univerſum, ſi tempus quis præ oculis habuerit, tanquam indicationem inde ſumturus, aliam omninò præbebit ſequens dies, aliam tertia. Sic quarta aliam à quintâ,

& omnium harum aliam ſexta, & aliam ſinguli dies ſubſequentes. Itaque fiet, ut non amplius conſiderandæ nobis ſint diſpoſitiones, quas curamus, & à quibus indicationes ſumimus, quo ineptius nihil excogitari poteſt.

4. Quo modo igitur neceſſariæ ſunt communitates ad curanda ulcera diuturna? cum tempus, quà tale, nihil indicare poſſit? Neque enim ubi à cacochymiâ ulcus eroditur, diverſam ex eo indicationem accipiemus poſt quatuor menſes ab eâ, quàm ſtatim ab initio cepimus. Ego ne quidem ſinerem tale ulcus veteraſcere; ſed ſtatim ab initio exſcinderem cauſam ipſius. Nam & ſtatim ab initio ſcire poſſumus utplurimum, & indicationem à diſpoſitione ſumere. At tempus aliquid aliud nos docere, quàm dierum numerum, non herclè divinare poſſum, niſi hoc voluerit dicere Theſſalus, quod ad dignotionem hujusmodi ulcerum neceſſariò requiratur tempus.

5. Hac ratione primùm fuerit prorſus idiota, niſi protenus, & antequam vetus fiat ulcus, agnoſcere poſſit diſpoſitionem. Deinde & hoc apertè fateatur, quod ex aliis habeatur curationis indicatio, ex aliis diſpoſitionis dignotio. Sit ita, conferat tempus aliquid ad dignotionem: certè curationis indicatio à tempore non eſt. Quid enim ad rem, ſi quod ulcus diutinum eſt, exſcindere, quæ impediunt coalitum, & recorporare locos affectos? Si enim, ô generoſiſſime, propter fluxionem malignam, labia ulceris in diſpoſitionem quandam pervenerunt, quid commodi habebimus inde, ſi abſciderimus labia, antequam fluxio ſedetur? Profectò majus faciemus ulcus, ut faciunt ii, qui, quomodo Theſſalus facit, curant ulcera. Manente enim cauſâ, quæ anteà quoque dura & calloſa faciebat, ex præciſione nihil amplius lucri facit, quam ulceris magnitudinem. Iterum enim præciſa, eodem modo calloſa fuerint & dura. Quanquam ne hoc quidem adjecit ſapientiſſimus Theſſalus, quod exſcindenda ſint calloſa & dura, & malè colorata ulceratarum partium: ſed ſimpliciter ait, exſcindenda eſſe prohibentia coalitum, & recorporanda.

6. Si igitur conſuluit exſcindendas eſſe cauſas prohibentes coalitum, & verò vetus hæc ratio eſt: nec ego improbare poſſum. Præceptum enim omnium ferè antiquorum eſt Medicorum, quicunque ſcripſerunt de ulcerum curatione, ratione & methodo inſtituenda, quod auferendæ ſint cauſæ facientes illa, veluti & omnium morborum. Non enim minus in ulceribus, manente cauſa efficiente, par eſt illam tolli, quàm aliis in morbis eſt, ſed in omnibus ſimpliciter, in quibus cauſa adeſt, ab illa curam incipere oportet. Quod ſi id quod dicitur de prohibentibus coalitum, non de omnibus, quæ id facere nata ſunt, verum eſt, ſed de ſolis labiis ulcerum, ut patet ex iis, quæ infert: plus ignorare de ulceribus curandis convincetur, quàm ſcire.

7. (Quin longè plura neſcit.) Fieri enim poteſt, ut hæc ſola cauſa ſit, cur ulcus non ſaneſcat: fieri poteſt, ut jungatur illi altera, intemperies ſcil. partis ulceratæ, ſed ſine tumore præter naturam: fieri poteſt, ut etiam cum tumore, ſed

non

non tanto, qui circumciſione indigeat: fieri pariter poteſt, ut varix ſit ſupra ulcus, ut lien ſit tumidus, ut hepar malè habitum: fieri tandem poteſt, ut ſuper hæc omnia pars ſit debilis, quod accidit propter intenſam intemperiem. (Quid dico autem?) Fieri omninò poteſt, ut cacochymia, per univerſum corpus extenſa, ſit potiſſima cauſa, quæ ulceris malitiam foveat. Amplius, auget eandem & vocata plethora.

8. Hæc omnia ſi tollere jubet Theſſalus, laudo hominem, qui veteres ſibi imitandos eſſe ducat: ſin labia tantum, unum ex multis vidit, quod nec opiliones fugit. Si enim horum aliquis labia ulceris inſpexerit dura & calloſa, livida quin etiam & nigra, aut alioquin inſignem aliquem colorem præ ſe ferentia, prorſus audebit circumcidere illa. Hoc enim factu facilimum eſt: majus autem, & artifice dignum, curare medicamentis.

9. Theſſalus autem nec didicit unquam, quomodo labia deſcripta medicamentis quis emolliat. Dicunt enim abſtinuiſſe prorſus ab hac artis parte, quod & ſignificat ipſus, cum neque ullam experientiam, neque ullam rationabilem ſcientiam ullius medicamenti habeat, quod patet ex volumine ipſius de medicamentis.

10. Sed de iis, in quibus deliravit ille in dicto libro diſſeram l. ſeq. de curatione ulcerum diuturnorum, quam in allatis verbis præſcripſit, propoſui nunc agere. Fortaſſis melius erat non chronica vocare, ſed maligna, & naturam ipſorum explicare, & cauſas generationis dicere, unà cum curatione ſingulorum, primùm quidem eorum omnibus talibus communem; quam libro tertio peregit: deinde autem propriam, ſecundùm ſpecies cauſæ efficientis, ut ibi definivi. Ille verò nihil horum tentans, & recorporare partes ulceratas aggreditur, & recens vulneratis facere ſimiles, ut curationem adhibere poſſit illam, quam cruentis adhibet.

11. Et per Æſculapium, hoc aliquis in arte exercitatus, cognôrit ex ipſis operibus manifeſtè, quod ſcripta hæc ſint ab homine, nequaquam ſolicito de præcautione ulceris. Ulcus diuturnum curare quis poteſt ut cruentum, cum ſimile fecerit recens inflicto, fibulis contrahens, ſeu labia conſuens. Aut horum nullo uſus: ſed medicamento quodam cruento, ſolique confiſus deligaturæ.

12. Quis non novit, omne ulcus malignum ſtatim etiam cavum eſſe, quia ab eroſione factum eſt? Nunquid igitur, O ſapientiſſime Theſſale, antequam caro fiat, poteſt ulcus cavum coaleſcere? An hoc non eſt ut cruentum curare? Fruſtrà ergò ſcripſiſti, cavorum ulcerum ſcopum eſſe non glutinationem, ſed impletionem? Quod ſi per ſe non erat cavum omne ulcus malignum: certè, dum novum facis incidendo labia ipſius, ut tu quidem jubes, neceſſariò cavum facis, & jam magnam paras labiorum diſtantiam. Ut neſciam, quomodo glutinare velis id, & cruentorum inſtar in unum cogere. Si enim violenter adducere voles labia jam plurimùm à ſe diſtantia, inflammationem neceſſariò quidem

dem excitabis: ſed coalitum non aſſequeris. Hoc tantum intelligere videtur Theſſalus etiam. Ideò infert, Si non perſtiterint, mitigare oportebit inflammationem. Satius autem erat ſcribere, Et his non permanentibus, mitigare inflammationem. Neceſſariò enim non firmabitur.

13. Sed & ſi dederimus hoc Theſſalo, & ſinamus, nec rigidè inquiramus, quod longiſſimè abſit à communitate, quam ille pro hypotheſi habet, manifeſtum eſt omnibus. Si enim, quod impedit, exemerimus, nihil ſupererit de communitate ulcerum diuturnorum, quà diuturna.

14. Sed hoc quoque ſit, & videamus ſeq. Sic igitur ſcribit: *Quæ verò cicatricem duxerunt, ſed iterum recruduerunt, in ipſis paroxyſmis, & dum redit ulcus, curare oportet ut recenter inflammata.* Poſt hæc etiam ait, *Rubrificare partes circumcirca emplaſtro de ſinapi.* Quid inquis? mi homo. Quamvis fluxio ſit acris, licet calida, quæ affluit, oportet partem rubrificare ſinapi. Scilicet, ut, quod longo tempore poſt futurum erat à fluxione, id ſtatim patiatur à medicamento Theſſalico? totâ jam parte exulceratâ & corroſâ? Debilitates enim partium, propter frigiditatem & humiditatem multã, absque calore inſigni, phœnigmis tractabant veteres! Tu verò perpetuò in omnibus facis, primum quidem indefinitè, (ſecurus) cur non ſanetur ulcus, utrum propter partis debilitatem, an propter malitiam fluxionis: deinde, inverſo ordine. Poſtquam enim peruſſeris ſinapi partem ſine effectu, deſcendis ad curationem totius. At verò contrarium ſuadet & ratio & experientia, poſtquam corpus ab excrementis liberaveris, tum auſis parti applicare medicamentum calefaciens & acre. Trahit enim ad ſe ex toto corpore quidvis horum, cucurbitulæ inſtar, niſi præverteris purgatione corporis, libertatem & dominium relinquens acri medicamento.

15. Hoc in confeſſo eſt apud Empiricos juxtà & Dogmaticos. Hoc viſum eſt Philoſophorum præſtantiſſimis. Quia enim & horum meminit Theſſalus, æquum eſt advocare illos teſtes. Nolunt enim curari oculum, ante purgationem capitis, neque caput ante totius. Sic ſtatuerunt Ariſt. & Plato de curatione morborum. Sic & Hipp., Diocles, Pliſtonicus, omnes antiqui. Solus Theſſalus contrà ſtat, primum omnium applicans ex ſinapi medicamentum, ſic poſteà proſpicit toti, ne heic quidem cautus. Cum enim liceret evacuare primùm purgante medicamento corpus, deinde victum inſtituere, meminit ille vociferationum, exercitiorum, geſtationum, victûs certo temporis intervallo immutati, & cujusdam ex rhaphano vomitionis. Deinde finem orationi imponens, helleborum ipſum proponit, quo ſine delectu omnia ſanantur. Ego non poſſum imaginari mihi, quo modo quis ſtultius, ambagioſius, ambitioſius curet ulcus?

16. Agedum, ut in opere practico ſæpè vidimus: ita oratione fingamus hominem, indigum medelâ ulceris maligni. Sit quidam, benè valens alioquin, qui ſcabendo partem aliquam (v.g. cubitum) ſubitò excitet phlyctænam. Poſt

id tempus ſentiat ibidem per intervalla pruritum. Denique, ruptâ puſtulâ, ulcus fiat decolor, inæqualiter corroſum, ſeu foraminulentum. Hæc, ſpatio trium aut quatuor dierum, concidant. Jam dicat mihi Theſſaléorum aliquis, quo modo curare oportet tale ulcus? Ego quidem dico ſine tergiverſatione, ulcus eſſe malignum, ideò conſilium capiam ſubitò de ſtatu totius corporis, qualis ille ſit? Inveniam autem, partim ex iis ſymptomatis, quæ cum ulcere, partim ex ſignis, quæ in toto corpore ſe oſtendunt, cujus generis ſit humor, qui in toto abundat. Hunc ſubitò expurgabo purgante, nec exſpectabo, uſque dum totus cubitus acquirat diſpoſitionem malignam, & difficulter ſanabilem.

17. At Theſſaléi dediti ipſius Theſſali præceptis, ſinent prius ulcus veteraſcere, donec ſit ſub admirabili communitate ulcerum diuturnorum, quaſi non multò melius ſit, ulcerum malignorum, non autem diuturnorum indicatricem præſupponere communitatem. Tum verò alterutrum facient, aut exſcindent, ut novum fiat vulnus, & in glutinationem quoquo modo intenti erunt: aut primùm quidem utentur medicamento ex ſinapi, quo nihil proficiente, ad vociferationes, geſtationes, & alia exercitia devenient, ut & ad victûs rationem pro periodorum diverſitate mutandam, poſthæc & vomitum per raphanum adhibebunt. Cum ne hæc quidem abſolvent curationem, helleborum dabunt. A quo ipſo falſi, in Lybiam dimittent hominem. Nam & hoc adſcribere debebat Theſſalus, poſt tam admirandam ulcerum malignorum curam, in quâ tempus terit, ut dictum eſt, vociferationibus, & aliis talibus, quaſi cachexiam curaret, non cacochymiam.

18. Et quid miri, ſi fatentur, ſe non agnôſſe ulcus malignum jam conſiſtens: exſpectant autem, dum diuturnum evadat! Et ſæpê quidem cicatricem ducere: ſæpè etiam recrudeſcere! antequam ſciant, quid faciendum ſit? Ubi etiam eos, qui quoquo modo febricitant, paroxyſmum, ſive futurum, ſive non futurum tertio die, tranſire cenſent! Tam accurati fuerunt in criſium theoriâ? tam benè ſciunt, quando ἀκμὴ ſit futura? Quid igitur ſæpè accidit? Ut ægri ab ipſis in lecto putrefiant, cum poſſint altero die ſurgere.

19. Nos enim non ſemel aut bis, ſed millies vidimus, quin ipſimet febricitantes plurimos lavimus ſtatim atque primus paroxyſmus finem habuit, adeoque fecerunt idem præceptores noſtri, concedentes illis in poſterum libertatem victus, quaſi non amplius febricitantibus, quos ſapientiſſ. Theſſalus poſt primam διατρίτον (ſic ille loquebatur) quaſi ſalſamentum quoddam arefaciebat, toto triduo fame enectos, poſt eos dies non niſi modicè cibans, deinceps ſenſim reficiens, vix ſexto aut ſeptimo die ad conſueta munia remittebat.

20. Sic illi ſæpè putrefaciunt homines in morbis, cum facile illis defungi poſſent. Sic paucis diebus cũ poſſet curari ulcus malignum incipiens, Theſſalus trahit in annũ, aut etiã longius tempus. Exſpectare enim uſq; dũ videas an malignũ

N ſit,

ſit,ex eo,quod ſæpè coëat,ſæpè recrudeſcat; deinde, cœptâ curâ, ne tunc quidem ſtatim purgare, ſed emplaſtro de ſinapi uti, geſtationes & vociferationes imperare, victum inſtituere, raphano purgare, helleboroque: quid aliud eſt quàm differre in annũ? Sed &,O Dii,cum poſſit curari homo intra ſex dies,aut longiſſimum, ſeptem, cur per menſes multos exſpectabimus, dum certò ſciamus,an malignum ſit,& tum demum curationem ordiemur? Et quæ neceſſitas eſt ſupponere propriam diuturnorum communitatem? præſertim,cum curationem promotura non ſit? cum liceat,non diuturnorum, ſed malignorum, non communitatem,quæ nihil indicat,ſed curationem ſcribere? Accidit enim ulceribus quibusdam,ut & morbis,eſſe malignis: non propterea tamen inde indicatio curationis ſumitur,ſed diſpoſitio ipſa præſcribit nobis primum curationis ſcopum,à quo pendet,quid faciendum ſit, ut ego definii.

21.Quare methodo curare hoc illud eſt,quod nos facimus, veteres ſecuti,ſi modò *Methodus eſt via quædam univerſalis, unica, communis omnibus particularibus*. Hic verò, Theſſalus etiam in hoc fallitur, cum putat methodum ipſam eſſe, quidquid eſt in illis,qui methodo aliquid faciunt.Quicunque ergò facit aliquid methodo,illum oportet notitiam habere ſimilitudinis & diſſimilitudinis: hoc ipſum tamen non eſt methodus,cognitio ſimilis & diſſimilis.Sed neq; Plato ita loquitur, neque Ariſt., quos falsò laudat Theſſalus, quaſi forent ejusdem ſententiæ.

22. Verùm, hæc refellere hujus temporis non eſt: rurſus igitur venio ad methodum Therapeuticam,& polliceor me demonſtraturum, principium ejus unum eſſe in omnibus medelis: viam etiam,quæ eò ducit,à principio ad finem uſque,ſimilem eſſe in omnibus particularibus. Quare, etiamſi in ſingulis morbis privata quædam videatur eſſe methodus: tamen unum eſt genus commune in omnibus.

23. Incipere igitur in omnibus oportet ab indicatione, quæ à diſpoſitione, quam volumus curare: conſiderare verò & diſtinguere, utrum cauſa efficiens etiamnum agat, & diſpoſitionem foveat,an non? Deinde, ſi deſiit, ire oportet ad methodum,libro tertio hujus operis explicitam.At verò ſi etiamnum augeat & faciat,ad eam,quæ in hoc libro. Eâdem enim hac methodo inveniemus & inflammationis, & febris, & omnium ſimpliciter morborum curationes, hac diſtinctione uſi, Si non eſt amplius in fieri,non revocare ad animum cauſas prægreſſas,ſed ab ipſâ diſpoſitione progreſſi: ſi verò eſt adhuc in fieri, duplicem curationis ſcopum ſupponentes, & alia deinceps eo ordine exſequi, quo dictum eſt.

24. Quo loco admirari oportet ſtupiditatem aſſeclarum Theſſali,non tam, quod in his peccent,quàm quod crepent *δυσπαθείας, μετασυγκρίσεις, ἀτονίας καὶ ῥύσεις*,& multa alia,ſed quid ſibi velint iſtis verbis, ne nunc quidem interrogati, uſpiam explicent. Quid enim eſt *μετασυγκρίνειν τὴν ἕξιν* in morbis longis? Nec con-

conſtanter ſibi ipſis, nec clarè, nec prudenter reſpondent. Atqui ſi antiquum nomen eſſet, ſi à quoquam Græcorum unquam ſcriptum, ex iis fortaſſis, quæ ſcribunt,intelligeretur,quo de negotio uſurpatum vellent. Nunc autem (hoc enim ſtupiditatis eorum proprium eſt, inde uſque ab Aſclepiadis hypotheſibus profectum,ut & alia ipſorum dogmata;) merentur alicubi propria interpretari ſomnia. Hinc συγκρίνεσθαι καὶ διακρίνεσθαι τὰ σώματα dicere ſolis illis licitum eſt,qui prima elementa ſupponunt ἄτομα, καὶ ὅλως ἀπαθῆ, ἀναλλοίωτά τε, ſicut certè dicunt,aſſiduè uſurpantes hæc nomina.

25. Quin ipſe Theſſalus in Canone ſuo poſtquam aſſeruit hæc principia, novat quædam præter Themiſonis & Aſclepiadæ placita, interim prodit ſe, quid reverà ſentiat,non obſcurè. Non enim ſimpliciter, Aſclepiadis exemplo,in ſymmetriâ quâdam pororum collocat valetudinem noſtram, & contrà morbum in ametriâ, adeoque curationem ſtatuit eſſe reditum in priſtinam pororum ſymmetriam,ut Theſſalus: ſed putat,modum τῆς πορωποιΐας totum mutari, & ex hac opinione pullulat ἡ μετασύγκρισις,idem potentiâ ſignificans quod πορωποίησις. Non decebat autem illum in iis,in quibus obſcura vitare jubet, & mentem applicare ſolis evidenter apparentibus communitatibus,uti vocabulis Dogmaticorum.

26. At tu,inquiunt aſſeclæ,noli putare illum propterea Dogmaticum eſſe, cum loquitur ἀφελῶς, *ſimpliciter?* Solent enim quidam ita reſponſare,iterum ad aliud nos trahentes nomen, τὴν ἀφέλειαν, quam neque ego intelligo, quid ſignificet. Si enim,ut ipſi iterum exponunt hoc, ad aliud nos vocantes nomen nugacius, βιωτικῶς; & verò hoc idem eſt, apud vulgus quod ὡσαύτως, *ſimiliter*: fortaſſis τὸ ἀφελῶς idem ſibi volet ac τὸ μὴ διαρθρωμένως, *h.e. non exactè, inartificialiter, & ſine omni ſcientiâ.* Qui enim inter homines inconſideratius loquuntur verba τεχνικά, ſubintelligunt quid,quod nullum fundamentum habet. Interrogantibus verò, quid tandem velint ſignificare, nihil dilucidè reſpondent. Hoc ſi accidit etiam Theſſaléis iſtis,dicere quidem aliquid, non tamen intelligere,quid dicant,id ipſum admittunt,quod nos illis objicimus. Μετασύγκρισις igitur, ſiquidem eadem eſt cum πορωποιΐα, intellectum quidem habebit, & ſignificabit aliquid, nugatorium tamen erit multimodis. Neque enim ex corporibus & poris conſtant corpora noſtra: neque ſi hoc verum ſit, poteſt quis demonſtrare,quomodo ſinapi mutet τὴν πορωποιΐαν: neque ſi hoc quoque demonſtrari poſſit, conſequens eſt ſectæ ipſorum, ſufficere dicentis apparentes communitates. Ne igitur utantur porrò hoc nomine: nec faceſſant amplius nobis negotium. Licet enim etiamſi non utantur illo, curationem longorum ulcerum appellare aliis nominibus,ut faciunt Empirici. Quod verò & τὸ ἀτονία eodem modo in nugacitatem deſinit apud illos,monſtratum eſt lib.2. Si enim ut Empirici utuntur,nihil aliud ſignant,quam non ſervari actionem. Si verò facultates quasdam animal gubernantes, quas & nos dicimus, & veteres penè

omnes,ſtatuunt, præterquam quod Aſclepiadis dogmatis ſe opponent, & obſcuris,dubiisque affines ſe faciunt,quamvis fugienda eſſe ipſi jubeant.

27. Sed quid ais,Theſſale? Declara nobis τὸ μεθασυγκρίνειν. Si enim idem eſt cum illo,*poros mutare*, & falleris,& obſcura doces.Si idem,quod τὸ ῥωννύειν, καὶ ὑγιάζειν partem corporis, aut totum corpus, nihil dicit ultra Empiricos, præter nomen. Sciunt enim & illi,his,illisve adhibitis medicamentis ſanari hominem: ſed quid faciendo,id ipſi ignorant. Neque enim ſi poros mutent facultates auxiliorum,neque ſi ſymmetriam reddant illis,neque ſi alterent in qualitatibus totam affectam partem: dicere poteſt quiſquam Empiricorum. Hi igitur ſapiunt, qui dicunt, unum ſe ſcire,quod huic morbo,hoc tempore adhibitum emplaſtrum de ſinapi obſervatum ſibi ſit, profuiſſe. Non tamen methodos loquuntur,& ſupercilia trahunt, & ſuperbiunt hac cognitione,& veteres calumniantur,& Hipp.contemnunt,ſed contrà laudant,& ferè in omnibus vera profeſſum eſſe ajunt.

28.Theſſalus verò,& hunc,& alios penè omnes Medicos inſuper habens, neſcit ſe doctrinam Empiricam ſcribere: ſed & ſi hoc rectè faceret,aliquid amplius præſtitiſſet. Sed neque hoc apparet illum feciſſe, cum transmutat ordinem auxiliorum,& primo loco ponit partem affectam, antequam toti corpori proſpexerit. Hoc enim extremæ inſcitiæ eſt.

29.Imò hoc ferè ſolum in confeſſo eſt omnibus Medicis,(interim plurimi etiam diſſentiunt:) corpus totum vacuum & ab excrementis liberum eſſe debere,priusquam ulla pars validis tentetur medicamentis. Sive enim ab experientiâ judicium velit ſumere quis,ſive à ratione,(tertium enim nullum criterium eſt, neque in aliâ arte, neque in totâ vitâ:) inveniet maximum malorum eſſe, cum totum corpus auxilii indigum, antequam illi conſultum ſit, parti affectæ applicet acre quid,calidumque. Trahit enim ad ſe,cucurbitulæ inſtar,ex toto corpore excrementa,& ita in affectâ parte firmat & conculcat, ut ſolvi amplius non poſſint.

30. Quò æquius eſt ſciſcitari abs Theſſaléis iſtis, unde hauſerint affanias iſtas de curatione ulcerum malignorum? Neque enim ullus Empiricorum veterum,ut neque Logicorum quiſquam ſic ſcripſit: ſed neque Theſſalus ipſe, neque diſcipulorum quiſquam auſus eſt dicere,talem remediorum ordinem,vel ab experientiâ profectum eſſe,vel à ratione. Sed neque demonſtrare poſſunt, quo modo tempus indicet,non autem diſpoſitio? Et, quod hoc majoris momenti eſt, quo modo Theſſalus ipſe, qui conſiderandum proponit, quid ſit id, quod ulcerum cicatriſationem impedit,& quo modo ſit id auferendum? non ſit extremè ſtupidus? Partim,quia neſcit,quod hoc ſolum ſufficiat,nec diuturnitas ad rem non ſit ullo modo; partim, quod non in ulceribus tantùm,ſed & in omnibus aliis morbis,hoc faciendum ſit ubique,quod veteres monent, non advertit.

31. Ad hæc illi nihil reſpondent, niſi hoc, Nos non intelligere. Quaſi verò ſcirent illi ad unguem, vel Hipp., vel ullius veterum ſententiam, aſſeverant, Theſſalum rectè docuiſſe, ulcerum diuturnorum eſſe communitatem unam quandam. Hoc docuiſſe inquiunt Hipp. quoque l. de Ulc. *Antiquatis ulceribus ſæpè demere ſanguinem oportet, quoties opus eſt.*

32. Fortaſſis igitur commodum fuerit, quamvis nullibi promiſerim, me de Hipp. mente ſolicitum fore, huc excurrere, & per ſumma capita exponere illam. Fuerit verò non minus neceſſarius, ad priſcorum ſenſum capiendum, hic ſermo. Viri iſti, alioqui ſectis non dediti, purâ & ſimplici mente ſtudentes invenire quid utile ad curationes, volebant aliquando quædam invenire experientiâ, quædam ratione, & ſcribere inventa: ſæpè quidem non adſcripto modo inventionis, aliquando adſcripto, hoc conſilio, ut ſervirent utilitati legentium. Si enim ut rectè utantur poſteriores inventis, ſpes erat collaturum illis aliquid, modum inventionis diligenter memorârunt: ſin minus, noluerunt ſuperflui eſſe, ideoque omiſerunt. Quod enim, ſi quidquam aliud, brevitati ſermonis ſummoperè ſtuduerint, omnes jam ſciunt, etiamſi nullus id dicam. Propter hanc cauſam, non Hipp. tantum, ſed & alii veteres, medio præterito, primum copulant cum tertio. Si enim primum ſit ſignum tertii, hoc autem neceſſariò ſequatur tertium: ſic inferunt tertium, præterito altero. Taliter ſcribere cùm alios veteres, tùm maximè Hipp., ſæpè dixi. Et oportet exerceri in his, qui volunt adſueſcere veterum elocutioni.

COMMENTARIUS.

33. Ex hoc capite benè longo ſeligam, χρηστομαθείας quasdam, ut conſulam lectori. Quo conſilio admiſſo, ne legendi ſunt quidem duo primi §. Ex tertio hoc ſolùm carpendum, quàm inepta ſit Theſſali indicatio, quam in ulceribus diuturnis accepit à tempore! Quo loco ſtatim id ſe exſeret, examen curæ Theſſalicæ in ſeq. non eſſe magnæ rei, ſi quis Hippocratis curationem præ oculis habeat.

34. Aliquid ſunt, quæ §. 6. & 7. commemorat de iis, quæ neſciit Theſſalus, ut & illa, quæ §. 8. & 9. Plus ſunt, quæ §. 10. & ſeq. de fruſtraneâ cura Theſſali. §. 14. eſt inſigne præceptum practicum, *de curâ totius corporis, antequam partem affectam attingas.* Hoc vidi in Eryſipelatis crurum, quàm non tuta ſit farinæ triticeæ uſus, antequam vena ſecetur, vel evacuetur. Utplurimum enim μιλασμὸς eſt in ſpe, qui quid portendat, à me non exſpectes. Eſt autem, non tàm propter cauſam à Galeno datam, quàm quod expultrix totius corporis irritata ad crura inclinet, adeoque humor tenuis ῥοπὴν eò habeat. Non diſſimilis caſus eſt in puerperis, cum

τὰ λόχεια non ſuccedunt. Vidimus triſtiſſimum ſpectaculum in hoc oppido, cum juvencula plethorica quarto die ſuffocaretur, inclamantibus omnibus Medicum, Er ſolt ihr auff beyden Füſſen gelaſſen haben.

35. Caſûs, cujus meminit §.16. multa vidi exempla. Eſt autem in quæſtione, quomodo vocandi ſint tales, *cachecta, an cacochymi*? Quidam ex §.17. pro cacochymis pronunciant: ego vereor, ut locus ſit in vitio. Certè cubitus pertinet ad ἕξιν!

36. De contéptu apud nos curæ febrium *per balneum aquæ dulcis*, ſæpèſæpiſſimè conquerebatur SCHERBIUS ὁ πάνυ. Quo enim alio modo felicius curetur ἡ στέγνωσις? Rides? Rideo ego ſtultitiam. Quæ vel ideò heic mihi placet, quod Galenus dicat, Medicos καταστύπτειν (explicat mox per ταριχεύειν) ægros ſuos. Hoc tantò citius fit apud nos in ſtuffis iſtis.

37. Fine §.20. obſervo, dici ibi de primâ indicatione à morbo, quod repetitur mox §.23. Hoc pertinet ad me, qui objurgor ab amicis, quod toties dicam eadem. Profectò, eſt ignorantia τῆς παιδείας, cui oppono exemplum Galeni, locis tantum non infinitis. Alii connumerant me τοῖς ὀψιμαθέσι, quorum morem ex Aëtio dicunt eſſe omnibus locis omnia inculcare. Contraria vitia abſolvunt me à reatu, collocantque in medio. Ideò verbum non addo.

38 Imprimo unguem definitioni Methodi, ὅτι ἐστιν ὁδός τις καθόλου, μία, ἁπάντων κοινὴ τῶν κατὰ μέρος. Heic quidam exſiliunt, Eho, μέθοδός ἐστιν ὁδός. DNE. eſt definitio nominis, quæ tamen fieri poteſt rei, ſi vocem μεταφορικὴν per λόγον explices. Ut enim ſuprà dixi μεθόδῳ ἢ μεθοδικῶς θεραπεύειν eſt idem, quod λόγῳ ἢ λογικῶς. Quia indicatio eſt ſyllogiſmus, ut pariter dixi.

39. §.23. eſt querela Galeni contra ſectarios, *Utuntur verbis novis & obſcuris, quæ nuſpiam explicant.* Deinceps contra Theſſalum in ſpecie multa dicit, quæ concludit commendatione Hippocratis, & huic ſimilium bonorum.

CAPUT V.

1. OMnia ulcera, quæcunque omnibus rectè & ut decebat, adminiſtratis, tamen non curantur, κακοήθη, *maligna* à Medicis vocantur. Trahitur autem tempus, quia adhibetur illa ſola cura, quæ ulceribus (quà ulcera) debetur. Quæ autem ſit illa cura libro ſup. definita eſt. Hæc ulcera, non ſolum κακοήθη dicuntur, ſed & πεπαλαιωμένα & χρονίζοντα, indifferenter uſurpatis nominibus. Et ſanè ad cognitionem diſpoſitionis, quod ſit maligna, ſimul cum aliis ſignis, non mediocriter confert temporis diuturnitas, etiamſi fiant omnia, quæ debent: neque tamen hoc ipſum (puta, quod diuturna ſint, & vocentur) convenientem indicat curam: ſed ex hoc ipſo, malè diſpoſitam eſſe partem ulceratam, argumentari licet; hoc invento, in promtu eſt, quid ſit agendum in curatione, & quo modo? Si enim vicinæ ulceri partes tantum ita ſint affectæ, ſolis iis manus eſt admovenda: ſi verò totum corpus ſit cacochymum, illud purgandum eſt.

2. Nem-

2. Nempè, cacochymias ſignum eſt diurnare ulcera : quod autem confert, non ex tempore longo ſumitur, ſed ex cacochymiâ. Ut tria ſint invicem continuata, ſignum, diſpoſitio, curatio. Signum quidem, diuturnum eſſe: diſpoſitio autem, cacochymia: curatio tandem, cacochymias vacuatio. Hac ratione invenias ſubinde, veteres, medio præterito, ad tertium à primo tranſgredi. Quod & Hipp. fecit in illo, *Ulceribus antiquis ſæpè oportet ſanguinem auferre, ſiquidem tempeſtivum videatur.* Non, quod vetuſtas indicet curam, ſed malitia ſanguinis. Ipſe enim infert, aitque, *Valdè enim prohibet ſaneſcere.* Deinde & alia omnia, v.g. ſanguinis putredo, & quod ex hac ortum eſt mutatione. *Neque quorum* (ait) *ambitus nigreſcit ob putredinem ſanguinis, aut ſi varix cauſam præbeat affluxus. Non enim coaleſcunt, niſi ambientes partes cures.* Deinde de varicum curâ ſcribit, & præter hæc meminit purgationis totius corporis, cum in aliis vulneribus, tum in iis, in quibus ſphaceliſmi *metus, herpetibus & omnibus ſerpentibus.* Sic enim appellat *τὰ ἀναβιβρωσκομένα, depaſcentia:* Quin etiam in ſeq. iterum ſic ait: *In omni ulcere, cui eryſipelas ſupervenit, purgare oportet totum corpus.* Et in ſummâ, ſi velis diligenter excutere l. de Ulc. invenies ipſum ſemper quidem indicationem petere à diſpoſitionibus : abuti autem tempore ad diſpoſitionis dignotionem. Hoc quod verum ſit, didiceris ex principio libri, quod ſic habet : *Omnia ulcera humectanda non ſunt, præterquam vino.* Quia ſæpè alia quædam diſpoſitio ulceri juncta, prohibet curam ulceris, ut ulcus eſt. Rationem addens inquit, *Siccum ſano amicius eſt, quàm non ſanum.* Et mox, *Humidum enim eſt ulcus : ſed pars ſana ſicca eſt.* Ideò per totum librum omnis ulceris ſanationem conſiſtere ait in ſiccando, ita conſtituit particularia, commonefaciendo nos ſæpius ſcopi hujus. Dum enim ſcribit, *Quodcunque ulcerum ſit telo acuto ſive diſciſſum, ſive diruptum, indiget medicamento, quod ἔναιμον vocant, quod ipſum ſiccat, & inhibet ſuppurationem. Fluente enim ſanguine fit ſiccius.* Et iterum : *Quæcunque benè purgata ſunt, & ritè, in iis curatio tendit ad ſiccius.* Et item, *In quibus ita non ſit, in iis humidior caro eſt in cauſâ.*

3. In his omnibus meminit primi curandi ulceris ſcopi. Ulcus enim, quà ulcus eſt, vult ſiccari mediocriter. Ejus rei demonſtratio eſt in ſup. libro. Sed illius, quod aliam conjunctam habet diſpoſitionem, quæ prior curari debet, non eſt amplius ulceris ſolius, ſed primæ illius diſpoſitionis, poſt hanc, ulceris. Si enim inflammatio adſit, aut nigredo, aut ſugillatio, aut eryſipelas, aut œdema circa ulceratam carnem, hujus omninò prior eſt curatio. Quod verò hoc tempore non tantum non curatur, ſed & ſe ipſo majus fit, cuivis perſpicuum eſt. Si enim contundantur, quæ in ambitu ſunt partes, ſive inflammatio ſit ibi, ſive alius quivis tumor, propriam diſpoſitionis illius curationem eligemus, certi, non poſſe ulcus curari, priusquam locus, in quo eſt, curetur.

4. Propterea Hipp. ipſe, dum commonefacit nos eorum, quæ ſtatim in principio libri ſcripſit, unà cum iis, quæ paulò antè ſunt dicta, adſcripſit & hæc: *Ulcus, quod factum ſit telo acuto, &c.* ut ſuprà. *Quæ verò caro à telo contuſa eſt, & diſciſſa,*

hanc

hanc ita tractare oportet, ut quamprimum pus fiat. Minor enim inflammatio eſt, & partes contuſæ, putreque facta debent in pus verſa colliquari, ut nova caro generari poſſit. Hoc enim ſermone manifeſtè docet, quod illæ ſolæ diſpoſitiones, in partibus vulneratis obortæ, non ſunt ſiccandæ, in quibus quàm maturrimè pus fieri volumus, ſimul ſignificans, quod pus generatur non ſine putredine. Omnia enim putrefacta habent hoc à calido & humido. Propterea cataplasmata paramus ex iis farinis, quæ calidæ & humidæ ſunt, in omnibus diſpoſitionibus, in quibus pus molimur. Omelyſis enim ex aquâ & oleo, panis ex iisdem, fomentum ex aquâ calidâ multâ, ut & compoſitio τετραφάρμακος dicta, omnia calida & humida ocyſſimè pus faciunt. Ideò in partibus inflammatis cum valido pulſu, ut ſperari non poſſit curatio abſque ſuppuratione, omnes veteres talibus utuntur medicamentis, antè non.

5. Hoc Hipp. expreſſè docet, partim in præſcriptâ dictione, in quâ mandat, illa quidem, quæ ſine contuſione vulnerata ſunt, quã maximè ſiccare: partim in illâ, in quâ quæ cum contuſione facta ſunt, jubet in pus convertere quam celerrimè. Quin etiam cum dixit, *Ulcera, quæ non benè purgata ſunt, & ut par eſt, ſemper prius incipiunt luxuriare,* h.e. carnes habent ſupercreſcentes. Contrà, quæ benè purgata ſunt, curantur ſiccantibus, niſi contuſa ſint. Hæc enim utplurimum non luxuriantur carne ſuperfluâ. Nam & heic, quod adjectum eſt, *Niſi quæ contuſa ſunt,* commonefacit nos illius, quod dictum, Siccanda eſſe omnia, præterquam quæ contuſa. Non enim cum inflammata tractantur cataplasmatis calidis & humidis, fit illud primario, h.e. non ut remedium diſpoſitionis: ſed ut lenimentum ſymptomatis. Ipſius enim inflammationis remedia ſunt ſiccantiora.

6. Audi igitur Hipp. narrantem de œdematis & efferveſcentiis in circumpoſitis partibus: *Verbaſcum coctum, trifolii folia cruda, & empetri folia cocta, & polium.* Hæc enim omnia nata ſunt ſiccare, ut in doctrinâ Simpl. dictum eſt. Compendiaria enim curatio inflammationum fit per hæc, quæ aut ex fundamento curant diſpoſitionem, aut, ſi quid reliquatum ſit, cum ſuppuravit, indiget medicamento aliquo acri, quod pus evacuet, aut, ſi cutis ſit tenuis, & nos citius defungi velimus ægrum, ſectione opus eſt. At verò facta per omelyſin curatio partium inflammatarum, eſt ex Paregoricâ artis parte, non Therapeuticâ, aut Agoniſticâ. Sed de horum differentiâ in ſeq. latius diſſeremus.

7. Quod autem Hipp. ulcera omnia per ſicca curet, & quod ſcopum curationis ſibi proponat, non temporis, ſed diſpoſitionis, quæ ſola indicat ratione, clarè mihi jam demonſtratum eſt. Si quis verò ampliorem deſideret orationem, in l. de Ulc. ſit frequentior. Apertè enim cognoſcet inde & hoc, Unam eſſe, eamque univerſalem ulcerum curationem, quam in ſup. libro nos oſtendimus. Sed & porrò hoc quoque diſcet, Nullam indicationem ſumi à tempore, neque in ulceribus, neque in inflammationibus, neque in aliâ ullâ diſpoſitione.

8. Sed quoniam in hunc ſermonem devenimus, fas eſt demonſtremus, quod

non

non ſolum ea, de quibus hactenus egimus, invenit Hipp., ſed omnia etiam alia, quibus opus habet ille, qui rectè curare velit ulcus. Non tantum enim oſtendit, quid faciendum ſit illi, qui ulcus præ manu habeat ſimplex, quod ſolam ſiccationem vult: ſed & cui adſit diſpoſitio hæc vel illa ſpecialis. Nam, vel non amplius affluit pravus humor parti ulceratæ, vel affluit etiamnum. Igitur, cum non amplius affluit, ipſam ſolam curare oportet affectam partem, ſive illa livida ſit, ſive nigra, ſive rubra, ſcarificando & ſanguinem auferendo. Deinde ſubitò imponendo ſpongiam, ut ipſe jubet, ſiccam potius quàm humidam. Non enim oportet ignorare, particulam ἢ eſſe ibi aſſertivam, ac ſi dixiſſet, *Siccam, non humidam.* Poſt hæc ſiccis medicamentis utendo. Mox, ſi opus ſit, iterum ſanguinem auferendo. Tum eadem ipſa faciendo, uſque dum perſanatum ſit malum. Si verò labia appareant dura & calloſa, circumcidendo illa. Nam de his ita loquitur: *Ulcera circularia, ſi cum cavitate aliquâ ſint, circulotenus abſcindere oportet labia diſtantia, aut ex toto, aut ex dimidiâ parte ſecundum longitudinem hominis.* Scripſit etiam de omnibus ulceribus, cum quibus juncti tumores, quomodo curare oportet ſingula. Eodem modo de varicibus, ſi propter illos ulcera fiant difficilia, manifeſtum eſt, quod fiat id propter influxum humoris alicujus ad partem ulceratam. Sic, ſi fiat influxus ex toto corpore, jubet purgare totum, nullatenus indicatione captâ à tempore. Nam & ridiculum foret, ab unâ communitate ſumere tot & tam differentes indicationes, aliquando etiam contrarias. Nam licet demus, indicationem quandam à tempore ſumi: tamen dicere fas eſt, quæ ſit illa, uno pugno comprehenſa, ut in aliis omnibus facimus, non nos tantum, ſed & Theſſalus ipſe. Unum igitur in univerſum indicat apud ipſum morbus ſtrictus, laxare, quemadmodum & fluidus alterum unum, ſtringere.

9. In ipſis etiam ulceribus, quod ſordidum, vult purgari: quod cavum, impleri: quod æquale, cicatrice includi: quod luxurians carne, hanc demi, ut iterum Theſſalus ipſe. Dicat igitur de tempore quoque tale, quale de cæteris: ſed non poteſt. Inquit enim, circumcidenda eſſe: ubi quæras, quid ſapientiæ ſubſit huic indicationi? Et addit, *Et vomitu ex rhaphano.* Finiens verò, cum nihil aliud ſuccurreret, *Et helleboro.* Sed de his, ut dixi, in ſeq. plura, cum demonſtrabimus, quàm nullæ indicationes peti poſſint ex tempore in ullo morbo, ſignum quippe tantum diſpoſitionis præſentis.

COMMENTARIUS.

10. Neceſſarium ſcitu eſt, quid ſit κακόηθες? Dicit Galenus. Ego verò oppono, Non eſt hoc eſſentiale, ſed à poſteriori. Ex quo in febribus nimis ſerò judicamus aliquid *de malignitate.* Hinc pudor in vultu etiam ſeniorum Medicorum. Cur feciſti hoc, quod malignitas non admittebat? Oh, neſcivi! Creditur in febribus pendere à profundâ putredine, de quâ non niſi ex eventu pronunciamus.

11. In §.4.noto,quod hactenus apud Chirurgos noſtros non offendi, perſtare generalem regulam,Omne vulnus vult ſiccantia, præterquam id, quod cum contuſione eſt. Hoc enim ſtatim vult putrefactiva, quæ pus ſcil. faciant. Ut rectè me explicem, ſicca illa ſunt cùm caliditate: at putrefactiva hæc ſunt calida & humida,& conſtituunt ὠμήλυσιν.Hanc cur Romanâ civitate donârim, cauſa hæc eſt, tantum abeſt, ut farinam hordeaceam ſolam ſignificet, ut etiam aliorum ſeminum non Cerealium,ut fœni Græci,lini,&c. Vide Pacium heic, & Foëſ.ſuo loco.

12.Unguem imprimo fini §.6.quà de ſubdiviſione Therapeuticæ, quàm in Inſtit.inſuper habui. Certum enim apud me eſt,eſſe ex alienâ ſententiâ. Si enim τὸ παρηγορικὸν conſtitueret peculiarem partem,multò latius pateret,ſymptomatis ſc.debitum. Fortaſſis pertineret huc *Cura palliativa* in pthoë quadam. Sed quid eſt τὸ ἀγωνιστικὸν? Nil dubito,opponi τῷ παρηγορικῷ,& tum ita dici,cum feriò nos opponimus diſpoſitioni, ut hactenus locutus eſt Galenus. Vide Foëſ. in ἀγωνιστικῶς.

13.§.7.& ſeq.texit ἀνακεφαλαίωσιν eorum,quæ Hipp.ſcripſit l.de Ulc.Sub finem oſtendit,quatenus conſentiat illi Theſſalus.

CAPUT VI.

1. REdeo iterum ad Hipp. Admiror enim virum ob exquiſitam doctrinam, tàm in aliis omnibus, quam in hoc, quod non omiſerit ſcopum indicationis,aliis præſtantiorem, non in uno, alteróve, ſed in omnibus ſimpliciter morbis. Eſt autem is,qui à diſpoſitionis violentiâ ſumitur, quem non ſolum Methodici neglexerunt,(neque enim hoc admirabile:) ſed & Logicorum plerique,& alio modo Empirici omnes. Poſtquam enim obſervarunt, à vocatâ ſyndroma plethorica vacuationem ſibi præſcribi,manifeſtè fatentur,quod nihil aliud in laborante conſiderantes,ad vacuationem accinguntur. Neque hoc dico ideò,quod purgatio non minus vacuatio ſit, à ſyndroma tamen illa non indicata: tamen ad ſanguinis miſſionem ipſa nos compellat neceſſitas.Si enim validus ſit morbus, & vires conſtent, nemo eorum, qui in praxi verſantur, venam non ſecat.

2.Hinc videmus,ipſos Empiricos,ſi quis ex caſu, aut plaga vehementi contuſas habeat partes quasdam corporis,ad venæ ſectionem confugere, quamvis æger paulò antè benè valuerit,ſine ullo plethoræ indicio. Unde manifeſtum, quod hic non ſit ſcopus venæ ſectionis, ſed morbi magnitudo cum virium robore,ſeparatis à ſermone pueris.

3.Nam & alia ratione ſi quis valens,& non læſus ullatenus, ſit in ſtatu plethorico,in hoc nulla eſt neceſſitas venæ ſectionis, ſed ſufficit, huic quidem inedia,huic autem parcior victus,alii cuidam ventris ſubductio, aut purgatio, aut frequentiora balnea,rurſus alii exercitium ſolum profuit, aut frictio multa,venæ autem ſectio non neceſſaria,neque ab ipſis Empiricis adhibetur. 4.Eo-

4. Eodem modo neque purgatio indicitur à ſola copia malorum humorum: ſed ut venæ ſectio, ob copiam ſanguinis, & magnum morbum, ſic purgatio ob alîus humoris abundantiam, & magnitudinem morbi.

5. Et de venæ ſectione quidem alibi dictum eſt, diceturque etiam heic in ſeq. de purgatione autem heic ago. Indigent hac ægri, non ut purget tantum quod moleſtum eſt, ſed & ut derivet & vacuet. Ideò Hipp., cum alibi, tum in l. de Ulc. conſiderat morbi magnitudinem, pro indicatione purgationis: *Purgatio,* inquit, *ventris confert pleruque ulceribus, ut & vulneribus capitis, ventris, articulorum, præcipuè, ubi metus ſphaceli eſt, item quæ ſuuntur, nec non in depaſcentibus, in herpetibus, in aliis vetuſtis ulceribus, & quæ deligaturâ opus habent. In his enim opus eſt purgatione ventris.* Hoc ſermone manifeſtè docuit nos, quod in omnibus ulceribus, vulneribusque, cum magna fuerint, purgatio confert. Trifariam enim, non in his tantum, ſed & in aliis morbis magnis, aut propter principatum partis, aut propter morbi magnitudinem, aut ejusdem malignitatem, cujusque horum ſeorſim meminit Hipp., in vulneribus quidem capitis & ventris, principatum innuens partis vulneratæ: per *ventrem* autem quod non intelligere oportet inferiorem tantum, ſed & ſuperiorem, apertum puto omnibus eſt. Diviſo igitur trunco, qui inter collum & crura, in duas maximas cavitates, prima quidem ſub thorace, altera autem ſub peritonæo continetur. Et ſanè, quod vulnera, quæ vel in thoracem penetrant, vel intra peritonæum, cum periculo non exiguo ſint, præcipuè ſi viſcus aliquod vulneretur, ſed & quod facilè maligna evadunt illa, quæ in articulis ſunt, etiam hoc ſciunt omnes, qui ſoli experientiæ attendunt, ut & illi, quibus curæ fuit pernôſſe naturam partium interiorum.

6. Ubi enim tendines & nervi, & loca carnis expertia, oſſeaque, periculum imminet à dolore, vigiliis, convulſione & delirio. Hæc igitur vulnera, ut & illa, quæ ſuuntur, h. e. quæ tam magna ſunt, ut ſuturâ opus ſit, aut ſi non hac, tamen ligatura, levem purgationem requirunt. Dictum eſt autem libro ſup., quare magna vulnera opus habeant vel ſutura, vel deligatura. Et ſanè, quibus ſphacelus imminet, ob inflammationis gravitatem (in eodem periculo ſunt.) Sic & depaſcentia, itemq; maligna, quæ cacochymias ſoboles ſunt. Herpetes etiam conſiſtunt ab excremento bilioſo, ut omnia vetera, hac ex cauſa fiunt. Quare rationabiliter in omnibus talibus levem purgationem inſtituit.

7. Quin in progreſſu ita loquitur: *In omni ulcere, cui eryſipelas ſupervenit, purgare oportet corpus, quantum ulceri ſatis eſt, aut ſuprà, aut infrà.* Hujus ipſius limitationem habet & l. de Humoribus, cum jubet revellere in contraria, derivare autem ad latera. Et profectò, quò maximè repit, eò revellendum, dictum fuit eo ipſo libro de eodem negotio. Quare nunc quoque, ſi etiamnum vehemens ſit fluxio, in contraria revellemus, ſi ulcus in ſupernis ſit partibus, per inferiora purgantes: ſi verò in infernis, ſuperiorem ventrem vacuantes. At verò cum fluxio ſedata eſt, & firmata in parte affecta, melius eſt derivare, cum in

propinqua fiat tranſlatio, & impetus, tractioque medicamenti purgantis facilior ſit ex propinquo.

8. Quod verò oratio hæc tangat aliam artis partem de humorum curâ, non puto latére quemquam. Quare in ſeq. reſumere oportet, & perficere negotium de humoribus: nunc autem, quod morbi vis (quam poſſis etiam magnitudinem appellare:) ſcopum nobis figat, aut venæ ſectionis, aut purgationis, & quod Hipp. primus omnium, quos ſcimus, illum invenit, oſtendere eſt animus.

9. De aliis morbis in ſequentibus agam: de ulceribus in hoc. De purgationibus jam dictum eſt. Cum enim morbus magnus ſit triplex, propter partis principatum, propter diſpoſitionis magnitudinem, propter malignitatem: omnium horum meminit Hipp. in oratione de purgatione. Quid igitur, dicat aliquis, Annon etiam venam aliquando ſecare jubet, propter eaſdem cauſas? Mihi ſanè videtur feciſſe, ſed paucis, & cum demonſtratione, ut moris fuit huic ipſi, aliiſque antiquis.

10. Hoc ita eſſe intelliges, primum quidem his lectis verbis: *Omni ulceri recens facto præterquam in ventre, confert ab initio, potius multum fluere ſanguinis quam parum.* Nam & ipſum vulnus, & partes vicinæ minus inflammantur. Poſt hanc ſententiam, l. de Ulc. ſcriptam, recordatus eorum, quæ ſæpè in aliis voluminibus pro hypotheſi habuit, *Medicum eſſe Naturæ imitatorem*, non tantum in operibus naturalibus, ſed & in iis, quæ caſu fiunt proſpera: clarè jam intelligis Senis mentem, de ablatione ſanguinis in magnis vulneribus. Si enim confert talibus ſanguinem affatim fluere, non fluxit autem: oportet ſupplere, quod deeſt. Hoc ſignificat & illis, quæ ſubinfert. Conjungens enim prædictæ orationi hanc, ait: *Et ab antiquatis ulceribus prodeſt ſanguinem copioſè fluere, ſiquidem occaſio ita ferat, & ab ipſo ulcere, & à vicinis partibus.* Quia enim anteà dixit, *Ex omni ulcere recenti prodeſt ſanguinem fluere*: niſi addidiſſet, quid fieri debeat in vetuſtis, putare quis poſſet, de recentibus ſolis hoc illum facere. Ideò jure additum voluit, *Etiam in veteribus ſanguinem eſſe auferendum*.

10. Sed, ſi univerſale eſt, quod ab illo didicimus, quod, incipientibus quidem fluxionibus revulſio debetur, firmatis autem in parte affectâ, vacuatio, ſive fiat ex ipſâmet, ſive ex viciniſſimâ: facilè nunc quoque eſt nobis ratiocinari de demtione ſanguinis, ab initio longiſſimè abducendum eſſe, poſteà ab ipſa parte. Quin, ſi iis, quæ dicta ſunt, adjeceris, quod redundantem humorem vacuare vult Hipp. aliquando ſanguinis miſſione, ſiquidem is ſuperfluus ſit; aliquando dato medicamento cholagogo, melanogogo, phlegmagogo, (perfecta erit oratio.) Quâ in re memineris illius, quod curationum harum nulla eſt ulceris, quà ulcus, ſed vel cacochymias, quæ juncta eſt ulceri, vel plethoræ, vel inflammationis, vel herpetis, vel alterius alicujus. Quin etiam ſciendum, quod aliquando ſymptomaticè indicat aliquid propriè, veluti magnitudo. Dictum autem

eſt &

eſt & de hoc in ſup.libro, cum exponerem omnes ulcerum differentias, quot, qualesve ſint, & quid ſingulæ indicent. Quod verò à magnitudine morbi indicatio vacuandi præbeatur, in illo quidem libro non dixi, quoniam & prolixa demonſtratione opus erat, & totius corporis curam non reſpiciebat, quantum ad ulcera: in hoc autem exegi, quantum uſus vult.

COMMENTARIUS.

12. In hoc cap. eſt campus Martius, in quo inter alios ſeriò depugnavit Alex. Maſſaria, vir ſummus, duabus diſputationibus, Venet. in 4. 1588. quem ego ſecutus ſum juvenis, ut patet ex hiſtoria, quam refero 6. Inſtit. 6. Summa eſt, Quæritur an morbus magnus, unà cum virium conſtantia, & ætate perfecta, æqualiter indicent, & venæ ſectionem, & purgationem? Gal. heic ait, & autorem præfert Hipp. Sed profectò, argumentum Vall. eſt ἄφυκτον, quod vide l.c. & judica.

13. Occaſione venæ ſectionis, §. 10. agit de revulſione & derivatione. Quæ quia plana ſunt, non eſt opus aliis.

CAPUT VII.

1. POſt hæc omnia reſtat nobis dicere de indicatione illa, quam ſumi ajebamus à magnitudine morbi, ut & illa, quæ ab ætate, amplius etiam de illa, quæ à curatione humorum: Sic & illa, quæ ab affectis partibus oritur indicatio, perfectius in ſeq. tradetur. Nunc, quantum ad naturam ipſorum, h.e. temperamentum & ſubſtantiam, attinet, & quæ inde curationes peti poſſunt, dictum eſt tantum: de illa autem indicatione, quæ à ſitu & conformatione, uſu etiam, facili & difficili ſenſu, dictum eſt nihil.

2. Dicatur verò de illis quoque, quantum opus ad ulcerum curationem eſt. Igitur partem ſenſilem oportet vel maximè ita tractare ne doleat. Hoc verò fit adhibitis anodynis, quorum materiam diximus in doctrina medicamentaria. At verò illa, quæ parum ſenſilis eſt, tolerat etiam fortiora, ſi diſpoſitio poſtulet. Et ſanè principalis partis tonum conſervare oportet, ut plenius dicemus, cum de inflammatione agetur. Si verò pars non ſit talis, oportet uti modo curationis illo, quæ χαλαςικὴ dicitur. De his igitur in ſeq. dicemus.

3. Heic ſermo inſtituetur de indicatione, quæ petitur à ſitu & conformatione partium, quo habito, finem imponemus libro quarto. Heic igitur ille, cui ventriculus fortè eſſe vulneratus, meditatus eſt ſecum illa, bibenda eſſe medicamenta: cui verò gula, illi non ſemel & confertim tota infundenda eſſe, ſed paulatim & ſine intermiſſione. Utilitas enim horum eſt in tranſitu & contactu, non in mora & adhæſu longi temporis, ut in ventriculo.

4. Etiam, quod craſſiuſcula debent eſſe, lentaque, ſitus indicat & conformatio. Quia enim gula tranſitꝰ quidã eſt comeſtorũ & bibitorũ, ideò omnia illa

in uſum veniunt, quæ morantur in loco affecto quaſi affixa & agglutinata, non autem, quæ abluunt & diffluunt. Quæ illud habent, craſſa ſunt & lenta. Vulnera verò in craſſis inteſtinis indigent potius iis, quæ per ſedem infunduntur, quia propinquiora: quæ in tenuibus, utrisque. Jam enim hæc longius abſunt, & media quaſi inter illa, quæ per os ſumuntur, & per anum immittuntur.

5. Eſt autem communis omnium indicatio in partibus internis, ut quaſi ſtent ibi quæ Naturæ familiariſſima ſunt, tàm alimenta, quàm medicamenta: contrà fugere & averſari oportet contraria, quamvis in externis ſine noxâ uſurpari poſſint, ærugo, æs uſtum, ſquama æris, cadmia, pompholyx, lithargyros, ceruſſa. His igitur interius uti fas non eſt: dictum eſt autem de iis, & l.3. de Temp. & in doctrinâ Simpl.

6. Eligere etiam oportet cibos, ſiquidem cicatriſare volumus ulcus, auſteros & viſcidos, ſed ſine morſu: ſin mundare, mediocriter abſtergentia. In hunc uſum optimè facit mel coctum: auſteri potus, cibique tales, omnibus ſunt noti. Voco autem auſterum, quod aliàs τὸ ςύφον vocatur: ſed τὸ ςρυφνὸν eſt intenſè auſterum. Quæ autem medicamenta interius innoxia ſint, ſcripta quidem ſunt in de Simpl. dicentur autem & nunc quaſi in typo. Sunt autem hypociſtis, balauſtium, flos Punicæ, galla, cortex fructûs mali Punicæ, Samia ſtella, Lemnia terra, ſuccus rhu, ſuccus roſ. acacia, & alia talia, quorum uſus in ulceribus internis, & quidem ſine læſione viſcerum.

7. Oportet autem adminiſtrare in decocto aliquo adſtringente, quale foret Cydoniorum, aut lentiſci, aut ſummitatum rubi, aut vitis, aut myrti, aut vini auſteri. Satis autem notum eſt de uſu vini, cavendum eſſe, quo tempore inflammatio ſolet accedere: alio tempore, quo minus detur, nihil impedit. Notum & illud eſt, quod accipere oportet illa medicamenta & præparata in dictis humiditatibus, & miſta cum tragacanthâ, gummique, maximè ſi in ſtomacho ſit vulnus. Sed & gargariſare debet is, qui in faucium & tonſillarum affectu utitur. Sed & ſupinus diu continere debet in ore, ut laxi ſint omnes muſculi, qui ibi, ſicubi in aſperâ arteriâ ſit ulcus. Hoc enim modo aliquid medicamenti paulatim transfluit in dictam arteriam. Etenim in ſtatu etiam ſecundum naturam ſciendum eſt, transcolari parum potus. Verùm, tàm in ſanis, quàm in ægris, cauto opus eſt, ne multum huc deerret, tuſſim excitaturum. Quamdiu enim ad latera arteriæ, veluti ad parietem aqua, labitur humidum, tuſſim non facit. Quidquid autem per mediam aëris viam ſubitò inſilit, tuſſiculoſos facit.

8. Hæc igitur omnia ſumta ſunt à ſitu & conformatione partium: præterea ſciendum eſt, omnibus ad exulcerationes medicamentis admiſcendum eſſe mollis aliquid, ſi vel in thorace, vel in pulmonibus ſint. Sola enim auſtera ſi dederis, ſtagnant in ventriculo. Mel autem fit inſtrumentum diſtributionis, & eſt quaſi vehiculum lationis, ſimul cum hoc bono, quod non obeſt ulceri.

9. Eodem modo idem mel miſcere etiam convenit iis, quæ urinas cient, ſi

partes

partes illæ, veſica & renes, ſint exulceratæ. Quod verò & dignotio partium harum affectarum fiat ex ſitu & conformatione, perſpicuum eſt, etiamſi nihil ego dicam. Nam & in libris de Loc. aff. id demonſtratur abundè: ſed mihi nunc propoſitum non eſt de illis agere, ideoque ad methodum medendi revertor.

10. Dico igitur, Situm & conformationem partium oſtendere & hæc, & alia multa. Deligare enim ulceratam partem rectè non licet absque eo, quod indicatio ſumatur vel à ſitu, vel à conformatione, vel ab utroque. Sed nec immittere in anum clyſteris fiſtulam poſſis commodè, ſine hac indicatione. Sanè, etiam per penem injicere medicamentum in veſicam aliquando neceſſarium eſt. De cathetere enim nihil debeo dicere, quod ne quidem rectè illo uti poſſimus absque notitiâ ſitus & conformationis totius veſicæ.

11. In his enim omnibus nimis apertum eſt, quod locus affectus non parum affert ad totam curationem: at verò in vocatis rupturis plures indicationes concurrere videntur. Nam & illa, quæ à ſitu ſumitur, rectè in conſiderationem venit. Quia enim in profundo corpore latet abſcondita diſpoſitio, ob id diverſa cura ab iis, quæ per phænomena innoteſcunt, requiritur. Quia enim omninò ſine humorum effuſione non fiunt, aliquando etiam cum contuſione ruptæ carnis: ideò plures curationes indicabuntur. Semper enim in eodem numero ſunt diſpoſitiones cum primis ſcopis curationum.

12. In doctrina igitur inflammationum fuſius docebitur, quod corpora læſa in profundo ſemper volunt fortiora medicamenta quàm ea, quæ in ſuperficie. Apertum enim & heic eſt, quod medicamenta foris impoſita exſolvuntur, ſi in profundo lateat pars, quæ indiget auxilio illorum. Intendere igitur illorum facultatem tantiſper eſt neceſſarium, quantiſper exſolutam iri veriſimile eſt in itinere. Humorum igitur effuſiones omnes ſcopum habebunt vacuationis. Quare opus habent mediocriter calidis & ſiccis. Quæ enim ſtrenuè ſiccant, diſcutiunt ſtatim ab initio evidentius quàm ea, quæ debiliora ſunt: relinquunt autem poſt ſe diſpoſitionis quid ſcirrhoſum & difficulter ſanabile.

13. De his igitur accuratius dicetur in ſeq.: ſed & heic dictum eſt, quod ſatis eſſe poteſt. Medicamenta enim humida & calida, illa, inquam, quæ à vulgo χαλαςικὰ vocantur, & inter hæc, quæ parumper declinant ad ſiccius, nondum tamen evidenter ſiccant, ſunt omnium ſugillatorum remedia.

14. Manifeſtum etiam eſt, quod & in illis rupturis, quæ ſunt in profundo corporis, intendere facultatem oportet, utique acrioribus, & magis diſſipantibus, atque (ut ſemel dicam) tantò efficacioribus, quò longius receſſit cutis. Hunc uſum & cucurbita præſtiterit, quæ inventa eſt Medicis pro inſtrumento validæ attractionis.

15. Poſtquam diſcuſſa eſt tota ſugillatio, jam rupturam fortius exſiccare oportet, & adducere deligaturâ, & (ut paucis abſolvam me) omnia eò dirigere, ut ulcus coëat. Si igitur celeriter diſcutiatur ſugillatio, facilius ſolidationem admittet

mittet caro contuſa: ſi verò longiori tempore, ſordes ſatis multæ, collectæ intra labia ulceris, morantur ulcus, quò minus coëat. Ob id quælibet cauſa memoriam horum refricat. Nam & poſt leve friguſculum, poſt cruditatem, poſt febriculam, poſt exercitium partium læſarum, continuò dolent. Non enim coaluére labia rupturæ, ſed hiant, ut quavis occaſione diſcedant à ſe invicem, & ſpatium intermedium occupet humor excrementitius.

16. Et quid aliud fiat quàm nova ſugillatio? cum continuet id, quod ab initio rupturam cauſavit? niſi fortè hoc diſcrimine, quod ab initio ſanguis irrupit, nunc quivis alius humor tenuis? Propterea hic etiam facilius diſcutitur.

17. Hæc mihi dicta ſunto de ulceribus neceſſaria: nunc autem finem impono quarto huic libro.

COMMENTARIUS.

18. Farrago heic eſt variarum indicationum, quæ ſolâ lectione indigent.

Finis Lib. IV.

METHODI MEDENDI LIB. V.

CAPUT I.

1. AGens duobus ſup. libris de optimâ ulcerum curatione, oſtendi, tàm eos Medicos, qui ſine inquiſitione elementorum, è quibus ſimplices corporis noſtri partes conſtant, artem tractant, non poſſe methodicè progredi: quàm eos, qui Theſſali ſectæ adhærent. Illi enim qui diverſimodè diverſa ulcera ſanare ſe poſſe jactant, Empirici ſunt, ab experientiâ docti: hi autem, Theſſaléi, qui ob poſſeſſionem excellentis cujusdam ſapientiæ, dicunt, omne ulcus ſimilem velle curam, in quâcunque etiam parte ſit.

2. Si enim cavum ſit, impletione indigere ajunt: ſi æquabile, cicatrice: ſi luxuriantem carnem exhibeat, abſumtione ejusdem: ſi ſanguineum & recens, glutinatione. Ut igitur qui talia ſcit, conſequenter & neceſſariò benè curat: ita ſcientia hæc non uniuscujusque è vulgo eſt. Nemo enim illorum ſcit quidquam eorum, quæ dicta ſunt, neque, quo modo carne ſit implendum, quod cavum eſt: neque, quo modo cicatrix paranda illi, quod æquabile: neque quo modo ſiſtenda ſit carnis luxuries: neque, quo modo habendum ſit purum, idemque non cavum. Medicorum enim tantum hæc ἔργα ſunt, ſive ex ratione operentur, ſive ex experientiâ, ſive ex utrâque.

2. Rurſus igitur reſumentes, per capita de illis agamus, ut jungamus principium dicendorum cum fine dictorum. Dictum eſt, omne ulcus habere opus ſiccanti-

cantibus: ſed cavum minus aliis, & quæ ſimul abſtergunt. Quæ verò poſtulant unionem labiorum, quæ à Medicis ἔναιμα vocantur, & fortius ſiccantibus, & ſine abſterſione mediocriter adſtringentibus. Præterea, quæcunque cicatricem volunt, requirunt remedia ſiccantia, & non inſtrenuè adſtringentia. Si verò caro ultra naturæ legem ſe erigat, acria & abſumentia, quæ neceſſariò ſunt calida & ſicca. Sed ſi aliquod aliud ſymptoma ſe oſtentet, ex naturâ rei ſcopus medicationis petitur, & ex hac viciſſim facultas medicamentorum.

3. Nam ſi ſordes innaſcantur, uſus vult ea, quæ auferunt, quæ omnia ſunt abſtergentia, & quidem validiora illis, quæ carnem gignunt. Si copia humorum adſit, etiam amplius ſiccare oportet, ſed iis, quæ non ſunt ultra naturam propriam. Si enim opus ſit glutinatorio, ſiccans & adſtringens: ſi ſarcotico, ſiccans & abſtergens, breviter, in ſingulis, ut dictum eſt.

4. At verò ſi caro ſubjecta ſit intemperata, oportet intemperiei protenus ire obviam, ſiccam humectare: humidam ſiccare, & ſic de cæteris. Quod, ſi intemperies ſit compoſita, utraque eſt curanda. Commune enim eſt omnibus præter naturam, reverti ad ſecundum naturam, per ſibi contraria. Simul etiam intueri fas eſt cauſas ipſius intemperiei, ſive communes ſint toti corpori, ſive propriæ quarundam partium, lædentium ſympatheiam ulceratam. Percurare autem prius illam, quæ cauſa ſit intemperiei fientis. Porrò etiam, quod tactũ eſt,

5. Oportet enim & hunc ſcopum eſſe communem omnibus, quæ fiunt à cauſâ aliquâ. Diximus etiam diverſas indicationes à diverſis ulceribus acceptas, ut & illas, quæ à temperamento locorum affectorum, diverſam habere rationem ab iis, quæ dictæ ſunt. Illæ enim cum ſint ex iis, quæ ſunt præter naturam, contrariæ eſſe debent: hæ autem, profectæ ab iis, quæ ſecundum naturam, ſimiles. Pars enim ſiccior vult magis ſiccari: minus ſicca etiam minus. Eodem modo in caliditate & frig. ſe habet res. Sumuntur etiam quædam ex eo, quod partes quædam principes ſunt, quædam non ſunt; quædam ſenſiles, quædam inſenſiles. Hinc enim diverſa curationis indicatio eſt.

COMMENTARIUS.

6. Inſtituit heic iterum ἀνακεφαλαίωσιν indicationum, ab ulceribus, earumque differentiis ſumtarum, quàm §. 5. quaſi obſignat generali & communi indicatione, quæ apud me hunc habet ſenſum, jam ſuprà tactum, Omnis morbus, & conſequenter omne ulcus, curatur per contraria, quæ ſunt duum generum: Altera ſunt ſimpliciter talia, ut cum dico, Calida curantur frigidis, & ſic de cæteris: Altera cum additione, Contrariis ſimilibus. Stupeſcis? quia novum tibi videtur. Mihi verò pervetus eſt, & doctum à Galeno non uno loco, inter quos præcipuus eſt hic. Quid enim aliud ſibi vult τὸ ὁμοίων, cum ſuâ explicatione? Id profectò, quod ſuprà in exemplo, Qui duos

febricitantes, alterum juvenem, alterum ſenem, iisdem gradu frigidis curabit, juvenem quidem ſanabit, ſenem autem ſuffocabit. Ita in ulcere cavo ſi voles producere carnem, nec proportionata adhibebis ſiccantia, non tantum nihil ages, ſed etiam nocebis. Proportionata dico, quæ in corpore quidem molli mollem dent carnem, in duro autem duram. Hoc niſi fiat, excides ſpe tuâ. Nimirùm Natura vult Medicum imitatorem, qui id agat exactè, quod ipſa: non ſive magiſtrum, ſive hoſtem, qui invitam cogat aliò ire, quàm volet.

7. An ergò officium Naturæ, de quo ego olim in θ. quarum memini in frontiſpicio Inſtit., latius patet? Non, inquam Natura eſt princeps agens tantum, ut Gal. explicat in Epid., ſed modificat, etiã ut ſic dicam, actiones Medici. Et hoc eſt, quod idem Galen. Logicos præfert Empiricis, quod poſſint tranſire ad aliud medicamentum, hoc non præſtante, quod debet. Huc retuli Aph. 52. ſect. 2. & conſului, non indicationes eſſe mutandas, ſed remedia. Huc refero tranſitum Gal. Empiricis ignotum. V.g. cur non ſucceſſum habuit thus in ulcere hoc cavo? Fuit calidius & ſiccius: utere ergò iride vel panace, quorum alterutrum fortè erit contrarium ſimile.

CAPUT II.

1. Jam igitur perſequamur, quod ſupereſt curæ illius. Vocatur autem à nobis hoc genus, clarioris doctrinæ gratiâ, *Unitatis ſolutio*, nec quidquam intereſt, ſi *Continuitatis* dicamus. Fit, non ſolum in partibus ſimilaribus & ſimplicibus dictis: ſed & in organicis & compoſitis. Indicationes auxiliorum ſumuntur, hæ quidem à ſimilaribus, illæ autem ab organicis. Utrasque acceptant, qui Hipp. methodum ſequuntur, quia intelligunt utrarumque naturam: alteras ſolas, organicas, Eraſiſtratéi & Herophiléi. Iidem in ſeq. nullam agnoſcent methodum, fundatam ſuper calido, humido, frigido, ſicco, quemadmodum neque indicationes à morbo petent. Quæ verò à conformatione, ſitu, principatu, ſenſibilitate, & contrariis, illas non ignorabunt.

2. Apparebit autem tibi manifeſtius, quod ajo, cum in medium allatæ fuerint partes ipſæ. Quia igitur plurimus mihi hactenus ſermo fuit de vulneribus partium carnoſarum: tempus nunc eſt dicere de iis, quæ in venâ, arteriâ & nervo. Neque de his ſimpliciter, ſed etiam in unoquoque viſcere, ſeu, (ut uno verbo dicam) inſtrumentali animalis parte.

3. Ergò, ſi quis circa venam, arteriamve inſignem vulneretur, ſubitò quidem hæmorrhagia copioſa ſe oſtendet, & glutinari venam quidem difficile fuerit: arteriam autem, non difficile tantum, ſed & impoſſibile, ut Medici quidam ſcribunt. De utroque igitur vaſe dicendum eſt particulatim, & primùm quidem de hæmorrhagiâ: ſecundò autem loco de glutinatione.

4. Et quia ſanguis fluit, vel per ἀναστόμωσιν, vel per vocatam διαπήδησιν, nihil incommodi fuerit, ſi propter remediorum communionem, h.l. mentionem

ille-

illorum fecerimus, quamvis non ſint, ex eodem genere morbi. Effunditur igitur ſanguis ex venâ, arteriâve, vel recluſis extremitatibus vaſorum, vel tunicis illorum diſſutis, vel (ſi quis ita loqui velit) transſudante ſanguine.

5. Tunica igitur dividitur, vel vulnere, vel contuſione, vel rupturâ, vel eroſione: anaſtomoſis autem accidit, vel ob debilitatem vaſis, copiamque ſanguinis, decurrentis ad oſculum ipſius, vel etiam ob acrem qualitatem, forinſecus allabentem illi: diapedeſis tandem, rarefactâ quidem tunicâ, ſanguine autem tenuifacto. Fieri verò hæc poſſit etiam apertione vaſorum exiguorum.

6. De ſingulis his diſpoſitionibus ſeorſim dicere oportet, & primo quidem loco de diviſione, quam fieri diximus, vel eroſione, vel vulnere, vel contuſione, vel ruptione. Ubi ſciendum eſt, Quæ cauſæ vulnus faciunt, acutas eſſe & inciſorias: quæ contundunt, graves & duras: quæ rumpunt, mediante tenſione id facere. Sunt autem plura, vehementia actionis, & copia humorum, (non quidem ratione virium, ſed cum à vaſis coërceri non poſſunt:) caſus etiam ex alto, & denique, cum grave quid premit. Tale enim, ubi vel vacua ſunt vaſa, vel parum quid continent, contundunt, ſi accedat, ut durum ſit, quod ex oppoſito eſt. Idipſum ſi plenum ſit, antevertit ruptio contuſionem. Tum accidit idem, ac ſi utrem impleas aut veſicam, injiciasque lapidem, aut etiam ſi utrem cum impetu illiſeris lapidi. Tale quid maximè accidit in caſibus ex alto, Quam enim rationem habet uter ad lapidem: hanc homo habet ad ſolum. Qui verò ob intenſum clamorem ruperunt vas aliquod in pulmone, paſſi ſunt hoc ob violentiam actionis. Eodem modo, qui grave aliquod onus humeris imponere conati ſunt, aut alioqui manibus ſublevare. Hoc potius accidit illis, qui vel celeriter cucurrerunt, vel vehementer ſaltârunt, vel fortiter membrum aliquod extenderunt. Eſt enim non diſſimile illi, ac ſi funem, lorumve plurimum tendas. Quod verò accidat etiam tale quid, cum vaſa non continent concluſum ibi ſanguinem, teſtantur dolia à muſto divulſa, & corpora quævis robuſtiſſima.

COMMENTARIUS.

7. Orditur quaſi de integro morbum de Continui ſolutione, & oſtendit ab initio, in quibus à Logicis differant Eraſiſtratéi & Herophiléi. Mox à vulneribus partium carnoſarum tranſit ad vulnera venarum & arteriarum. In his quia præcipuum ſymptoma eſt *Profluvium ſanguinis*, docet, à quot & quibus cauſis id fiat? Tribus, ſcil., ἀναστομώσει, διαπηδήσει, καὶ διαιρέσει. De ſingulis ſingula ſunt monita. 1. De ἀναστομώσει ſuperflua ſunt illa verba, γένοιτο ἂν ποτε καὶ δι' ἀναστόμωσιν ἀγγείων μικρῶν. Fulcire quidem volunt Pacius & J. Alex. ſed nihil agunt. 2. De διαπηδήσει hoc ſciendum eſt, agi de illâ heic propter ſymptomatis ſimilitudinem. Reverà enim non fit ullo vaſorum vitio, ſed ſanguinis ita ſereſcentis, ut contineri non poſſit à tunicis. 3. De διαιρέσει notandum, quod heic docetur fieri 4. modis, qui accuratè explicantur.

CAPUT III.

1. UBi ergò à vulnere, clamore, caſu, aut contuſione facta eſt ruptura, ceſſat cauſa: ſed ubi à plethorâ, fieri poteſt, ut vas etiam amplius rumpatur, manente adhuc cauſâ efficiente. In hac diſpoſitione quàm celerrimè vacuanda erit plethora. Deinde cohibendus fuerit ſanguis. Poſteà ulcus ſanandum. Ubi cauſa non eſt, primum quidem cohibendus eſt ſanguis: deinde ulcus eſt ſanandum.

2. Quo modo autem ſiſtemus ſanguinem? Obturantes quidem vas ruptum: aliò autem vocantes, & avertentes ſanguinem per illud latum. Quod ſi tamen fluat eò, quò anteà impetum habuit, & oſculum æquè patulum manſerit, potius morietur animal, quàm ut ſedetur hæmorrhagia. Interim ulcus ipſum aut obturabitur coëuntibus labiis, aut clauſo oſculo. Coibunt igitur labia, vel manibus noſtris adducta, ſiquidem manibus contingere poſſumus, vel propter deligaturum cum medicamentis frigidis & adſtringentibus.

3. Suere enim non licet vulnus venæ, arteriæve, quemadmodum volebant, qui nullam ex vulneratis partibus indicationem petebant. Claudetur autem oſculum, & à thrombo, & ab exterius impoſitis. Impoſita voco, & partes vicinas carnoſas, & cutim in quibusdam ulceribus, & quæ nos molimur. Ea ſunt, & *μοτοὶ, linamenta*, & medicamenta, quæ inferciunt, viſcidâ & craſſâ ſubſtantiâ prædita, & prætereà, quæ vocatam ἐσχάραν pariunt. Nam & hæc quaſi ſeptum quoddam vulneribus eſt, inventum veterum. Parant illam & ignis actualis, & medicamenta, poteſtatem igneam habentia.

4. His & obſtruitur vaſis oſculum, & avertitur, aliòve corrivatur ſanguis, derivatione & revulſione, Scilicet & hæc Hipp. inventa ſunt, communia omnis immoderatæ vacuationis. Derivatio enim fit, cum ad vicina loca trahitur ſanguis: revulſio, cum ad oppoſita. Ita id, quod per palatum vacuabatur, per nares derivatur: deorſum autem revellitur, cum, quod ad ſedem ibat, ad uterum ducitur.

5. Tale quid facit ipſa natura. *Mulieri*, inquit Hipp. *ſanguinis vomitu laboranti, ſi menſes ſuperveniant, ſolutio.* Ideò, ubi menſes nimii ſunt, aut aliquo alio modo ex utero fluente ſanguine, derivatio ſurſum eſt maxima cucurbitula mammis appoſita. Nam & hoc Hipp. inventum eſt. Propterea & narium hæmorrhagias ſiſtunt hypochondriis applicitæ maximæ cucurbitulæ. Oportet autem, ſi fluxio fiat ex dextrâ nare, hepatis regioni affigere: ex ſiniſtrâ, lienis. Sin utrinque, utrique viſceri. Quo caſu, ſi vires nondum collapſæ ſint, etiam venam ſecare oportet in cubito ſecundùm rectitudinem lateris. Oportet autem parum emittere, unaque interpoſita horâ, iterum parum, & ſic iterum atque iterum, habita virium ratione.

6. Ita alias fluxiones omnes (communis enim ſermo eſt,) & derivabis & revelles,

velles,alias quidem,ſi illæ ad alvum eant,tu ad urinas duces, aut uterum: alias autem,ſi illæ ad urinas,tu ad alvum comitaberis,aut ad uterum. Eodem modo, ſi ad uterum,tu vel ad alvum, vel ad urinas ire jubebis. Ita,quæ ad oculos, aures,& palatum,illarum derivatio quidem fuerit per nares,revulſio autem, ſi ſurſum eant,ut tu deorſum voces: ſi deorſum,tu ſurſum.Ita ſanè,ſi in dextris ſint, ad ſiniſtra: ex his ad illa. Ita ex interioribus ad exteriora,ex his rurſus ad illa.

7.Frictiones igitur partium oppoſitarum,maximè fiunt medicamentis calidis,prætereà fortes ligaturæ,ſunt in cenſu auxiliorum derivantium, quemadmodum oppoſitæ meatuum naturalium,aperientium. Horum materia dicta fuit in doctrina Simplicium. De omnibus igitur fluxionibus dicendum fuerit in ſeq.nunc eundum eſt ad hæmorrhagias.

8.Ex genere certè obturationis & laqueus eſt quodammodo,circumjectus ſanguinem vomentibus partibus: ſunt & noſtri digiti, cogentes & ſtringentes illa. Hujus generis & ligatura eſt, quamvis non circulo comprehendat vas ut laqueus,ſed cogendo particulatim diſtantia labia partis vulneratæ, committendoque incumbentia. Extra illa omnia,quæ dicta ſunt, hæmorrhagias auxilium eſt juſtus poſitus partis. Locum autem habebit, ſi ad geminum hunc ſcopum ſpectarit,ut non doleat,& ſurſum vergat.Si enim deorſum nuat,& doleat,etiam cauſabitur hæmorrhagias,nedum eas,quæ ſunt,ſedet.

9.Ergò,qui hæc obſervârit,ſi quando adſit parti ob vulnus ſanguifluæ,(de hac enim primùm loquar,) ſtatim digitum imponat oſculo vaſis vulnerati, nitens modicè,& ſine dolore premens. Simul enim & ſanguinem cohibebit, & thrombum parabit in vulnere. Quin imò , ſi valdè profundum ſit vas ſanguifluum,hoc modo certius cognoſces & ſitum vaſis, & magnitudinem, nec non, vena an arteria ſit? Quibus habitis,comprehendens vas hamo,ſurſum elevet,& parum intorqueat.Hac ratione ſi ſanguis non ſtet, ſiquidem vena ſit,tentet ſine uſu laquei ſiſtere fluxum pulvere aliquo iſchæmo. Hoc optimè præſtant emplaſtica,compoſita ex reſina fricta,farina triticea,gypſo,& aliis id genus.Sin arteria,alterutrum facies, aut laqueo intercipies, aut totum abſcindes vas, & ſic ſiſtes.Cogimur verò aliquando uti in inſignioribus venis, ut & incidere totas, obliquè ſcil. Hujus rei neceſſitas tum incidit, cum ex loco profundo rectæ aſſurgunt,præcipuè, ſi per anguſtias quaſdam id fiat, & in partibus principibus. Retrahitur enim hoc modo utrinque pars utraque, & occulitur, & tegitur vulnus à partibus incumbentibus. Tutius tamen eſt utrumque facere, laqueum ſe.injicere radici vaſis,ibidemque ſecare. Radicem voco priorem ejus partem, ſive ad hepar perveniat,ſive ad cor. Hoc in collo quidem eſt pars inferior: in brachio autem & cruribus,ſuperior: in ſingulis partibus illa, quam Anatomia tibi monſtrat.Hanc verò negligunt amethodi iſti Theſſaléi.

COMMENTARIUS.

10. Factâ ulcerum diſtinctione inter ea, quæ pendent etiamnum à cauſâ ſuâ,& quæ amplius non pendent,quid utrinque ſit faciendum,docet. Res conſiſtit in cohibitione primùm fluxus, deinde in revulſione & derivatione. Hâc occaſione proponit §.6.generalem doctrinam de utroque auxilio. Inde §.8.ad hæmorrhagiam converſus, in exemplo per hypotheſin explicat latiuſculè, quid faciendum ſit Chirurgo.

11. Te ego moneo, diligenter conſideres negotium. Hinc enim Galenus ipſe accuſatur,illinc Linacer vapulat. Ego feci,quod potui.

CAPUT IV.

1. HÆc ubi facta ſunt, oportet quamprimum conſolidare vulnus, priusquam laqueus decidat. Niſi enim caro genita claudat locum inciſæ arteriæ,ſed manſerit locus vacuus,fit vocatum ἀνέυρυσμα. Ideò uti jubeo potius applicare emplaſtra iſchæma,quam ἐσχάραν inducentia. Poſt enim illorum uſum citius & tutius ſolideſcit vulnus. Præter enim alia hoc periculum eſt, ne cruſtâ decidente fluxus renovetur.

2. Hanc in rem optimum, quod novi, medicamentum eſt, quoque ſecurè utor in meningum cruentatione,quod dicam. Thuris pars una miſceatur dimidiæ parti aloës. Cum uſus poſtulat, ſubigitur cum albumine ovi tantum, ut mellis conſiſtentiam acquirat. Hoc excipiatur pilis leporinis quàm molliſſimis, imponaturque & vaſi & vulneri ipſi abundè. Inde deſuper ligetur linteo per ὑποδεσμίδα vocatam,puta,ut quatuor vel quinque amplexus fiant ſuper ipſo vaſe fluente (antequam ſplenia imponantur.)Hinc ad radicem profecti,in quibus ſcil.id licet. Licet autem ferè in omnibus,præterquam in meningibus. Ab eo tempore poſtquam tertio die ſolveris,& videris medicamentum firmiter adhuc vulneri adhærere, aliud iterum ex pilis ſuperdare linamentum, vel certè prius illud malefacere,& ligare eodem modo. Sin prius ſponte deciderit, leviter digito comprimere radicem vaſis,ne aliquid affluat, hoc quidem ſenſim tollere : aliud autem imponere.

3. Hæc eſt ratio curationis, uſque dum ſolideſcat vias. Tu verò ſurſum ſpectare illud jubebis ab initio uſque ad finem, cavendo ne figura hæc violenta ſit. Periculum enim eſt,ne,oborto dolore,fluxus repetat. Nihil enim magis id facit quàm dolor, ſimulque inflammationem auget. Hoc ego medicamento multifariam utor, nunc quidem eo,quo dixi, modo, miſcens aloæ duplex pondus thuris : nunc autem æquali pondere: nunc thus copioſius ſumens, nunquam autem ad duplicem doſin aſcendens. Aliquando mannam loco thuris poſui. Eſt enim manna adſtringentior ipſo thure,contrà thus magis obturat. Manifeſtum etiam eſt,quod in duris corporibus aloë præſtat copioſior: in mollibus

bus contra thus. Sic alterum quidem magis adſtringet: alterum autem magis emplaſticum erit.

4. Quamobrem etiam thus oportet accipere lentius, & (ut dicat aliquis) reſinoſius, ſi velis magis emplaſticum medicamentum. Tale eſt mollius ſimul & candidius, & in maſticatu minimè friabile, veluti & aloë & manna, ſed continuum ſibi, prorſus ut maſtiche.

5. Sed hæc pertinent ad doctrinam de comp. med., quam non poſſumus non attingere in hoc ſermone. Aut enim nuſpiam meminiſſe debuimus particularium exemplorum, ſed contentos eſſe univerſali doctrinâ: aut particularium mentionem facere, & ſic quoque præparationis. Verum ita, ut poſtquam attulerimus unum & alterum exemplum medicamentorum, methodo inventorum, manum de tabulâ. Et hujus ſemper meminiſſe fas eſt.

6. Redeamus igitur ad id, in quo ſubſtitimus. Fui autem copioſior in prædicto medicamento, quia perſuaſus ſum eſſe optimum inter illa, quæ huc faciunt. Et demirabor, ſi quis melius invenerit! Ideò utor illo, ſemper quidem in meningibus, & colli vulneribus, nonnunquam etiam vaſorum jugularium. Nam & horum ſanguinem cohibet, etiam ſine laqueo. Non oportet autem in opere feſtinare, ut attoniti quidam Chirurgi faciunt, ſed alterâ manu adigere inferiorem vaſis partem, aut circumdatam continere, alterâ medicamentum imponere, vulneri leniter appellendo, dum adhæreat. Deinde, ligare ita, à ſuperioribus ad inferiora eundo, non contrà, ut in artubus. Deligatura enim perveniat oportet ad vaſorum radices, quò poſſit cohibere id, quod influit.

7. Sunt alia plura medicamenta, quæ obturant ſine moleſtiâ: ſed cætera non ita generant carnem. In his vel maximè effectus apparet, cum, decidente priore medicamento, caro circa vas genita eſt. Contrarius quippe iis, quæ cruſtas faciunt, effectus eſt, cum pars nudior apparet, quàm ſecundum naturam erat, cruſtâ cadente. Ex corporibus enim ſubjectis & propinquis cruſta fit, cum, ut quis deſcribat, ſemiuſta ſunt, ut tale quid fiat, quale apud carbonarios, cum in futuram hyemem exſtinctos carbones parant: talis ſit cruſta carnis ignitæ. Quare, quantum carnis in cruſtam converſum eſt, tantùm periit. Et hoc totum deeſt parti, cum cruſta abſcedit, atque ideò nuda & excarnis conſpicitur. Unde non paucis hæmorrhagia contigit pervicax, cum cruſtæ ſeceſſêre.

8. Quare in his quoq; iis, qui methodicè omnia agere volunt, prævißos diu antè oportet eſſe modos omnes, quibus ſanguinem ſiſtant, & præmeditatos, quo ex iis uti velint, paratis ad alia, ſi neceſſitas poſtulet. Animadverti autem urgentiſſimam neceſſitatem eſſe in eſcharoticis, aut cauteriis actualibus, ſi hæmorrhagia accidat ex eraſione, cujus cauſa ſit putredo. Quin & ſi in talibus diſpoſitionibus exciderimus totum, quod computruit, tutiſſimum eſt, aut urere radicem ipſius, aut applicare eſcharotica. Hac ratione, tàm in pudendis, quàm in

in ano, ſæpè hùc neceſſitatis compellimur, quod partes illæ facilè putreſcant, etiam ob nativam humiditatem, & quod exitum præbeant excrementis (naturalibus.)

9. Sit verò tibi ſcopus eſcharoticorum non ſimpliciter caliditas, ſed ſi ſimul adſtringant, ut in chalcitide fit, chalcantho & miſy, ſive uſta, ſive cruda adhibeantur. Quæ verò ex vivâ calce, violentiora quidem ſunt, ſed ſine adſtrictione. Unde fit, ut cruſtæ hujusmodi facilius abſolvant ſe: at verò adſtringentia tenacius hærent. Hoc verò longè melius eſt. Naſcitur enim in imo vulneris caro, quæ inſtar operculi eſt vaſis. Quare properatu opus non eſt, ut cruſta citò cadat, ibi, inquam, ubi periculum hæmorrhagias: at verò, in illis ſolis diſpoſitionibus, in quibus ob putredinem coacti fuimus cauterio uti in corpore hominis (præſtat quantocius abſolvi.)

10. Vocatur neſcio cur, hodiè talis diſpoſitio *νομὴ*, quia ſerpere ſolet à partibus læſis ad ſanas, & ſemper aliquid harum apprehendere, tanquam ab accidente, non à ſubſtantiâ rei ſignificatæ, foret nomen ei datum.

11. Cæterum, materia omnium talium medicamentorum dicetur in propriis tractatibus. *Proprios* dico, & doctrinam Simpl. & de Compoſ. med,

COMMENTARIUS.

12. Poſtquam ſup. cap. abſolvit doctrinam de ſiſtendâ hæmorrhagiâ, cum per alia, tum per derivationes & revulſiones, accedit jam ad medicamenta, quæ duum ſunt generum: hinc quidem ἐμπλαστικά, illinc autem ἐσχαρωτικά. Utrobique tam perſpicuus eſt, ut non opus ſit oratione meâ.

CAPUT V.

1. RESumentes ſumma capita de ſiſtendo profluvio ex vaſis exterioribus, deinceps ſermonem dirigemus ad vaſa in profundo. Siſtetur igitur fluxio, aut quia non amplius affluit ſanguis ad vulnus, aut quod jam occluſum ſit vas, aut propter utrumque, id quod tutiſſ. eſt. Prohibetur igitur affluxus, aut propter lipothymiam, quæ fit vel propter revulſionem, vel propter derivationem, adeoque refrigerationem totius corporis, maximè partis vulneratæ. Hac ratione frigida ſæpè aqua bibita compeſcuit hæmorrhagias. Facit verò & extrinſecus affuſa, veluti & oxycratum, & vinum auſterum, & quæ alia adſtringere nata ſunt, aut etiam ſimpliciter refrigerare.

2. Obturatur diviſura aut connivente aut concluſo vulnere. Connivet, adſtrictum & refrigeratum, ligaturâ adductum, & laqueo interceptum. Concluditur, aut exterius aut interius. Interius à thrombo: exterius, & ab hoc, & à linamentis, & à ſpongiis, & à cruſta, & ab emplaſticis, amplius verò ab adactis vicinis corporibus. Horum unumquodque in ſpecie quid agat, dictum eſt.

3. Quæ

3. Quæ verò vaſa in profundo ſunt, laqueo vel ligaturâ non contigeris, ut neque cauteriis, neque ullo alio, quod molimur, applicando ipſi vulneri aut parti. Prætereà, per revulſionem & derivationem, per cibum & potum, per medicamenta emplaſtica, adſtringentia & refrigerantia. Horum copiam uberem habes in propriis tractatibus. Quæ verò indicatio à partibus petitur, accedit communibus curandi ſcopis jam dictis, ex abundanti autem ex particularibus morbis.

4. Inſtrumentis igitur utimur aliquando ob proprietatem partis, aliis quidem in utero, aliis autem in veſicâ urinariâ, aliis rurſus in craſſis inteſtinis. In his enim per clyſterem: in utero autem per catheteras, qui foramen habent rectum, immittimus accommodatorum medicamentorum aliquod, ut & in veſicam. Ex his partibus rariores fiunt hæmorrhagiæ: fiunt tamen, & ſunt periculoſæ, non copiâ, ſed diuturnitate. Vidi ex utero fluentem ſanguinem per quatriduum, qui nullis cederet remediis uſque ad quartam. Utebamur autem ſucco plantaginis, ex quo omninò reſtitit. Hoc medicamentum eſt eximium in profluvio etiam ex eroſione. Soleo autem miſcere illi aliquod ex validioribus, modò hoc, modò illud, intuens totam diſpoſitionem, quod ſemper oportet facere, quod habeamus in eam rem præceptum non contemnendum.

5. Nam in his ipſis, cum ex utero, veſicâ aut inteſtinis fit hæmorrhagia, conſideranda eſt quantitas, ut vel primum curationis ſcopum perſequamur, vel ſecundum, non neglectâ interim totâ diſpoſitione. Si enim diruptũ eſt vas quoddam magnum, aut anaſtomoſis eſt inſignis, in uſum venire debent fructus auſteri, balauſtii, hypociſtidos, rhu, omphacium, galla omphacitis, acacia, quæ & ſpina Ægyptia dicitur. Sin parvum ſit vas, nec magna anaſtomoſis, ut paucus fluat ſanguis, aloë, manna, piceæ cortex, terra Lemnia, crocus, lapis hæmatites, & quæcunque talia, ex vino nigro auſtero, locum habebunt. Ubi verò nec vinum tale præſtò ſit, nec ſuccus plantaginis, aut ſolani, (nam & hæc bona ſunt) decoquere oportet in aqua gemina rubi, cynosbati, myrti, lentiſci, hederæ, in ſumma, omnium adſtringentium aut radicem, aut fructum, aut corticem, aut ramos. Eodem modo adſtringentia poma, & maximè cydonia, myrti baccæ, & meſpila, dant ad hæc talia decoctum idoneum.

CAPUT VI.

1. AT verò ſi quæ hæmorrhagia fiat per eroſionem, utplurimum non eſt nimis conferta, ſed pauca & brevis temporis. Ideoque utendum Troch. vel Paſionis, vel Andronis, vel Polyidæ, vel noſtro, ut qui eandem in genere facultatem habet, ſed fortiorem. Siſtit enim eroſionem, ſimulque toti corpori proſpicit, ut anteà dixi.

2. Si conferta ſit, auſteriſſima uſurpanda ſunt medicamenta, uſque dum vincatur vehementia ipſius. Tum deinde ammiſcendi fuerint trochiſci. Poſteà ſolis illis uti, cum ſucco quodam aut decocto. Quæ verò extrinſecus impo-

nuntur hæmorrhagiâ laborantibus,& adſtringentia, & ſine adſtrictione refrigerantia, hæc non ſimpliciter laudo, velut alii Medici: ſed videtur mihi totum contrarium ejus, cujus indigemus, eſſe faciendum, ſanguinem intrò pellere, & replere venas profundiores. Novi quoſdam, è pulmone ſanguinem rejicientes, manifeſtè læſos, cum thoracem hoc modo refrigeràſſent. Ita quoſdam ſanguinem vomentes, refrigerato exterius ventriculo. Eodem iterum modo quidam, qui ex naribus ſanguinem fundebant apertè læſi ſunt refrigerato capite.

3. Non igitur ſimpliciter, neque indefinitè, neque quovis tempore concedo refrigerari loca, quæ circa partem ſanguinem fundentem: ſed poſt revulſionem, v.g. in naribus aut phlebotomiâ uti, ut dictum eſt, aut frictione, aut deligatione artuum, aut cucurbitulis ad hypochondria. Sed ne ſic quidem ſtatim uti oportet refrigerantibus, in fronte & capite: ſed cucurbitulâ primùm revellere in occipite.

4. In naribus enim duplex eſt revulſio, altera ad partes inferiores totius corporis, altera ad poſteriora capitis. Quare & ipſa pars, nares, & ſurſum eſt, & ad anteriora. Oppoſitum enim eſt, quod ſuperius eſt, illi, quod inferius eſt, illi verò, quod poſterius eſt, qnod anterius.

5. Sed de hæmorrhagiâ & hæc ſufficiant: clarum enim eſt, quòd & διαπήδησις curatur frigidis & adſtringentibus, &, ſi accidat ob tenuitatem ſanguinis, craſſo victu. Quis ſit ille, dicetur alicubi in ſeq. dictum verò eſt poteſtate in l. de victu attenuante: jam verò pergendum eſt ad curam dictarũ diſpoſitionum.

6. Venæ igitur vulnus ſi in propatulo ſit, propè eadem indiget curâ, quâ id, quod in carne, de qua in duobus ante hunc libris actum eſt. Nam ſive ex recenti vulnere factum eſt, licet illud glutinare medicamentis, quæ ἔναιμα vocant illi: ſive per eroſionem, quæcunque de malignis dicta ſunt, illa diſcernere antè omnia oportet, deinde in praxi oſtendere. Quin, ſi laqueo comprehenderis, uſus vel iſchæmis, vel cauteriis, ſcopus curationis eſt, carne operire labia ulceris, quod fiet iisdem omninò medicamentis, quibus methodus nos juſſit ulcera cava curare.

COMMENTARIUS.

7. Conjungo hæc duo capita propter ſimilitudinem argumenti. Priori agit de hæmorrhagiâ ex anaſtomoſi vaſorum, in profundo latitantium, ut ne heic quidem opus ſit curâ meâ. Poſteriori perſequitur reliquas duas cauſas. In diæreſi per eroſionem hoc monitum habet locum, Ne præcipites nimis ſimus in refrigerando per aquam frigidam.

8. De diapedeſi refert ſe ad ſeq. Tandem curat ipſas diſpoſitiones morbificas.

CAPUT VII.

1. DE arteriâ vulneratâ dictum jam eſt antè, quod quibusdam Medicis viſa ſit impoſſibilis. Et dicunt quidam horum, ſufficere in eam rem ſolam experientiam: quidam & hâc ratione utuntur: Alteram ejus tunicam duram & cartilaginoſam eſſe, quorum corporum nullum coaleſcere poſſit. Mollium enim ſolorum proprium hoc eſſe. Hoc experiri nos in exterioribus, cum lapis cum lapide coire non poſſit, neque teſta cum teſtâ. Sed & in nobis ipſis, cum neque cartilago cum cartilagine uniatur, neque os cum oſſe. Neque enim fracturæ per coalitum, ſed mediante callo integrantur.

2. Incipiamus igitur & nos à prima noſtra experientia, in commune conferentes, quæ vidimus. Nempe enim in mulieribus & pueris conſpeximus arterias glutinatas & carne indutas, in fronte, malleolo & carpo. Juveni etiam ruſtico aliquando hoc quoque contigit, cum vellet venam ſibi ſecari circa ver. Ita enim hominibus noſtris in more poſitum eſt. Poſtquam igitur ligavit brachium ille, qui venam aperire volebat, contigit intumeſcere arteriam, adeoque ſecta fuit loco venæ. Et erat quidem inciſio exigua: ſed ſanguis, qui ejaculabatur, flavus erat, tenuis & calidus, quique cum pulſu ibat. Medicus igitur (erat is juvenis, & in artis operibus inexercitatus:) ejus opinionis erat, venam ſe ſecuiſſe: ego verò cùm animadvertiſſem cum alio quodam ſeniore Medico, quid factum eſſet, præparato emplaſtro ex eo genere, quod ἔναιμον vocant, & ſtudioſè adducens vulnus, & ſubitò impoſui, & ſpongiam molliſſimam deſuper ligavi. Admirante igitur illo, qui ſecuerat, inconſuetam mihi ſolicitudinem, expoſui illi rationem facti mei, & poſtquàm domo egreſſi ſumus, juſſi, ne vel ſolvat ſine me, neque ante diem quartum: ſed ſinat ligaturam, imbuendo tantum ſpongiam. Dicto die cum ſolviſſem, & reperiſſem vulnuſculum rectè ſolidatum, tamen iterum impoſui idem medicamentum, iterum eodem modo ligavimus, non ſolvendum intra dies plures. Hôc modo curatus fuit ſolus ille, qui in cubito, loco venæ, arteriam ſecuerat: reliquis omnibus ἀνεύρυσμα obortum eſt, aliis majus, aliis minus. Quomodo autem curanda ſint ἀνευρύσματα, procedente ſermone, ſuo loco & tempore dicetur: nunc ad reliqua veniamus.

3. Natura enim arteriarum verè indicat, quod difficulter unibilis ſit, non quod omnino non. Tam enim dura non eſt, ut os eſt, & cartilago: ſed multò mollior & carnoſior. Itaque nemo veriſimiliter neget, inciſionem arteriæ ſanari poſſe, ſiquidem exigua ſit, & corpus ipſum natura molle. Atteſtatur naturæ experientia. In pueris enim & mulieribus vidi connatam, ob humiditatem & mollitiem corporum, ut & in juvene illo, de quo dixi, in quo vulnus erat exiguum. Difficilior igitur curatio eſt arteriæ quàm venæ: ita tamen, ut non prorſus diverſus ſit uſus medicamentorum in alterutro vaſe, ſed eſt idem ſpecie, differens ſecundùm magis & minus. Tantò enim ſicciore medicamento indiget

arteria, quò ſiccior eſt naturâ ſeu temperamento. Si verò carne indui debent, iisdem eget utrumque vas. Heic enim eadem carnis ſpecies deſideratur, quæ in cavis ulceribus. Quæ verò in utero ſunt, in veſicâ, in inteſtinis venæ & arteriæ, deſiderant genere eadem medicamenta, cum vulneratæ fuerint, ſed præterea certis inſtrumentis, per quæ injiciantur, quale metrenchyta eſt, & catheter recto foramine, clyſterque.

4. Mutabitur igitur cum inſtrumenti formâ, medicamenti etiam conſiſtentia. Talibus enim partibus craſſa medicamenta non conveniunt: ſed humidioribus opus eſt, & utplurimum moderatè calidis. Quare liquefacta ſunt aptiora ſiccis. Facilius enim miſcetur plantaginis ſuccus, aut talis aliquis, cum croco, pompholyge, aloë, & his ſimilibus. In principio autẽ & terra Lemnia cõmodum eſt medicamentũ, cum ſcopus incarnandi jungitur ſcopo cohibendi ſanguinis.

In his, delevi quædam.

COMMENTARIUS.

5. In quæſtione, An arteria vulnerata coaleſcere poſſit? utitur diſtinctione, Vulnus exiguum, & in corporibus mollibus, poteſt: ſecus non poteſt. Ubi pulcra eſt hiſtoria arteriæ curatæ, cum loco venæ inciſa eſſet. Ubi etiam moneo, impropriam eſſe locutionem, cum ab inſtrumentis dicitur peti indicatio. Modificant enim tantum, ſi ſic loqui poſſum. Idem facit conſiſtentia medicamenti.

CAPUT VIII.

1. QUæ verò in pulmone conſiſtunt ulcera, difficiliorem requirunt curationem: in quibusdam non difficilem tantùm, ſed & impoſſibilem, ſive ratione æſtimemus rem, ſive experientiâ. Ratione: ob reſpirationem enim pulmo eſt viſcus ſemper mobile. Quiete autem indigent, quæ curari debent. Experientiâ: quia nunquam quisquam eorum, quibus tale quid accidit, viſus eſt curatus. Quod ad hanc, (ab hâc enim ordiri oportet) dubium fortè orietur ex agnitione. Nos enim vidimus, hunc quidem ob clamorem magnum: alium autem ob caſum ex alto: alium ab hoc in palæſtrâ percuſſum, ſtatim vehementer tuſſiiſſe, & cum tuſſi alios quidem venam, duasve ſanguinis cotylas, alios verò plures extuſſiiſſe: & rurſus quosdam horum indolentes prorſus fuiſſe, quosdam doluiſſe thoracem. Ita, eorum, qui doluerunt quosdam ſanguinem ejeciſſe, neque confertum, neq; multum, minus rubicundum, minus calidum, quod è longinquo venerit: ſed enim eorum, qui non doluerunt, confertum, multumque, eumq; calidũ, & rubicundũ, manifeſto indicio, quod è longinquo non venerit.

2. Hoc ipſum aliam habet dubitationem non minimam, quo modo ex thorace transſumtus fuerit ſanguis in aſperas arterias? Inprimis apud eos, qui fieri poſſe negant, ut eat per tunicam, continentem pulmones? Fortaſſis, (niſi conviciſſet quosdam ſubitò ſupetveniens dolor, & paulò poſt ſubſequens inflammatio, cum abſceſſu manifeſto, morbum eſſe in thorace:) pronunciaſſent, ex thorace ſanguinem nunquam per fauces ire? Nunc ab iſtis ſymptomatis pudefacti,

con-

concedunt quidem ferri è thorace, ſed dum quærunt aliam viam à tunicâ pulmones inveſtiente, multa & abſurda coguntur dicere. Sed & vident ipſimet, in empyemate, contentum in cavitate thoracis & pulmonis pus, manifeſtè prodire è pulmonibus.

3. Nos verò vidimus in iis, qui in thorace habuerunt tale apoſtema, ut ſphacelo corriperentur oſſa, infuſo melicrato, ex pulmonibus id manifeſtò exiiſſe. Scimus enim diſpoſitiones tales in thorace conſiſtentes, non ſemel, ſed ſæpè, modo rheumatico, eò progredi, ut os affectum cogeremur exſcindere. In pleriſque verò, ſtatim cum corruptâ coſtâ, viſa fuit ſuccingens etiam tunica putruiſſe intus. Ideò in more habemus mulſam per vulnus infundere, aliquando quidem imperantes tuſſim ægris ſuper latus affectum inclinatis: aliquando autem molliter concutimus, & mediante inſtrumento, quod πυῦλκον dicitur, reliquum mulſæ eximimus.

4. Hoc facientes, cum ſpes fuerit, & pus omne jam elutum eſſe, & ulceris ichoras, ſic imponimus medicamenta. In his diſpoſitionibus ſi quis in ſpacio, quod eſt inter thoracem & pulmones, reliquerit humiditates, ſtatim viderit tuſſientem ægrum. Quo loco admirari fas eſt illos, qui dubii ſunt de profuſo ſanguine in fracturis, dum callus fit. Nam & hoc, quod effluit, multò craſſius eſt ſanguine naturali, & cutis ſubſtantia pariter multò craſſior eſt tunicâ pulmonis. Quod igitur diximus, cum ex caſu, aut voce acutâ, & magnâ vas in pulmone magnum rumpitur ſine dolore, confertus, calidusque, floridus ſimul & multus ſanguis cum tuſſi ſurſum fertur, unde certi eſſe poſſumus, vulnus in ipſo viſcere eſſe: at cum curationem aggredimur, ut nos ſæpè fecimus, rarò infelices fuimus.

5. Vulnerato igitur mandare oportet, neque reſpirationem edere magnam, ſed tacere ſemper: ſecare autem in veſtigio venam cubiti internam, repetentes bis aut ter, revulſionis gratiâ, fricare etiam & laqueo intercipere totos artus, ut conſuevimus. Hoc facto, ſine mora propinare poſcam aquoſam, tepidam, ut, ſi fortè thrombus ſit in viſcere, diſſolvatur & expectoretur. Hoc quo minus fiat bis, terve intra trihorium, nihil impedit.

6. Poſt hæc exhibere oportet quid emplaſticum & adſtringens, aut cum aquoſa poſca primo ipſo die, aut in decocto Cydoniorum, myrtorum, alîus adſtringentis. Ad veſperam iterum ſimiliter dare medicamentum, arcentes ab omni alimento, ſiquidem validus ſit æger: ſin minus, ſorbitionem offerre ſatis copioſam. Optimum verò etiam altero die auferre aliquid ſanguinis ex jam ſecta vena, ſi valeat, eodemque modo procedere in alimentis & medicamentis, uſq; ad quartum diem. Sed nec embrocham omittere ſuper toto thorace, æſtate quidem ex ol. melino aut roſ., hyeme verò ex nard. ung. Si uti libuerit emplaſtico, optimum fuerit noſtrum, quo in aliis quoque vulneribus confidenter utor. Compoſitum hoc eſt ex bitumine, aceto, aliis, quæ miſceri ſolent emplaſtris barbaris dictis. Si mulier ſit ſub cura, aut puer, omninò, ἁπαλόσαρκος quis, ſufficit emplaſtrum de chalcitide, cujus facultatem primo loco expoſui in de Comp. med.

7. Sic curavimus non paucos, ad quos maturè vocati ſumus. Hoc enim præcipuum eſt, quod attendere oportet, ſi ſtatim adhibearis curæ ruptorum vaſorum, ut, dum cruentum adhuc eſt vulnus, glutines, antequam ſcil. inflammetur. At verò ſi inflammatio jam acceſſit, ſpes exigua eſt glutinationis: quin extrahitur curatio in longum tempus, & vel nunquam hoc modo ſuccedit, vel difficulter. Tunc enim abluere oportet pus cum ichoribus, poſtquam inflammatio ſoluta eſt. E veſica & utero excernitur quidem ſponte, quia momentum habet deorſum: elui verò poteſt & à nobis. In pulmone neutrum fieri poteſt. Relinquitur ergò omnibus ibi ulceribus purgatio, quæ tuſſi fit. At verò ſi quietem omninò à tuſſi impetremus, quis ſperet curationem, tàm propter reſpirationem, quàm ob ſermonem? In dubio igitur curatio, non quia pulmo in perpetuo eſt motu, ut, qui antè nos fuerunt, ſenſerunt: ſed ob negatam vacuationem puris & ichorum.

8. Quare, ſi tractetur ab initio eo modo, quo dixi, ſtatim coitio fit: ſin inflammatio exſpectetur, difficilis & dubia fit cura. E regionibus enim pulmonis ichor & pus non exquiſitè vacuatur: tuſſis autem valdè divellit locum affectum. At verò è pectore tripliciter vacuari poſſunt excrementa, nam & vaſa multò minora ſunt: & ichores in ſpacium vacuum excidunt: & thorax eſt carnoſior præ pulmone. Nam neque ſubſtantia aſperarum arteriarum, abundè excarnium & ſiccarum, quæ & ipſæ rumpi ſolent, in talibus caſibus, ullibi eſt quàm heic, cum, ſi ex aliis quippiam ſit ruptum, maneant autem illæſæ aſperæ, per harum ſolas anaſtomoſes transſumtio fit. Itaque nec calidus heic ſanguis eſt, nec multus, nec ruber. Hinc fit, ut affectus primo intuitu non videantur periculoſi, cum copiâ ſanguinis non terreant: ſed reverà ſunt hoc ipſo pejores. Impeditur enim unio à ſanguine in thrombum concreſcente in ipſis vaſis ruptis, cum non habeat facilem exitum in aſperas.

CAPUT IX.

9. EOdem modo & vulnera diaphragmatis, illa, inquam, quæ non penetrant, in carnoſis quidem partibus ſæpè quidem glutinata ſunt, nihil obſtante motu ipſius: in nervoſis autem inſanabilia. Sed & in carnoſis difficultas eſt, ſi inflammatio præoccupet. Imminet autem periculum, non in ſolo diaphragmate, ſed & in omnibus peritonæo contentis. In illas enim ichores irruunt. Propterea ſiccare oportet omnibus modis, & per foris impoſita medicamenta, & per potulenta, ex vino tenui & aquâ. Accommodatiſſima autem ſunt, & quæ *διὰ σπερμάτων* dicuntur, & quod frequens nobis eſt, quoque utimur in thoracis perforationibus ſemper, *τὸ διακασίας*.

10. Sed & hæc, & quædam *ἐμβροχαὶ* his vulneribus uſitatæ, pertinent ad libros de medicamentis. Quare ſi quandoque particularia quædam memorantur, putare oportet dici ut exempla, perſpicuitatis gratiâ.

COM-

COMMENTARIUS.

11. De pulmonum ulceribus præmittit diſſertationem, poſſintne curari? Quædam poſſunt, inquit, quædam non poſſunt. Limitationem vide apud ipſum. Præmittit autem illi §. 2. dubium illorum, qui negabant, pus transſumi poſſe per tunicam pulmones ambientem. Refutat illos hoc experimento, mulſa vulneri infuſa redditur per tuſſim. Huic addit experientiam propriam. Huic §. 5. curationem, quam §. 7. inſtituit, ſiquidem maturè vocetur, antequam inflammatio ſupervenit. Hac præſente, cum non poſſit non pus generari; id verò expurgari non poſſit: deſperatio. Heic intercedunt quidam, curam palliativam oſtendentes. Miſerum ſolatium? Leviſſimâ enim quavis occaſione rumpitur cruſta, & vel obortâ novâ inflammatione, vel ſine hac ſubitò ſuffocantur. Quod vidi.

12. Ab initio cap. 9. liberat nos à diſputatione, legendumne ſit τυντὸς, an τὲκτὸς, τὸ διέχειν. Utinam quoque liberati ſimus à peritonæo, de quo Pacique? Puto, peritonæum huc implicari ob reſpirationem, ad quam, ſuperioribus præcipuè partibus, quà coſtis nothis ſubtenditur, tam certò concurrit, quam certò ſenſus heic non fallit. Nam & liberrima reſpiratio non fit â ſolo diaphragmate, ſed ſimul ab inferioribus intercoſtalibus.

13. Utinam (dico iterum) ſic Pacio eximi poſſet dubium de duabus compoſitionibus, διάσπερμάτων, καὶ διακασίας, ubi Gal. deſcripſerit? Certum heic iterum eſt, neque 7. κ. τόπ. 5. neque 9. κ. τόπ. 4. ullum earum veſtigium eſſe. Locus eſt corruptus. Ejus rei indicium præbent αἱ ἐμβροχαὶ, aut, ut in aliis eſt, αἱ ἐπιβροχαὶ. Et quid ſunt *Humida* Linacri? Certum & hoc eſt, debebat afferre exemplum medicamenti externi ſicci, quale peti poterat ex emplaſtris.

CAPUT X.

1. Iterum igitur ad rem venientes, dicamus, quàm communis omnium ulcerum curatio mutetur à particulari ſingularum partium! Hinc enim ſciemus, potiſſimum quidem id, quod in toto hoc opere propoſitum eſt, minimè errare in curationibus: deinde quàm audacter errent, qui ſe ipſos vocant Methodicos! Si enim quidquam credendum eſt mihi, qui nihil ad gratiam loquor, nihil ad odium, Cum ſint inter omnes Medicos à methodo alieniſſimi, reprobant (ut ipſimet ſcribunt) non ſolum omnes veteres, ſed etiam univerſalis methodi Principem, Hippocratem.

2. Empiricus quidem Medicus jactat, ſe ab experientiâ habere omnia, quæ nos ab indicatione invenire dicimus. At verò, cum tertius ab his modus non ſit, præter indicationem & experientiam, utro uſi Methodicos ſe audent appellare? Comitentur igitur nos vel nunc, curationem omnium ulcerum aggreſſuros

ros,oſtendantque,omnium curationem eſſe unam. Nos quidem intelligemus ab illis,quo modo ſint curaturi ulcus? quas indicationes ab illo ſumant? Nunquid alias quasdam,quàm quod æquabile quidem cicatrice inducere volunt: cavum autem carne implere? recens conglutinare? Quo modo igitur inveniam cicatricē inducentia,glutinantia,carnem ſuppeditantia in cavo,connaſci facientia in recenti? Noli ſolicitus eſſe,dicunt: jam inventa ſunt.Quibus ego, Interim neſcio,an recta methodo? an omnia? Fieri enim poteſt, ut inventa ſint deteriora quædam: non autem inventa ſint præſtantiora? Aut, ut, quæ habentur pro excellentibus,ſint mala,ideoque ne apta quidem ſanando, vel certè, longo tempore, cum dolore, cum inedia tridui non neceſſaria! Sed neque quisquam auſit novam acceptare experientiam, priusquam ſciat priſtinam jure fuiſſe refutatam!

3.V.g.de pulmonum ulceribus,quæ nullatenus cognôſſe eſt absque Anatome,& cognitione actionum pulmonum,quorum utrumque repudiant. Sed concedatur nunc quidem,cognitum fuiſſe à Theſſalo ulcus in pulmone obortum: An,quemadmodum hoc illis conceſſimus, concedimus etiam cognôſſe, utrum ſordidum,an purum? cavum,an æquabile? ichorum, purisve plenum, an expers? Scilicet,qui hoc cognoverint,vel afflati divinitùs,vel per ſomnium! De hoc ipſo autē interrogabimus,quomodo in cognitionem ipſius devenerint? aut concedemus,ut ſine ullâ cognitione utantur medicamento,quo ipſi velint? Ego profectò puto,ſordidorum quidem ante omnia purgandas eſſe ſordes: incarnandum autem purum ſimul & cavum. Abſtergendos,inquam,eſſe ichoras cum pure,ſi cui loco circumfuſi ſint: deinde autem cicatricem moliendam eſſe.

4.Hi verò,neſcio quo modo, ſanabunt etiam ita habentia ulcera. Nihil enim omninò tale ſcripſit Theſſalus,ne quis aut ignorantiam ipſius,aut diſcordiam à ſe ipſo deprehendat. Equidem aut ſtulta & falſa dicent de illis: aut ſi omninò vera quis dixerit,neceſſum eſt indicationem illorum ex ſubſtantiâ partis deſumi,& prætereà ex ſitu & conformatione. Sit ita, poſſint dignoſcere ulcus pulmonis ſordidum à puro,inflammationis expers ab inflammato,æquale à cavo; concedatur illis & hoc,cognôſſe,(quod tamen ex propriâ heureſi non poſſunt,licet minimum ſit:) tale ulcus mundificari poſſe *Viridi dicto* medicamento, *Macharionis* (ſi ita placet) aut *Iſidis*: quid facient in hoc viſcere? Reſpondeant mihi. An propinabunt quid dicti medicamenti? Ridiculum? Dicant igitur nobis, unde ſciant, medicamentum perventurum ad pulmonem, quandoquidem Anatomen deſpuunt Theſſaléi? Sed ſciant & hoc: neſciunt, an medicamentum ſit habiturum effectum illum,quem forinſecus habet? Sciant verò hoc quoque: neſciunt, an tuſſim ſit excitaturum. Sine autem tuſſi, quem habebit uſum? Concedatur verò illis hoc quoque: non poterunt negare,diverſam eſſe curam ulceris in femore,& in pulmone. Illud enim aquâ eluunt; hoc tuſſi expurgant.

5.Rur-

5. Rurſus, hoc quoque ſupponatur, in pulmone ſit circumfluum, pus craſſum: nunquid etiamnum dabunt *Viride*? an cum melle linguendum dabunt? Sed & hoc quomodo invenerint, dicant. Non enim dicent, quia mel facultatem habet inciſoriam, cum ab inquirendis ejusmodi facultatibus libenter illi abſtineant. Sed neque heic facient ideò, quod Empirici invenerint, aptum eſſe mel in hac ſyndrome. Non enim ſtatim licet facere his, quod illis, primum quidem, quia contemnunt experientiam, deinde autem, quod fatetur Empiricus ſe ignorare, qualis pulmonum diſpoſitio ſit in concurſibus ejusmodi: didiciſſe autem ex obſervatione, quæ rebus ſuis proficua ſint. At Theſſalus non debet curare, quod non novit, ſed progreditur ab indicationibus morborum. Sed & ſi omnia conceſſerimus, ut anteà fecimus, omnia illum ſcire, ut & nos, certè illud non audebit negare, mutari curationem particularem pro diverſitate partium.

6. Non enim idem eſt, mulſam utero infundere cauſâ ulceris ſordidi, & mel comedere, & ſpongiâ ulcus abluere. Sed hæc quidem exigua ſunt: maxima autem illa. Diuturnum ſine inflammatione ulcus in multis poteſt eſſe partibus, oculo, aure, ore, naribus, femore, ventre, ſede, utero, pudendo. Addatur & hoc, ſi ita vis, Ulcus aut ſit exquiſitè æquale, aut aliquatenus ſinuoſum. Reſpondeant nobis, Theſſali pediſſequæ, qui nihil horum definit, quomodo cicatricem inducemus? Fortaſſis emplaſtro de cadmiâ? Hoc enim pulcrè ſolidabit ulcus in femore: nunquid etiam in auditorio meatu? Fortaſſis incredibile hoc eſt: ſed Dii ſciunt.

7. Offendi quondam diuturnum ulcus ita curantem quendam ex ſapientiſſimis Theſſaléis. Propius autem erat, ut putredinem conciperet auris hominis, jamque verminoſa erat, quàm ut medicamento ex cadmiâ curaretur. Tamen permiſimus illum uti diutius. Sed poſtquam quotidiè magis putebat auris, & ichoribus plenum, etiam incredibilius quid auſum vidimus: putabat enim meatum in profundo inflammatum eſſe, venitque adeò ad τετραφάρμακον, à quo metus erat parti multò major putredinis. Neque enim ſiccare poteſt, ſed maturare inflammata. Quod igitur uſus eſſet medicamento, quod diſpoſitioni eſſet adverſiſſimum, poſt decurſum unius diei, aucta quidem eſt ichorum copia ſtatim, fœtor autem erat intolerabilis. Vetabant igitur domeſtici Theſſaléum amplius tangere aurem: ille verò, præ impudentiâ juxta & ſtupiditate, volebat, non modò addere aliquid de tetrapharmaco, ſed & foris uti cataplaſmate laxatorio. At verò cum domeſtici faceſſere illum juberent, quippe timentes ægro, ne in magnum malum incurreret, exoravi ego homines ſinerent hominem per unum etiam diem, futurum enim erat, ut poſtero die, & ichor multiplicaretur, & fœtor augeretur immenſum. Quo perſuadere volui aſino Theſſaléo, ne in poſterum perderet omnes ægros, ſed quosdam (tametſi paucos) ſervaret, abjuratâ methodo iſtâ non-methodo.

8. Ergò ita aggreſſus ſum hominem, Nunquid tibi videtur inflammatio ſubeſſe in profundo meatus? & ob id uteris medicamentis laxatoriis? Ille verò planè pertendebat, & ſic eſſe, nec aliter eſſe poſſe. Ergone, inquam ego, vidiſti unquam ulcus inflammatum curatum aceto acerrimo cum glaucio? Non ego, inquit. Imò, ſi quis trochiſco Andronio, aceto macerato utatur, fortaſſis & convulſionem accerſat! Si igitur (reddebam ego) aliud medicamentum, Andronio paulò validius, aceto maceratum acerrimo, uſurpet, & infundat auri, tam vicinæ cerebro & meningibus, annon reverà æger convelletur? etiam ex tuâ ſententiâ, quæ ſupponit inflammationem? Hæc videbar & illi, & reliquis præſentibus vere dixiſſe. Ergò (ſubinferebam) præterquam quod partes, ſub tuâ curâ effæminatæ, indigent extremè ſiccantibus, uterer tali medicamento: nunc, quia per aliquot dies malo mori aſſuefeciſti, in contrarium ducere confertim non licet. Tibi quidem cum Theſſalo tuo negligere licet conſuetudinem, non minus quàm partium naturam, nobis autem non licet. Primo igitur die aceto utar cum glaucio: altero, troch. Andronio: tertio progrediar ad aliquod Andronio fortius medicamentum: quo cum uſus fuero per triduum, aut quatriduum, ſi non videbitur poſtulare ulcus quid fortius, utar eodem. Foris (ajebam) imponam capiti, in latere affecto, non profectò, ut tu, cataplaſma laxatorium: ſed aliquod eorum, quæ validiſſimè ſiccant, quale id, quod de ſalicibus dicitur, aut etiam ipſum Andronium inungam cum aceto, aut alio ſicciore.

9. Quia enim curanda à nobis pars ſummè ſicca eſt, neceſſario in ſummo ſiccis utendum eſt. Indicat enim, ut & morb. ipſe, contrarium ſibi ad curationem: ſic pars extremè ſiccum, quod ipſum ſimilimum eſt parti. Quamobrem, ut dixi, ita feci. Et homo curatus eſt, non indigus fortiorum remediorum. In aliis, qui requirebant, qui, inquam ab anno ſolido, aut etiam duobus laborârant ulcere auris, adhibui medicamentum omnibus aliis fortius. Eſt hoc vocata ferri ſcoria, tuſa & cribro tenuiſſimo transmiſſa, deinde lævigata in pulverem tenuiſſimum. Tandem cocta in aceto acerrimo, uſque dum conſiſtentiam nanciſcatur mellis, ſeu ſordium cutis.

10. Non poteſt autem obſcurum eſſe ulli benè inſtituto, quod acetum in miſturâ debet eſſe multò amplius & copioſius: ſed, quod jam ſæpè dixi, materiam medicamentorum aliunde petere oportet. Nunc ſcopus hic mihi ille ſit, Methodus. Quod ad auditus ſenſorium cum ſit ſicciſſ., ideò poſtulat remedia in ſummo gradu ſicca, quorum nullum nulli alii parti admovere licet. Sed oculo quidem ulcerato collyrium ex thure, ſi ita contingat: naribus autem multò ſiccius quàm oculis: contrà, minus ſiccum quàm auri. Quare, trochiſci quidem memorati omnes ſunt boni, & illi Ant. Muſæ, & alia talia. Oris autem ulcera, præcipuè, quæ humida ſunt affatim, opus habent admodum ſiccis, quale diphryges eſt, & ipſum per ſe, & cum melle, utroque, aut etiam œnomelite. Eodem modo & compoſitio, quæ *Iris* dicitur, & quæ *Florida*, ſive ſiccæ actu uſurpentur,

pentur,

pentur, ſive cum melle, vinove, aut his compoſita, *œnomelite*. Bonum eſt & Muſæ medicamentum, & rhois ſuccus, & omphacium, & quæcunque generoſè ſiccant. Quid enim opus eſt recenſione materiæ medicæ? Quæ verò ſimpliciora ſunt oris ulcera, percurari poſſunt etiam modicè ſiccantibus, quemadmodum illis, quæ ob familiarem uſum ςοματικὰ vocantur, quale eſt τὸ διὰ μόρων, & de rubi fructu, & ſucco corticum juglandium viridium. Inter hæc nobile eſt, quod ex muſto fit, & cupreſſi ſphærulis. At verò, quæ oris ulcera inſigniter humida ſunt, & propè oſſa, (in his etiam periculum ſphacelifmi eſt:) indigent vehementiſſimis ſiccantibus, propter ſiccam oſſium naturam. Hinc ego dictos trochiſcos lævigatos impono ut medicamentum ſiccum.

COMMENTARIUS.

11. Acturus de propriâ partium indicatione variè apprehendit, tàm Empiricos, quàm Methodicos, quæ ſi repetere vellem, variè peccarem in methodum & fruſtrà. Jam enim, per Dei gratiam, conculcata ſunt iſta. Intereà, magni momenti eſt hiſtoria, quam §.7. texere incipit de ulcere auris, quam utinam Sylvaticus explicâſſet cum aliis Hiſt.!

12. Inſignitum eſt, quod §.9. habet de contrario ſimili, ut ego loqui ſoleo. Non ſatis eſt, vult dicere, habere te contrarium, v.g. humidum indicare ſiccum: oportet ſit contrarium ejuſdem gradus, parti, inquam, ſicciſſimæ oportet offerre medicamentum ſicciſſimum, oſſi v.g. ſcoriam ferri, aceto acerrimo incoctam. Quo loco magnifacio catalogum & ordinem ſiccantium exterius, quem utinam non negligant Chirurgi noſtri! Ita memini PLATERUM, Præceptorem, in ordinem redigere pilulas uſuales off., quem utinam obſervent Practici!

CAPUT XI.

1. GEnera medicamentorum, quibus utendum eſt ſpeciatim in affectibus veſicæ, utero, inteſtinis, pulmone, paulò antè dicta ſunt. Tu puta, ut indicatio ſumatur quidem ab eſſentiâ curandarum partium: ſed ita, ut anteà conſiderâris diſpoſitionem, quæ oſtendit modum utendi medicamentis, quem à conformatione & ſitu partium capimus. Hinc excogitati ſunt ὠτεγχύται, μητρεγχύται, catheteres, clyſteres. Hinc etiam eſt, quod ulcera ventriculi, thoracis & pulmonis, curare oportet iis, quæ comeduntur & bibuntur: quæ autem in inteſtinis ventriculo vicinis, per eadem: & contrà, quæ inferius, per immiſſa in podicem. Neque enim quod hàc immiſſum eſt, transſcendere poteſt ad ventriculum: neque ejus, quod per os ſumtum eſt, viribus integris ad ſedem pervenire.

2. Propterea, quæcunque in thorace ſunt ulcera & pulmone, præterquam quod difficilius ſanantur iis, quæ in ventriculo, (ſitus enim è longinquo eſt, &

diſſolvitur vis medicamentorum:) propter hoc ipſum multò validioribus indigent medicamentis quàm ulcera ipſa volebant. Ideò conſilio Medicorum, ubicunque vacuandum eſt pus ex thorace & pulmone, dantur fortiſſima & maximè incidentia, talia certè, quæ nocerent ulceri, ſi in ventriculo eſſet. Nimirum, per tuſſim expurgari, ſumtum eſt ex conformatione partium, quippe, quæ nullum talem exitum habent, qualem uterus, veſica, anus, aures, nares & os. Quamobrem ventriculus utrinque expurgari poteſt, ſurſum quidem per vomitum, deorſum autem, ut natura ſolet.

3. A partibus enim, quatenus organicæ, tales ſunt indicationes, quemadmodum ſiccandi indicatio à ſubſtantiâ earum, quatenus ſimilares. A morbis rurſus hæ, veluti ab ulceribus, quia de his ſermo erat, partim, quod ſiccandum, (ut nuper dictum eſt) partim, quod partibus propè ventriculum vomitus non ſatis tutus, quemadmodum aliàs pituitam illi infartam deterſeris oxymelite & rhaphano.

4. Verùm conſultius eſt deorſum pellere. Vomenti enim periculum ſubeſt, ne vel laceret vulneratam partem, vel humorem aliquem non bonum ex vicinis adducat. Propterea & pulmonis ulcera curatu ſunt difficiliora. Sine enim tuſſi purgari non poſſunt. Tuſſientibus autem contingit ruptura, atque ita malum quaſi in orbem redit. Cum enim nova ſuccedit inflammatio ruptis vaſis, iterum & maturari debet inflammatio, & pus expurgari. His omnibus concurrentibus, fit illud, quod Græci vocant δυσίατον, quoniam medicamenta ulceri dicata ne perveniunt quidem, ut in ventriculum, & interim exſolvuntur. Accedit, quod pulmo in reſpiratione ſemper movetur, & per tuſſim diſtrahitur. Hinc, ſi vas in pulmune tumpatur, ſcire oportet manifeſtè, niſi ſtatim glutinetur, antequam inflammetur, poſteà inſanabile fore.

COMMENTARIUS.

5. Cogor heic iterum inculcare contrarium ſimile, vel Gal. exemplo, licet invertere videatur ſcopos. Cum enim ait προεσκέφθαι δεῖν τὴν διάθεσιν, eſt hæc prima indicatio à morbo, vi particulæ πρὸ, quæ à contrario eſt ſimpliciter dicto: cum præmittit ὀσίαν τῦ θεραπευομένυ μορίυ, explicat alteram, quæ à parte affectâ, quæque eſt à contrario ſimili. Fallor, an vulgares Practici induunt ſe ſepiæ atramento, cum addi volunt appropriata, quæ collocant in quarto gradu qualitatum? Quâ in re inſignitè falluntur. His duabus ſuccedit tertia, ſi ſic loqui licet, cum reverà ſit τρόπος potius, ut Galenus heic loquitur, applicandi medicamenta, qui τρόπος requirit alicubi peculiaria inſtrumenta heic recenſita.

6. Ab his univerſalibus deſcendit ad particulares quaſdam indicationes; præcipuè cauſas affert, cur ulcera pulmonis fiant, non δυσίατα tantum, sed δ-ὐίατα.

CAPUT XII.

1. QUæcunque ulcera fiunt in aſperis arteriis, ſecundùm interiorem ipſarum tunicam, potiſſimum cum laryngi vicina ſunt, aut etiam in ipſomet, hæc curantur, & nos ita habentes ſervavimus. Invenimus autem curationem ex his. In magnâ illâ peſte (utinam aliquando conquieſcat!) incipiente, juveni cuidam, poſt novem dierum ægritudinem, per totum corpus effloruerunt ulcera, ut etiam omnibus penè ſervatis. Hoc tempore etiam levi tuſſiculâ tenebatur. Altero die poſt balneum, ſtatim quidem tuſſis erat intenſior: expectoravit autem tuſſiendo cruſtulam ulceris, quam uno verbo ἐφελκίδα vocant Græci. Sentiebat autem homo manifeſtè ulcus in aſperâ arteriâ, propè locum in collo, qui σφαγὴ dicitur. Et nos quidem aperientes os ipſius, contemplati ſumus fauces, ſicubi eſſet ulcus. Verùm, cum nihil intuentibus appareret, & videretur neceſſarium eſſe, ſi omninò ibi ulcus eſſet, fore, ut ſentiretur dolor in tranſitu cibi & potus: obtulimus illi, certioris cognitionis gratiâ, aliquid cum aceto & ſinapi paratum. Sed neque hoc morſum præ ſe tulit, licet in collo manifeſtus eſſet ſenſus, itaque ſtimularetur, ut tuſſire cogeretur. Conſuluimus igitur, ut, quantum poſſet, cohiberet tuſſim. Hoc fecit, quia & parum erat, quod ſtimulabat, & nos operam dedimus omnibus modis, ut ulcus cicatricem duceret, exterius quidem uſi ſiccantibus medicamentis, interius autem liquidum quid inſtillantes ſupino collocato, ex eo genere, quod ad ulcera facit. Simul etiam tale quid ore continere juſſimus, cujus parum quid ſineret diffluere in aſperam arteriam. Hoc quamdiu egimus, ſenſit ille adſtrictorium quid circa ulcus, ſive id fieret per transſumtionem, ſive quod ipſum medicamentum roris in modum dilaberetur, & quaſi decolaretur. Sed neque æger ipſe in Medicinâ erat hoſpes, imò, ex ſocietate Empiricâ. Quare dicebat, ſentire ſe deſcendens in arteriam medicamentum, & quandoque tuſſim movens. Reſiſtebat quidem ille fortiter, ne tuſſiret: manebat autem Romæ, ubi peſte correptus fuerat, aliud triduum, poſt novendium. Tum verò, conſcenſâ navi, ſecundo Tibri ivit Hoſtiam, & inde maximo itinere Stabias venit, uſusque eſt lacte ejus loci, quippe admirandam vim habente, nec fruſtrà celebrato.

2. Verùm, jam mihi occaſio datur loquendi de uſu lactis, non illius tantùm quod circa Stabias, ſed & de omni alio. Non enim in ſolâ Italiâ oportet curationes inſtituere, ſed, quantum fieri poteſt, ubique locorum. Ut igitur lac in Stabiis ſit præſtantiſſimum, multa concurrunt, ipſe vid. locus ſatis editus, & aër circumfluus ſiccus, & pabulum animalium optimum. Tale & alibi parari poteſt, ſi in tumulo modicè alto ſerãtur & plantæ & frutices tales, qui lac dent & bonũ & adſtringens. Exempla quidẽ plantarũ dicentur paulò poſt: at verò talem aërẽ facere impoſſibile eſt, ſed eligere cõmodiſſ. non impoſſibile. Similim⁹ autẽ ſit, qui habeat, quæ ille locus altitudinẽ tumuli mediocrẽ, viam à mari ad 30. uſq; ſtadia, & aliquid amplius. Locus ipſe maritim⁹. Stabiæ ipſæ, quà ſin⁹ Surrẽtinus

finem habet inter Surrentum & Neapolin, in latere verſus Surrentum. Latus hoc collem conſtituit ſatis patulum, latum, in mare Tyrrhenum ſe extendentem. Veruntamen collis hic ſenſim ad occaſum vergit, non rectà meridiem verſus. Hic ipſe collis aditum quidem claudit ventis orientalibus, Euro, Apeliotæ, ut & Aquiloni: conjungit autem ſe, circa mediam ſinus regionem, collis alius non exiguus, quem Romani veteres, & qui inter noſtros accuratiores eſſe volunt, Veſuvium nominant, celebrius autem & recentius Vesvius eſt, omnibus hominibus cognitus, quod inferiori ejus parte ignis erumpat, qui ipſe videtur mihi plurimum conferre ad ſiccitatem ambientis aëris. Alioquin nec ſtagnum ullum in viciniâ eſt, nec palus, nec fluvius ullus commemorabilis. Cæterùm, collis Veſuvinus impedit afflatum ventorum Septentrionalium omnium uſque ad occaſum æſtivum. Cinis etiam copioſus ab ipſo ad mare uſque provolvitur, reliquiæ materiæ ibi uſtæ, & quæ etiamnum uritur. Hæc omnia ſiccum faciunt aërem.

3. Poſſet autem quis alibi etiam in terris habitatis eligere collem non minus ſiccum, non procul à mari, nec altum adeò, ut ventos impediat, nec humilem adeò, ut promtè recipiat vapores campeſtres. Caveat autem ne ſit verſus Septentrionem. Ita enim averſus eſſet à Sole. Quod ſi in temperato aliquo orbis habitati loco collis ſit talis, qualis Stabiis, multò melius eſſet. Hoc in loco, herbæ quidem ſint, gramen, lotus, polygalon, meliſſophyllon: frutices autem lentiſcus, arbutus, rubus, hedera, cytiſus, & qui his ſimiles. Et talis quidem fiat collis: animalia autem boves ſint, ut & in Stabiis. Sit autem lac vaccarum craſſum, veluti aſinorum tenue. Ego verò in paſcua dimiſerim & boves, & aſinos, & capras, ut lactis variæ ſpecies in uſum vocari poſſint, ex bobus quidem craſſum, ex aſinis autem tenue, ut ex capris, mediæ conſiſtentiæ. Veteres etiam fæminam lactentem ſiſtebant iis, qui phthoæ laborabant, & probo ego ſententiam illorum, partim, quod familiare homini acciperent, partim, quod darent, antequam ab aëre externo refrigeraretur.

4. Quo loco ſit tibi præceptum maximum de uſu lactis in omnibus, qui opus habent illo, ut bibant illud ſtatim atque mulctum eſt, adſtantes animali. Oportet verò addatur mellis aliquid, ſi cui in ventriculo coagulari ſoleat. Si voles ſtatim illud deorſum exire, etiam ſalis aliquid.

5. Juvenis igitur ille, qui in peſtilenti morbo ulcus habebat in aſperâ arteriâ, ſanitatem recuperavit, ut alii etiam poſt illum: alteri verò juveni, circa annum ætatis 18. ex catarrho, per continuos aliquot dies durante, primùm quidem cum tuſſi exiit ſanguis calidus, floridus, non multus: poſteà autem exſpuit aliquid tunicæ illius, quæ interius ſubungit aſperam arteriam, à quâ in fauces & os per laryngem aſcenderat. Videbatur autem mihi conjectanti & ex craſſitie, & ex ſenſu ægri, eſſe laryngis corpus interius. Nimirum lædebatur inde & vox hominis: ſed & hic longiori tempore ſervatus eſt. Videbantur au-

tem

rem facilius defungi illi, qui in peſte tale quid patiebantur, quod jam exſiccatum & benè purgatum eſſet totum corpus. Nam & vomitus quibuſdam illorum ſupervenerat, & diarrhœa, quibus rationibus evacuato corpore, in iis qui ſervandi erant, exanthemata nigra apparuere per univerſum corpus, pleriſque exulcerata, omnibus ſicca. Ex quo ratiocinari licebat, eſſe ſanguinis, per febres putrefacti reliquum quid, quaſi cinerem quendam, naturâ ad cutem trudente, quemadmodum alia plura ſuperflua. Non enim hæc exanthemata poſtulabant medicamenta, reſidebant enim ſponte hoc modo: Quibuſdam enim, quibus ſuperficies exulcerabatur, decidebat id, quod ἐφελκίδα vocant, quod reſtabat, propè erat, ut ſaneſceret, ſuperinductâ cicatrice intra unum duoſque dies. Quibuſdam, quibus non exulcerabatur, efflorefcentia quidem erat aſpera, velut in ſcabie illâ ferâ, quæ ψῶρα dicitur, decidebat verò veluti ſquama. Poſt hoc omnes erant ſani. Admirandi igitur nihil, ſi genitis in pulmone quoque ejuſmodi effloreſcentiis, ſervabantur ob ſiccitatem ulceris. Qui enim in omnibus dictus fuit curationis ſcopus, is obtinuit in hac quoque peſte. Omnia enim ſicca erant, aſperaque, quædam veluti in pſorâ, quædam velut in leprâ. Ergò, ſi heic quoque atteſtatur rationi experientia, in ulceribus hunc unum eſſe curationis ſcopum, ſiccare, poſſit aliquis multos ex pulmone ſanguinem ſpuentes ſervare, ut nos quoque fecimus.

COMMENTARIUS.

6. Hic locus eſt notabilis propter ſymptomata magnæ illius peſtis Romanæ, ut Gal. vocare ſolet. Erat autem huic peſti ſolenne, ut, qui evaderent, poſt aliquot dierum decubitum, quibus corpus vacuabatur vel per vomitum, vel per alvum, criſin haberent per exanthemata nigra ulcerata in toto corpore, atque ita aliquando etiam in ore, faucibus, arteriâ aſperâ, & gulâ, ut puto. Adoleſcens, cujus heic facit mentionem §. 1. habebat ulcus in aſperâ arteriâ, cujus ſignum manifeſtum ejecta cum tuſſi ἐφελκίς. Quem ut curârit, ex oratione ipſius eſt cognoſcere.

7. Hic, quia poſt curam profectus eſt Tabias vel Stabias Campaniæ, uſurus lacte illius loci, quæritur primum utra lectio ſit verior? Noſtra exemplaria omnia, quà Græca, quà Latina, Tabias habent. Sed Ambr. Leo, in deſcriptione urbis Nolæ, cui vicinus eſt locus, tam certus eſt de alterâ, ut ne meminerit quidem falſæ lectionis. Altera quæſtio eſt, ubi reverà fuerit? Ferè enim conſentiunt autores, non eſſe amplius. Gal. quidem diligenter deſcribit: ſed credo, ex alienâ fide. Leo dictus collocat ad ora ſinus Surrentini, quà nunc caſtellum eſt Turris Nunciata: Hunc refutat ex parte Leander, in deſcriptione Italiæ f. 190. b. Italici Exempl. & ait ex Blondo, & neſcio quo Razzano deſolatas eſſe à Sylla. Tamen accedit ad illum Ill. Columna 2. Plant. minus cogn. c. 37. Ego ex Gal. duo illis oppono, 1. Stabiæ aberant à mari ſpatio 30. Stadiorum. 2. Nullus in viciniâ

Inter ſcriptores Italiæ illuſtratæ, Francof. in f. 1610. tract. cap. 9. Eſt id impreſſum Venet. in 4 1568.

ciniâ fluvius erat. Nunc Sarnus eſt, dictus ita ab oppido cognomine. Vide Plinium l.3.c.7. Cœl.9. Antiq.lect.12. Clüverium noſtrum, 4. Ital.3. Ortel.in Theſ. Geogr. voce Lactarius mons, Merulam, Coſmogr.f.910. Non poſſum non meminiſſe, Reineſium noſtrum confirmare Stabias in tr. de Deo Endovellico ſub lit.H. ex Ovidio 15. Metam. Colum.l. 10. (ubi ſunt Stabiæ fontibus celebres.) Seneca 6. Quæſt.nat. Verùm errat in eo, quod dictas eſſe putat eo modo, quo Athenæ, Sathenæ. Docui enim alibi ex Caſ. plura Græciæ loca mutaſſe nomina hac occaſione, cum itinerantes ab obviis quærerent, πῆ, quorſum? εἰς τὰν πόλιν dicebant, cum Conſtantinopolin vellent. Hinc Stambolis hodiè Turcis. Sic, εἰς ἀθήνας, Satenas. Sed hoc obiter.

8. Poſt hæc §.2. diligenter deſcribit Stabias, & mox §.3. conſultat, quo modo alibi conſtitui arte poſſit talis locus, fruſtrà, ſat ſcio. Ut enim omnia quadrent, non quadrabit aër. Sed poſſit fieri. §.4. docet uſum lactis §.5. habet aliam hiſtoriam juvenis, cui ulcus erat in aſperâ arteriâ, & narrat, quomodo curatus ſit, ubi etiam cauſam refert exanthematum nigrorum, & cur tam facilia curatu fuerint.

9. Quâ ego occaſione explicabo τὸ παραχρῆμα Gal. fine cap.1. de Libris propr. ait enim, ingruente magnâ illâ peſte, de quâ heic quoque loquitur, Româ abiiſſe ſe παραχρῆμα. Id verò cum latitudine quadam eſſe accipiendum evinco ex h.l., ubi narrat ſymptomata peſtis hujus, quæ ferè perſuadent mihi, non fuiſſe Epidemiam pernicioſam, ut Inſt. loquuntur, h.e. pleroſq; omnes evaſiſſe. At fuit λοιμὸς μέγας? inquis. Ratione temporis.

CAPUT XIII.

1. QUo modo igitur curandi ſint, quibus vas aliquod inſigne (in pulmone) ruptum ſit, ſive ex alto ceciderint illi, ſive intentè vociferati ſint, ſive pondus ſupra vires tulerint, ſive aliquid grave extrinſecus pectori inciderit, dictum eſt anteà: quo modo autem dextrè curârit aliquis, qui ex catarrho ſanguinem ſpuunt, jam dicetur. Hæc res ut lucidior ſit, proponam in exemplo curationem, quam Romæ obivi in ſplendida quadam muliere.

2. Hæc cum intellexiſſet ex ſermone, qualem nunc habui de iis, qui ſanguinem ſpuunt ex pulmone, cum per noctem parum quid ejeciſſet, ſive ob catarrhum, ſive ob vehementem tuſſim, ſtatim miſit ad me, promittens ſe facturam, quidquid injunxerim. Audiverat autem anteà, niſi quis ab initio efficacibus uteretur remediis, antequam inflammetur ulcus, nihil profectum iri. Et, quod hæc ſit cauſa, cur pereant illi, qui ſanguinem ſpuunt.

3. Huic venam ſecare auſus non ſum, quod ob catarrhum quatriduanum penè ab omni cibo abſtinuiſſet: juſſi autem uti acri clyſtere, crura & brachia fricare fortiter, adhibito calefaciente medicamento, ligare & tondere caput, impoſito medicamento ex ſtercore columbarum agreſtium. Elapſo trihorio dux

in balneum,& lavi, verùm non contigi caput illo pingui. Deinde texi pileo, pro ratione temporis apto, dedi ſolam ſorbitionem, exhibendo ſubinde aliquid ex fructibus auſteris. Cum dormire vellet, medicamentum ex viperis, circa quartum menſem antè præparatum, quippe in quo papaveris ſuccus adhuc integer, cum in vetuſtiori exoleſcat. Propter hunc enim & ſomnificum eſt, & fluxiones ſiſtit, ſed & ſimul modicè incraſſat. Sedato prorſus catarrho, apparebat manifeſtò tàm ex ſpecie reſpirationis, quàm ex ſtrepitu ſemel excitatæ tuſſis, pulmonem indigere expurgatione. Cæterum, hanc in rem ſocium ego me, adjutoremque me non præbui altero die: ſed continui mulierem in quiete & ſilentio, fricui artus & ligavi, adeoque totum corpus, excepto capite, quod à medicamento adhuc calebat. Sub veſperam iterum dedi Theriacam recentem, magnitudine fabæ noſtratis, quod multò minus erat illo, quod præcedenti die ſumſerat. Hac etiam nocte cum benè dormiiſſet, tertio die dedi mellis cocti bonam quantitatem, & pariter in quiete continui. Eodem die totum corpus ſimiliter fricui, juſſique cibum ſumere ſuccum ptiſſanæ cum modico pane. Quarto die, manè quidem dedi Theriacam, quæ jam in vigore eſſet, cum bono melle: capiti autem (ſub veſperam) impoſui iterum medicamentum (ex ſtercore columbino) quod valdè calefacit & ſiccat. Poſteà lotam, & mediocriter frictam, quinto demum die incepi vehementius purgare pulmonem. Inde iterum atque iterum per intervalla uſus ſum, in capite quidem cerato conſueto ex Thapſiâ: inſtitui autem victum renutritorium cum geſtationibus, frictionibus, ambulationibus, abſtinentiâ à balneo, victu moderato, bonique ſucci. Quo modo cum benè haberet mulier hæc, non opus fuit lacte.

4. Alii adoleſcenti, ſanguinem ſpuenti etiam (ſed non ex tuſſi, verum ex refrigeratione inſtrumentorum reſpiratoriorum) ad dimidiam heminam, ſtatim quidem venam ſecui, & bis eodem die, rurſus altero iterum die bis: frictione autem artuum & ligaturâ uſus, veſperi primæ diei dedi de noſtro διὰ σπερμάτων: Altero die poſt iteratam venæ ſectionem, toti thoraci impoſui ceratum de Thapſiâ, quo veſperi ſublato, ne plus æquo per noctem incaleſceret, Tertio, cum per trihorium geſtâſſet, lavi hominem, & nutrivi triduo ſeq. ita, ut per biduum ſorbitionibus eſſet contentus, tertio, præhabitâ ptiſſanâ, piſcem dedi ex eo genere, qui facilè concoquuntur, in ſimplici condimento. Dedi verò etiam τὸ διὰ σπερμάτων. Eodem modo & ſecundo & tertio die. Nam & ſomnum conciliat, & anodynum eſt, & ſiccat. Quo tempore, cum & partes reſpiratoriæ naturaliter temperatæ eſſent, & totum corpus perpurgatum, neque ulla circa vas ruptum inflammationis ſuſpicio, expurgare per tuſſim cepi. Deinde, cum bibiſſet Theriacam in vigore, miſi hominem ad Stabias.

COMMENTARIUS.

5. Famoſa eſt hæc hiſtoria apud Practicos, quippe quæ excitavit lites aliquammultas. Harum prima eſt, quâ audaciâ Galenus fæminam hanc εἰς βαλανεῖον ἤγαγεν? Ridicula eſt apud me excuſatio illi⁹, qui per τὸ βαλανεῖον intelligit τὸ ἀποδυτή-

δυτήριον. Adimit enim nobis ſpem omnem τὸ λύσας, quod ſequitur. Ego dico, eſſe tralatitium hoc totum. Gravius eſt alterum, Cur uſus fuerit emplaſtro de ſtercore columbino? Tantò magis, quod ſubſtituit ei alterum illud de Thapſiâ? Tantò magis iterum, quod ſtercus illud â Gal. cum Euphorbio comparatur? Inter omnes maximè injurius in Gal. Trallianus eſt d.l.7.c.1. imponit illi, quod affectum habuerit pro catarrho calido & acri. Hinc progreſſi Practici excogitârunt cauteria actualia in ſincipite, pro ſuſpenſione, uti loquuntur, catarrhorum. Vidit rem primus Jacch. in 9. Rhaſ. 36. & definivit, catarrhum frigidum fuiſſe, adeoque uſum eſſe Gal. calidis iſtis pro recalefaciendo capite. Cum hoc erat SCHERBIUS, ὁ πάνυ, qui ducem habebat Meſſariam, præceptorem l. de Phœnig. l. 27. Cauteria ſuſpenſoria, ut ſic jocer, nihili faciebat idem. Hâc in re conſenſum habet Pacii, & heic, & rurſus l.7.f.445.

CAPUT XIV.

1. OMnes hos, qui primo ſtatim die ſub manus mihi venerunt, ita ego curavi: non autem omnes, qui poſt biduum aut triduum. Quidam enim incurabile habuerunt ulcus: quibus verò ita ſupervenit inflammatio, ut febricitarent, illorum nemo perfectè curatus eſt, ſed quicunque horum ita uſi ſunt medicamentis, ut ulcus ſiccaretur, illi hoc lucrati ſunt, ut neque ulcus exedens fieret, neque majus fieret, ſed ſiccatam, & callo ſuperinductum ſineret hominem diutiuſculè vivere. Soli autem deſperatè videntur affici illi, qui, cum ulcus in pulmone habeant, à pravo aliquo ſucco eroduntur, quorum quidam dicunt, ſe ſalivum habere ſalſam.

2. Arbitror ad cacochymiæ curationem opus eſſe longo tempore. Neceſſarium autem eſt intereà temporis alterutrum fieri, aut occalleſcere ulcus ſiccatum, atque ita prorſus eſſe incurabile: aut non ſiccari quidem, ſed indicia præbere putredinis, depaſci autem circumcirca, & ſic tandem pulmonem totum putrefieri. Multi horum, qui hac cacochymiâ laborabant, cum tuſſirent quidem, ſed nondum quidquam ſanguinis exſpuerent, hac noſtrâ providentiâ perfectè reſtituti ſunt.

3. Oportet autem ab initio nihil tàm curare, quàm ut neque tuſſiant, neque aliquid ex capite affluat in pulmones. Hoc fit triplici præſidio, primo quidem purgatione, deinde uſu medicamenti διὰ σπερμάτων dicti: tandem, præcautione capitis. Oportet autem purgans ſit ex diverſis facultatibus, qualia ſunt catapotia noſtra ex aloë, ſcammonio, colocynthide, bdellio & gummi Arabico compoſita, ut plures humorum ſpecies vacuent. Satisfacit uſui, quod ſine etiam gummi confit. Poſtremò ſeorſim purgabis bilem atram. Capitis curam mandabis Ceroto ex Thapſiâ.

4. Et hæc quidem ab initio fieri debent: deinceps autem dextrè reficere oportet cibis boni ſucci, frictionibus, ambulationibus & balneis. Hujus rei methodus dicetur ſuo loco in his libris. Et hi ſunt, qui præcipuè lacte indigent,

qui

qui ſi nihil horum faciant, fiunt deſperatiſſimi. De venæ ſectione ita oportet definire: Qui videbuntur parum habere ſanguinis, in iis oportet procurare euchymiam eo modo, quo dixi, & poſteà venam ſecare: deinde iterum reficere, & iterum purgare: mox iterum reficere, & jam venam ſecare, ſi opus ſit. Eſt autem opus, in quibus totus ſanguis eſt quaſi limus quidam pravus & craſſus. Qui verò validi ſunt, & abundant ſanguine, iis ſine cunctatione ſecanda eſt vena.

COMMENTARIUS.

5. Memini de his prognoſticis differentem SCHERBIUM, ita tandem concludere, Ach Gott/ es läſt ſich alles ſagen! Interim quot moriuntur? Mihi moleſtum eſt, ut ſupra quoque fuit, quod nullibi invenio, quod ſit illud Diaſpermaton Gal. narcoticum. Quod enim ex Aëtio & Trall. affertur, pepticum eſt.

CAPUT XV.

1. Eorum, quæ dixi & nunc & anteà, quæque aut ipſe meditatus ſum, aut Hipp. duce inveni, nihil eſt, aut non examinatum, aut non judicatum, ſed per experientiam omnia probata. In quibus periclitati quidem ſumus ipſi: fructum autem percipient illi, quibus artis opera curæ ſunt. Alii enim ſermones ſunt eorum, quibus Veritas cordi eſt: alii Sophiſtarum.

2. Et quid dicam de Sophiſtis, cum etiam verorum Medicorum libri exſtent de ſputo ſanguinis, in quibus alia quidem multa, eaque non magni momenti tractârunt: eorũ verò, quæ maximi, ne meminerunt quidẽ, non intelligentes, quod per multa illa parva, quæ rectè attulerunt, ægris quidem eventura ſit mors longa: per hæc autem tria (magna) ſervabuntur omnes, qui ſervandi ſunt, per venæ ſectionem, per purgationem, per caput roborantia medicamenta. Dicetur autem de illis accuratius in ſeq. de Venæ ſectione, ubi de curatione cacochymorum tractabimus.

3. Non enim, ut alii Medici, à parvis auxiliis inchoabimus, nec, ut ipſi dicunt, tentabimus illa prius, &, ſi nihil proficient, ſuperaddemus majoribus. In non periculoſis enim vera eſt ſententia: at ubi mortis periculum eſt, ut eſt in illis, qui in principio phthoës ſunt, præter omnem rationem eſt, incipere à minimis. Omnia enim alia rectè dixit Hipp., rectiſſimè autem Aphoriſmum illum, *Extremis morbis extrema remedia meritò conveniunt.*

4. Quid igitur Eraſiſtrato fuit in mente, cum in talibus lentus eſt, & piger, ſolicitus autem, ubi nulla neceſſitas poſcit? Venæ enim ſectione nequaquam utitur in ullo ſanguinis ſputo, rationi confiſus improbæ, neminem etiam ita affectum purgavit, nulli etiam caput ſiccavit. Quæ ſi quis deneget iis, qui in phthoës periculo ſunt, quamvis in omnibus aliis rectè ſe gerat, nihil, credo, proficiet. Venæ enim ſectionem omittit, ſolâ ligaturâ utitur artuum, revulſionis ergò, ut (veluti loquitur) ſuperſit nobis ſanguis ad inflammationem curandam, nec propter defectum, cogamur uberiorem victum inſtituere. *Vide Foeſ. in* διάγειν

5. At, ô generoſe, dixerit illi aliquis, ſi in rupturâ vaſis prævenerit te inflammatio pulmonis, noli ſperare te amplius curaturum iis rationibus, quibus dictũ eſt anteà. Imò, quia prodidiſti illum ab initio, non indiget amplius induſtriâ tuâ. Tale enim quid facis quod nauclerus, qui navem evertit, & porrigit natantium alicui aſſeres, quorum ope ſervetur. Fortaſſis exiſtimet Eraſiſtratus, inflammationem ulceris neceſſarium eſſe conſequens. Hoc ſi credit, ignorat rem magnã. Qui enim volet, quotidiè habebit copiam inſpiciendi gladiatores, quibus maxima vulnera glutinantur absque inflammatione, adeoq; ſecundo aut quarto die ſecuri ſunt ab omni periculo. Plurimos nos quoq; curavimus, qui rupto in pulmonibus vaſe, vel ex caſu ex alto, vel ex clamore, vel ex plagâ, antequam rupto vaſi ſuperveniret inflammatio. Si dicet horum quoque pulmones inflammari, jam propriis ſe opponit principiis, dum dicit, viſcus principale, propè cor ſitum, ſimul quidem inflammari, ſimul autem absque febri videri hominem eſſe. Præterea, ruptâ inflammatione nihil exſpui.

6. A nobis igitur contrà audiat, quod neque glutinari poſſit ulcus, ſi pulmo ſit inflammatus, quo dato, omninò febricitabit, & cum tuſſi poſteà ejiciet ſputa purulenta, ſolutâ inflammatione. Propterea, ſi neque febricitabit, neque tuſſiet, neque exſpuet ichoras poſt ulcus & inflammationem: quo ſenſu dicetur, hujus pulmonem laborâſſe inflammatione? Itaque, cùm hoc maximum remedium non rectè ab illo ſpretum eſt: tùm, quod excipit illud, purgatio, in oratione omittitur: ſed nec ullum medicamentum ſtrenuum allatum eſt ab illo, in ullo horum genere. Ergòne, ſi ex capite aliquid defluit, relinquetur ita? ſi tuſſis ob intemperiem ſpiritalium partium oboriatur, relinquetur ita? Ita Eraſiſtratus ſimilis fuerit Statuario, qui in aliis quidem exornet opus ſuum, cœcum autem eſſe ſinat? Quid enim præſtat pulcritudo reliquarum partium, abſentibus oculis?

7. Inter tot magnorum virorum errata maxima, admirabilis prodit Theſſalus, &, cum non didicerit artem, vocari vult Methodicus! Hujus pediſſequas omnes videmus venam ſecare iis, quibus non ſolum inutilis illa eſt, ſed & nociva, ſi vellent conſtantes eſſe in hypotheſibus ſuis. Non minus iis etiam, qui ſanguinem ſpuunt, ſive cum vomitu, ſive cum tuſſi, modò robuſti ſint. Quo mod[o] verò hoc quadrat? cum ipſimet ſcribant, convenire in ſtrictis morbis tantum. Ne igitur in poſterum Methodicos ſe vocent, ſed Empiricos, ſi, deſertâ ration[e] quam pro ſanâ habebant, experientiâ utuntur ad inventionem remediorum. A[n] igitur in iis manifeſtè redarguuntur, quod nihil faciant eorum, quæ vel metho[-]dus jubet, vel ratio? Multò etiam magis, cum ajunt, partes ad curationem nih[il] conferre? Multò verò magis iterum, ſi quis heic repetat, quæ dicta ſunt de aur[i]bus, oculis, naribus, ore, thorace, utero, aliis, deprehendet, illos toto cœlo al[iter] errare.

8. Sic ille, qui Macedonico pharmaco utebatur in inflammatione puden[-]dorum, unà cum cataplasmate laxatorio, ſic vulgò dicto, parato ex pane & h[y-]

dr

drelæo. Et alius,non diſſimilis illi,qui iiſdem utebatur in ſede ulceratâ. Verum de his loquemur,cum de inflammationibus.

9. Ulcera in pudendo & ſede,non indigent quidem ullo cataplasmate, ſed cicatricem ducente medicamento,non certè tali,quale id facit in partibus carnoſis, ſed tantò ſicciore,quantò partes dictæ carne ſicciores. Quod verò admirabilius,ipſorum in pudendo ulcerum hæc eſt differentia,quod magis ſiccantia poſtulat coles ipſe,ut & extremum ipſius,quod Glans appellitatur: minus, præputium: rurſus his minus,quæ in reliquâ cute.

10. Humidum igitur in glande ulcus cum perſanare non poſſet quidam Amethodorum iſtorum,illorum,inquam,Theſſaléorum, medicamentis epuloticis dictis,nos vocavit in conſilium. Audiens igitur,quod hæc pars eget multò fortioribus ſiccantibus,non credidit primum : ſed poſtquam coactus eſt venire ad noſtra,intra triduum ſanatum eſt ulcus. Hinc factum,ut non tàm gaviſus ſit Medicus ſuper curâ hominis,quàm doluerit,quod pravæ hactenus adhæſerit ſectæ.

11. Quod enim fit ex chartâ combuſtâ, quod nobis familiare eſt,ſanat ejusmodi ulcera, ut & anethum uſtum, eodem modo inſperſum, ut & cucurbita ſicca uſta,& alia multa eodem gradu ſicca. Ulceribus verò ſiccis & recentibus commodum medicamentum eſt ſola aloë,inſpergitur enim tenuiſſime pulveriſata & ſicca. Hæc ipſa & ſedis ulcera rectè curat. Similimam ei virtutem habet & cadmia,vino elota,ſicca. Huic vicina eſt & lithargyrus,& deinceps plumbago. Omnium verò maximè & dolorem lenit,& ſua agit pompholyx. Sin ulcera ſint humidiora,piceæ cortex per ſe ſolus,ut & hæmatites lapis dictus. Si etiam cava ſint,alicui ex commemoratis tantum eſt admiſcendum mannæ thuris,quantum ſatis eſt gignendæ carni. Horum nihil vel per ſomnium nôrunt omnis methodi ignari Methodici illi,putantes omne ulcus velle eandem curam, ubicunque,& in quâcunque parte ſit. Sed neque ſciunt,ubi ſuturâ ſit opus,veluti (ſi ita contingat) ſi in abdomine ſint. De his dicetur in ſeq. libro, ut & de aliis omnibus,quæ reſtant.

COMMENTARIUS.

12. Magnæ molis quæſtio eſt apud Practicos, An ſemper inchoandum ſit à levioribus remediis,& progrediendum lento pede? Non,inquit Gal. Aliter definivit Hipp., *Extremis morbis extrema remedia.* Si enim vult dicere,tentando tantùm perrexeris per minutias,ſicubi periculum ſubſit,finis tandem erit lugubris, mors lenta. In ſputo ſanguinis v.g.,tria magna ſunt remedia, à quorum uno niſi inceperis,pœnitebit. Hinc nata eſt Gal. heic §.3. hæc diſtinctio, In morbis,in quibus præceps periculum,à vehementiſſ. auxiliis ordiendum eſt: in iis in quibus dantur induciæ,ab infirmioribus capi initium poteſt.

13. Sed nondum res expedita eſt. Ratio enim prioris partis incurrit in poſte-

poſterius, Cur procraſtinandum? Si enim periculum ſubſit, adeoque urgeat quid, cur non ſit ad id reſpiciendum? Summa, remedium oportet ſit analogum morbo. Si tu magnum ignem voles exſtringuere cochleari, meritò ridebere. Reſpondeo ergò Medicè. Si una ſemper eſſet indicatio, ea videl. quæ à magnitudine morbi, valeret: nunc cum plures ſint, & quidem aliæ ordine inferiores, ſed dignitate pollentiores, huc potius quàm illuc reſpicendum eſt: v.g. Morbus non ſemper ſatis cognitus eſt. Tu habes quidem frigidum hepar: ſed neſcio quouſque progreſſum ſit malum, an fortaſſis eò, ut hydrops frigidus ſit metuendus? Parcior igitur eſto in venæ ſectione. Et hoc eſt Hipp. illud, de quo alibi, *In morbis ne plus obſis, quàm proſis.* Ita, medicamenta ſæpè habent quid deleterii. Noli igitur uti: utere potius tutioribus. Ita venæ ſectio habet hoc mali, debilitat, exſiccat, & alia facit. Medicus non eſt Mathematicus, facit aliquid mali, quod poſteà corrigit. Ita ſenex ego, ſeptuagenario major, jam à quinquennio paralyticus, ſingulis menſibus, ex duabus cucurbitulis ſcarificatis emitto ſanguinis ℥ß. ſæpè ℔.j. ſæpius plus. Clamant Medici inde uſque ex Italiâ, *Quid facis, Hofmanne? is te perditum?* Ego verò renidens, *Ni faxim, non viverem.* Sum natus ſanguineus: ſentio aliquando cum tempus eſt deplendi, in occipite, quà λινὸς eſt, quaſi dolorem pulſatorium, qui ceſſat poſt depletionem: ſentio circa idem tempus gravitatem totius corporis, quæ deſinit facta ſcarificatione. Videtis, amici, quas indicationes habeam, & quid veriſimiliter metuam? δηλὴ δὲ ἴασις. E quâ etiam judico, hoc remedium eſſe proportionatum naturæ meæ, quæ, per Dei gratiam, hactenus ſatis benè ingerit, digerit & egerit, ut obambulem domi meæ, &c.

14. Heic aliquis, quare Gal. diſtulit hoc tanti momenti præceptum tamdiu? & quidem poſt conſtitutam methodum? Imò docuit, quamvis implicitè, l.3.c.9. Hoc ipſum ſit quis reprehenderit, illi dicetur, ab homine occupatiſſimo non eſſe poſtulanda omnia minuta. Idem fuerit dicendum, ſi cui non ſapiat crambe repetita contra Eraſiſtratum, Theſſalum, alios §.4. & ſeq. Talia tum temporis vigebant negotia, cum boni viri ſeriò occupati eſſent in domandis peſtibus illis ſectarum. Nobis jam videntur exilia, tum alia erant tempora.

15. In hoc cenſu non eſt, quod §.9. attingitur contrarium ſimile à me vocatum. Nam ſi vel centies repetatur, pro hominibus noſtris, non magis erit odioſum, quàm juſtitia civibus Atticis toties occentata à Socrate. Hac occaſione natus Galeni ordo ſiccantium in vulneribus, tantò amicior debet eſſe nobis, quò ignotior ille vulgo noſtro. Hujus enim beneficio tranſimus de medicamento ad medicamentum, quod pro Empiricis proprium habent Rationales, qui ipſi ſunt veri Methodici.

Finis Lib. V.

ME-

METHODI MEDENDI LIB. VI.

CAPUT I.

1. SAtis novi, eſſe quoſdam, quibus videbor diutius immorari uni morborum generi, quo modo id methodo ſit curandum. Verùm, non ego ſum cauſa hujus prolixitatis: ſed illi, qui nullatenus aſſequuntur benè docta ab Hipp. adeoque calumniari audent, cum ipſi ne quidem ulcus curare didicerint, nedum majus quid aggredi.

2 Ipſum igitur genus morbi, cujus ſpecies una eſt ulcus, quod ſive quis appellet *Continuitatis* ſive *Unionis* ſolutionem, nihil intererit. Demonſtratum verò eſt, quod methodus curandi illud in ſingulis corporis partibus, retinet communes quidem à morbo ipſo indicationes: acquirit autem à parte affectâ modò has, modò illas. In partibus enim carnoſis factum nominatur ulcus: habet autem communem ſcopum cum omnibus, quæ præter naturam, ſublationem ſui ipſius: ut autem diſpoſitio præter naturam, per contraria: ut ſolutio, unionem. Hujus enim morbi generatio eſt in ſolutione unionis.

3. Ideò, in oſſibus quidem vocatur κάταγμα: in fibris autem nervoſis σπάσμα καὶ ῥῆγμα. Prædicta autem eſt differentia inter hæc. Sive enim in nervo fiat, ſive in arteriâ, ſive in venâ, nullum nomen proprium ſortitum eſt: accipit autem mutuò, & dicitur vel ἕλκος, vel τραῦμα, vel ῥῆξις. Sed quod exigua nominum cura debeat illi eſſe, qui rerum ſcientiam ſectatur, dictum mihi ſæpè eſt. Ad hanc igitur properemus, ſepoſitis nominibus. Ægri enim ſublevantur non horum accuratâ impoſitione: ſed convenientibus remediis.

4. Iterum igitur repetendum eſt illud, Audaciſſ. Theſſalum perſuadere ſibi, dixiſſe ſe omnes curandi ulcera methodos, cum nullam omninò dixerit. Ulcus enim cavum (exempli gratiâ) indigere carne, ſimplex autem conglutinatione, nec idiota ignorat: ſed quomodo inveniat quis remedia, quibus aut caro gignatur, aut conglutinatio paretur, non jam ullus idiota novit. Et hoc eſt, quod proponunt ſibi agendum Medici, & in hoc præſtat alius alium. Nempè, & inveniet medicamenta, & inventis rectè utetur, ut dictum eſt anteà, qui ſit exercitatus in methodo medendi.

CAPUT II.

1. UT perſequamur aliquid eorum, quæ cohærent cum anterioribus, ſupponatur, venire aliquem ad nos, cujus cutis ſola ſit acu puncta. Hunc hominem, ſi ſit ex numero eorum, quorum vulnera facilè coëunt, etiamſi ſine medicamento, nudum & non obligatum, dimiſeris ad conſueta opera, nihil ille patietur

tur mali. Contrà, ſi ex iis ſit, qui difficulter ſaneſcunt, primum quidem dolebit, deinde autem cum pulſu inflammabitur pars. Et Empiricus quidem ex reſponſo intelliget naturam hominis: nos verò cum uſi fuerimus omnibus, quæ experientiâ ſunt inventa: prætereaque, ſi notas expenderimus naturæ, tam quæ bonis ſuccis prædita ſit, quam quæ malis, quæ ſenſilis aut inſenſilis, quæ plethorica, & temperata: ſciemus, quod, ſive plethoricus ſit, ſive cacochymus, ſive ſenſilis, ſive omnia hæc habeat, ſive quædã illorum, certè inflammationem exſpectabit. Ubi autem contraria, nihil timebit mali.

2. Hæc ubi præſcierimus, profectò, glutinatorium non imponemus medicamentum, qualia pleraque ſunt, quæ ἔναιμα vocantur, & uſum habent in recentibus vulneribus: ſed molle quid, mitigatorium, & anodynum. Ubi enim ſolutio eſt ingens, ſtudere oportet ſiccantioribus medicamentis, ut per coalitum & unionem coëant vulneris labia. At ubi acus aut ſtylus ſolutionem fecerit, unus hic ſcopus, ne inflammetur.

3. Hinc manifeſtum eſt, quod ſcopus à Theſſalo propoſitus in cruentis vulneribus nihil amplius nos docet, quàm quod idiotæ etiam ſciunt. Non enim ſcire, quid facere oporteat, magnum eſt, quia à natura hæc ſcientia eſt: hoc autem ſcire, per quæ id fieri oporteat, hoc demum eſt artificum. Si enim navim quis ſtruere velit ex arte, ſcimus nos quidem omnes, qui navium architecti non ſumus, quò loci clavus eſſe debeat, ubi puppis, ubi prora, ubi ſingula alia: ſed nihil præterea, adeoque neſcimus, quomodo ſit in fabrica progrediendum. Sic domum quis ædificaturus, non neſcit fortaſſis, quod primùm collocanda ſint fundamenta parietum, poſt illa parietes ipſi, & quidem rectâ aſſurgentes, tum, poſt hæc tectum, inde januæ & feneſtræ, & quæcunque partes domus aliæ ſuo quæque loco: ſed neque hoc plus facit ad domus ſtructuram, quàm id, quod ſcit ignarus aliquis artis ædificatoriæ.

4. Soli igitur Theſſalo, omnium hominum ſapientiſſimo, ſufficit ad ſcientiam fabrilem, ſcire, quid faciendum ſit! Nos verò in anterioribus etiam oſtendimus, quod hoc quidem principium quoddam ſit actionum illarum, quæ in artibus: nondum autem pars ulla illarum propria, ſed communis cum omnibus idiotis.

5. Primæ igitur in omnibus artibus indicationes naturâ inſunt omnibus hominibus. Quare ſi ſatis ſunt ad artifices faciendos, nihil impedit, quò minus & nos naves ſtruamus, ædificemus, calceos ſuamus, veſtes conſarcinemus, ſumma, architecti ſimus, citharistæ, oratores. Sed non eſt ita in rei veritate, neque Medicus ſubitò eſt, qui ſcit parti vulneratæ reddendam eſſe nativam ſuam unitatem: ſed qui ſcit, per quæ ſit reddenda.

6. Sed neque hoc ſatis eſt, ſi neſciat, quo modo utendum ſit illis: ſed is ſolum, qui totum proceſſum curationis, donec ſcopum attingat, nôrit, dicetur ſcire curationem. Accidit enim quandoque amethodis iſtis Theſſaléis, qui plura

plura audent, quàm poſſunt, ut neque in poſſibilibus fine ſuo potiantur. Nuper cum quidam ſtylo vulnerâſſet manum ſic, ut tota quidem cutis diſciſſa eſſet, punctum autem ſimul eſſet aliquid nervi ſubjecti, principio quidem ſapientiſſimus Theſſalus impoſuit aliquid emplaſtici, quod non ſemel in maximis vulneribus benè illi ceſſerat, (putabat enim omne vulnus requirere eandem medelam:) ſed obortâ inflammatione territus, tranſiit ad farinam triticeam, quâ putrefaciens hominem intra ſeptendium occidit.

7. Tu verò nec facilè numerâris, quot eorum perierint convulſionibus, qui in Pœonias iſtorum manus inciderunt, qui divinam illam ſanctionem ſartam tectam volunt, *Omne recens vulnus tractandum eſſe eodem modo, nihil coindicantibus locis affectis*! Sed noſtra methodus non tam errabunda eſt, quam Theſſalica illa? Poteſt verò etiamnum reperiri, poſt tot, tantosque Medicos, non ſolum materia medica præſtantior antiquâ illâ: ſed & totus curandi modus alius. Nemo enim eorum, qui ſtatim ab initio uſi ſunt noſtris medicamentis, in periculo convulſionis fuit.

8. Animadverti enim, ubi punctus eſt nervus, neceſſariò, ob ſenſûs acumen, & præ aliis dolere partibus, & inflammationem incurrere. Quare inveni hoc, & mitigandum eſſe dolorem, & coërcendam inflammationem. Rationabile igitur cenſui, cutis quidem vulnus ſervare apertum, ut per foramen effluant ichores, & corpus totum immune fiat ab excrementis. Hinc magnoperè ſtudui, præſervare partem affectã â dolore. Proptereà non pauca expertus ſum medicamenta, quæ vulneri impoſita mirabiliter comparata ſunt, tam ad dolorem levandum, quam ad occluſionem ichorum.

9. Hac in re tutiſſ. eſt, & cute inciſâ vulnus dilatare, & venam ſecare, validis viribus. Si verò cacochymum fuerit corpus, non interjectâ ullâ morâ purgare. Sciendum verò fuerit, calidam aquam aliis inflammationibus quidem commodiſſimam eſſe: adverſiſſimam autem nervorum, cum ex humidiore materiâ, per refrigerationem & concretionem ſit genita nervorum ſubſtantia. Omnes enim ejusmodi conſiſtentiæ à calidis juxta & humidis diſſolvuntur & putreſcunt. Ab aquâ igitur calidâ abſtinui in his talibus omninò: fovere autem oleo calido conſultius judicavi.

10. Nam & hoc mihi demonſtratum eſt, ſi oleum actu frigidum applicetur, poros obſtruere: ſin calidum, digerere. Vitavi etiam, quod in hoc genere ὠμοτριβὲς dicitur, & in univerſum, quod adſtringit: elegi autem, quod tenuiſſimarum partium, quale eſt Sabinum. In hoc genere præſtat, quod eſt duorum aut trium annorum. Tale enim potentius digerit. Quod antiquius hoc, ſemper quidem magis digerit recenti; ſed non minus anodynum eſt. In medicamentis autem hunc ſcopum habui, ut ea acciperem, quorum facultas ſit in tenui ſubſtantiâ, calida moderatè, ſic ſatis autem ſicca. Hæc enim ſola ex profundo trahit ichoas, ſine tamen contractione & morſu partis.

11. Uſurpavi autem primùm reſinam terebinthinam, vel ſolam, vel pauco addito Euphorbio. Solam quidem in pueris & mulieribus, omnibusque ἁπαλοσάρκοις: cum Euphorbio autem in σκληροσάρκοις. Sic etiam propoli ſolâ, ſubigens cum Euphorbio. Quod ſi propolis eſſet duriuſcula, adhibui oleum quoddam tenuium partium. Et ſagapeno uſus ſum in corporibus durioribus, remiſto oleo & terebinthinâ. Sed & opopanace ſum uſus eo modo quo ſagapeno. Videtur mihi & ſuccus Cyrenaicus profuturus, ſi quis inde conficiat emplaſtrũ, quale nos ex Euphorbio: verùm nondum probavi experientiâ, ut reliqua omnia.

12. Nimirum, in inventione eorum, quæ in verâ methodo locum habent, ratio præcedere debet: atteſtari autem illi experientia, ut firmior ſit fides. Ex hac methodo & ſulphur vivum eſt, ſi non ſit lapidoſum, ſed tenuium valdè partium. De hoc enim ſpem concepimus utile fore iis, qui nervorum vulnera habent, ſi miſceatur olei tenuium partium tantum, quantum conſiſtentiam facit talem, qualem ſordes balnei habent.

13. In corporibus autem validioribus & durioribus ſi redegeris ad mellis craſſitiem, etiam ſic proderis. Nam & hoc jam experientia comprobavit. Cogitavimus etiam de calce lotâ, ſi eodẽ modo cum oleo miſceatur & applicetur. Erit autem efficacius, ſi ablutio fiat in aquâ marinâ. Hæc dexterrima eſt, ſi æſtate fiat ſub ardoribus Caniculæ. Præſtantius fuerit, ſi repetatur bis aut ter.

14. Talia quo modo paranda ſint, de Comp. med. dictum eſt: nunc ſufficit dixiſſe, quâ ratione invenerim & adhibuerim talia in nervorum ulceribus, cum nullum ex præceptoribus viderim uti, neque in ullo veterum libro Therapeutico legerim. An horum aliquid profectum eſt, non ex libris ſcribentium de facultatibus ex propriâ induſtriâ, ſed ex ipſâ rei naturâ? Inde enim progreſſus aliquis, fecit, quod proprium eſt Medici utentis methodo.

15. At admirabilis Theſſalus, cum nullum medicamentum invenerit, ſ olim cognôſſe ait materiam illorum. Atqui plurima medicamenta, quæ no invenimus, non fuere nota vel Theſſalo ipſi, vel qui ante ipſum Medicis omni bus, ſed neque ipſius conſecraneis uſque ad hæc tempora. Ego verò abduct aliquando ad ægrum, qui putrefactus jam erat ab iſtis Theſſaléis methodis, cu animadverterem, cogitare illum de cataplasmate ex farinâ triticeâ, cum aliu medicamentum præ manu mihi non eſſet, & viderem in viciniâ coactiliariu quem πιλοποιὸν Græci vocant, juſſi mihi dari lixivium illius ſtillatitium, in q coxi memoratam farinam triticeam, non autem ut illi, in hydrelæo, & imp ſui. Rurſus, alio tempore, pariter coxi ervinam in eodem lixivio, impoſuiq nervo inflammato, & jam per pulchellas iſtas curationes putreſcenti, & libera ſic hominem ab illâ putredine.

16. Sed de inflammationibus & putreſcentibus alius ſupereſt ſermo, & prolixus, inſtituendus ſuo loco in hoc ipſo opere: ſed vulnerati nervi medi menta heic finem habent. Plerique ex illis, quæ nos invenimus, utuntur il

qu

quod dicitur *δι᾽ εὐφορβίου*, & eſt *Emplaſtrum*, quod fit ex dicto *Euphorbio*, cerâ, & reſinâ fricâ. His, neſcio, cur addidere quidam terram Sinopicam: quidam ochram, ut lateat ſub hoc colore, nec agnoſcatur pro meo. Hoc fit ex invidiâ, cum ego ab initio non ita compoſuerim. Quidam fortaſſis ideò miſcuerunt halos anthos, quod & ipſum mutat colorem, ſed facultati nihil demit. Poſſit & quis ex ignorantiâ miſcere tale quid, quod lædat vires medicamenti. Nos fecimus ex cerâ & terebinthinâ, & pice & Euphorbio, ceræ quidem injicientes p. j., tereb. autem & picis p. dim., ut quod ex utroque ceræ par eſſet. Poſſit aliquando & plus miſceri, ut totum ſit plus quàm cera. Poſſit & alterutrum ſolum miſceri ceræ. Quin etiam in defectu tereb. & liquida ex doliis, & frictà rectè miſceatur. Nihilominus & abiegna. Strobilina debetur ſolis duris corporibus: in mollioribus locum non habet. Cum igitur miſcetur humida, tuſum & cribratum Euphorbium inditur reliquis liquefactis. Sit autem pondus ipſius pars ceræ 12., aliquando plus, ſi medicamentum deſideres validius. Si ſicca, qualis eſt fricta, Euphorbium eget pauco oleo. Quare ego lævigatum cùm oleo, & redactum ad conſiſtentiam ſordium, poſt liquefactionem & refrigerationem cum aliis rado & miſceo. Sæpiculè parato ſic medicamento inſtillo aliquid aquæ, & quidem non plus quàm abſumi & diſſipari totum poſſit interim, dum miſta liqueſcunt.

17. Sed hæc omnia propria ſunt tractatus de comp. med.: nunc autem ſufficit, ut anteà quoque feci, indicâſſe, quale ſit genus medicamenti, & pauca dixiſſe particulatim exempli gratiâ. Omnium enim uberem copiam habes in opere de ſimpl.: quo autem modo præparanda ſit materia illa, dictum eſt in alio opere de comp. med. Nunc ubi dixero tantum, aliò tranſire animus eſt.

18. Vulnerati nervi curatio vult medicamenta, quæ caliditatem quidem excitent tepidam: ſiccent autem potenter, cùm naturâ ſuâ facultatem habeant tractoriam cum tenuitate ſubſtantiæ. Non ſolum autem ad inventionem tàm medicamentorum, quàm ciborum utilis eſt Methodus Therapeutica: ſed & ad uſum inventorum. Ut enim in anterioribus oſtendimus, neque quolibet medicamento ex iis, quæ ad ulcera faciunt, rectè poſſe uti illum, qui id tentet ſine ſcientia methodi: ita nunc quoque licet oſtendere. Scire enim quantum medicamentum egerit, vel in ſiccando, vel in calefaciendo, vel in leniendo, vel in irritando diſpoſitionem, tantum ille poteſt, qui ſecundum methodum medetur. Hic etiam ſolus ſcit, intendere an remittere debeat illa, quibus ab initio uſus eſt.

19. Cum igitur quidam Emplaſtrum *δι᾽ εὐφορβίου* cuidam modò vulnerato impoſuiſſet, (ſæpè enim anteà feliciter uſus fuerat,) tertio die oſtendit mihi partem læſam dolentem & inflammatam, incertus, cur medicamentum nihil profeciſſet. Interrogabam igitur vulneratum, Annon ſenſiſſet primo die, quo impoſitum erat, calorem quendam mitem, qualis à Sole ſuavi ſolet excitari? Is verò reſpondit, Se nihil tale percepiſſe. Viciſſim interrogavi Medicum ipſum,

Quam vetus eſſet medicamentum? & quos illo curârit? Reſpondit, quoad tempus, ultra annum eſſe: curatos illo fuiſſe duos pueros, & unum adoleſcentem. Cum iterum interrogaſſem de habitu corporis adoleſcentis, dixit, Candidum illum fuiſſe & mollem. Hæc cum audiviſſem ego, & intellexiſſem, deficere collatum cum hoc juvene temperamentum Euphorbii, poſtulavi, & compoſitionem, & Euphorbium. Acceptâ itaque Euphorbii tantâ quantitate, quanta ſufficere videbatur miſtioni, ſubigere quidem manibus juſſi medicamentum, accuratè autem lævigare Euphorbium. Hæc ubi facta ſunt, miſceri invicem juſſi, & ipſemet oleum Sabinum vetuſtulum, modicè calefactum accepi, quo perfudi locum vulneratum, abſterſoque leviter foramine vulneris connivente, medicamentum impoſui, juſſique ſine cibo eſſe. Ad veſperam mandavi iterum Medico, ſolveret, eodem modo foveret oleo, ut viderat me feciſſe. His peractis, altero die pars, & ſine dolore fuit, & ſine inflammatione.

20. Ex hoc cognoverunt omnes, qui ſupervenére operi, veriſſimum eſſe, quod ſæpè dico, *Medicamenta nihil egregii præſtare, niſi dextrè quis utatur.* Hoc ipſum, *dextrè* uti, eſt methodicè uti, quam methodum ego ſæpè in ſuperioribus explicavi. Tu puta, ut omnia referantur ad cal., frig., hum., & ſiccum, tanquam regulas, cui negotio ſatis non ſunt, non Theſſaléi tantum, ſed & Eraſiſtratéi, & omnes ii, qui elementa corporis noſtri, aut prorſus neglexerunt, aut aliorſum iverunt. Et hæc ſufficiant de his.

COMMENTARIUS.

21. Heic primum diſtinguit inter ἐυελκεῖς καὶ δυσελκεῖς Græcis dictos, quæ res ad prognoſin facit plurimum. Conſiſtit autem res in vacuitate excrementorum, quæ in habitu corporis. In quibus enim illa, ob valida exercitia rectè diſcutiuntur, habitus etiam eſt purior. Tu ſubintellige, Cæteris paribus, ſi alioqui ordinem ſervent in rebus non naturalibus. Si enim abſolutè ita eſſet, nemo ruſticorum aut febricitaret, aut ſcabioſus eſſet, aut hydropicus, &c. Quærebatur aliquando in converſatione privatâ, Cur pugiles Norici tam facilè defungantur plagis ſuis? Reſpondit SCHERBIUS, Se intelligere, in compotationibus ſuis uti radice Valerianæ, quæ diuretica eſt.

22. Hinc prima diſtinctio, Quid faciendum in recenti vulnere? Diſtinguere ab initio oportet telum. Deinde τὺς ἐυελκεῖς ἀπὸ τῶν δυσελκῶν. Heic digreditur in Theſſalum, qui dicebat, Uniendum eſſe, quæ prima indicatio eſt. Eja, inquit Galenus, hoc idiotæ etiam ſciunt. Hoc faciendum eſt primo loco, quod artifex jubet. Hoc ita eſt in omnibus artibus. Hoc amplificat §.5. & 6. At §.7. inſtituit comparationem inter veram & falſam methodum. Veram breviter adumbrat §.8. & 9. Cui in ſeq. ſubjicit enumerationem medicamentorum, quæ ipſus invenerit, præſertim in vulneratis nervis. Hâc in re memorabile eſt, quod non rarò uſus ſit iis medicamentis, quibus falſarii, ſed cum ſucceſſu.

23. In-

23. Inter medicamenta ad vulneratos nervos, à Galeno inventa, eſt *emplaſtrum de Euphorbio*, cujus varietatem & uſum ſatis fuſè deſcribit. De hoc ſciendum eſt, pertinere ad *Contrarium ſimile*, de quo jam toties. Hinc adeò variat, ut tandem perveniat ad punctum illud, in quo eſt temperamentum partis læſæ. Hinc intelligitur, quis ſit dexter ille uſus, de quo in cap. extremo.

CAPUT III.

1. SI verò nervus ſit læſus, non punctim, ſed cæſim, intueri oportet vulnus quale ſit, transverſum, an per longitudinem? item, quantum præjacentis cutis diviſum? Præſupponatur primum, apertam cutim ſatis latè, ut appareat nervus ad oculum, isque non rectà, ſed transverſim cæſus. Huic nervo non oportet applicare ullum præfatorum medicamentorum, quæ cum Euphorbio, aut ſimiliter acri parantur. Nervus enim nudatus non feret acredinem, quemadmodum ferebat interjacente cuti. Optimum igitur fuerit calcem lotam, copioſo oleo ſubactam applicare. Bonum etiam eſt emplaſtrum *διὰ πομφόλυγος*, liquatum in multo oleo roſ. Præſtabit autem, ſi oleum ſit inſulſum. Sit enim tibi ſcopus totius curæ in nervo nudato, ut ſicces ſine omni morſu. Hoc autem pauca omninò medicamenta facere nata ſunt.

An leg. eſt, εἰ καὶ τοὔλαιον ἐστιν ἄναλον.

2. Tum verò calx ſit lota aquâ ſimplici, & tempore æſtivo. Lavetur verò & pompholyx, ut dictum eſt, veluti lota etiam eſt in compoſito, quo ferè utimur, in quo ſunt & alia plura lota. Quæcunque enim metallica ſunt, debent lavari omnia, modò ſine morſu ſiccare debent. Non malum etiam *τὸ διὰ μέλιτος* eſt. Liquari verò & hoc debet ol. roſ., cætera quidem rectè parato, minimum autem ſalis habente. Cera quoque lavanda eſt, quæ injicienda ſit hujusmodi medicamentis. Si aliquid terebinthinæ ſit miſcendum, lavetur & illa. Si alia reſina quælibet, patretur idem, & quidem potiori ratione, quàm ſi Tereb. Ex omnibus enim, quæ laveris, ichores abeunt acres & mordaces.

3. Si vulneratus ſit validus, & purus ab excrementis, locus eſſe poteſt & validioribus medicamentis. Ita ego quondam in adoleſcente, Philoſophiæ ſtudioſo, in carpo vulnerato, alioquin benè habito, ſed ſub Sole æſtivo quaſi toſto, paſtillum Polyidæ, ſiræo liquatum primum, deinde tepefactum in aquâ calidâ uſurpavi, immerſaque linamenta impoſui.

4. Nam & hoc vel maximè attendendum, ne quid ex iis, quæ vulnus contingunt, ſit frigidum actu, ſiquidem pars affecta ſit ſenſitiva & contingua principaliſſimæ cuidam, præterea & frigidiuſcula. His enim omnibus fit, ut promtè à frigore lædatur, quin ut frigus facilè cerebro communicetur. Quod ſi læſus nervus ſit ex iis, qui muſculos ſubeunt, facilè convulſiones incurrunt. Oſtenſum enim eſt, muſculos eſſe motus voluntarii inſtrumenta. Tale quid exſpectes à tendinibus quoque propter easdem cauſas.

5. Cæterum, cum prædictum medicamentum adoleſcenti imponerem & vulneri ipſi, & inſtratis partibus, non parum comprehendens ex alis, collo & capite, oleo calente rigavi omnes illas partes ſine intermiſſione. Detraxi etiam ſanguinem illi, tundens venam primo ſtatim die. Quarto die benè habuit hic adoleſcens, ut ulcus eſſet rugoſum, parvum & contractum. Verùm, conſultius mihi viſum eſt úſque ad ſeptimum nihil novi tentare, poſt quem diem perfectè ſanus fuit.

6. Tale ulcus oleo contingere fas non eſt, maximè, ſi tractetur, ut nunc dictum eſt. Oleum enim paſtilli hujus viribus adverſarium eſt, ulcusque facit ſordidum. Neque enim idem eſt, aut nervo nudo adhibere oleum, aut per interpoſitam cutim. Oportet igitur abluere ſordes, molli lanâ circumvolutâ ſpecillo: intinguere autem lanam, ſi voles, ne ſicco tangas ulcus. Hanc in rem aptum erit ſiræum, quod ἕψημα vocant apud nos in Aſiâ. Huic immerges lanam, exprimes, itaque ulcus abſterges. Sit verò & hoc tepidum, primis maximè diebus.

7. Hæc omnia ſi benè cedant, citra periculum fuerit dulci aliquo vino vulnus irrigare. Hoc verò planè ſit ſine morſu, quale Theræum eſt, & Scybelites, & Caryenum vocatum. Quæcunque verò vina & dulcia ſimul ſunt & flava, quale Falernum, inepta ſunt. Acria enim omnia ſunt, & ultra mediocritatem calida. Jam verò cum ulcera propè ſunt, ut cicatricem ducant, quæcunque exquiſitè alba ſunt, tenuia, oligophora & inodora, præſtant dulcia. Aquæ uſum in vulneratis nervis ſemper fuge, veluti etiam cataplasma laxatorium. Paſtillo dicto in uſu vicinum eſt *emplaſtrum diachalciteos*, quo uti ſolemus. Liquefieri verò & hoc vult, æſtate quidem ol. roſ., hyeme verò Sabino. Deſcriptum verò em-
1. κ. γέν. plaſtrum hoc eſt in 1. de Comp. med. Paſt. autem Polyidæ notus eſt penè omni-
4. bus. Hoc non præſente, ſumere oportet illum, qui Andronis dicitur, aut Paſionis, aut noſtrum, qui omnium fortiſſ. eſt. Prædixi autem validioribus corporibus validiora medicamenta eſſe applicanda: debilibus autem debilia. Hæc invenit quidem vera methodus: confirmat autem experientia.

8. Theſſalus autem cum ſociis Sophiſtis, *in excelſo ſedens throno, inter homines, arietum inſtar mucoſos*, ut Cercidas ait, inanes captat glorias, dum evincere vult, Omnis ulceris recentis unam eſſe curam, adeoque partem affectam nullam præbere indicationem. Unus autem ipſorum, qui ſapientiæ Theſſali innutritus erat, admirabilem offendit curam eorum, qui vulnera nervorum habent. Statim enim totos præcidit, non præmonito ægro, quanquam in hoc quoque à ſectâ ſuâ alienus. Debebat autem vel muſculos etiam totos præcidere, vel arterias, vel venas, vel quamcunque aliam partem: vel parcere nervis. An hoc modo committunt, quod videri volunt fugere, ſumunt ex diverſis partibus diverſas indicationes?

9. Sed heic quidem abſolvamus nos ab iſtis: veniamus ad obliquam cæſuram, in quâ etiam major convulſionis metus, repente quidem inflammatione ex par-

partibus nervi cæſis ad non cæſas; occupante autem convulſione non cæſas. Heic, quæ ad ulceris curationem, ſunt eadem cum prioribus, niſi quod in ſanguinis vacuatione parciores eſſe debemus, nec non in diætâ quoque ſtrictiores. In omni etiam quiete, lectoque molli continere oportet hominem, oleo largiter uti ſub alis, collo & capite. Ita ſi in crure ſit vulnus, ut ibi alas, ſic heic bubones multo perfundere oleo par eſt, aſcendendo per totam ſpinam ad collum & caput.

10. Contuſio verò nervorum ſi ſit cum cutis contuſione, opus habet medicamentis, hinc quidem ſiccantibus, illinc autem quodammodo contrahentibus & conſtringentibus diſtantes à ſe invicem partes. Quæ verò ſine cutis contuſione ſunt, aſſiduè fovere oleo aliquo calido diſcutiente. In proviſione totius corporis idem obſervandum eſt. Semel vidi hoc factum, & curavi ſtatim perfuſionibus. At cum contuſione cutis vidi ſæpè, & habent athletæ, experientiâ edocti, ob frequentiam ſymptomatis, in eam rem cataplasmata ex oxymelite cum farinâ fabaceâ. Et eſt in rei veritate bonum medicamentum.

11. Si cum contuſione adſit dolor aliquis, picem liquidam miſcere oportet, &, poſt ſufficientem coctionem, imponere calidum. Hoc ſi velis ſiccantius habere, adde farinam ervinam. Si etiam amplius ſiccare, aliquid Iridos Illyricæ, aut Tamariſci. Corporis cura eſt eadem.

12. Toto præciſo nervo nihil quidem periculi amplius: ſed pars fit manca & oblæſa. Curatio eſt illa, quæ in aliis vulneribus, quamque ſolam nôrunt Theſſali. De nervis igitur & hæc ſufficiant. Inflammationibus oborientibus quomodo occurrendum, dicetur ibi.

COMMENTARIUS.

13. Quæ de nervis punctim, cæſimve læſis, ſive in rectum, ſive in obliquum traduntur, cuncta ſunt doctrinalia, præterquam pauca illa, quæ §. 8. aſperguntur contra Theſſalum, ejusque ſimias. Eadem ratio eſt §. 10. contuſionis, ſive cutis ſimul affecta ſit, ſive non ſit. Eadem præciſionis §. 12. Nihil igitur eorum repeto.

CAPUT IV.

1. Ligamenta quia ideam habent tendinibus ſimilimam, curam tolerant validiſſ., tum quia ad cerebrum non perveniunt, tum quia ſenſum non habent. Nervi omnes, quia quidam apertè ſunt ex cerebro, quidam ex medullâ ſpinali, contrà. Sic tendines, quia oſtendimus componi ex nervo & ligamento, quatenus ex nervo participant, eatenus ex cerebro ſunt, ſed non minus quam nervi convulſionibus obnoxii ſunt. Ligamenta quæ quidem ex oſſe ſunt, quæcunque teretem habent figuram, nervis ſimiles ſunt, niſi quod duritie differunt: ſed quod & alba ſunt, & ſine cavitate, & exſanguia, & in fibras diſſolubilia, ſimilia fiunt nervis & tendinibus. Ubi igitur teretia ſunt ligamenta, ibi quoque tendi-

tendines ſunt,quare,qui Anatomes imperiti ſunt,pro nervis habent,potiſſ.cum neſciant,quod duriora ſint : ubi autem lata,ibi ſciunt,quamvis non omnes,ſed neque diſcernunt à ſe invicem. Verum, tu quidem, qui naturam trium horum corporum noviſti, & conformationem, & ſitum, quam habent in toto corpore,ſingulisque ejus partibus,ſi contingat vulnerari illa, ſtatim ſcibis, nervusne ſit vulneratus,ligamentum,an tendo ?

2. Et de curâ nervorum,tendinumque jam dictum eſt : ligamentum autem vulneratum,ſiquidem ex oſſe in os tranſeat,res ſine omni periculo eſt,nec mora, quin omni ingenio ſicces quibuscunque medicamentis. Neque enim lædes hominem.Si non in os,ſed in muſculum abeat,quò longius abeſt à periculo,quam ſi in nervo,tendineve,tantò fallacius eſt,niſi benè curetur. Horum nullum fieri methodicè poteſt ab iis Medicis,qui neque indicationem utilem à parte vulneratâ ſumi concedunt : neque,ſi concedunt,naturam partis ſciunt,quæ natura,ut monſtravimus,ex elementis ita temperatis fit. Sed hi, ſi nihil aliud, certè ignorant indicationes ex organicâ partis conſtitutione.

3. At Theſſaléi & hæc ignorant,exempli gratiâ,inciſo epigaſtrio tam profundè, ut inteſtinum aliquod procidat, quomodo reponere, & , ſi omentum, utrum abſcindere,an non oporteat : utrum vinculo intercipere an non ? utrum ſuere,an non ? ſique hoc conſtitutum ſit, quo modo ſuendum ? Non enim didicerunt.Neque nos ſciremus,niſi ex Anatome ſciremus omnium ibi conſtitutarum partium naturam,quam & commemorare neceſſum habemus, non perſpicuitatis tantum gratiâ eorum,quæ dicenda ſunt, ſed & fidei.

4.Cutis præjacet omnibus exterius, quæ finit in membranam. Poſt cutim mediâ in regione,ſunt ἀπονευρώσεις Græcis dictæ duplices, membranis ſimiles, quæ an reverà duæ ſint, nec vulgus Anatomicorum ſcit. Connatæ enim ſunt invicem tam arctè,ut difficile ſit ſeparare,ob ſummam,ad quam perveniunt,tenuitatem.Statim ſub his recti duo muſculi ab oſſe pectoris deorſum tendunt ad oſſa pubis vocata carnoſi. Hæc omnia,quæ dicta ſunt, connaſcuntur, & qui, quemadmodum vocatas γαστροῤῥαφίας fieri conveniat, ſcribunt,ἐπιγάστριον vocant,quod ex his compoſitum eſt.Quod ſub his,dicitur περιτόναιον,quod putent unum & ſimplex eſſe corpus, quod non eſt. Componitur enim ex duobus corporibus exſanguibus quidem nervoſisque : ſed alterum ἀπονεύρωσις eſt muſculorum obliquorum, cum alterum ſit membrana exquiſitè tenuis, non ſecus ac tela araneæ,qualis peritonæum reverà eſt. Tale corpus in medio ſui eſt : quod verò utrinque transverſum ad 4.digitos eſt,hoc ſtatim ſub cute obliquos habet muſculos,priores quidem à thorace deorſum latos, poſteriores ab ilibus ſurſum euntes. Deinde ſub his obliquos,ſub quibus peritonæum.

5. Propterea hic locus minus periculoſus eſt medio, cum nullam habeat ἀπονεύρωσιν : contrà verò medius ſuturis minus aptus eſt. Etenim inteſtina hàc facilè prolabuntur,& non facilè intrò impelluntur hoc in illud. Quod enim ſtrin-

ſtringit illa,& continet,recti,carnoſique illi muſculi erant, quos diximus devenire à thorace ad oſſa pubis. Cum igitur horum alter vulneratur,duas ob cauſas procidit inteſtinum. Ab obliquis enim partibus ſtringitur ibi à muſculis : à mediis neque validum muſculum habet, neque obſtat illi quidquam, quò minus procidat. Si etiam majus ſit vulnus, plura quoque inteſtina prolabi neceſſe eſt,& difficilius impelli. Viciſſim alio modo cum vulnus eſt exiguum, difficulter tractabile eſt. Niſi quis enim incontinenti prolapſum inteſtinum reſtituat,intumeſcit flatuatum,nec amplius poteſt per exile foramen impelli. Melius igitur in talibus mediocre vulnus.

6. Et hæc quidem præſciſſe oportuit : deinceps autem conſiderandum venit,quo quis modo peritè tractet hæc vulnera. Quod enim non ſufficit Theſſali præceptum,glutinare illa medicamentis ἐναίμοις dictis, tam,puto, manifeſtum eſt,ut neminem,cui mens eſt,latere poſſit. Quia igitur prima operatio heic eſt, in proprium locum reponere prolapſa inteſtina ; altera,ſuere ulcus ; tertia, medicamentis uti ; quarta inſuper,providere, ne quæ pars princeps per συμπάθειαν afficiatur : de eo,de quo primum loqui cœpimus,primùm etiam agamus.

7. Cum,ut dictum eſt,tres ſint differentiæ in magnitudine horum vulnerum,ab unaquâque illarum ſumere oportet propriam indicationem. Primùm ergò vulnus tam ſit exiguum,ut prolapſum inteſtinum,poſtquam inflatum eſt, non poſſit amplius intrudi, annon neceſſarium eſt alterutrum ex duobus, aut flatus diſcutere,aut vulnus amplificare ? Puto,conſultius eſſe prius facere,ſi modò tam felices ſimus ! Quo modo autem felicitatis hujus quis compos fiat ? Si cauſam,à quâ inteſtinum elevatur,abegerit. Quæ verò illa cauſa eſt ? Refrigeratio ab externo aëre. Nam & curatio calorificis fit. Spongiam igitur mollem aquâ calidâ imbuere oportet, exprimere , & hac ſpongiâ recalefacere inteſtinum. Intereà præparetur vinum calidum auſterũ. Magis enim calefacit quam aqua,& roborat inteſtinum. Hoc uſurpato,ſi tamen inteſtinum manet inflatum, incidere peritonæi tantum, quantum opus habet inteſtinum prolapſum. Huic ſectioni apta ſunt inſtrumenta συριγγοτόμα dicta. Cultelli autem,qui utrinque habent aciem,quemadmodum etiam,qui in extremo cuſpidem,omninò abdicandi ſunt.

8. Situs verò ægri commodus, ſi vulnus ſit in inferioribus, acclivis ſit : ſi in ſuperioribus, declivis. Utrobique ſcopus ſit, ne,quod effluxit, inteſtinum,gravetur ab aliis. Quare ejuſdem ſcopi eſt, ſi vulnus ſit in dextris, ut corpus momentum habeat in ſiniſtra : contrà,ſi contrà. Hoc conducet vulneribus etiam magnis,ut & mediocribus. Omnium enim communis ſcopus eſt.

9. Repoſitiones verò inteſtinorum in ſuum locum, ſi magna ſint vulnera, opus habent perito miniſtro. Debet enim toto corpore compoſitus eſſe, ita,ut manibus ſuis apprehendat vulnus,& introrſum pellat inteſtinum, conſtringendo,& ſenſim utrinque nudando, ut ſuenti ſubſerviat. Quin etiam,quod jam ſutum eſt,moderatè propellere debet,uſque dum opus abſolutum ſit. Quis verò ſit modus hujus γαστροῤῥαφίας,deinceps dicamus,

U 10. Quia

10. Quia coaleſcere debet peritonæum abdomini, incipiendum eſt à cute extrorſum adigentes acum ad interiora. Ubi verò cutim cum recto muſculo toto penetraris, præterito, quod ſubeſt ei, peritonæo, acum ab interioribus ad exteriora per reliquum peritonæi propelles, & poſteà eodem itinere abdomen perforabis. Hoc facto, ab exterioribus ad interiora divides abdomen, deinde iterum præterito peritonæo ad oppoſitum converſus, ab exterioribus ad exteriora diſpunges vicinum illi abdomen. Mox iterum ab hoc initium faciens cum peritonæo copulabis. Poſteà pertuſâ proximâ cute, inde verò iterum interius adigens, conſues cum oppoſito peritonæo, trajiciesque vicinam cutim. Hæc iterum atque iterum faciens, conſummabis vulneris ſuturam hoc modo.

11. Intervallum autem, quod inter ſuturas eſt, ut continere ſubjectas partes poſſint, breviſſimum eſto. Quod verò ad ſtabiliendam cutim, quæ inter ſuturas eſt, ne cutis rumpatur, brevitas eſt minus tuta. Vitans igitur exceſſum utrumque, deligere oportet medium.

12. Jam & hoc quodammodo commune eſt omnibus vulneribus, ut filum ſit mediocriter robuſtum, quod enim durius, cutim diſrumpit: quod mollius, facilè rumpitur ipſum. Eodem modo, cum acus nimis propinqua eſt oræ vulneris, quod ſupereſt carnis, per vim rumpitur, cum verò longius abeſt, multum cutis relinquitur inglutinabile. Hæc quamvis omnibus vulneribus ſint communia, tamen ſummè fugienda ſunt in abdominis ſuturâ. Ipſa tamen ſutura aut hoc modo inſtituenda eſt, ſi modò Medicus in hunc finem facit, ut fiat coalitus peritonæi cum abdomine, quod alioqui difficile eſt, ob nervoſam peritonæi ſubſtantiam: aut, ut quidam, conglutinanda ſunt, quæ familiaria ſunt, peritonæum peritonæo, abdomini abdomen. Hoc fiet hoc modo:

13. A vicino nobis abdomine trajicere oportet acum ab externo ad internum, per ipſum ſolum abdomen: deinde trangreſſi utrumque labium peritonæi, iterum revocare acum ab externo ad internum, per utrumque peritonæi labium: mox iterum revocare acum ab interno ad externa, per adverſum trajicere abdomen. Hic modus à communi & facili, quo per tria foramina, uno ad actu acum trajiciunt, differt ab eo, qui totum abdomen accuratè abſcondit intra peritonæum. Sed jam deinceps de medicamentis dicamus.

14. Fuerint autem hæc ex materiâ τῶν ἐναίμων vocatorum, quæ in aliis etiam partibus coire facere vulnera diximus in ſup. libris. Externa autem ligatura i his etiam magis neceſſaria eſt: ſed quarta curationis pars non parum ab iis ab eſt. Oleo enim moderatè calido intinguere oportet lanam mollem, & totum id, quod inter bubones & alas, circumcingere. Melius foret, ſi per clyſterem etiam tale quid infunderetur.

15. At ſi inteſtinorum aliquod ſit vulneratum, exterius omnia eodem mod adminiſtrare oportet, ut dictum eſt: quod verò per ſedem injicitur, vinum ſ auſterum nigrum tepidum, præſertim, ſi penetret vulnus in interiorem cavit

tem. Et craſſa affecta facilius curantur: difficilius tenuia. Jejunum omninò incurabile eſt, ob vaſorum copiam & magnitudinem, nec non propter tunicæ tenuitatem & nerveam ſubſtantiam. Sed & bilem ſinceram omnem recipit hoc inteſtinum, & proximum hepati eſt.

16. Ventriculi vulnera, præcipuè ſi inferius ſint, quâ parte carnoſus eſt, negligere non oportet. Fieri enim poteſt ut ſanentur, non tantum quia craſſior eſt, ſed & quia medicamenta ibi firmantur. Sed in ore & gulâ in ſolo tranſitu contingunt partem affectam.

17. In ore etiam acutus ſenſus obſtat medicationibus. Quo autem modo Hipp. ventriculum vulneratum curare vult, ut & alia periculoſa vulnera, ab ipſo diſcas licet. Ego enim huc veni, non quod velim abſterrere alios à lectione Hipp.: ſed quia mihi videtur primus ille uſus eſſe methodo rectâ, etiamſi non omnia abſolverit, ſed indefinita quædam reliquerit, & defecta, & obſcura. Quare ego conſilium cœpi omnia velle perſpicuè explicare, & elaborare, quæ indiſtinctè dicta ſunt, & addere, quæ dicta non ſunt. Ita præexercitus quis in his noſtris, ad lectionem Hipp. eat, legatque, cùm librum de Vulneribus, tùm alterum de Exitialibus vulneribus. Habebit autem maxima adjumenta ex his commentariis, & verò intelliget, quod nemo illorum, qui ſacro nomine Methodicorum hæreſin ſuam nobilitârunt, reipſâ à methodo alieniſſimam, rectè poſſit ulcus curare. Sed neque Logicorum illi, qui ſine cognitione elementorum, è quibus partes ſimilares conſtant, artem audent aggredi. Deeſt enim illis notitia rationalis curationis, dum, neglectâ indicatione à partibus ſimilaribus ſumendâ, à partibus organicis ſolis eam ſumunt. Ego verò, ubi pauca adverſus Methodicos de vulneribus abdominis dixero, faciam tranſitum ad alia.

18. Vulnerato peritonæo, procidit ſæpè omentum, quod neſciunt, nobilis an ignobilis pars ſit? nec magis, ex quibus compoſitum ſit? quam actionem, uſumve habeat? Quando igitur particula illa, quæ procidit, livida aut nigra ſit, quid de illo faciant, pulcrum fuerit audire, an ſit abſcindendum? an potius reponendum? Omninò, ſive ab experientiâ orta ſit cognitio, ſive à rei naturâ. Atqui reſpuunt utramque, illam quidem, prætendentes ſplendidum ſectæ ſuæ nomen, Methodum: hanc autem, quia nec ſubſtantiam agnoſcunt, nec actionem, nec uſum, negligentes Anatomiam, tanquam inutilem. Quare neſciunt, an ad vitam ſit neceſſarium, an verò neceſſarium quidem, ſed omninò ignobile. Sed nec, an συμπάθειαν habeat cum ullâ parte nobili? Ut &, an vaſorum illius aliquod occidere poſſit hominem, mediante hæmorrhagiâ? Nec, an periculum ullum ſit futurum, ſi poſt abſciſſionem nigrefacti, pars ſana laqueo intercipiatur, ne fiat hæmorrhagia. Sanè, primo ſtatim intuitu nerveũ apparet, ut, niſi quis benè nôrit naturam ipſius, non auſit laqueo uti, metu convulſionis.

19. Hæc omnia cum ignorent admirabiles iſti Methodici, quid facient omento jam nigrefacto? Non habent, quod dicant. An nos, æquè ac illi, otioſi

ſedebimus? Minimè. Scientes nempè, uſum ipſius in animali exiguum eſſe quidem; ſubſtantiam autem compoſitam eſſe ex tenui membranâ, intertextam arteriis & venis; licet videamus oriri è maximis venis, arteriisque, hæmorrhagiam quidem cavebimus, συμπάθειαν tamen propter nervos non formidabimus? Ideoque & laqueo ſtringemus id, quod ultra nigrum eſt, & abſcindemus, quod poſt laqueum, parte inferiori futuræ. Sinemus autem pendula utraq; laquei principia, ut apprehendere facilè poſſimus, cum poſt ſuppurationem vulneris rejicientur.

COMMENTARIUS.

20. Heic ab initio locus eſt obſcuriſſ. & difficilimus ideò, quia concluſio non reſpondet. Ego feci, quod potui. An, quod jam ſuccurrit, principium tale eſſe poteſt? *Quamvis ligamenta ejuſdem cum tendinibus naturæ ſint, tamen ligamenta fortiſſimam tolerant curam.* Et poſteà, omiſſis nervis, *Sed enim lig.* Hoc enim admittit καὶ μέν γε.

21. Poſt hæc, arreptâ occaſione invehendi in Methodicos, texit hiſtoriam Anatomicam partium abdominis, in quâ diverſitas eſt in muſculis, quâ ſi offenderis, licet tibi adire Com. in 5. Uſ. p. 14. ubi ex arbitrio bonorum componitur res. Si illa non ad manum, compelles licet χρηςτ. φυσιολ. c. 180. His §. 6. ſubjungit modum tractandi hæc vulnera, præcipuè per γαςροῤῥαφίαν dictam. His §. 14. ſubjicit medicamenta, quibus utendum ſit. His §. 15. & ſeq. vulnera inteſtinorum, ventriculi, oris ſubdit. Ubi etiam excurrit in laudem methodi Hipp., & quantum antiqui laborârint in illâ. Similis locus eſt infrà l. 9. c. 8. Tandem §. 18. & 19. iterum contra Methodicos agit in curâ prolapſi omenti.

CAPUT V.

1. QUandoquidem de aliis corporis partibus abundè dictum eſt, ſupereſt ſermo de oſſibus. Fit enim in his quoque morbus, de quo agimus, ſolutio unitatis, ſeu continuitatis. Habet autem proprium nomen heic apud omnes penè homines, κάταγμα, quod uſitatum eſt iis, qui Græcè ſciunt. Medici ſoli ἄπαγμα vocant. Solent autem ſic vocare, cum finis aliquis oſſis maximè quo articulatur cum altero, caulis in modum transverſim abrumpitur. (Ita loquor.) In quibuscunque enim fracturis totæ partes divelluntur à ſe invicem, καυληδὸν fieri dicunt. Manifeſtum autem eſt, quod ejusmodi diviſura obliqua eſt, quemadmodum altera ſecundum longitudinem potius eſt, cum non omninò diſpeſcuntur particulæ affectorum oſſium, ſed quaſi finduntur ſecundùm rectam lineam, quod factum eſſe dicunt σχιδακηδόν.

2. Quidam noſtrorum adeò ambitioſi ſunt, ut ſingulas fracturas ſuis nominibus appellent. Quare dicunt ῥαφανηδὸν frangi aliquid, cum poſſint dicere, πολυειδῶς, h.e. in varias formas comminutum eſſe. Non ita Hipp. quin utitur nominibus quàm uſitatiſſimis, nec veretur uno nomine indicaſſe, & has fracturas, & illas, quæ in capite fieri aſſolent. Atque utinam in aliis omnibus morbis hoc

hoc obſervaſſet! Fieret enim hoc modo labor nobis brevior. Nunc, cum Methodum particularem nobis oſtendit, & reliquit nobis quædam inelaborata, neceſſitas à nobis poſtulat, ut immoremur. Sed nec illa præterire fas eſt, ſed omnia quæ ſcripſit Hipp., per capita rememorare. Hinc fiet, ut demonſtrationes addamus iis, quæ ſcripſit ille ſine demonſtratione, definiamus indefinita, ordinemus inordinata, minus clarè prodita amplius dilucidemus. Enimverò ſi ſingula verba adjecerimus, commentarius liber erit prolixior. Et fortaſſis quidam non ſine ratione accuſabunt orationis longitudinem, quod in tertio & quarto ſine ratione id fecerit.

3. Ibi enim neceſſitate poſtulante, plura ex Hipp. lib. de Vuln. expoſui, ut reliquis Medicis oſtenderem, quantum ſit ſcribere methodum curandi vulnera. In l. autem de Fract. quis tam ſtupidus, qui non celebret doctrinam ejus lucidam juxta & perfectiſſimè elaboratam? Quod ſi quis, unus vel alter dicat, non magni apud ſe momenti eſſe hoc opus, illis commodè quis reſpondeat illud Poëtæ,

Hoſce ſine mori, unum atque alterum.

Quæ igitur ſit vera & pragmatica, ut ſic dicam, ſive ex ipſâ rerum naturâ petita curandi vulnera methodus? tempus eſt, ut dicam, initio hinc facto.

4 Quia ſoluta eſt unitas fracti oſſis, ſcopus curationis primus eſt *Unitas*: qui ſi ſit obtentu impoſſibilis, ob ſiccitatẽ partis affectæ, alter eſt in promtu, ut fiat interventu alîus corporis. Qui ſi & ipſe obtineri non poſſit, dicemus, morbum eſſe incurabilem. Quod igitur impoſſibile ſit coaleſcere tam durum os, quale in juvenibus eſt & viris, amplius etiam in ſenibus, manifeſtum fortaſſis omnibus eſt. Solum enim molliuſculum, quale in pueris eſt, recipere coalitum poteſt. Quod verò etiam mediante corpore alio, veluti glutine, contingit glutinari & ligari invicem diſtantia illa corpora, hinc aliquis diſcat.

5. Demonſtratum eſt, quamlibet animalis partem trahere ſimile, propriumq; alimentum. Hoc ſi verum eſt, & proprium oſſis alimentum præ aliis in toto corpore & craſſius erit & maximè terreſtre. Ex hoc ipſo ſuperfluum quid relinqui, labiis fracturæ agglutinandum, & ipſo mediante coire, veriſimile eſt. Et ſanè videtur ita accidere, & experientia atteſtatur rationabili ſpei. Videndũ igitur deinceps eſt, quâ maximè ratione corpus fracturis innutriendum, tale & tantum generetur. Nimis enim apertum eſt, non fieri fortuito tale & tantum, ſed opus eſſe ſymmetriâ. Poſtquam autem invenerimus, quale & quantũ ſit hoc corpus, ſecundo loco oportet veſtigare modũ, quo id fiat. Non minus & tempus quærere, quo intentum oporteat eſſe Medicũ operi iſti, an ſtatim, ſimul atq; facta eſt fractura? Veluti in vulneribus ſine morâ coitũ molimur? An inepta eſt hæc ratio? & fas eſt ſolicitos nos eſſe de meliori? Inveniemus autem & hoc ipſum, ab ipſâ rei naturâ, ut in aliis omnibus, inſtituti. Alternant enim in hac fracturæ ſpecie particulæ fracti oſſis, adeoque non jacent in directo.

6. Liquet igitur hinc, quod primũ dirigere oportet illa, deinde videre, quid proximũ ſit. Habebunt autem hunc ſitum, ſi ad contraria reducantur diſtantia,

intuentes ſubinde partem ſanam. Ab hac enim exquiſita indicatio eſt transpoſitionis. Contingit enim translationem, aut multò anterius eſſe, aut poſterius, aut hàc, aut illàc. Quæ igitur in poſteriora vergunt, ad anteriora reducere oportet, ſimulque alteram fracti oſſis partem modicè in contrarium impellere. Quæ verò in anteriora, ad poſteriora, ſimulque alteram partem ſenſim eò deducere. Deinde, quæ ad dextram inclinant, ſiniſtrorſum agere: quæ ad ſiniſtram contrà, ſemper altero oſſe modicè in alteram partem reducto.

7. Cæterum, in reductione ad contrarium non leve periculum eſt, ne frangantur exſtantiæ quædam. Non enim, ut in ſerrando fit, utriusque partis extremitas lævis eſt. Si itaque frangatur quid, non jam apta ſunt extrema fracti oſſis coire, duplici de cauſâ. Fragmenta enim ipſa, inter partes uniendas hærentia, facient, quo minus copulari poſſint. Et, ſi quid poſſit excidere, ne ſic quidem fiet harmonia talis, qualis erat antè. Erit autem, cum exſtantiæ in ſuas cavitates receptæ fuerint. Si exſtantiæ ſemel perierint, neceſſariò vacuum ibi erit, in quod ubi inſinuarint ſe ichores, temporis progreſſu putreſcunt, totamque partem corrumpunt. Ob has igitur cauſas diſtantia oſſa adducere invicem oportet.

8. Hoc viciſſim fieri non poteſt, niſi per ἀντίτασιν, h. e. niſi pars ſuperior ſurſum trahatur, inferior deorſum. Oportet igitur, aut manibus, ſi pars non ſit magna, aut nodis injectis, aut inſuper inſtrumentis, quæ Hipp. nos docuit, ἀντίτασιν facere oſſium. Ubi ſufficienter diſtracta fuerint, neque amplius periculum fuerit renixus in adducendo, rectum ponere oportet ægrum, &, remiſſis funibus, muſculis commendare contractionem. Sed & te ipſum intereà manibus tentare fas eſt, ſicubi ſuperſit inæqualitas, eandem corrigere, & formare.

Per γλωσσοκομειον, quod vide Com. in 7. Vſ. part.

9. Poſt hæc ſecundus fuerit ſcopus quietem conciliare parti, ne ullatenus moveatur, & conturbentur compoſita, ſeu conformata. Neceſſarium enim eſt iterum alternare & inæqualia fieri. Si igitur mandaveris ægro, ut ſibi conſulat in decubitu, dum vigilat, faciet; obrepente autem ſomno, neceſſariò movebit partem. Ut igitur poſt conformationem idem maneat ſitus, non modò dum dormitat, ſed & cum alvum exonerat, & lectus ſternitur, deligetur oportet fractura vinculo ſtabili, ut ne partes fracturæ diſcedant à ſe invicem. Nam ſub vinculo, ſi laxum ſit, moventur oſſa: ſi nimis ſtrictum ſit, dolorem parit. Ideò oportet utrinque noxam cavere. Quod fit, cum fugimus immoderantias. Quare non tantum non tantoperè adſtringere oportet ut premat: ſed & non ſinere laxum. Si itaque pars quælibet æque craſſa eſſet, latiſſima tænia eſſet optima, quippe, quæ æqualiter & continuò ex omni parte retineret oſſa fracta: ſed quia hoc non eſt, in thorace debet eſſe latiſſima, non item in artubus & claviculâ. Sed in his, ſtricta eſt melior, quod neque corrugetur, neque cutim aliquà non contingat, quà debet. Talis verò non eſt ſtabilis, cum non ubique ſtringat os fractum. Quantum igitur ad ſtabilitatem, propter anguſtiam deficit. Emendare igitur oportet numero circumvolutionũ, iisque ſanum potius quàm ægrum onerare.

10. Sed

10. Sed quoniam ligaturæ illæ, quæ ſine dolore arctant & ſtringunt carnem, hoc habent boni, quod ex partibus, quibus primæ imponuntur, exprimunt humores, dant autem, & figunt in illas, ubi finiunt: rationabile videtur mihi, initium quidem illarum imponendum ipſi fracturæ eſſe, diſtribuendas autem eſſe inde ſuper reliquum. Contrà qui facit, exprimit ſanguinem ê parte ſanâ ad ægram. At verò, ſi ab ægrâ incipiat, deſinat in ſanâ: non ſolum innoxia erit ligatura, ſed & boni quid operabitur. Nullam enim inflammationem excitabit.

11. Oportet verò hæc quoque ad animum revocare, & quidem vel inprimis. Periculum enim eſt in iſtis in oppoſitum tractionibus, quas facimus, cum partem dirigimus, imò, multò antè, quod pleræque cauſæ, fracturam promoventes, circumpoſitam oſſibus carnem primò lædunt, dum contrudunt, contunduntque, ut inſignes fiant inflammationes. Non mirarer, ſi oſſibus ipſis accideret analogum quid inflammationi. Videmus enim illa, quæ non ritè curata ſunt, manifeſtè humidiora eſſe, quàm ſecundum naturam erant, ubi fractura cum vulnere eſt. Quin imò, nec ſphacelus ex alia cauſâ incidit, quippe corruptela ipſius ſubſtantiæ oſſis. Non negligendum igitur illud, ut ſuperflui humores exprimantur ex omnibus partibus, quæ in viciniâ fracturæ. Proptereà incipere oportet à parte affectâ, bis aut ter circumvolvendo, inde progrediendo ad ſanam. Qui enim ſic ligat, arcet ſimul affluxum ſanguinis à parte affectâ, & exprimit id, quod ibidem incipiebat colligi.

12. Sed cum duo ſint loca, quæ ab affectis recipere poſſunt & mittere, ſuperjacentia propter & multitudinem & magnitudinem aptiſſima ſunt ad utrumq;. Extrema verò, propter contrarias cauſas, parum quid & capere & mittere poſſunt: multum neque dare poſſunt affectis, neque accipere. Quare cum propter hæc duo ligaturas primas inſtituit Hipp., altero & primo duo perficit, & contentum in parte exprimit ad ſuperjacentia, & quod influit, cohibet: altero pariter duo; cum primis injectionibus, quæ fiunt ſuper ipſam fracturam, inferioresque partes, & exprimit & cohibet. Reliquis deinceps omnibus, quibus putat fieri, ut ex imis partibus ſurſum recurrat deligatura, ut ibidem cum primâ finiant; ſuperjacentia exprimens, affluxus ex ipſis prohibet. Muniunt igitur & ſtabiliunt fracturam, & ab inflammatione ſimul defendunt prima duo linteamina. Non tamen ſola ſatis valida ſunt ad præſtandum utrumque. Hinc Hipp. ad munitionem quidem excogitavit hoc auxilium, ſpleniorum impoſitionem, unà cum exterioribus linteaminibus, quæ hæc quoque ipſa firment. Ad prohibendam autem inflammationem uti jubet medicamento ex eo cenſu, quæ ἀφλέγμαντα dicuntur, quale eſt *cerotum liquidum*.

13. Hæc igitur omnia ratione inventa ſunt, & præterea figura poſitionis, quæ & ipſa duplicem indicationem habet. Harum prior ex communibus notionibus tantum eſt: altera ex inſtrumentis conſtituentibus. Illa inde eſt, eligendam eſſe figuram quàm maximè indolentem, ut & inflammatio arceatur, &

æger

æger maneat immotus quàm diutiſſimè. Hæc ex naturâ partium ſimilarium. Venas enim, arterias, nervos & muſculos jubet quàm rectiſſima eſſe.

14 Et profectò reſpondent invicem hi duo modi. Familiariſſima enim cujuslibet partis figura eſt maximè indolens. Quod verò tale, ſecundum naturam eſt parti. Manui quidem τὸ καλούμενον ἐγγώνιον: cruri autem, quod paulò minus quam rectum eſt. Ad indolentiam autem facit, non figura tantum naturalis, ſed & conſuetudo. Hæc igitur ſit tibi figuræ inveniendæ norma, in quâ ſervare artus directos oportet: hæc verò fit per tractionem in oppoſitum & directionem. Expedit enim artus ita extendere, ut ſint in figurâ rectiſſimâ, & à dolore quàm alieniſsimâ. In hâc & ligare oportet, & in quiete conſtituere. In alia enim ligare, & diſtorquere aliò, non ſolum dolorem facit, ſed & diſtorta relinquit oſſa. Si enim in memoriâ nobis eſt dictorum de Motu muſc., neceſſarium eſt, ut, ubi figura mutatur, quidam muſculi intendantur, & quaſi in ſphæram contrahantur: quidam remittant & laxentur. Ubi intenduntur, comprimuntur à ligaturis, & dolent ob compreſſionem. Ubi fluidi ſunt, laxam quidem in parte ligaturam eſſe oportet, fracturam autem non benè firmam. Propterea conſultum ſit, omnia ita extendere, formare (ſeu dirigere) ligare, ponere, ut vult figura indolentiſſima.

15. In primâ igitur operatione, quam in fracturis inſtituimus, nullum ſupereſt præceptum: ſolvere autem jubet Hipp. tertio die, ne quæ jactatio ſuboriatur aut pruritus, dum præter conſuetudinem pars onerata eſt, & diutius prohibetur inſenſilis transſpiratio illius, quod jam fracturam occupavit. Prohibita transſpiratio non tantum cauſatur jactationem cum pruritu: ſed & exulcerationem cutis, factam ab ichorum acrimoniâ.

16. Fovere igitur oportet aquâ temperatè calidâ tantiſper, dum diſcutiantur ichores iſti. Hoc ſi repetendum tibi videbitur, fiat die ſeptimo. Tunc (ſi nihil aliud intervenerit) inflammationis metus omnis abſit, quin appareant omnia, quam ſecundum naturam eſſe ſolent, graciliora: utendum fuerit ferulis, & ſæpius ſolvendum. Anteà enim, cum inflammationis metus eſſet, intutum erat premere ferulis; nunc cum ille abeſt, firmandaque jam fractura eſt: rectè quis utatur illis.

17. Sed & ſolvere ſæpius licet, quod diſſipandi ichoras ſcopus non amplius adſit. Sed & callus felicius germinabit. Ut enim anteà dictum eſt, aliquid alimenti proprii craſſefieri debet ad calli generationem. Propterea non oportet abluere labiis fracturæ, aut diſcutere exterius, quod fit per crebras ſolutiones. Sed & non tamdiu cunctandum, quò minus animadvertatur ſucceſſus calli. Vidimus enim ſæpè oſſibus nimis exſiccatis, difficulter generationem pori ſucceſſiſſe. Fovere igitur oportet aquâ calidâ, ſed in paucâ quantitate, tertio aut quarto quoque die, metam habentes perfuſionis, cum carnes attolluntur in tumorem rubrum. In his enim talibus, priuſquam detumeſcat pars, quieſcere oportet,

tet, veluti contrà, cum diſcutere volumus, non abſtinere, antequam tumor deſederit. Ubi autem uberior humiditas, propter quam callus non fit, ſiccare oportet illam, ut anteà dictum eſt, ligaturâ debitâ, perfuſioneq; vel parciſſimâ, vel copioſâ. Illa enim, quæ deſinit, antequam quid affluxerit, & diſcutit humores, qui in ſuperficie, & fundit mediocriter illos, qui in profundo. Conducit autẽ fuſio ad id, ut à ligaturâ exprimi poſſint. Hæc plus diſcutit quàm attrahit.

18. Manifeſtum autem eſt, quod in eum finem extrema faſciarum laxiora eſſe debent, ut minus premant: ſin augmento partis ſtudemus, & hoc fieri debet, & inſuper omnes circumvolutiones remiſſiores facere. Et quoniam, non hoc duntaxat tempore ſtudendum eſt callo, ſed toto illo, quo indicatio illa nata eſt nobis, reliquum eſt, ut de univerſâ diætâ differamus.

19. Quod igitur inter initia tenuiter ſit cibandum, in propriâ inflammationum curâ dicetur: dicetur verò & hoc, quod aliquando venæ ſectione eſt op⁹, & purgatione. At cum callo generando incumbimus, cibos oportet dare & boni & multi alimenti, ex quibus fiat ſuccus, non bonus tantum, ſed & lentus, ex quo præcipuè eſt callus. Ex ſeroſâ etenim & tenui humiditate nec generatur ille: generatur autem ex craſſâ quidem friabili, non pingui, ſed non facilè, quæ ubi progreſſu temporis ſiccata fuerit, friabilior & fragilior evadit.

20. Sit autem callus talis, qui oſſibus ligamentum præbeat firmum, nec offendat muſculos. Minor enim quàm debebat eſſe, fallax eſt, major, moleſtus eſt muſculis. Oportet igitur providere, ne vel major fiat, vel minor. Hoc aſſequéris, ſi intra modum ſteterint & fomenta, & cibi, & quæcunque foris adhibentur medicamenta. De fomentis & cibis dictum eſt, medicamenta ſunt illa, quæ ſubſtantiâ quidẽ emplaſtica ſunt, mediocriter calida, quibus & promovetur & augetur callus. At quæ diſcutiunt, minuunt etiam illum, qui jam juſto grandior eſt. Qui neque auctum vult callum, nec imminutum, ſed acceptare illum, qui ſponte crevit, utatur medicamentis ἐναίμοις dictis, quæ & mediocriter ſiccant, & callum ducunt mediocris conſiſtentiæ.

21. De obliquis fracturis ſufficiant iſta; de longis alia quidem omnia ſunt eadem, præterquam quod ipſam fracturam contentius premere oportet, & introrſum adigere, quod abſceſſit. Quæcunque verò colliſa ſunt variè, & maximè cum vulneribus, ceu fit utplurimum, ſplenia ſunt adhibenda σχεπαρνηδὸν, ut Hipp. juſſit, vino madefacta auſtero & nigro, & maximè æſtivo tempore. Putreſcunt enim ſive oleo quis utatur, ſive ceroto liquido, quippe quæ opus habent ſiccantibus validioribus quàm alia, quia & morbus eſt gravior. *Vide 3. Fract. 21.*

22. Quin etiam medicamenta omnia ſint ex numero τῶν ἐναίμων, ut juſſit ipſus, ſimulque menſuram ipſorum definiit. Vult enim talia eſſe ex numero τῶν ἐναίμων. Si quis verò etiam ſtatim ab initio utatur illis, tale conſulit eſſe τὸ ἔναιμον, talis, inquam conſiſtentiæ, ut non ſolum panni poſſint illa irrigari, ſed & ut extrinſecus denuò fieri poſſit perfuſio.

24. Ac reliqua quidem omnia ſecundùm præcepta illius peragenda ſunt, non in iis tantum, quæ dicta ſunt, ſed & cum nudatum os ſerrâ opus habet, adeoque fragmenta quædam vel tibi eximenda ſunt, vel expellenti naturæ in eo deſerviendum eſt.

25. De ſubſternendis autem cruribus canalibus, quos σωλῆνας vocant Græci, de quibus dubius fuit Hippocrates, utrum utendum ſit illis, an non? jam omnes nôrunt, laudantque rationes ipſius. Quod autem à recentioribus inventum eſt γλωσσόκομιον, *quo maximè utimur, quo tempore ſtudemus callo, laudo equidem, non minus quàm alias machinas: ſed non eſt veriſimile cognitũ fuiſſe Hipp., quamvis non negligebat utilia curationibus machinamenta. Cæterum, inſtrumentum cruribus ſubſternendum dextrè inventum eſt ab iis, qui Hipp. ſucceſſere. Facit autem ἀντίτασιν totius cruris, mediante uno axe, in fine partis inferioris collocato, duplici tenſione. Harum tenſionum altera, quæ crus rectà dirigit, εὐθύπορος: quæ verò ſurſum primùm, mox deorſum, μεταληπτικὴ. Utraque fit per laqueos. In hanc rem aptiſſimus eſt laqueus, ἐκ δυοῖν διαντέων dictus, ex duabus directionibus, duobus excurſibus & progreſſibus. Hic, in inferioribus quidem fracturæ partibus, circumdatus cruri, tenſionem εὐθύπορον molitur tunc, cum crura laquei circuplicantur axi: in ſuperioribus autem idem laqueus μεταληπτικὴν, abductis laquei cruribus, primo quidem ſurſum, deinde autem deorſum. Oportet autem & ipſa circumjicere axi, circumductionem autem, & quaſi flexuram crurum laquei, fieri oportet ex ſuperioribus ad inferiora per trochleas, ad latera gloſſocomii adſtructas.

26. Hanc machinam vocare poſſis etiam σωλῆνα, & cum additione μηχανικὸν, aut γλωττοκόμιον μηχανικὸν. Sed de Inſtrumentis dicam in medicationibus luxatorum. Ibidem agam de varietate ligaturarum. Jam quia memini canalis mechanici, in cruribus magnum uſum habentis, tàm in repoſitione, quàm in mutatione lecti, aut quando alvum deponit: benè actum fuerit, ne quid deſit ſermoni, laudare potius γλωττοκόμιον illud, quod de loco in locum transferri poteſt, ut recipere poſſit quamvis cruris magnitudinem.

COMMENTARIUS.

27. Quod κάταγμα ἢ ἄπαγμα vocat heic Galenus ἀγμὰς eſt Hipp. in libr. cognomine, in quem Com. tres ſcripſit Galenus. Huic affinis eſt alter περὶ ἄρθρων, in quem exſtant Com. 4. ejuſdem Gal. Differunt, quod ille eſt de Fracturis: hic de Luxationibus. De fracturis §. 2. conqueritur Gal., quod quidam Hipp. poſteriores tam fuerint ambitioſi, ut fracturis dederint peculiaria nomina, cum quaſdam dicerent fieri καυληδὸν, quaſdam ῥαφανηδὸν, quaſdam σχιδακηδὸν, quaſdam ἀλφιτηδὸν.

28. His inſuper habitis, §. 4. aperit indicationes curativas, & docet, quaſda

ſi

fieri immediate, κατὰ πρῶτον σκοπὸν: quaſdam mediante corpore alio, quod πῶρον, callum vocat, κατὰ δεύτερον σκοπὸν. Hunc callum §.5. conſiſtere ait ex ſuperfluo oſſis alimento, quod ait eſſe craſſum & terreſtre. Hoc ut Medicus concedere poteſt: ita Philoſophus neutiquam. In Philoſophia enim Peripateticâ fiunt generationes omnes per vapores. Atqui ſimile vult ſimile? Non actuale, ſed potentiale. Ibidem proponit de tempore generandi calli, ſed exſequitur demum ſub finem cap. Innuit autem tacitè §.6. intervenire aliam indicationem, quò minus ſtatim ab initio cogitari poſſit de callo. Ea eſt, oportet primum dirigere oſſa. Hæc directio fit per ἀντίτασιν, ut loquitur §.8, Hac factâ, iterum alia oritur indicatio §.9. ἀπόθεσις, poſitus ægri, ut os directum maneat tale. Hoc fit per ligaturas, quæ trahunt ſecum duas alias indicationes §.10., exprimunt, quod influxit; prohibent, ne aliud influat. Influxus maximè fit in ἀντιτάσει illâ, unde inflammatio: prohibetur à deligaturis, quæ fiunt, non quovis modo, ſed ut præſcripſit Hipp. Has ligaturas, & quæ huc pertinent, quia diligenter deſcribit Gal. §.10. & ſeq., cauſam non habent quiritandi noſtri, periiſſe nobis artem obligandi vulnera! Quin periit nobis diligentia!

29. Huc facit figura poſitus, de quâ §.14. Facit etiam præceptum de ſolutione, de quâ §. ſeq. nec non de fomentis, de quibus § 16. §.18. redit ad ligaturas. §.19. incipit agere de diætâ, inprimis propter calli generationem.

30. §.21. claudit orationem de fracturis obliquis, & inchoat alteram de longis, nec de iis, ubi colliſio eſt in multas minutas particulas. §.22. de medicamentis agit in univerſum.

31. §.25. cum meminiſſet canalium Hipp., convertit ſe ad γλωσσοκομεῖον, quod Hipp. quidem non novit, ſervit autem τῇ ἀντιτάσει, de quâ dictum eſt. In fine locus eſt corruptus, cui ego mederi non poſſum, deſertus ab aliis.

CAPUT VI.

1. DE aliis fracturis ſufficiat hæc noviſſe poſt Hipp.: de iis verò, quæ in capite, ſcripſit idem librum ſingularem, in quo docet omnia, quæ in illis fieri debent: nos verò, ubi hoc opus abſolverimus, addemus & in hunc Commentaria. Quod ad præſens, quoniam ſuperaddimus in hoc opere, quæ illi ſunt inventa poſteà, minusque diſtincta diſtinguimus: neceſſitas vult nos meminiſſe cultrorũ cavorum exciſoriorum, quos etiam κυκλίσκους nominant, & poſteà lenticulatorum, & iterum poſteà radularum anguſtarum, tandem dicere aliquid de uſu medicamentorum.

2. Fracturarum igitur cranii quædam non ultra primam oſſis διπλόην penetrant: quædam etiam alteram perforant, & ad interiorem ſuperficiem perveniunt: quædam ſimplices ſunt ſciſſuræ, quædam contuſiones, quædam veſtigia inſtrumentorum, quæ percuſſerunt. Simplices ſciſſuræ, quæ ad alteram διπλόην

pertinent, indigent jam dictis radulis. Debent autem numero plures eſſe, magnitudine inæquales ne de ſit talis, quæ operi ſit aptiſſima. Tum, nudato oſſe ſecundum conſuetudinem, operari illâ, quæ omnium latiſſima eſt, mox alterâ, quæ anguſtior, & ſic deinceps aliis uſque ad anguſtiſſimam. Hac utendum eſt in ipſâ diploë. Tandem ſicca inſpergere medicamenta, & mox, & uſque ad finem, quæ ob id *Cephalica* dicuntur. Compoſita ſunt hæc ex iride Illyricâ & farinâ ervi, & cort. rad. panacis, &, ut ſemel dicam, omnibus, quæ abſtergunt ſine morſu. Opus enim naturæ eſt ſic genita caro, nec indiget pharmaceuticâ.

3. Ut autem genita connaſcatur, & undiquaque ſe dilatet in omnes oſſis partes, fiet, ſi neque ſordes in oſſe ſint, neque oleoſa pinguedo innata. Et hoc eſt, quod Medicis præſtant ægri ad carnis generationem, ut locus quidem omnis ſit ſiccus, omnes autem oſſis partes puræ. Et hæc quidem communia ſunt omnibus fracturis, cum incipit caro gigni: quæ verò pertingunt ad meningas, ſi ſola ſit ſciſſura, dictis radulis etiã utendum eſt, ſi verò cũ contuſione aliquâ, exſcindere oportet, quod contuſum eſt, aut terebrâ, facto pri⁹ foramine circulari, uti deinde τοῖς ἐκκοπεῦσι, vel ab initio adhibitis κυκλίσκοις.

4. Quo loco ſciendum eſt, operationem per terebram eſſe fallacem, quod ſæpè contingat, ſi quis confertius trudat, ut vulneret duram matrem, quæ oſſibus ſubtenta eſt. Sed nec illa inculpabilis eſt, quæ fit per κυκλίσκους. Ferè enim concutit caput, quod quieſcere debebat. Placent autem mihi, cum inſignes ſunt ſciſſuræ, & oſſa fracta valdè commota, præ terebris cycliſci. Parvis enim impulſibus factis locum dabunt exciſoriis lenticulatis. At verò cum oſſa ſunt valida, perforare terebrâ. Quidam autem, ne aberrent, parârunt ſibi trypana, quæ vocant ἀβάπτιστα. Vocant autem ita, quod non poſſint βαπτίζεσθαι, *immergi*. Umbo enim quidam circularis circuit, prominens paulò ſuprà extremum terebræ. Debent autem plura talia, quod non eadem in omnibus ſit craſſities cranii, in promtu eſſe. Craſſioribus enim longior conveniet terebra, (voco ita, cui longius eſt ſpatium, quod interjacet inter ſummum apicem & umbonem dictum:) ſed tenuioribus brevior. Eſt autem & huic ſpatium minus, quod eſt inter apicẽ & umbonẽ.

5. Sunt inter hos, quos neſcio timidiores ne, an cautiores appellem, qui vocatis χοινικίων uſi ſunt. Tu verò, niſi parum prudens audire vis in iis, quæ fallere poſſunt, aut contrà quàm deceat, timidus, credas conſultum tibi fore, ut κυκλίσκοις utare, primùm latioribus, deinde anguſtioribus, uſque dum pertigeris ad craſſam meningem. Veruntamen, non oportet totum, quod excidere vis, nudare in circulo: ſed eâ parte potiſſimùm, quâ fractura violentior incubuit. Nam ne de aliis dicam, meninx celerrimè abſcedit ab oſſibus, quæ multum paſſa ſunt. Nec ullum periculum, etiamſi tangas, quæ jam abſceſſit. Si verò ſemel nudaveris partem aliquam, ſubmiſerisq; cultrum exciſorium, habentem partem illam, quæ lenticulæ formam habet, obtuſam & levem, aciẽ autem in longitudine rectam, ubi poſueris ſupra meningem latum id & lenticulare, malleolo feries, & ſic cranium divides. Hac enim ratione fit quis compos omnium, quæ vult. Meninx

ninx certè, etiamſi dormitabundus operetur, incidi poteſt, ubi pars lata lenticularis contigerit tantũ. Quod ſi fortè alicubi adhæreat etiamnum cranio, ſeparat tamen illa ſine dolore rotunda extremitas lenticularis, ſequente cultro ipſo, craniumq; dividente. Quare alium perforationis modum, nec minus periculoſum, nec celeriorem, non inveneris. Potiſsimũ autem laudabis illum in maximis fracturis, quas Medici juniores ἐγγισώματα καὶ καμαρώσεις vocant Ἐγγισώματα quidem, quæ in medio ſui membranæ incumbunt: καμαρώσεις autem, quæ eandem quidem exaltatam habent, ſed quà ab integris fiſſuræ partibus diſcedunt, intrò magis flectuntur, membranæ innixa. Celerrimè enim in talib⁹ exſcinditur, quod affectum eſt, omne. Promtius enim ſubit lenticulati finis in iis, quæ plurimùm à naturâ receſſerunt. Quin oſteagrâ dicto inſtrumento attollentes aut reflectentes oſſium quædã, quæ valdè cõminuta ſunt, eâ potiſſ. parte ut demittatur lenticulatũ, præparabimus. Hoc facto, continuò ſequuntur omnia, quæ volumus, cũ ſecuritate & celeritate. Ut ferè dixeris, In aliis omnibus quidẽ rectè dictum eſſe,

Principium eſt totius media pars:

heic autem non eſt dimidium totius, ſed vel totum, vel parum abeſt à toto, lenticulatum immiſiſſe.

6. Hæc igitur optima eſt chirurgia in fracturis cranii: quantum autem exſcindi debeat, porrò exſequar. Quod valde comminutum eſt, totum auferto: ſi verò à fracto plures exeant ſciſſuræ, ut nonnunquam fit, non oportet perſequi uſque ad finem, certus, noxam nullam ideò exſpectandam, ſi cætera benè habeant. Nos igitur, non ſemel aut bis ita adminiſtrantes, ſed ſæpenumero, felicem eventum experti ſumus. Indicatio enim nobis heic quoque ex ipſâ partium affectarum naturâ exſtitit. Quam enim ligaturam in aliis fracturis ratio invenit efficacem ad prohibendam inflammationem, in capite locum non habet. Quare, nec avertere licet, quod influit, nec, quod influxit, exprimere, ſine quibus neq; reliqua oſſa cuſtodire licet ab inflammatione.

7. Ponamus, brachium uſq; ad medullã fractum eſſe, neq; quiſquam ligaturas adhibeat ſecundum artem, omnis neceſſitas poſtulat, ichoras, non extus ſolũ ſub cute, & circa muſculos colligi, ſed in medullâ quoq;, & hanc non ſolùm, primam, ſed & præcipuè putreſcere, & cũ ipſâ totum os, quando nunc quoq;, cum omnia fiunt, quæ fieri debent, talia accidunt. Quo modo igitur non multò magis in capite id accidat? cũ ligaturæ in fracturis uſurpatæ capax non ſit? & interim ichores momentũ habeant deorſum, ut coacerventur omnes ſupra meninge? In aliis igitur fracturis tantum abeſt ut ligatura rectè uſurpata permittat colligi in oſſe affecto ichoras, ut pars gracilior appareat, quàm ſecundũ naturã eſt: in capite ligaturæ modus tantum abeſt ut ita poſſit exſiccare, & os ipſum fractũ, & quæ circumſtant, quo minus vel inflamatio fiat, vel ichores cumulentur. Præterea, medicamentum nullũ in aliis partibus ſine ligaturis tam potens eſt, ut præſtet os ſiccũ & ab excrementis liberum. Hinc neceſſitas vult, ut aliquid fracturæ nudemus, quò poſſimus ichoras abſtergere & abluere, ut, poſtquam inflamationis tempus præterierit, omnia ſint ſicca, aptaq; cùm carni gignendæ, tùm cicatrici ducendæ.

8. Hæc ratio non eſt contemnenda, quemadmodum illorum Sophiſtarum, qui rerum ignari quærunt, cur capitis fracturæ callum non generent? Generant, O optimi. Vos autem tam eſtis nugis dediti, ut cauſas velitis dicere eorum, quæ in rerum naturâ non ſunt. Vidi enim aliquando, os quidem ſincipitis confractum, quod autem temporum vocatur, in quo ſunt ſquamoſæ commiſſuræ, habere ſciſſuram longiſſimam, quâ intactâ, excidimus os duntaxat ſincipitis, & ſanavimus hominem tàm feliciter, ut etiamnum vivat poſt multos annos. Quod ſi ſincipitis quoque os dimiſiſſem, putruiſſet potius ſubjecta meninx, quam callum duxiſſet fractura. Ut ſi nullus ichor interius ad partes affectas affluxiſſet, vanum eſſet os exſcindere.

9. Illi igitur, pro more ſuo, porrò nugentur: ego verò in aliâ fracturâ ſimili conſtitui, ſupremum quidem os relinquere, quod autem à lateribus exſcindere ad effluxum ichorum. At verò, conſideratâ & craſſitie & duritiâ ipſius, melius eſſe concluſi, ſublime illud os eximere potius quàm, metu defluxus, concutere cerebrum vehementius. Veritus etiam hoc ſum, ne, facto à latere magno foramine, cerebrum ſe illàc oſtenderet. Eſt etiam ibi exortus nervorum periculoſorum: ſed in ſummo capite ne minimus quidem nervus eſt ullibi. Has ob cauſas abſtinui ab exciſione oſſis lateralis: callum autem duxit ſemper dextrè curatum.

10. Jamque adeò hoc nobis ſupereſt conſiderandum, quæ ſit optima ratio curandi talia, tàm quod ad medicamenta, quàm quod ad alia, quæ poſt perforationem fieri debent? Nunquid mitiſſima, & leniendo dolori aptiſſima illa, quæ nunc à pleriſque omnibus in uſum vocata eſt? an contraria illi, quæ fit per validiſſimè ſiccantia? quam etiam Meges Sidonius amplectitur? Quidam etiam civis noſter uſque adeò frequentabat illam, ut *Emplaſtrum, quod Iſis vocatur*, nudatæ meningi imponeret, & ſuper hoc exterius *Oxymel*. Erat hic jam provectæ ætatis, & exercitatus in arte: ego verò, nec alium vidi ita curantem, nec ipſe auſus ſum tentare. Hoc teſtimonium perhibere poſſum Eudemo, (hoc enim erat Pergameno illi ſeni nomen,) plures fuiſſe curatos ab illo, quam ab illis, qui paregoricis utebantur. Periculum ſanè feciſſem & ego, ſi diutius in Aſiâ moratus eſſem: nunc, poſtquam Romæ ſum, in pleriſque accomodavi me moribus Romanis, locum dans Chirurgis, qui ibi ſunt. Intuens verò rei naturam, meditor hunc diori ſmum, longâ experientiâ à me confirmatum, Meatus dictus auditorius, non tantum introrſum ſe penetrat uſque ad duram matrem: ſed & tangit nervum auditorium, è cerebro exortum. Licet igitur cerebro tam affinis: tolerat tamen medicamenta validiſſima, ut anteà etiam dixi. Nihil igitur admirandum, ſi etiam poſt perforationes dura mater gaudet validiſſ. medicamentis, antequam inſigniter inflammetur. Cauſa eſt, quia naturâ ſuâ eſt ſicca.

COM-

COMMENTARIUS.

11. Cum propoſuiſſet, quid deinceps agere velit, numerat inſtrumenta, quibus utendum in fracturis cranii. §.2. catalogum affert ſpecierum, ſimulque quæ inſtrumenta in quibus locum habeant. Poſt uſum inſtrumentorum, medicamenta proponit, *Cephalica* dicta, & quæ ſint illa. §.3. addit, quid obſervandum ſit Medico, ut dicta medicamenta effectum ſuum habeant. §.4. & 5. commemorat impedimenta, quæ interveniunt ratione inſtrumentorum. §.6. ſcribit, quis modus ſit exciſionis? Et quia in capite locum non habent ligaturæ ad prohibendam inflammationem, conſilium ſubminiſtrat, quid ſit ſubſtituendum? *Exciſionem oſſis*, & quibus in locis.

12. Confert §.10. curationem ſuam cum aliorum. Verùm heic incidit magnum dubium de curatione auris internæ. Cum enim Galenus, ex imperitiâ Anatomiæ, quæ tum convaluerat, crederet, meatum auditorium rectà ad cerebrum pergere, nec ullas eſſe ibi cavitates, quæ à nervo auditorio dilatato inungerentur: admiſit curam per medicamenta validiſſima, niſus fundamento falſo, quod pars ſit ſicciſſima & inſenſilis. Quod verò turpiſſimum eſt, jactat μακρὰν πεῖραν curationis ſuæ. Ego verò habeo, quæ opponam. Quidam è Collegis meis, cujus alibi memini, qui expertus erat dolores & oculorum & aurium, hos ajebat longè atrociores eſſe. Civis quidam meus, fortuito caſu perfuſus aquâ ferventi, graviſſimos dolores, per aliquot annos, ſenſit in dicto meatu. D. ab Aquap. tract. de Aure, c. 10. Hiſt., oſtendit ad oculum, nervum auditorium expandi in cavitates interiores. Hac de re vide Caſſerii diſcipuli tractatum ejusdem tituli l. 4. c. 13. Quod ſi tranſiero ad illos, qui *Tympanum* inde formant, minimùm labefactabo chorum adverſarium.

Vide etiam Bauh. 3 Theat. 22. & quos ille laudat.

Finis Lib. VI.

METHODI MEDENDI LIB. VII.

CAPUT I.

1. METhodum medendi, Eugeniane amiciſſime, olim quidem ſcribere cœpi, gratificatus Hieroni: verùm, quia ille ſubitò magnum iter inſtituere coactus eſt, in quo non ita multò poſt mortuus dicebatur, intermiſi & ego ſcripturam. Nôſti autem tu, quod neque hoc, neque ullum aliud opus, incenſus propriâ gloriâ, aggreſſus ſum: ſed ut vel amicis obſecundarem, vel ut me exercerem, tàm propter exercitium ipſum in re utili, quàm ut conſulerem ſenectuti, ut Plato ait, theſauros mihi parando.

2. Laus

2. Laus enim à vulgò profecta aliquando quidem viventibus commoda eſt, ſed mortuis nihil prodeſt, ut neque viventium aliquibus. Nam qui ad corporis ſuſtentionem habent, quod ſatis eſt, liberamque elegerunt vitam, contenti Philoſophiâ: illis impedimento non mediocri eſt gloria vulgi, abducens illos à rebus pulcerrimis. De me nôſti, me non rarò per longum tempus adeò negotiis diſtentum fuiſſe, ut nec inſpicere poſſim librum: ego verò, neſcio quo modo, ſtatim à pueritiâ, ſive miraculo, ſive divinitus, ſive furore quodam, ſive alio quodam nomine, ita contemſi quidem gloriam vulgarem, ſtudui autem Veritati, & diſciplinæ, ita perſuaſus, non eſſe vel melius vel divinius illis bonum. Propterea non rarò ne nomen quidem meum addidi ulli librorum meorum: rogavi autem vos, ut nôſti, ne immodeſtius laudaretis me, pro more veſtro, nec nomen autoris præſcriberetis.

3. Hanc igitur ob cauſam nec methodus medendi ſcripta mihi fuit hactenus, ſed ſatis mihi fuit ſcripſiſſe ſumma tantum capita eorum, quæ inveni: doctrinam autem per διέξοδον aggreſſus non ſum. Nunc autem, quia & tu, & reliqui ſodales deſideratis in ſcriptis habere, quæ ſæpè in ægris feci, adjiciam, quod deeſt, huic operi.

CAPUT II.

1. Ergò in 3.4.5. & 6. horum Com. deſcriptum eſt genus morbi commune tàm ſimilaribus, quàm organicis partibus, quomodo curandum ſit. Exordium autem inde ſumſi, partim, quia reliquis clarius, partim, quia oculis obſtruit omnium penè illorum Medicorum, qui methodum quidem crepant, omnis autem methodi expertes ſunt. Excepto enim Hipp., qui omnium bonorum ſemina nobis præbuit, reliqui ne auſi quidem ſunt attingere curationem hujus morbi methodicam. Opus autem habet & Hipp. doctrina bonis agricolis, qui ſemina illa & ſpargant, & colant, & debito modo perficiant. Et quod antè nos nemo hoc præſtiterit, ſed contra plerique ſemina illa peſſumdederint, puto luculenter me demonſtrâſſe iis, qui attenti ſunt rebus. Hoc igitur morbi genus, ſive ſolutionem continui, unitatisve appellare quis volet, ſive aliter, damus unicuique arbitrium. Neque enim de nominibus ſolitici ſumus, vel in hoc opere, vel in quocunque alio Medico, ſed quomodo ad finem artis perveniatur.

2. Veniamus igitur primo loco ad primum (ex rei naturâ) morbum, illum, qui eſt in partibus ſimilaribus, quibus etiam debentur primæ in animali partes. In aliis enim voluminibus demonſtravimus, quo modo intelligi velimus illud, *Actionem organicarum partium deberi ſimilaribus*, v.g. oculum videre, crus ambulare. Ut enim ambulatio non eſt totius cruris, ſed muſculo debetur tanquam parti principi: ita viſio non eſt oculi, ſed humoris cryſtallini. Ita in partibus omnibus eſt analogum quid.

3. Mon-

3. Monſtratum autem eſt lib.2. genus hoc morbi non ſolum cognitu eſſe neceſſarium, ſed &, quod nemo illorum, qui ignorant elementa, ex ratione & ſecundum artem poſſit curare, quod item non intelligant, quid dicant Logicorum illi, cum *ἀτονίαν*, *imbecillitatem* vocant aut ventriculi, aut inteſtinorum, aut hepatis, aut oculorum, aut alterius ullius partis. Si enim ita vocant impotentiam ad naturalem actionem, nihilo plus idiotâ ſciunt. Audire enim eſt illos dicentes, ventriculum ipſorum eſſe imbecillum, h.e. non concoquere, vel minimum, vel facilimum concoctu. Sin diſpoſitionem quandam dicunt, explicent nobis, quæ ſit illa, ut de inflammatione fecerunt. Empirico enim ſatis eſt expoſuiſſe tantùm ſymptomata locorum affectorum, v.g. inflammationis reniſum, dolorem pulſatorium, tenſionem, rubedinem, & hujusmodi alia. Hique ferè ponunt unum nomen totius concurſus, brevioris doctrinæ gratiâ, ut dictum eſt de inflammatione. Non ita Dogmatici, ſed conſiderant eſſentiam morbi, quatenus illum ſequitur prædictus concurſus ex neceſſitate. Videtur enim Eraſiſtrato, coincidentem in arterias ſanguinem, à ſpiritu impulſum, figi in finibus vaſorum, & hoc modo fieri inflammationem. Sed fas erat, puto, aut Eraſiſtratum aut quemvis alium ex diſcipulis, exponere etiam diſpoſitionem ſingularum, ob quam debilitates fiunt. Ut enim in inflammatione aperuit cauſam, qualis jam ſit conſtitutio ſeu diſpoſitio partis; ſic oratio explicare debet mutationem ſingularum partium in debilitatem. Non enim cum ſecundum naturam diſpoſita eſt pars, debilis eſt ad actionem ſuam: ſed cauſa eſt omninò quædam præter naturam, quæ partem reſolvit, de ſtatu ſuo deturbavit, & mortuæ ſimilem effecit. Hanc cauſam, nec Eraſiſtratus dixit, nec Herophilus, nec alius quisquam Medicorum illorum, qui de naturâ corporis non audent loqui, ut ipſa vult.

COMMENTARIUS.

4. Poſtquam dixit, de quo morbo acturus ſit poſt *Solutionem continui*, de Intemperie aperit cauſam, cur id velit? Quia eſt primus naturæ ordine morbus. Si urgeam, *Cur hoc*? Quia eſt in primâ corporis noſtri conſtitutione, quæ eſt ex elementis. Hinc digreditur in laudem Hippocratis, qui bona quidem ſemina agro Medico commiſerit, ſed quæ opus habent culturâ. Infrà l. 9. c. 8. comparat cum Trajano Imp., qui vias ſtraverit in toto Rom. Imperio.

5. §.2. ſolvit quæſtionem, quàm Ariſt. etiam tractat, *Cui debeatur actio*? Similari, an diſſimilari? Et reſpondet, *ſimilari*. Sed reverâ opus eſt altiori indagine. Viſe autem ad Pacium, ſuprà l.1.c.6.col.134.

6. §.3. increpat errorem Logicorum ſeu Dogmaticorum illorum, qui, quod intemperiei eſt, tribuebant *Imbecillitati*. Nihil docetis, inquit, nec plura ſcitis quàm vulgus. Obloquitur etiam Empiricis & Eraſiſtrato: ſed res eſt non magni momenti.

CAPUT III.

1. ATqui non licet nobis immorari in iis, quæ anteà demonſtrata ſunt, partim, quod doctrina de propoſito morbi genere ſit utiliſſima Medicis: partim, quod qui illum capere volunt, præexercitatum eſſe oporteat in doctrinâ de Elementis. Quare quem nunc incipio librum, is finietur in doctr. de Elementis, de quibus, ut nôſti, ſcriptum eſt mihi integrum opus, titulo, de Elementis ſecundùm Hipp. Scripſit de his Diocles, Mneſitheus, Dieuches, Athenæus, ferèque omnes Medicorum & Philoſophorum celeberrimi, optimique, & fovent illi eandem opinionem de naturâ corporis noſtri, ex cal., frig., hum. & ſicco temperati, ut & reliquorum omnium corporum, nec minus animalium. At verò æquum, piumque, teſtimonium ejus rei præbere primo illi, qui invenit. Hanc ob cauſam vocamus nos Elementa ſecundum Hipp., etiamſi idem ſtatuant & Ariſt. & Chryſippus, & alii Philoſophi, Medicique.

2. Quando igitur animatorum pars quælibet propriam habet actionem, tantoperè differentem ab aliis aliarum actionibus, quantoperè differunt ipſæ inter ſe, (differunt autem caliditate, frig., hum. & ſicc., aut harum qualitatum conjugio quodam:) ille, qui actiones illarum ſervare volet, ſervabit temperamenta ipſarum. Servabuntur autem, ſi, quod refrigeratum, transferatur ad caliditatem: quod calefactum, ad frigiditatem. Et ſic de cæteris. Eodem modo, ſi, quod nimium ſiccatum ſit ſimul & calefactum, ſi traducatur ad humiditatem ſimul, & caliditatem. Et ſic de cæteris compoſitis intemperiebus. Semper enim illi, quod excedit, inducere oportet contrarium, eouſque dum pars perveniat ad ſymmetriam, quæ illi ſecundum naturam.

3. In univerſum, omnis morbi, qui in ſimilaribus conſiſtit, jam mihi dicta eſt methodus. Octo enim cum ſint genera illorum, ut oſtenſum fuit in l. de diff. morb., octo etiam erunt curandi modi, quorum communis ſcopus eſt, alterandi corpus ſimilare. Et quoniam morbus etiam ipſe factus eſt ſecundum intemperiem & alterationem partis naturalem; ipſa autem medicatio ex his duobus procedit, præſentiâ materiæ, & dextro hujus uſu: medicamenta quidem ipſa licet tibi accipere cum ex opere de ſimplicium facultatibus, eorundemque compoſitione; methodum autem ex hoc volumine.

4. Quomodo autem dignoſcere poſſis intemperiem uniuscujusque partis ex tribus aliis, 1. de Temperamentis. 2. de Locis aff. 3. ex illo, quod inſcribimus Artem medicinalem. Non igitur pluribus indigent ad præſens negotium illi, qui & prudentes ſunt, & inſtituti legitimè in primis diſciplinis. Cui verò neutrum ſuppetit, huic maxima pars deeſt. Si verò & pravæ ſectæ implicitus ſit, altero tanto tempore indiget, alio, ut abſtergat prava dogmata: alio, ut melior diſcat.

COMMENTARIUS.

5. Et ſuprà *lib* 1. *c*.2. miratus ſum, & miror heic amplius, Galenum dicere, Hipp. phyſiologiam eſſe eandem cum Ariſt., ſimulque velle, Hipp. ſententiam expreſſam eſſe *lib*.1. *de Nat. hum.*, quem noſtri Codices præferunt. Recordor, cum ſub initium lectionum mearum diligenter elaborarem librum illum, idemque facerem in libris *de Elementis* Galeni; CL. D. ERN. SONERUM, Collegam meum, datâ occaſione dicere, Ey/es iſt der importanß nicht! diu me diſputâſſe mecum de ſenſu verborum illorum, tandemque concluſiſſe, alterutrum eſſe falſum, aut, quod Gal. aſſerit de conſenſu, aut, quod de *lib*.1. *de Nat. hom.* Tandem, cum poſt abſolutas *Notas in Gal.* meditarer χρηστομαθείας φυσιολογικᾶς, (factum hoc eſt circa annum 1635.) primus ſe objiceret hic obex quem removi hoc præcipuè argumento: *Dogmata non conveniunt.* In hac ſententiâ maneo, & dico, *Verus eſt Galenus in conſenſu : ſed falſus in ingenuitate libri.* Hoc tantò nobis debet eſſe amicius, quantò deterius eſt dogma hinc manans de modo nutritionis, quæ fiat quatuor humoribus. Fit ſolo ſanguine, ut Ariſt. docuit.

6. Hoc admiſſo, benè ſtabit Gal. §.2. dum ait, partes eſſe factas ex calido, frig., hum., ſicco, ſeu ex elementis ſimpliciter dictis. Subſumam enim ego, Ergò, iisdem nutriuntur. Stabit etiam §.3. de numero intemperierum. In fine ſcandalum eſt, in quo fruſtrà laborat Pacius, ego τὸ εἶδον explico per μέθοδον, & deleo, τὸ διαιτημάτων. Utinam ita mederi poſſim alteri, ἣν ἐπιγράφομεν τέχνην ἰατρικήν. Quæ enim eſt *Ars medicinalis* præter Methodum hanc therapeuticam? Quid ſi præmittam? περὶ τῆσδε μεθόδου, ἣν κ.τ.λ. Finalia illa, διπλῆ γ, valdè mihi accepta ſunt: hoc enim filo texui Inſtitutiones, in quibus *Aberrationes* conſtituunt τὴν ἀπόλειψιν τῶν μ.δ: reliqua ἄσκησιν περὶ τὰ βελτίω.

CAPUT IV.

1. Certus equidem ſum, te ex univerſalibus venari poſſe particularia: quin vidiſti curatos ita multos morbos, nec opus habes ullatenus particularibus. Verùm, quia Plato dicit: *Nemo ſibi ſpondeat, quæ ſcripto comprehenſa ſunt, quin aliquando fiant publica, ſi contingat opus hoc venire in manus alicujus, qui minus in Logicis exercitus ſit, ut is facilius ſe expediat*, addere oportet quædam ex particularibus. Hinc perſuaderi poſſit, verum eſſe, quod dixi, poſſe aliquem ad particularia pervenire proprio etiam ductu. Ego enim ex me omnia iſta habeo, duce ratione. Nam quod ad præceptores, neceſſitas ita ferre potuit, ut ego quoque conſilium darem imbecillibus ventriculo, utantur cibis adſtringentibus & ſubamaris, vinoque ſimiliter auſtero, ut & abſinthio, & diacydoniato, quæque alia introrſum ſumuntur medicamenta: extrorſum autem primum quidem fomentum ex abſ. & oleo ex olivis immaturis expreſſo, deinde hapſus lanæ, imbutus his

ipſis, & prætereà unguento melino, nardino, & poſt hæc cerato ex iisdē parato, tandem medicamenta applicet ceratis validiora, à Medicis ἐπιθέματα vocata, ex his ipſis ſimplicibus, aliisque vicinis compoſita, inter quæ jam ſunt aromata pleraque, ſpica nardi, amomum, calamus aromaticus, iris, ladanum, folium, ſtyrax, bdellium, opobalſ., carpo- & xylobalſ.; & reliquus aromatum catalogus.

2. Quod ſi hæc nihil agant, commune omnibus imbecillitatibus auxilium tandem appoſuiſſem, quod φοινιγμὸν appellant, vel ex Thapſiâ factum, vel ex ſinapi, vel tali aliquo. Poſt cujus uſum miſiſſem ad aquas thermales. His enim nihil amplius novit Empiricus, ut libri ipſorum teſtantur. Quintus quidem iis, qui conqueruntur vel de cruditate, vel de inappetentiâ, primum quidem exercitia imperavit, & cibos concoctu quàm facilimos, ſed non in copiâ. Quibus non proficientibus, cogebatur & ille ad Empiricos diverti. Quis enim non novit, morem illi fuiſſe ridere voces Hippocratis, Cal., frig., &c. balneatorum eſſe dicendo? Cum absque his impoſſibile ſit mederi methodicè imbecillitati partium. Quare per hunc quidem non ſtetit, quo minus Empiricus fierem: ſed Ratio docuit me octo intemperies, imbecillitatem cauſantes. Vidiſti enim tu quoque, quosdam unâ die, potius unâ horâ, curatos aquâ frigidâ. Horum aliquibus dedi non ſolùm recentem ex fonte, ſed & nive refrigeratã, ut Romæ præparare ſolent. Præparatio eſt hæc, Calefaciunt primùm aquam, quam poſteà *Decoctam* vocant. Vidiſti verò & cibos me nive refrigeratos conceſſiſſe, in quorum cenſu & *Melca* eſt, Romæ non minus frequens cibus quàm ἀφρογάλα.

3. Eodem modo refrigeratos dedi etiam fructus, quos ὀπώρας (ἡ ὡραίας) appellant. Eodem, ptiſanam, diligenter ita factam, & alia multa, ſcopum mihi unicè præfixum habens refrigerationem. Prohibui autem uſum abſ., & aliorum adſtringentium, quemadmodum alios arcui à frigidis. Calidum etiam actu dedi vinum aliquod vetus ex iis, quæ ſtrenuè calefaciunt, qualè præcipuè eſt Falernum & Surrentinum. Ita cibos calefacientes dedi cum multo pipere. Quorundam curam, ut ſcis, inſtitui, ſiccantia præſcribens, quorum cibi erant naturâ ſicci, accuratè aſſati, & in univerſum potum parciſſimum. Uſus omnium adſtringentium (hunc ſolum præ oculis habent, qui citra methodum curant:) moderatus erat. Alium ex his, qui brevi temporis ſpatio tam ſiccus evaſerat, ut aſpectu quàm ſimilimus eſſet iis, qui maraſmo laborant, curavi, in omnibus contrarium ſuadens iis, quæ admirabiles iſti Medici propoſuerant. Neque enim ex aliâ cauſâ tam periculoſè laborabat, cum ab initio laboraret intemperie ſiccâ non magnâ, quam humectatione opus habebat. At illi, qui curandum ſuſceperant, & abſinthium propinantes, & cymata amara, & bulbos, apponentes, & amplius Cydonia, & Ceſtiana, & Punica, tandem, cum nihil horum retineret ventriculus, & rhois ſuccum coëgerunt

eum

eum bibere. Sed & forinſecus impoſuerunt ea, quæ paulò antè dixi, & parum abfuit, quin pro mortuo haberetur. Hunc nos curavimus omnibus modis humectantes, Materiam autem ſumſimus ex iis, quæ de Simplicibus tradidimus.

COMMENTARIUS.

4. Concedit quidem Galenus, non eſſe ſatis univerſalia docuiſſe, neceſſarium eſſe, ut particularia quoque addantur: ſed tamen poſſe eum, cui materia Medica ſit cognita, ex ratione etiam invenire. Hac in re proponit ſuum exemplum, & commemorat, quibus medicamentis uſus ſit in ſingulis octo intemperiebus, à quibus imbecillitates ventriculi pendent. Ubi obſervandum, quod monet, licet imbecillitas videatur ſemper poſtulare adſtringentia, quæ tonum reddere poſſunt: non eſſe tamen ſemper neceſſaria. Exſtincto enim v.g. calore, tonus redit.

5. De cæteris in ſpecie nihil dico, præterquam de errore Medicorum, de quo ultima hiſtoria loquitur. Referebat SCHERBIUS, Vicentinum quendam laboràſſe affectu, de quo agimus. In quo cum Medici omnia referrent ad ſiccitatem; ille verò ad extima laberetur quotidiè, præ deſperatione abiit militatum in Belgium. Ibi cum liberius viveret, inter alia lacticiniis crebris uteretur, præter opinionem reſtitutus, ſanus rediit domum. Similem hiſtoriam referebat Doldius, cujus alibi memini. Erat Lipſiæ Medicus juvenis, qui in accuratiſſimo victu ad atrophiam ſummam pervenerat. Is de conſilio aliorum, translatus fuit in aulam Saxonicam. Ubi cum ſolutius viveret, & corpus recepit, & uxorem duxit, & filiam genuit, & benè ſenex obiit.

CAPUT V.

1. UT enim dictum eſt in libro de inventione Apodicticâ, irretitus ego olim diſcordibus Medicorum ſententiis, poſteà converſus ad arbitrandas illas, cognovi, exercendum me antè omnia eſſe in Apodicticis. Hoc dum facio continuis aliquot annis, & ſubmitto illis omnia dogmata, curationes inſtituo ſecundum filum indicationum inventarum. Sed non omnes ſunt tales. Oportet igitur præſcribere illis exercitia, in particularibus materiis octo dictarum intemperierum, initio iterum facto à ventriculo, quoniam primi illius facta eſt mentio.

2. Quæ igitur alterationes fiunt in caliditate & frigiditate, curatu facilimæ ſunt, quia fiunt efficaciſſimis qualitatibus: contrà difficilimæ, quæ in humiditate & ſiccitate. Perficitur enim curatio illarum debilibus qualitatibus, & in materiam altè demerſis, ut ſic dicam, præcipuè cum humectandum eſt. Tempus quidem ad emendationem caliditatis & frig. penè idem requiritur, ſed non eſt æquè ſecurum. Niſi enim partes circumſtantes omnes ſint benè validæ, periculum eſt à frigore, à quo

non modicè percelluntur. In reliquis duabus ſecuritas quidem ferè æqualis eſt, tempus autem multiplex in ſiccâ. Quod enim ſenectus eſt in benè valentibus, id ſicca intemperies in ægris eſt adeò, ut incurabilis ſit, ſi longius progreſſa ſit. Tum verò longiſſimè progreſſa eſt, cum ſolidorum corporum ſubſtantia jam facta eſt ſiccior.

CAPUT VI.

1. EST & altera ſiccitas in iis, quorum ſubſtantia concreta eſt ex humido, qualis pinguedo, & caro, cum liqueſcunt: eſt & tertia præterea, quæ fit, prorſus abſumtâ humiditate illâ nativâ, quâ partes nutriuntur. Hæc continetur in omnibus animalis partibus, roris in modum aſperſa illis, de quâ ſæpè dictum eſt alibi. Hanc dare partibus nemo poſſit absque alimento, quamobrem difficilima eſt diſpoſitio hæc curatio. Alia etiam ſiccitas eſt, quæ conſiſtit in exilibus venis, arteriisque, quæ propriæ ſunt cujusque partis. Hæc certò accidit ob inopiam ſanguinis.

2. Omnes has ſiccitates extremè lædit oblatio auſterorum tàm ciborum & potuum, quàm medicamentorum. Abſumunt enim & illud, quod ſupereſt, nativæ humiditatis tribus modis, partim abſorbendo, partim exprimendo in interiorem ventriculi cavitatē; partim pellendo in contiguas ventriculo partes. Curare igitur oportet, hinc quidem collapſos poros aperiendo: illinc autem diſperſum in vicina alimentum, humidum ſuppeditantes alimentum, loco propriæ ſimilarium humiditatis, quo modo nos curavimus illum, qui à Medicis ita exſiccatus erat. Cum enim in oppoſitione calidi & humidi nulla eſſet evidens intemperies, neque in toto corpore, neque in ventriculo; ſiccus autem, tenuisque eſſet factus inſigniter, ob malam concoctionem, quæ acciderat ab imbecillitatē, cujus cauſa in ſiccitate: hujus curationis ſcopus vertebatur in humectando ventriculo, totoque corpore.

3. Quibus autem machinis uſi fuerimus, quibusve materiis, pro adipiſcendo ſcopo, jam dicam. Conclave illi paravi balneo proximum. Talia autem plura ſunt in divitum domibus. Ex hoc primo ſtatim manè transferebam illum in balneum ſuper ſindonibus, ne ſiccaretur ipſe motu proprio, & ſic debilior fieret ante debitum tempus. Illud enim auget diſpoſitionem morbificam; hoc moram interrumpit in balneo. Oportet enim diu ſedere in aquâ. Propterea piſcinæ ſunt commodiores parvis pelvibus, & maximè, quæ foribus ſunt viciniores, ne diutius cogantur in aëre eſſe. Neque enim indigemus illo in talibus.

4. Sit autem aqua exquiſitè temperata. Frigidior enim obſcurum inſinuat frigus corpori debili: calidior autem poros cogit, contrahitque, cum ſcopus noſter ſit remittere, laxare, & dilatare conniventes, collapſosque, quod aqua temperata efficit. Jucunda enim cum ſit, invitat naturam, ut ſe explicet, extendat-

datque undique ad id, quod volupe eſt, contrà quàm faciunt, quæ injucunda ſunt. Abhorret enim talia, & abſcondit ſe in profundum.

5. Abſurdum igitur non eſt, ſi ab iis, quæ moleſtiâ afficiunt, denſior fit cutis, ſiccior & durior, adeoque pori ipſius contrahuntur & denſantur. Ita, contrario in ſtatu contraria fieri, fundi vid. corpora, mollioraque fieri, poros autem dilatari.

6. A tali balneo ſtatim dedi lac aſininum, introductâ aſinâ in ipſum ægri cubile. Perſuaſus enim eram, ſi ex ipſâ beſtiâ ſugeret homo lac, fore, ut celerrimè curaretur: ſed cum præter morem ſit, dedi operam, ut quam minimo temporis ſpatio in aëre eſſet, quippe cujus natura ſit ſubitò mutari, non minus ac ſemen. Nam & hoc non diu durat extra ſua vaſa, ſi naturam ſuam ſervare debet: ſed vel in maris partibus eſſe, vel in utero fæminæ receptum.

7. Et profectò etiam optimum lac, ſi ex ipſis mammis trahat quis, ut Euryphon voluit, Herodotusque, qui tantoperè fidebant illi in refectione corporum, ut eos, qui ſub pthoë jam emarcuerant, juſſerint ſugere lac ex ipſâ mulieris papillâ. Quod cum facere nolint quidam, melius eſt, ſi calens adhuc à mammis in ventriculum ægri deferatur. Eſt autem humanum, propter cognationem, optimum. Quia verò multi averſantur, quod nolint, puerorum inſtar ſugere, detur illis aſininum ut aſinis. Hoc enim præſtat alia ad propoſitum malum. Tenuiſſimum enim eſt, & minimè coagulatur, ocyſſimeque quoquo verſum diditur. Utroque hoc indiget, cui ventriculus affectus eſt. Illius, ne caſeetur, propter uſum communem; omnibus enim hoc noxium eſt. Hujus, quia & celeri nutritione opus eſt, & viæ, per quas tranſit, jam connivent. Hoc igitur dandum eſt per ſe, ſuperſorbendo mel tepidum in paucâ quantitate.

8. Præcipua autem cura eſſe debet præſtantiæ tàm lactis, quàm mellis, in his affectibus. Mel enim colore flavum eſſe debet, odore acri, & tam purum, ut totum ſit perſpicuum, guſtu paulò poſt acri, dulciſſimum, ejus conſiſtentiæ, ut digito ſublatum diffluat deorſum, ſibi continuum. Et hoc omnium optimum eſt. Si verò abrumpatur, nec in defluxu maneat continuum, aut juſto craſſius eſt, aut juſto tenuius, aut inæquale. Voco *Inæquale*, (quod & ipſum nomen indicat,) quod compoſitum eſt ex inæqualibus partibus. Hoc ubi conſiderâris, alicubi ad oculum craſſius erit, alicubi tenuius & aquoſius, nec inter ſe ſimile, neque totum toti. Quod igitur mel ceram admiſtam habet, craſſum eſt, & exhibet craſſum quid. Id ipſum excrementoſum eſt, & inelaboratum, & concoctu difficile: contrà quod humidum eſt totum, & cui in diverſis locis innatant quaſi guttæ aqueæ. In quo verò vel ceræ qualitas, vel propoleos, vel aliûs rei guſtu percipitur, non ſolum non optimum dici debet, ſed & malum cenſeri. Nullius enim alterius rei quidquam habere debet permiſtum. Quare, neque quod thymum olet, præfero. Inelaboratius enim & hoc eſt, imò ne mel quidem, ſi accuratè loqui velimus, quamvis ſciam eſſe, qui hoc laudant. Quare quidam eorum,

rum, qui vendunt, tuſum thymum aſpergunt, ut odorem ipſius aſſumat, & videatur optimum eſſe. Ego verò, ut id, quod tam evidenter thymum olet, non laudo, ut neque id, cui thymus injectus eſt: ita non repudio, quod aliquatenus thymum præ ſe fert.

9. Eodem modo & lac nullam externam qualitatem habeat in odore, guſtu & ad oculum: ſed ſit dulciſſimum, quatenus mellis natura fert, continuum ſibi ipſi, ſplendidum, iterum quatenus natura animalis vult. Ante autem omnia ſimilare ſit, quatenus lacti licet eſſe. Perfectionem enim heic non admittit, quemadmodum mel optimum. Tale ut ſit, alimenta oportet præbere apta, & mediocriter exercere, & ſi fœtum alit, ablactare. Quod verò etiam in ſummâ ἀκμῇ ſtare debet, omnibus clarum eſſe poteſt. Curandum etiam eſt, ut benè concoquat, dimiſſis irriſoribus, præſcribamusne victum aſinis quoque? Si enim qui ſtudent colori Veneto & Praſino, naribus admovent equorum ſtercora, ut ſciant, quomodo illi conficiant alimenta, unde æſtimant bonum ſanitatis ſtatum: nos quoque, qui in hominis ſanitate occupamur, ſolicitos eſſe oportet de talibus, & herbas præbere non nimis humidas, & fœni & hordei tantum, quantum opus eſt. Sed nec illud negligere fas eſt, ut corpus aſini fricemus, mundemus, & abſtergamus. Si alvi excrementa ſint liquidiora, fætida & flatulenta, manifeſtum fit inde, quod non benè concoxit. Quare aut demere aliquid oportet cibariis, aut exercitia plura imperare, aut mutare qualitates aſſumptorum, aut frictiones, ſtrigilationesque alias inſtituere. At verò cum duriora excernit, ad contraria applicare oportet animum, & alium inter illa ordinem facere. Ego enim ſi omnia dixero, quæ pertinent ad animal, cujus lacte utemur, totam ſanitatis artem huc transtulero. Quare tempus jam non deſiderat ut diſſeram de iis, quæ alibi perfectè tradita ſunt. Igitur ad propoſitum redeo.

10. Iterumque produco ægrum & lotum, & lacte nutritum. Hunc igitur quieſcere ſinemus ad alterum uſque balneum, & fricabimus moderatè ſimul, & lautè, ſiquidem rectè confectum ſit lac præbitum, argumento ſumto ex ructibus & ventris tumore. Conveniens tempus à primo balneo ad alterum, horarum erit æquinoctialium quatuor aut quinque, ſi etiam tertium lavare voles: ſin minus, plurium. Lavabis autem ſæpius, ſi ille ſit aſſuetus crebrioribus balneis. Hi enim & appetunt, & juvantur frequentioribus.

11. Sed & ungemus oleo, antequam veſtes ſumat, ſemper poſt balneum. Conducit enim & hoc ad refectionem, quemadmodum & frictiones. Dicta autem omnium horum ratio in de Sanitate tuendâ. Nihil autem nocuerit repetiiſſe hæc ſumma capita. Sive enim cuicunque parti aquam moderatè calidam affuderis, ſive fricueris, ſive laveris, ſive quocunque alio modo calefeceris, videbis accidere, quod Hipp. ait de iis, qui calidâ aquâ perfunduntur. Primùm enim intumeſcit corpus, mox iterum detumeſcit. Quare, cum carnem gignere volumus in quovis corpore, eouſque calefaciendum eſt, ut in tumorem attollatur:

at ſi

at ſi diſcutere & diſſipare, tamdiu exſpectandum, uſque dum deſederit tumor. Oportet autem diligentem eſſe eum, qui præeſt hujusmodi actionibus, potiſſimùm, cum corpus reddere volumus. Diſcutiendi enim latum eſt ſpacium, ut, neque ſi velis, peccare poſſis: recorporandi, breve. Cum enim incipit attolli, jam tum quieſcere oportet. Hoc verò in ſingulis corporibus peculiare quid habet. Fieri enim non poteſt, ut qui nunc in ſermone propoſitus eſt æger, æque facilè intumeſcat, ut in ſano fit: ſed cum parùm ſe oſtendit tumor, ſubinde iterum diſparet. Oportet igitur attentum eſſe, ne tempus te decipiat.

12. Propterea cum fricas extremè gracilem, ſatis eſt ſolus rubor: cum lavas, modicè incaluiſſe. Si ultra perrexeris, reſolves potius quàm nutries. Ungendus autem fuerit poſt lotionem ideò, ne plus æquo per inſenſilem transſpirationem digeratur, ſed occludantur cutis pori. Hoc fiat ſubitò, quia ſiccitatis hæc medela eſt, & præbet oleum quaſi munimentum contra aëris injurias.

13. Lac ſi non abhorreat, detur etiam poſt alteram lotionem: ſin, ptiſſana optime cocta, aut alica, eodem modo præparata. Ubi iterum quieverit, rurſus in balneum proficiſcatur, aut ilicò ad cœnam. Panis verò exhibeatur illi coctus in fornace, purus, exactè aſſatus, fermenti & ſalis, quod ſatis eſt, habens. Obſoniũ ſintq; piſces ſaxatiles, aut aſellus ex jure albo. Quin & alæ & teſticuli gallorum lacte altorum commodi ſunt. His non præſentibus, ſylveſtrium utendum. Eodem modo & perdicum uſus eſſe poteſt, & avicularum montanarum, præſertim illarum, quæ molli ſunt carne. Contrà, paluſtres abdicandæ ſunt, & quæ duram habent carnem.

15. Summa, Caput alimenti eſt, ſit facile coctu & multum nutriat, lentoris omnis expers, minimè excrementoſum. Plurimùm inter alimenta, quæ nobis cognita ſunt, alit caro porcina: ſed non tam facilè coquitur, ut prædicta, & dat ſuccum viſcidum & craſſum. Neq; enim aliter habere ſe poteſt, quod primũ locum tenet inter alibilia: Retineri enim debet, & affigi fortiter, non diffluere præ tenuitate: interim tale huc non facit. Si enim alimentum ſeipſum concoquat, diſtribuatq;, & nutriendis partibus ſimile factum, agglutinetur iis, quæ copioſâ renutritione indigent: opus heic eſt cibis copioſè nutrientibus. Quia verò quod nutriri debet, non eſt aliud ab eo, quod conficit; ſed quod nutritionem vult, attrahit ſibi ipſi, mutat, coquit, agglutinat, & aſſimilat, duplici ſcopo intentum eſſe oportet in cibis: Alteri, quæ ſit natura cibi; alteri, quæ ſit facultas ejus familiaris & nativa.

16. Ex dictis clarum fit, quod neque id, quod plurimũ dat alimenti, ſit optimum corporibus illis, quæ indigent multo alimento: (non enim quod tale eſt, ſubitò etiã facilè coquitur:) neq; id, quod facile concoctu eſt, ſubitò etiã multũ alit. Contrarii enim cum ſint ſcopi, non oportet oblivisci alterius, dũ ſectamur hunc: ſed memores utriusque conjungere. Hujus præcepti ſemper memineris.

17. Poſt hæc de vini qualitate & quantitate tractabo, cujus heic partes

potiſſimæ. Hoc enim ſolo potu utendum eſſe dico in omnibus, qui renutritione indigent, ſi modò non febricitent. Sit igitur, ut exemplo rem declarem, vinum, quale *Sabinum* in Italiâ eſt, *Arſyinum* in Aſiâ. Atque ut typo definiam, adeoque toto genere, cætera quidem aquoſum, ſed cum paucâ adſtrictione. *Aquoſum* voco tenue & purum, & ὀλιγοφόρον, ut Hipp. appellabat. Id eſt, quod in miſturâ parum tolerat aquæ, hoc eſt, quod in hoc genere eſt infirmiſſimū & aquoſiſſimum. Quod enim fert multùm aquæ, validum eſt, & vehemens. Tale Hipp. vocavit *vinoſum*. Hoc tale cavere oportet, quippe quod debiles vires offendit. Convenit verò aquoſum & tenue, quod ultra quidem debilitatem aquæ eſt, ſed noxam vini non habet. Ex his judicium ferri debet de ætate & temperamento. Recens enim aquoſius & debilius eſt, ut in vinis: ſed & difficilius coquitur, & excrementoſius eſt: Viciſſim, quod vetus, & vinoſius & validius eſt, quàm ut conveniat iis, de quibus agitur. Ideò *generoſum Sabinum* ſtatim poſt ſexennium fit ineptum, infarciens plurimum, in ſtomacho & ventriculo borborygmos cauſans. *Generoſum* voco, tàm Sabinum, quam Adrianum, Albanumque. Ita & Arſyinum, & Titacazenum, & quæ alia talia. Dictum autem mihi ſeorſim eſt de vinis omnibus ubertim.

18. Ad hos veluti ſcopos reſpiciens judicabis, quantâ ſit opus aquâ pro temperando illo. Hoc conjecturâ aſſequêris exactè, ſi in numerato habeas capita vitiorum aquæ. Pendent autem omnia ex frigiditate ipſius, cujus culpâ & in hypochondriis moratur, & borygmos cauſatur, & flatuatur, & corrumpitur, & ventriculi tonum exſolvit, & propter hoc concoctiones facit deteriores. Sed nec adjuvat diſtributionem alimenti debito modo. Alioqui mala hæc aquæ virtutibus vini ſubcontrariam habent naturam. Neque enim inflant hypochondria, imò, ſi etiam aliquo modo diſtenta ſint, contrahent, neque morantur ibi, quod vina hæc moderatè calida ſint, & vias, per quas fit diſtributio, recludant, ipſa etiam ſimul impellant & deferant alimentum, adeoque hâc ratione promoveant celerem diſtributionem, boni ſucci ipſa, & attemperantia, nec non concoquentia, quæ in ventriculo & venis ſunt. Intendunt etiam vim inſtrumentorum, & excrementis viam ſternunt ad exitum. Hæc præ aliis etiam vinis diuretica ſunt, quod & ſuâ naturâ facilè pervadant corpus totum, & excrementa ſecum rapiunt impetu lationis.

19. Dictum quidem & alibi eſt pluribus de vinorum facultatibus, ut & de alimentorum. Et oportet eum, qui artem methodicè tractare velit, ſeorſim materierum omnium facultates ſcire, non autem in ſingulis morbis audire velle: ſed hoc ſolum nôſſe, curationis ſpeciem, unde convenientem victum hauriat. Ego verò non intermittam conſulere iis, qui Veritatis Studioſi ſunt, quin explicem hanc quoque doctrinam, ut ii, qui non ſatis exercitam habent rationem, ab univerſalibus deſcendere poſſint ad particularia, ab exemplis quaſi manu ducti. Quod igitur reliquum eſt, iterum reſumere par eſt.

20. Scopus quantitatis, in potu quidem fuerit primùm, ne fluctuet in abdomine, & ſenſum quendam agitationis excitet: in cibo autem, potiſſimum quidem, ſi fieri poteſt, ne gravet: hoc verò difficile eſt cavere, niſi etiā impoſſibile, in debili ventriculo, omnimodis. Alterum, ut ſedetur gravitas quamprimùm. Tertium, operam dare ne amplius cauſa accidat, à quâ diſtentio ejusmodi & flatulentia excitetur. Tale quid ſi interveniat primo die, altero auferre oportet proportionatum quid magnitudini ſymptomatis: Si verò inculpatè omnia gerantur, addere quid. Eodem modo tertio die aut auferre aut addere, comparatione inſtitutâ cum anteriori die. Atque ita ſemper, ſecundum legem & præſcriptum artis analepticæ ſeu renutritoriæ, pergere, imperando motus, geſtationes, ambulationes, pro proportione augmenti corporis, ſecundùm modum analepticum vocatum, qui neutiquam genere differt ab illo, quem nunc propono: ſed in eo tantùm, quod alibi de toto corpore dicetur, heic de ventriculo ſolo.

21. Hoc maximè evenit in morbis longis, cum humidum nativum ſingularum partium eò paucitatis redactum eſt, ut penè amplius nihil ſuperſit. Corporum enim ſolidorum ſiccitatem corrigere eſt in cenſu eorum, quæ fieri non poſſunt, ut & ſenectus, veluti l. de Maraſmo oſtenſum eſt. Humiditatem autem, quamvis tota perierit, reddere eſt inſtituto victu tali, de quo agimus.

22. In aliis igitur refectionibus nihil ſingulare paſſus eſt ventriculus: in propoſitâ autem nunc diſpoſitione morbus ventriculum occupavit. Verum tamen progreſſu temporis gracileſcit totum corpus, non rectè ſcilicet nutritum. Unde veriſimile fit, hos opus habere exquiſitiore diætâ, propter coctionis debilitatem. Quæ coctio cum tendit ad melius, ſenſim transferre oportet ad rationem vivendi, quæ ἀναληπτικὴ καὶ ἀνάθρεπτικὴ dicitur. Hæc occupata eſt in frictionibus frequentioribus quam anteà, & geſtationibus. Mutanda verò tum temporis ciborum & quantitas & qualitas, & dandi cùm plures, tùm validiores, quàm anteà. Temporis autem proceſſu, quo viciniores fuerint ægri ſtatui ſano, relinquere oportet ptiſſanam & lac, & ſorbitiones ex alicâ, transferre autem ad conſueta cibaria. Poſteà & piſces detrahere, niſi valdè familiares ſint illi, & volatilibus contentum eſſe, eſuque carnis porcinæ, incipiendo à pede ptiſſanæ incocto: deinde armus totus rectè ſumi poterit. Poſthæc & aliæ partes, & primum quidem victimæ juvenis, cum in hyeme ſumus, pridem mactatæ. Ultra enim id tempus facilius coquitur recenti. Cum in æſtate, ſufficit manè jugulatum eſſe, quod comedi debet veſperi circa occaſum Solis.

23. Tentandum enim ut ubique obſervetur id, quod anteà ſuaſimus, cum viſum fuerit veſperi fortius cibandum, (non eſt temerè mutandum.) Qui enim eo modo cibantur, commodis non exiguis fruuntur. Ipſe autem agnoſces, ubi mentem diligenter attenderis. Satius enim eſt rem deduxiſſe ex ipſis principiis. Quia qui ita ſe habent, multo egent alimento; non poſſunt autem concoquere ne temperata quidem: per intervalla & ſæpius cibandi ſunt. Propterea, non

ſufficit ſemel illos cibum accepiſſe,ſed neque bis ſatis eſt,quamdiu graciles ſunt. Hanc ob cauſam ter illis dare conſuevi. At poſtquam corpus ſic ſatis receperint,ſufficit bis dediſſe. Talem fas eſt eſſe primum cibum,ſiquidem benè confecerint, priusquam alterum ſumerent. Hoc verò non contingit in difficilioribus concoctu.Debet igitur primus cibus levis eſſe,ut ille quidem celerrimè coquatur in ventriculo,excrementa autem ſubeant ocyus,ut vacuum & purum ventriculum offendat alter.

οἰκονομία heic eſt ἀγωγή.

26. Sed enim quia non quies tantùm & ſomnus, ſed & longius tempus requirunt talem ordinem,rationabile eſt,tales cibos veſperi præbendos eſſe. Nimirùm omnes athletæ ita faciunt,ſuadente ita non ratione ſolum,ſed & diuturnâ experientiâ. Profectò, quod illi faciunt, faciundum quoque iis, qui ſunt ſub curâ analepticâ,& (inter alia) non bibere in cœnâ ſtatim, antequam cibus concoctus ſit. Innatat enim cibus ventriculo,ſi bibunt, nec deſcendit ad fundum, prohibente humiditate. At verò ſi ſitibundi ſint,& moleſtu eſt & inutile prorſus abſtinere: dandum igitur exiguum quid,ut & dolorem mitigare poſſit,& ſolari ſitim.Ubi concoctio facta eſt,bibant ad neceſſitatem.Qui enim ita faciunt, iis cibus feliciter diſtribuitur. Hi manè poſt ſomnum,ubi alvi excrementa depoſuerint,leviter inambulent,& modicè fricentur. Modica heic frictio eſt,ut corpus calefiat. Poſteà geſtationes inſtituendæ ſunt,mox iterum lavandum,fricandumque,idque ante meridiem,aut certè circa meridiem,ut idoneum ſit ſpatium inter hoc tempus & veſperam. Conclavium,in quibus æger per diem verſatur,habendam etiam rationem eſſe non levem, ne vel calidiora, vel frigidiora ſint, (notum eſt) quamvis nullus dixero.

27. Præter hæc ſi quæ alia ſunt,quæ quis per ſe invenerit,non ex his ſolùm progreſſus,ſed & ex libris de Sanitate tuenda,(non affero.) Victus enim analepticus eſt in medio librorum de Methodo medendi,& Sanitate tuenda. Quò minus difficile eſt ulli,medium accipere ex iis,quæ in utroq; opere dicta ſunt. Nam inter cætera,nec una victûs ratio omnibus conſueta eſt. Quidam enim ſemel comedunt,quidam bis.In tempore etiam eſt diſparitas Quidam enim maturius prandent: quidam ad veſperam uſque differunt.Eadem in cibis ipſis eſt Quidam enim piſces ferè deſiderant, aut omninò,quæ ex mari ſunt : quidam olera,aut omninò hortenſia: quidam fructus horæos dictos: quidam legumina: quidam nuces: quidam carnes quadrupedum: alii alias. Sic ex avibus quidam his,quidam aliis. Et ſanè caſeo,& lacte utuntur nonnulli, plerique caprarum aut vaccarum,alii etiam aliorum animalium. Bibunt etiam quidam calidum,quidam frigidũ.Et vinum alii multum,alii parum,alii ne guſtant quidẽ,aut tale,alii tale.

28. Singulos ducere oportet ad id,quod conſuetum illis erat.De conſuetudine ſcriptum eſt nobis ſeorſim accuratius: nunc ſufficiat hoc tantum dixiſſe, non ſolùm in victu analeptico,ſed & in morbis,ex conſuetudine peti maximam partem materiæ tàm alimentoſæ,quam medicamentoſæ.Ratio enim totam materiam ſuppeditare magis poteſt: materias autem ipſas,cùm ex iis,quæ dixi,tùm

ex

ex conſuetudine. Oportet etiam inſpicere naturarum proprietates. Novi enim quosdam, qui ſi ſub noctem aliquid egiſſent eorum, quæ per diem debebant, totam deinde noctem habuiſſe inſomnem. His igitur conſulere non oportet, ut de nocte laborent, ne propterea vigilent, lædanturq; inſigniter. Vigilia enim exſiccat totum corpus, ideoq; ex ſiccitate ægreſcentibus nocentiſſima eſt. Quidam etiam, quamvis deguſtent tantum ptiſſanam, nauſeant. Aliis in acorem corrumpitur facilè. Quod verò & carnes bubulas quidam non difficulter coquant, eſt aliquid eorum, quæ in proverbium abierunt, quemadmodum alii ad alios cibos, potusve melius aut pejus ſe habent.

29. Non ſolum ex his varii fiunt cibi, ſed & ex diverſitate temporum anni, locorumque, quod à multis ante me memoriæ proditum eſt. Ideò in transcurſu tantum heic de illis ago, ne quid intactum relinquatur. Quod verò omiſſum eſt ab omnibus junioribus Medicis, id explico. Benè quidem orſos eſſe illos curare morbos ex methodo veteri: non perduxiſſe autem ad finem, ut anteà quoque dixi. Quare revertor ad propoſitum.

30. Siccæ intemperies, ſiquidem afficiant ſolida corpora, & firmentur in aliquâ parte, ut nunc ſupponitur de ventriculo, perfectè nunquam curantur, neque redeunt ad priſtinam diſpoſitionem, quæ erat ante morbum: ſed, quod vulgo etiam dicitur, perſuaſo ab ipſâ rei naturâ, *Morbus corrupit ventriculum, & ad imbecillitatem pertraxit, totâ reliquâ vitâ duraturam,* id locum habet in his potiſſimum intemperiebus. Tales enim ſenilem habent ventriculum ante ſenium. Quare etiã facilè læduntur à quibusvis cauſis, non minus quàm ſenes, nec benè coquunt, ex quo totum corpus pejus habet. Ita etiam, ſi alia quædam pars laboret. Si ipſum ſit cor, præproperè tabeſcunt. Hunc maraſmum Philippus vocat *Senium ex morbo.* Hic maraſmus brevi accelerat mortem: ab hoc, qui ab hepate incipit: poſteà, qui à ventriculo. Qui verò à reliquis partibus, tantò tardius, quò ipſæ partes minus principales ſunt iis, quæ dictæ ſunt. Quæ verò parumper ſiccant cor, citò quidem ſeneſcunt: durant tamen ad multos annos, præ illis, qui valdè læſi ſunt. Poſt cor quibus hepar affectum eſt, aut ventriculus, ut dictum eſt, aut quævis alia pars, proportione quâdam ſupervenit mors.

31. In his victus in genere idem eſt, cùm in hac ſiccitate, tùm in illâ, quæ depopulatur humiditatem illam, quæ ſolida nutrit, & præterea tertiâ illâ, de qua in ſuperiore ſermone. Quæ ex his quarta eſt, ea omnium facilimè curatur, illa, inquam, in quâ vaſa orbantur humoribus ſuis. Imò hic morbus curatur ad eum modum, quo frigidus habitus potius quàm ut ſiccitas. Atque, ut clarius dicam, frigiditatis hic ſcopus primus eſt, & in eo ſolo periculum cubat: ſecundus ſiccitatis. Inde fit, ut curatio & promta ſit & feſtina. Intra enim biduum, ſi quis accuratus ſit in victu calefaciente ſimul modicè, & tutò reficiente, tertio ſtatim die victum poſtulant pleniorem, ſed cautum. Multò autem magis quarto & quinto. Et hoc erat ab Hipp. dictum: *Quæ longo tempore extenuata ſunt, ea ſenſim reficere oportet, quæ pauco, ea pauco quoque tempore.*

COMMENTARIUS.

32. Hoc cap. inconſultò abruptum eſt à ſup. Agens enim de octo intemperiebus, à quibus partium debilitas, ſiccam facit quadruplicem, quod monuiſſe ſufficiat. Ut etiam illud de abuſu adſtringentium in hoc caſu, §. 2. Ib. inchoat curationem benè longam cujusdam ἀτροφοῦντος, quam ego non repetam, ne ſimilis fiam malis concionatoribus, qui in talibus oſtentant ſuam tolutiloquentiam.

33. Tamen monebo particulatim, quid ex diſcurſu hoc benè longo exſpectandum ſit τοῖς φιλομαθέσι. §. 3. inſtruit Medicum, quale debeat eſſe conclave, in quo balneandus ſit æger. §. 4. qualis aqua, & quæ incommoda tàm à frigidiori, quam à calidiori. §. 6. & ſeq. de lacte aſinino præcipit, &, ſi ita contingat, humano. Et quia lacti miſcendum eſt mel, enumerat dotes optimi mellis, §. 8. His §. 9. ſubjungit dotes optimi lactis, quale cum habeat aſinus optimè ſanus, de ejus curâ aſpergit quædam. §. 10. præſcribit, quid ſit agendum poſt balneum & lactis uſum. §. 11. præſcribit terminum balnei. §. 12. idem facit de frictionibus. §. 13. & ſeq. de univerſo ægri victu agit. §. 17. de vini qualitate & quantitate tractat. Et quia meracum locum non habet, §. 18. de temperamento aquæ ratiocinatur.

Imò cap. ſeq. §. 6. ait, ἄμεινον eſſe αὖθις εἰπεῖν περὶ τῶν ὄντως ἀναγκαίων. Prior modus loquendi eſt etiam c. 12.

34. §. 20. incipit evagari in doctrinam analepticam. Interpellatus fortè à quodam, Cur tu hæc loco alieno? reſpondet animoſè, οὐδὲν κακόν. Videtur autem reſpicere ad Hippiæ accuſationem apud Platonem, ubi non vult Socratem dicere *eadem de iisdem.* Ego utar pro me, qui eandem cantilenam audire cupio, *Tu toties ſcribis de iisdem.* Dicam enim οὐδὲν κακόν. Imò verò plurimum boni eſt inde. Quemadmodum enim Socrates lucrabatur cives ſuos toties ingeminando Juſtitiam: ita ego, ſpero, pudefaciam ſophiſtas, quibus Veritatis nullus adeò ſenſus, ut etiam conſpuant illam. Addo verò hoc quoque, *Tot occaſionibus urgeo rem unam, ut ad plures dimanet.*

35. §. 23. tractat quæſtionem illam, Si bis ſit cibandum, utro tempore & plus & fortius alimentum, dandum? Tractavi ego quoque 5. Inſtit. 28. & concluſi pro cœnâ. Jam video Galenum quoque accedere ad partes meas. Hic tenet me præcipuè illo argumento, Athletas quoque id facere in ſuâ illâ ἀναγκαιοφαγίᾳ, ut alibi appellat. Ego aurem pervello Medicis noſtris, qui nefas eſſe putant contradicere conſuetudini Noricæ, quæ prandio ſoli adjudicat carnes bubulas, averſatur in cœnâ. Eadem ignorantia eſt in braſſicâ, quarum illam, quæ nigra dicebatur olim, Köhl vocant, & pro cœnâ ſervant, utpote teneriorem. Memini me lecto ægri aſſidere, & uxorem quærere, quid in cœnâ deberet edere? Quid habes in culinâ? inquam ego. Ein welſch Köhle/ reſpondit. Ubi ego converſus ad ægrum, qui literatus erat, Non habet locum. Non minus enim ἀγαθὸν

facit

facit in ventriculo, quàm braſſica. Tum ille, Elegans verbum! ſed quid ſignificat? Pugnam illam, quam Galenus deſcribit *cap. de Braßicâ*, inter partes calidas & frigidas. Illa animadvertens, quid agatur, Ey/es iſt Welſch/inquit: Cui ego, und wanns gleich Spaniſch wäre! Decipimini à Medicis veſtris. Hinc ego publicè vapulavi nomine ruſticitatis.

36. Heic quoque illud quæritur, *An bibendum ſit inter paſtus?* Mercurialis & alii ſuſtentant ſe hoc loco. Sed reverà Galenus loquitur de iis tantùm, qui ſub Analepticâ ſunt. Benè ſani debent abſtinere.

37. Quidam ineptè quærunt, ubi agendum ſit in Medicinâ de Conſuetudine? Galenus quidem nullibi, quod ſciam, diſertè definivit: at ex h.l. ſatis colligitur, pertinere ad Diæteticam. Quemadmodum igitur hæc inſervit, tàm τῇ ὑγιεινῇ, quàm τῇ θεραπευτικῇ: ita conſuetudo eſt apex omnium ſex rerum non-naturalium. Hoc docuiſſe 5. Inſt. 40. ut non pœnitet me: ita id ipſum indigitâſſe heic §. 28. Galenũ planè perſuaſum habeo, cum transſcribit illam τῇ ἀναληπτικῇ.

38. Quæ ſequuntur, pertinent ad prognoſes intemperierum.

CAPUT VII.

1. SCiendum eſt, quod ſiccitates ſolidorum corporum, ſi diutius durent, neceſſariò excipiat refrigeratio. Siccitas enim talis per ſe ſubſiſtere non poteſt, integrâ combinatione, quæ eſt inter calidum & frigidum. Ocius enim ex defectu nutrimenti partes refrigerantur: nutritio enim fit ex ſanguinis calido humore. Sed, ut ab initio dixi, ſiccitatis curationem inſtituimus nunc illam, quæ ab initio ſola fuit, & poſteà duravit diu, non jungente ſe illi notabili frigiditate. Proximum igitur fuerit copulare illi frigiditatem, quæ evidentia quidem habeat ſigna, ſed non inſignia.

2. Itaque ſcopus curationis non amplius erit ſimplex, ut prior ille. Non enim humectatio tantùm indicabitur, ſed & calefactio. Attentione igitur opus ſit ad materias auxiliorum, necubi per ignorantiam humectantibus miſceamus generoſè calefacientia. Simul enim talia valdè exſiccant. At verò quouſque ſe extendat noxa, quæ ab utrâque intemperie procedit, manuducere nos poteſt ad inventionem materiæ. V.g. Intenſiſſimæ quidem ſiccitatis curam jam ſcripſi: modica non indiget tantâ accuratione, quandoquidem neque debilitas in extremo eſt.

3. Neque enim aliunde eſt difficultas curationis in valdè auctâ imbecillitate, quàm, quod indiget quidem renutritione, alimentum autem ſe ipſum adglutinare non poteſt, ſed opus habet opifice, parte ipſâ, quæ debilis eſt. Hæc igitur cum modicè ſicca eſt, cæteroquin facultas non prorſus periit: uberior permiſſa eſt cibatio, nec periculum eſt erroris. Nos ideò ad difficilimam intemperiem reſpicientes, exercemus diſcentes in illâ, veluti in exemplo. Hinc enim progreſſi ipſimet, invenient materias pro curandis intemperiebus mediocribus.

4. La-

4. Laboret igitur etiamnum quis eâ intemperie, quæ dicta eſt: jungatur autem illi ſiccitas. Tantum igitur calidorum miſceamus iis, quæ dicta ſunt, quantum pars refrixit. Supponatur autem prius, mediocrem eſſe frigiditatem. Superaddemus igitur anteà dictis, in lactis quidem uſu plus mellis: in vini autem idem quidem genere, ſed minus adaquatum, idque etiam vetuſtius. Ipſa etiam cibaria ſint calidiora, non temperamento ſolum naturali, ſed etiam vegetis facultatibus. Unguento nardino aſſiduè madeat abdomen, nec unquam ſit ſiccum. Hoc ſi non adſit, maſtichinum ſuccedat. Sed & opobalſamo utemur, modò ſolo, modò cum dictorum aliquo. Quod ſi velimus adhærere cuti, ceram admiſcebimus. Si aër ſit frigidus, lanam unguentis imponemus. Sed & maſtichen Chiam in opobalſamo lævigantes, vel unguento nardino, illo inebriatam lanam imponemus ventri. Melius fuerit, ſi imbutum optima purpura ſit, qualis eſt Tyria. Nam & adſtringere illam oportet, & obſtruere poris cutis. Quæ enim rarefaciunt & laxant, diſcutiunt, ſimulque cum frigidis externis faciunt, ut partes facilius patiantur: quæ verò vehementer adſtringunt, ſiccant. Unde eſt, ut neque medicamentum diſcuſſorium debeat eſſe valdè calidum, neque multùm adſtringere.

5. Recordare eorum, quæ in ægris vidiſti, nec non eorum, quæ in libris pharmaceuticis didiciſti, quod qualitas acerba facultate ſuâ propriâ refrigerat & ſiccat: miſta autem alii valdè calido, compoſitum facit minus calidum altero, non minus autem ſiccum utroque. At noſtri Medici contrarium faciunt, ſæpè offerentes parti ſiccæ & malè altæ compoſitum ex calido & acerbo. Non eſt autem ullum acerbum moderatè adſtrictorium. Unde fit, ut neque moderatè ſiccet. Abſtinere igitur â talibus oportet in propoſitis diſpoſitionibus. Si verò refrigeratio ſit fortior ſiccitate, ut cogamur plus calefacere, primùm tibi in memoriam revoca ſpeciem intemperiei. Dictum enim eſt de illâ, difficilimam eſſe omnium. Proinde declarabis illam pro contumaciſſimâ, & multâ accuratione indigâ: abſtinebis autem ab iis, quæ dicta ſunt, cum ſpe, te longiori tempore, & remediis certioribus expugnaturum diſpoſitionem.

6. Certiora autem hæc ſunt. Melius enim eſt iterum dicere de iis, quæ in rei veritate neceſſaria ſunt. Maſtichen quam pinguiſſimam læviga in unguento nardino, & exceptam purpurâ applica. Melius autem eſt ammiſcere opobalſamum, ſi in promtu ſit. Dare etiam mel oportet in copiâ, cum lacte prius deſpumatum, quò & minus excrementoſum ſit, & valentius alat. Sed & ipſum per ſe ſolum coctum (& deſpumatum) alimentum eſt præſtantiſſimum ventriculo frigido, ut contrà inimiciſſimum calido.

7. Utriusque hujus meminiſſe vel maximè oportet, quod Medici, neque uti poſſint melle in frigidis ventriculis, neque fugere in calidis. In hac igitur diſpoſitione frequentiſſimus cibus eſto, mel quidem optimum, ſuper carbonibus quernis aut viteis, lucido igne ita deſpumatum, ut planè nihil ſpumæ ſuperſit:

vinum

vinum autem tantò vetuſtius, quò frigiditas potentior. Et ſi opus ſit mutâſſe totum genus, Adrianum quidem primo eſto loco, Tiburtinum autem ſecundo, vel huic ſimile aliquod, ſed & ipſum vetuſtum, verùm non eò uſque, ut amarum jam ſit. Talia enim plus æquo deſiccant.

8. Præ omnibus aliis in hoc genere præclariſſimum medicamentum eſt id, quo picatores ſubinde utuntur. Oportet igitur imponere toti ventri ceratum, atque antequam refrigeretur, vi avellere. Hoc ſufficit feciſſe bis quoque die; pluries non oportet. Diſcuties enim ſic, non implebis bono ſanguine partem. Nos autem diſcutere nolumus ſanguinem in viciniâ: ſed plus attrahere. Hoc medicamentum eſt admirabile in omnibus partibus atrophiâ laborantibus, ſi quis ſciat moderatè uti. Etenim calefacere ventriculum, non auctâ qualitate, ſed ſervatâ temperie ipſius nativâ in ſubſtantiâ ſuâ, non poſtremus eſt ſcopus in diſpoſitionibus ejusmodi. Hoc potiſſimum præſtat vinum intrinſecus cum tali diætâ, quæ dicta eſt: extrinſecus puer benè carnoſus juxtà dormiens, ita ut abdomen contingat. Quidam caniculas pingues eidem uſui deſtinant, non tantum in morbis, ſed & in ſanitate.

9. Hæc igitur talia conveniunt illis quoque, qui ob ſolam ſiccitatem debilem habent ventriculum. Quâ in re antè omnia ſciendum eſt, ſi puero uti velis, ut cutim ille habeat ſiccam. Qui enim madidam ob ſudores nocturnos, is refrigerabit potius quàm calefaciet. Nocent & calida fomenta his talibus. Quæ enim ſicca ſimul ſunt, depaſcuntur ſimilarium corporum humiditates: quæ humida, diſcutiunt easdem, maximè, ſi frequentius utamur, præterquam quod valdè rarefaciunt, & frigori obnoxium reddunt. De his igitur intemperiebus hæc quoque ſufficiant.

COMMENTARIUS.

10. A ſimplici intemperie ſiccâ venit ad compoſitam cum frigiditate, quam ita explicat, ut nemo bonus quidquam jure deſideret, niſi fortaſſis hoc, quid melli ſubſtituendum ſit? Nimirum, apud Veteres mellis uſus alimentarius latiſſimè patebat, & res ita erat limitata, In frigidis ventriculis & naturis commodiſſimus eſt: in calidis contrà. At verò quia diſcernere calidos à frigidis tàm erat Medicis difficile quàm quod difficilimum, ut §.7. dicitur; & propterea ſæpè errores committebantur: quid faciendum eſt nobis? Quid fiat, in propatulo eſt. Certè, uſum mellis non minus deſeruimus in his affectibus quàm uſum aquæ frigidæ in febribus, Danda eſt opera, ut utrumque remedium reducatur in uſum.

CAPUT VIII.

1. DEinceps in ſiccitate notabili, quam ſupponimus, miſceatur caliditas non ejusdem gradus. In hâc permutatione ſit cura prima, ne intendamus aut facultatem vini, aut copiam mellis: ſed potius ut demamus, hac uſi ratione

ut mel quidem vix feriat ſenſum, vinum autem in primo vetuſtatis gradu ſit. Cibos autem offeremus tepidos, ſi hyems ſit, quos γαλακτώδεις vocant Græci: tempore autem æſtivo, quos κρηναίους. Ventriculum inungemus oleo omphacino aut melino ſeu cydoniato. Multò autem magis, ſi calor ſit ſubintenſus, vinum dabimus aquoſius, tale, qualis eſt aqua fontana in medio vere, perſuaſi, quod diſpoſitio hæc eſt analoga febri. Quod enim in febri eſt vel in toto corpore, vel circa cor: in hâc diſpoſitione eſt in ventriculo.

2. Vidi ego olim, cum præceptores ſequerer in praxi, virum quendam conſiſtentis ætatis, jam per aliquot menſes vexatum ita: ſed neque illi cognôrunt, neque ego. Poſteaquam autem inveni methodum medendi, recordatus ſum illius, quod olim videram. Melius autem fuerit recenſere. Omninò enim proderit & audientibus, ut mihi quoque. Homo erat 40. annorum, habitu medius inter craſſum & gracilem, quando benè habebat. Tunc valdè ſitiebat, calidos cibos averſabatur, frigidos nemo illi dabat, quamvis valdè obſecranti. Febricitare quidem Medicis non videbatur. Ventriculus, poſt tres aut quatuor horas, unà cum potu, rejiciebat aſſumta. Propterea jam gracileſcebat, & proximus periculo, nihil adjutus ab auſteris & acerbis tàm cibis, quàm medicamentis. Sumebat poſt cibum vinum auſterum. Hic, cum nec ſitim amplius ferret, & conſtituiſſet mori potius quàm conflictari cùm talibus ſymptomatis, cum multum aquæ frigidæ poſt cibum confertim ingurgitâſſet, ſubitò quidem ſitis ceſſavit, evomuit autem paulò poſt plurimam aquam. Inhorruit inde toto corpore, & opus illi fuit pluribus tegumentis, cum priora omnia rejeciſſet. Quod igitur reliquum erat illius diei, quâ id contigerat, & totâ item nocte, in quiete manſit fovens ſe ſtragulis. Sed & alvus ſemel excrevit mediocriter conſiſtentia, circa mediam noctem. Quare die ſeq. ſitim non habebat, longè coloratior & agilior quàm anteà. Conſultabant autem Medici, an balneo eſſet locus? Quidam ajebant, quidam negabant. Vicit autem ſententia ajentium. Cum benè ceſſiſſe balneum, modicum cibi ſumſit, & ventriculus felicius coxit, quàm pridiè. Conqueſtus autem eſt de difficili deglutitione, cujus rei cauſam referebant omne ad inconſuetum vomitum, à quo & irritatum ſit os ventriculi, & dolore affectum. Et quia ſymptoma manſit etiam proximis diebus, paruit inde omnibu nobis imbecillitatem quidem ventriculi curatam fuiſſe: os autem ventriculi refrigeratum. Neque dignum admiratione fuit, ad ſymmetriam perveniſſe ha potione quod ſupercalefactum erat: refrigeratum autem, quod mediocriter calebat. Sed neque poterat quis curare os ipſius ventriculi, niſi permutato morbo in morbum, quo mortuus eſt tandem.

3. Alium quendam huic ſimilem multis annis poſt vidi, cum jam dignoſcere didiciſſem omnes ventriculi intemperies. In hoc viſum eſt mihi ſtatim, antequam vehementius extenuatus eſſet, tentare ſimile quid priori, refrigerare potentius ſcilicet. Tutius igitur viſum fuit experiri primum refrigerantia, quæ hy-

pochon

po chondriis applicantur. Hoc facto, æſtus quidem ventriculi remiſit: ſed reſpirabat inſtar gemebundi, quaſi difficulter thoracem moveret. Sed & ipſe interrogatus dicebat, ſe tale quid ſentire. Statui igitur refrigeratum illi eſſe diaphragma, &, abjectis refrigerantibus, embrocham conſului ex oleo calido. Cujus uſu cū reſpiratio ad rhythmum naturalem rediiſſet, ſuſpendi quidem perfuſionem, conſtitui autem moderatius refrigerare & longiori tempore. Extrinſecus igitur refrigerantia inferius magis impoſui, diſcedens à diaphragmate ad umbilicum. Omnia igitur tàm eſculenta, quàm potulenta, excepto lacte, dedi frigida, eo gradu, quo aqua fontana eſt. Et ſic pedetentim reſtitutus eſt, nihil amplius læſus.

4. Scire autem te oportet ante omnia, ſi quæ pars vehementer alteretur in utrâque qualitate, perit opus ipſius totum: non facile autem redit ſic diſpoſitum ad naturam ſuam. At verò ſi alterutra fortius mutetur, quemadmodum nunc de ſiccitate ſtatuimus, alterâ moderatè ſe habente, fieri poteſt ut talis ſanitatem recuperet.

COMMENTARIUS.

5. Poſt brevem curationem calidæ & ſiccæ intemperiei ventriculi, duas refert hiſtorias, in quarum alterâ malè ceſſit curatio, in alterâ benè. Obſervanda autem prognoſis eſt, quam ſubjicit. Si utraque qualitas intenſè ſit læſa, deſperatio eſt, ſin altera quidem fortis, altera debilis, ſpes aliqua ſupereſt.

6. Quo loco id admonendum fuerit, Galenum ſuperare omnes penè Practicos. Quis enim illorum novit, in intemperiebus iſtis compoſitis unam eſſe curandam ante aliam, adeoque fieri, ut unâ curatâ altera, poſſit occidere? Quis item conſiderat, non ſemper eſſe æquales gradu? ſed unam in 1. vel 2., alteram in 3. vel 4.

CAPUT IX.

1. SUpponatur igitur iterum, Prædominari quidem calidam intemperiem: miſceri autem illi, aliquando humiditatem, aliquando ſiccitatem, utramque non magnam, ac prius humiditatem. Hanc intemperiem minore cum periculo curabimus aquâ frigidâ, quia non afficiuntur ab eâ partes vicinæ, alioqui benè habentes, In ſiccitate enim neceſſariū eſt, non propinquas tantū fieri graciliores, ſed & totum corpus: Ventriculo autē nondum exſiccato (id enim præſupponebamus) fieri non poteſt, ut totū corpus attenuetur, cū ne lædatur quidem à frigidæ uſu. Si vero contingat, caliditatē ventriculi tantoperè excreviſſe, ut cor contingat, neceſſariò febricitabit homo. Quò minus mirum eſt, majus quoque ſubeſſe periculum: interim curatiò in genere eſt eadem. Dicetur autem illa in

febrium curatione. Sed caliditas cum ſiccitate, fit quidem genere iiſdem : ſed minus periculoſus eſt uſus refrigerantium, propter cauſas à me dictas.

2. Humida intemperies ſi ſola ſit, omnium facilima eſt curatu, præ illâ, quæ vel cum caliditate, vel cum ſiccitate. Hæ tres intemperies quia crebrò prehendunt ventriculum, & ſunt curatu faciles, harum curationis ſemper meminerunt ii, qui ſine methodo curant morbos, & aliis intemperiebus accommodant, quaſi neſciant, quod plures ſint.

3. Alioquin humiditatis ſolius auxilia ſunt cibi ſicci, ſed ſine valido vel calore, vel frigore, prætereà abſtinentia à conſuetis potibus.

4. Quæ verò humiditas cum calore eſt, præſidium habet ab adſtringentibus cibis, potibusque. Sint verò hæc auſtera abſque calore. Quæ verò cum ſiccitate, illius optima remedia ſunt omnia acria. Miſceantur autem illis auſtera ea, quæ ſunt ſine manifeſtâ frigiditate. Convenientiſſimus & his eſt parciſſimus potus, & hic viri fortiter calefacientis. Manifeſtum autem eſt, quod hoc non debet eſſe recens. Sint autem his proportionalia & eſculenta, & potulenta, & omnia foris aſſumta.

CAPUT X.

1. ET quia de his quoque dictum eſt ſatis, rurſus orationem ad initia redigentes, colligamus capita ipſius. Calida igitur intemperies refrigeranda eſt: frigida autem calefacienda. Sic, humida quidem exſiccanda : ſicca autem humectanda. Si facta ſit aliqua combinatio, miſcere oportet ſcopos, humidam & calidam ſiccantes & refrigerantes : humidam & frigidam ſiccantes & calefacientes. Sic etiam ſiccam & calidam humectantes & refrigerantes. Sciendum autem eſt, peſſimam inter omnes eſſe, in ſimplicibus quidem ſiccam : in compoſitis autem ſiccam & frigidam. Et heic quidem finis eſto ſermonis intemperierum ventriculi, non affluente extrinſecus humiditate aliquâ extrinſecâ.

CAPUT XI.

1. DEinceps ad eas, quæ propter tale quid fiunt, tranſeat oratio. Sæpè enim in ipſâ ventriculi cavitate contentus humor quis, aut calefacit, aut refrigerat, aut humectat, aut ſiccat illum, aut per combinationem quædam horum facit. Aliquando in ipſas tunicas (ut quis dixerit) imbibitum aut impactum quid facit intemperiem. Prior igitur diſpoſitio, ſi ſemel confirmata ſit, per vomitum expurgata, conquieſcit facilè : ſin rurſus ex aliâ parte, aut aliis partibus confluxerit, accuratâ indiget diſcretione. Hanc ſtatim ſequitur curatio cauſæ efficientis.

2. Dictum enim nobis eſt, cùm alibi, tùm in lib. de Diff. febr., quod ſæpenumero ſuperfluitas quædam affluit ex aliis partibus, ut (ſi ita contingat) ex capite in oculum. Ibi oportet curare partes, quæ transmittunt, & conſulere tantùm tono oculorum, ne quid recipiat eorum, quæ affluunt ipſis. Sic oportet in ventriculo, ubi inveneris partem mandantem ſuperflua, omnem curam illi afferre : ventriculo autem proſpicere eatenus, ne facilè admittat excrementa.

3. Hoc fieri, puto, duobus modis: Uno, qui eſt communis omnibus fluxionibus,

bus,cum ſiſtitur adſtringentibus: Altero,qui & ipſe comunis eſt partibus,quatenus ad bonū habitū reducuntur ſub mediocritate temperamenti. Oportet igitur primū quidē conſiderare totum corpus,abundétne excrementis, an potius plethoricū ſit? unde ſuperfluorum copia ad ventriculum: deinde autem, ſi hoc non ſit,inſpicere oportet ſingulas partes.Quod ad totū,didiciſti ſigna & plethoræ,& cacochymiæ,partim ex l.de Pleth.partim ex opere de Sanitate tuenda.

4. Addere verò hæc etiam conſultum eſt,primum in mulieribus,an purgatio menſtrua ſuccedat? deinde autem in viris,an conſueta ipſis vacuatio ſubſtiterit? Multis enim per hæmorrhoides fit: aliquibus per hæmorrhagias narium: aliis per alium quendam locum,cum certis periodis vas quoddam illis aperitur. Novi,quibus id accidit in ore,aut faucibus.Novi,quibus per alvum ſanguis certis intervallis vacuatur, iis maximè,qui valida depoſuerunt exercitia, cum eodem victu uterentur. Item,quibus artuum aliquis abſciſſus eſt, ut Hipp. quoquo ſcripſit.Quibusdam diarrhœæ ſupervenêre,aut choleræ,quæ certo tempore vacuant totius corporis excrementa.

5. Hos interrogare oportet,quo genere victûs uſi ſint? Utrum ſæpius cruditatibus laborârint? an potius frequenter ſe ingurgitârint? otioſi fuerint? maximè,ſi præter conſuetudinem horum quid fecerint? aut contrà? Deinde & hoc conſiderare,An pars quædam alia, certis temporum intervallis, laborârit, quæ nunc non laboret? Nonnullis enim arthritis eſt moleſta,aut iſchias,aut podagra: aliis cephalæa,aut fluxio oculis irruens, auribusve, quæ nunc translata eſt in ventriculum: aliis iterum frequentes catarrhi ingruunt, aut coryzæ; quæ aliquando transponuntur in loca ventriculo vicina.

6. Hæc omnia conſiderans,ſi translatio ſit facta ex minus principalibus,ad illa revelles excrementum: ſi ex principalibus,utrique parti conſules: præcipuè intentus in cauſam efficientem. Hoc fiat,ſemper ſtudentibus nobis, ut partes omnes ad evexian transferantur,ſimulque excretiones omnes naturales promoveantur.His quomodo potiatur quis,ſignificatum eſt in lib.de Sanitate tuenda. Manifeſtum eſt autem, ſi ventriculus fluxionem recipiat ob plethoram totius corporis,totum corpus ſit vacuandum,quemadmodum, ſi ob cacochymiam, illa ſit purganda,& ſic ad ventriculum veniendum. Omninò enim ſi pluribus diebus commeavit eò fluxio,jam comunicavit aliquid mali.Quare,ſi quis ita laboret,tempeſtivè biberit abſinthii dilutū.Hinc tu intelligis,quæ debeat eſſe alia providentia,donec ventriculus priorem habitum recuperet. Pro diverſitate enim humoris fluentis ſi ventriculus fiat intemperatus,indiget contrariis remediis,ut corrigatur.Hoc facilius fit,ſi intemperies ſit paucorum dierum. Si verò ob conſilii inopiam duret longiore tempore,aliquando tunicæ illius imbibunt cacochymiam.Fit etiam ut ſimilare ipſius corpus fiat valdè intemperatum,ſimili indigeat curâ,qualis jam dicta eſt.

7. Jam hoc reſtat,ut diſſeramus,quomodo curanda ſit cacochymia,in tunicis ventriculi concepta? Pro hac diſpoſitione in promtu ſunt medicamenta, genere

quidẽ moderatè purgantia, ut ne aſcendat vis eorũ ultra ventriculũ & inteſtina, aut ſi omninò, non ultra meſenteriũ: in ſpecie autẽ huc faciunt, quæ ex aloë fiunt, ut & aloë ipſa, ſi illa non adſit. Illota igitur ſatis benè purgat; lota autẽ minus quidem purgat, ſed roborat magis ventriculum. Oportet igitur præparatam jam habere ab omnibus dictam πικρὰν, idque dupliciter, ex aloë tam lotâ, quàm illotâ. Miſcetur autem illi Cinam. Xylobalſ., aſar., ſpica nardi, crocus & maſt. ex Chio. Sint autem ſingulorum horum dr. vj: ſolius autem aloës 100. Hoc medicamentum eſt optimum in imbibitis ventriculi tunicis vitioſis humoribus. Præſtat autem uti ſicco ex aquâ, duorum cochl. parvorum doſi, cum conſtitutum eſt nobis moderatè purgare. Cum enim plurimùm & perfectè, non parvorum, ſed magnorum duorum cochl. potio eſt, in aquæ temperatæ cyathis tribus. Minima autem doſis eſt unius cochl. parvi. Hoc tempore uti etiam fas eſt cremore ptiſſanæ, ſumendo ſtatim à balneo. Purgans detur conſueto tempore: poſt quod ubi modicè inambulârit & ſe moverit, in reliquo victu nihil mutetur. Alii reponunt, excipientes melle deſpumato. Quomodo fit quidem curabilius: ſed non æquè bonum ad propoſitas nunc diſpoſitiones. Minus enim roborat Ventriculum, magis purgat.

8. Cum viſcida pituita ventriculo eſt impacta, præmittenda ſunt illi, quæ incîdant illam: deinde ſic purgandum. Si verò æger ad vomitum ſit habilis, nihil obſtat, quò minus vomat à rhaphano ex oxymelite. Si humor non ſit viſcidus, craſsúsve, ſufficit vomitus ex ſolâ ptiſſanâ, ut & ex mulſâ. Oportet autem utriusque major copia ſit, quàm vel alimenti gratiâ ſumeretur, vel purgandi. Convenit & mulſa, cui abſinthium ſit incoctum, ſi bibatur. Nam & hæc benè ſubducit tenues humores per inferiora, qui in ore ventriculi natant. Totus hic ſermo de intemperie communis eſt nobis cum illâ parte Sanitatis tuendæ, quâ de actionum imbecillitate, non autem illâ, quæ de abolitis & depravatis. Diviſa enim hæc à ſe invicem. Debilis enim actio pertinet ad ὑγιεινὴν potius quam ad θεραπευτικὴν, cum illa curet exiguum impedimentum, hæc inſigne. Terminus enim utriusque eſt, à conſuetis actionibus vel abſtinuiſſe omninò propter læſionis magnitudinem: vel non omninò.

COMMENTARIUS.

9. Heic ſtatim ingens ſe objicit curſus, quæ ſit intemperies illa cum humiditate? Certè, hactenus nihil tale vidimus. Ne longum faciam; Apud Galenum & in rei veritate, intemperies nudæ ventriculi ſunt duplices, hæ quidem à cauſis externis: illæ autem ab internis. Utræque iterum ſunt duplices. Illæ vel à neceſſariò nos alterantibus ſunt, & ſunt ſex res non-naturales: vel non neceſſariò, quas ablegat Hipp. in inquiſitione cauſarum. De illis egit Galenus hucusque. Hæ ſunt ab aliis morbis, quos διαδοχὰς ἢ διαδέξεις vocabant veteres, & ſunt

ſunt morbi conformationis in viis laxioribus. De his jam incipit agere Gal. Sunt autem hæ quoque duplices: Aut enim innatat humor, qui influxit, cavitati ventriculi: aut impactus eſt tunicis. De utroque caſu agit Galenus & docet, Humorem, qui innatat, procul dubio vacuandum eſſe, fortaſſis per vomitum, qui impactus eſt, per aloën & aloëtica. Hæc tantò nobis majori curæ eſſe debent, quò ignotiora ſunt omnibus Practicis, mihi etiam in Inſtit. juxtà & χε. παθολ. Non ita Galenus, è quo ex h. l. depromenda ſunt. Hoc ſcribo publicè, quia DEUS ſolus eſt ἀναμάρτητος: ego, cum omnibus hominibus, multipliciter erro.

10. Propter hanc cauſam quæro, quis ex omnibus Inſtit. διαῤῥήδην expoſuit limitem, qui eſt inter duas ſummas Med. partes. Atqui Gal. fecit extremo hujus cap. Adde locum ex 1. Sanitatis tuendæ 1.

CAPUT XII.

1. DE his quoque dictum eſt de Sanitate tuendâ. Quæ cauſa eſt, cur citius nos abſolvere debeamus, quod perfecta jam ſit univerſa methodus, quo modo curanda ſint intemperies ventriculi, ſive in ἕξει illæ ſint, ſive in σχέσει. Clarum eſt, quod miſta quoque ſit quædam intemperies, præter dictas tres ſimplices, cum partes quoque ſolidæ intemperatæ ſunt, humoresque pravi ineluibiliter infixi, ne dicam, cum quidam in cavitate circumfluunt. Fieri enim poteſt, ut primum cum ſecundo ſit: nec minus, ut ſecundum cum tertio: iterumque ut primum cum tertio: & non raro omnia ſimul. In quibus memineris methodi anteà traditæ ex l. de Ulc., diſpoſitionum omnium, quæ conjunctæ ſunt: interim nihil mali, ſi denuò de illo diſſeram.

2. Conſidera igitur mihi in ejusmodi complicationibus, primum quidem à quo ſit ægro majus periculum? Deinde, quod ex illis, aut potius quæ habeant rationem cauſæ? & quæ ab illis proficiſcantur? Tertiò, quæ antè quæ curari poſſint? quæ non poſſint? Hoc in ulceribus oſtendimus illis, quæ cum inflammatione ſunt. Ibi à quibusdam diſpoſitionibus non leve periculum eſt, quare ab urgente principium eſt faciendum. Ubi aliud efficiens eſt, aliud factum, cauſa eſt ſpectanda. Ubi hoc curari non poteſt ante hoc, ibi ordo.

3. In eo igitur, quod urget, ſcopo inſpicienda eſt magnitudo diſpoſitionis. Eſt autem magnitudo triplex, 1. dignitas partis affectæ. 2. Propria eſſentia diſpoſitionis. 3. Præter hæc, facultas læſum corpus regens. In ſcopo autem, qui ad cauſam, contemplandum, quid inter diſpoſitiones complicatas invicem poſſit vel augere reliqua, vel gignere, aut etiam, quæ ab illis incrementum capiunt & generationem. In illo tandem, qui ad ordinem, quid ante quod, quod cum quo, quod poſt quod curari poteſt.

4. Ex hypotheſi igitur defluat ex cerebro in ventriculum ſuperflua quædam humi-

humiditas, eaque frigida, & propter hanc ſuborta ſit intemperies ventriculi; amplius verò pravi ſucci occupârint ſimilares partes totius corporis ventriculi. In hujusmodi complicationibus intemperies eſt dignitate major, quia etiam nativa temperies ſuperat: ratione verò propriæ eſſentiæ, quodcunque tale fuerit in ægro propoſito. Iterum ex hypotheſi, quod ad rem præſentem, inter tres illas diſpoſitiones potentior ſit illa, quæ humores tunicis impactos præſupponit. Hi ipſi (ſi ita vis,) morſum cauſentur, & propter morſum deliquium animi, ſudoresque cum exſolutionibus ſyncopalibus, quod ſymptoma tantò gravius eſt aliis, quò ſuperior eſt facultas. Hinc patet, primam ſolicitudinem eſſe debere ejus, quod facultati inimicum eſt. Poſt hanc alteram eſſe debere propriam ſubſtantiam, quandoquidem præſuppoſitum eſt majorem eſſe aliis, ad quã ſe ſubitò convertat aliquis, & primum curet. Syncope ſic ſatis ſedatâ, nec jam tantoperè moleſtante, maximè, ſi acres humores non ſint copioſi: tunc ad cauſam accedemus, certi, non poſſe curari perfectè ullam diſpoſitionem, manente cauſâ ipſius efficiente.

5. Ordo autem curationis, aliquando quidem, ut in inflammatione & ulcere, contrarium ſuadet, (oſtenſum enim eſt, quod quæ inflammationem curant, ulcus faciunt majus;) aliquando autem non obeſt alteri diſpoſitioni, ut in noſtrâ hypotheſi. Qui enim expurgat è cavo ventriculi humorem contentum, fomentum ſubtrahit illis, qui tunicis infixi ſunt. Eodem modo, qui cerebro medetur, ne colligat in ſe redundantiam ſenſibilem, quaſi fontem exſiccat fluxionum ad ventriculum. In his ordo curationis eſt idem cum ordine cauſarum, etiamſi in aliis differant.

6. Quod verò à magnitudine, definire oportet, ut diximus. Primùm enim ei, quod maximum eſt, accommodare oportet materiam auxiliorum. Deinde pro cauſarum ordine rem inſtituere totam. Ubi enim neque copia excrementorum circa ventriculum ſit, tàm eorum, quæ in cavitate, quam quæ in tunicis; ubi etiam acrimonia abeſt facultati moleſta: primò omnium cerebrum expedire oportet: mox cavitatem ventriculi exonerare & exſtergere, ab hoc tunicas liberare; tertiò, intemperiem tollere. Singulorum remedia dicta ſunt anteà, ut non ſit opus prolixiore ſermone, ſed finis imponi debeat huic libro. Alias enim aliarum partium intemperies proportionaliter ventriculo curare oportet. Semper enim contrarium diſpoſitioni oportet auxilium offerre, & addere indicationem eorum, quæ prodeſſe poſſunt, petita ex naturâ partis affectæ. De quâ dictum quidem eſt anteà, dicetur autem fuſius in ſeq. Neceſſarium autem fuerit & nunc paucis meminiſſe.

COMMENTARIUS.

7. Hoc unum ex præcipuis cap. eſt, in quo traduntur indicationes complicatæ, ubi diſpoſitiones ſunt complicatæ, quo modo in illis procedendum ſit, Quid

ante

nte quod? Quid poſt quod? Quod quia Gal. explicat, dextrè & eruditè, non opus habet Paraphraſte vel me, vel alio.

CAPVT XIII.

1. PRima ſanè indicatio eſt à temperamento loci affecti, quæ menſuram præſcribit caloris, frig., hum. & ſicc., ut & ſecundùm combinationes quid faciendum. Altera eſt, omnibus animalis partibus commune quoddam opus eſſe, h.e. facultatem quandam in commune conferre. Tertia conſiſtit in conformatione ipſius. Et quarta in ſitu, cujus pars eſt ſocietas & communicatio cum vicinis. Ad hæc omnia, quantum quælibet ſentiat, Dicetur quidem in ſeq. de ſingulis: nunc pauca quædam indicabimus.

2. Quæcunque partes naturâ calidiores ſunt, ſi contingat refrigerari, indigent calore majore & diuturniore: ſic frigidiores ſi calefiant, opus habent frigore. Eodem modo de ſiccitate & hum. ſe habet. Neceſſe enim eſt, ut ſingula ad um caloris gradum perveniant, in quo erant, antequam ægreſcerent, peragratâ quaſi viâ quâdam retrorſum uſque ad terminum mutatonis. Viciſſim, cum pars alidior naturâ laborat morbo calido, brevi & minus diuturnâ indiget refrigeratione. Ita frigidior caliditate. Eodem modo in ſicc. & hum. Pauca enim & levis in ſtatu præter naturam fit in his mutatio: quare etiam reditus talis in ſtatu ecundum naturam. Ideò minus periclitantur illi, quibus morbus eſt familiaris.

3. Hinc manifeſtum fit, quod intemperies etiam conjugatæ tantam habeunt latitudinem viæ in reditu ſecundum naturam, quantam habebant in exitu. ic ergò indicatio oritur remediorum à temperamento partium affectarum. Ex o verò, quod ratione actionis vel utilis ſit omnibus animalis partibus, vel pauis quibusdam, vel ſibi ſoli, in iis intemperiebus, quæ absque humoribus ſunt, ihil ex hoc ſcopo ſumitur. Nam & calefieri & refrigerari, & humectari & ccari (& ſic in combinationibus,) ſingulas partes oportet, pro ratione morbi. amen in iis, quæ cum humoribus ſunt, ſi pars ſibi ſoli operetur, vacuabis confienter, prout diſpoſitio ſuaſerit, non poſthabitis viribus. Si verò opus ipſius ſit eceſſarium omnibus animalis partibus, qualis eſt ventriculus, hepar: non exiuam habere rationem toni partis, ne exſolvamus illum copioſâ vacuatione. ommune verò opus eſt venarum quoque & arteriarum, cordis, thoracis, reum, veſicæ tàm bilariæ, quàm urinariæ, cum vaſis ipſarum. Cerebri autem pus, dum ſani ſumus, neceſſarium nobis eſt ad actiones voluntarias eorum inrumentorum, quibus illas obimus: non neceſſarium autem, cum ægrotamus, um enim non niſi reſpiramus: aliis autem inſtrumentis non agimus, cū neceſſis hæreat tantum in miniſterio vitæ, quod demandatum eſt pulmoni, aſperæ areriæ & faucibus. Ex his talibus quàm celerrimè removendum eſt ſuperfluum, uomodocunq; volueris. Ex ventriculo autem & hepate, non ut ſors tulerit, ſed um curâ, ne facultatem læſeris. Et quia non eſt perinde, quàm facultatem

Bb offen-

offendas, quia alia eſt aliâ præſtantior, oportet diverſimodè proſpicere tono. Maximum igitur opus cum cordis ſit, & maximè neceſſarium ægris, cerebri autem, quo ad vitam, æquè præſtans: non tamen egent ægri æquè magno robore. Neque enim omnes omnibus operantur nervis, & muſculis. Ideò tantum ſoliciti ſumus de cerebro, quantum opus eſt illo ad reſpirationem. At verò hepatis actio omnibus neceſſaria eſt partibus, ſed non pariter ac cordis. Proportione reſpondet ventriculi actio.

4. Ubi igitur didiceris omnium partium actiones, uſusque, alibi demonſtratos, non difficulter invenias, ad quem uſque terminum cuſtodire oporteat uniuscujusque tonum. Ita etiam, quæcunque partes aliis præbent principia facultatum, harum tonum ſervare oportet, pro proportione uſus facultatum, quatenus ſerviunt partibus. Didiciſti verò de partibus, de quibus loquimur, cerebrum, cor & hepar, quod cerebrum nervis & muſculis principium præbet: cor arteriis: hepar venis. Sed hæc longius abeunt.

5. A conformatione oritur indicatio, quo modo vacuanda ſint excrementa, hoc ſcil. Vomitu & per alvum ventriculus: inteſtina ſolis illis, quæ deorſum abeunt, ut & ſima hepatis: renes, veſica & gibba hepatis, ubi magnus eſt proventus vitioſorum humorum, per medicamenta, quæ vocamus ὑπήλατα καὶ καθαρτικὰ; ubi non ita magnus, per diuretica. Cerebrum, per palatum, nares & aures. Thorax & pulmo per aſperam arteriam, & fauces. A ſitu capietur indicatio non exigua in intemperiebus partium ſolidarum, non minus in copiâ pravorum ſuccorum. Ubi enim partes in ſuperficie ſunt intemperatæ, offeremus medicamenta, quibus opus eſt. Ubi in profundo, ratiocinando veſtigabimus ſpatium.

6. Si enim utatur talibus, qualibus oportet, valdè debilitata pervenerint ad locum affectum. In vacuationibus enim ſitus coindicat quid, nimirùm communicationem loci affecti cum aliis. Niſi enim noverimus, quod ſima hepatis incumbunt ventriculo, & jejuno inteſtino; quod item jejunum eſt contiguum tenui, hoc iterum colo, hoc denique recto: non poterimus aſſequi, quomodo expurgari quidem poſſit & venter, & hepar per vomitum; commodior autem ſit vacuatio prior, quod inteſtina vel quaſi ſciant, commendata ſibi eſſe ſuperflua hepatis.

7. Non minus notabilis eſt indicatio, quæ ſumitur à partium vel acri vel obſcuro ſenſu. Quæ enim parum ſentiunt, tantùm non contemnunt omnia medicamenta, quantumvis mordacia: quæ acuti ſunt ſenſus, facultatem perdunt præ dolore. Hinc adeò fit, ut non audeamus accedere ad ea, quæ vel confertim, vel ſemel vacuant: ſed quæ ſenſim & tutò. In iis autem quæ difficulter ſentiunt, poſſumus celeriter rem abſolvere, ſemel adhibentes conveniens medicamentum. Sed ut dixi, iterum plenius agetur de Indicationibus à parte affecti ſumtis, tum vid. cum præcipiemus de tumoribus præter naturam.

COM

COMMENTARIUS.

8. Quod ſine cap. promiſerat, id ſtatim exſequitur. Huic contiguum eſt, quod §.2. Quale ſit id, quod pars vult? Contrarium omninò: non verò quodvis, ſed quod ſuprà dictum fuit Simile. Tu puta, ut calido in ſecundo opponatur frigidum in ſecundo. Et ſic deinceps. Hujus præcepti ratio tàm eſt evidens, ut repeti non debeat.

9. §.3. novam proponit diſtinctionem, ab aliis parum animadverſam. Eſt autem illa, ut diſcernantur partes nobiles ſeu principes ab ignobilibus ſeu miniſtris, ut ego loqui velim, ſi ita vis, quæ publicum ſeu commune officium habent, ab iis, quæ privatum tantùm. In his non eſt opus ulteriori curâ: in illis opus eſt ſummâ accuratione, ut tonum illarum conſervemus. Hoc præceptum adeò cordi fuit Arabibus in doctrinâ purgantium, ut pro ſingulis ſingula commenti ſint correctoria, quæ in Officinalibus meis diligenter excuſſi.

10. Heic inclamare cogor Galenum, qui ſatagit heic pro triplicitate animæ ſuæ: ſed, ut leniſſimè dicam, corruit cum onere ſuo, cum ventriculum admittit. Poſſem multa dicere, ſed loco alieno. Quorum loco habe tibi pauca illa, quæ ſcribo in tractatulo illo, qui titulum habet, Collatio doctrinæ de animâ, &c. ad Henricum Conringium. Si non ſufficiunt pauca iſta, habeto tibi integrum Com. 2. tr. de Thorace.

11. Incipit texere catalogum partium, quæ excrementis exitum dant: verùm, deſiderantur multa, quæ ſupplere oportet ex tract. noſtro de Humoribus.

Finis Lib. VII.

METHODI MEDENDI LIB. VIII.

CAPUT I.

1. JAmque adeò tempus fuerit docere, quomodo quis methodicè curet *Febres*, quæ ſunt in cenſu Intemperierum in nobis, de quibus ſuperiori libro. Quod igitur, O Eugeniane, Natura noſtra conſtet ex calido, frig., hum. ſicco, unde factas partes ὁμοιομερῆ vocat Ariſtotelis, ſingulari demonſtravimus libro, in quo de Elementis ſecundum Hipp. Quod autem alterari quid in cal. frig., hum. & ſicc., aut harum qualit. copulâ, ſit ex differentiâ partium ſimilarium, l. de Temper. doctum fuit. In illo autem, quod eſt de diff. morb., monſtratum eſt, duo eſſe morborũ genera, alterum commune ſimilaribus & diſſimilaribus, (λύσιν ἑνώ-

τικῶς vocamus) alterum proprium, conſiſtens in intemperie calidi, frig, hum, & ſicci. Sunt autem intemperies quædam ſimplices, quædam compoſitæ.

2. In oppoſitione igitur calidi & frig. ſunt duæ intemperies ſimplices, Una illarum, cum caliditas tantoperè augetur, ut lædatur actio ipſius: altera, cum frigiditati tale quid accidit. Sic in hum. & ſicc. At verò cum miſcentur inter ſe, conſtituunt quatuor alias intemperies, humidam & frig.: hum. & cal.: cal. & ſicc.: frig. & ſiccam.

3. Has intemperies quæ generent cauſæ dictæ ſunt in alio volumine. Eſt autem harum ſpecies quædam *Febris* cum calor tantoperè intenditur, ut & moleſtet hominem, & actiones lædat. Horum neutrum ſi adſit, etiamſi pars multò ſit calidior ſe ipſo: nondum febricitare dicemus. Et quia nihil eorum, quæ in nobis præter naturam accidunt, ſive ſpeciale id ſit ſortitum nomen, ſive generale, non eſt extra corpus noſtrum, v.g. inflammatio, pleuritis, morbus, hæc tria, fiunt in uno ſubjecto, Dione, ſi ita ſors tulerit; oſtenſum autem eſt ſingula hæc habere ſuam indicationem, non minus quam illud, quod in illo ſpecialiſſimè eſt: ideò conſultum mihi viſum eſt, ſeorſim agere de febrium differentiis, ut legentes quaſi in numerato habeant omnes: itaque heic finem habeat oratio, nec opus ſit refutatoriâ.

4. Age igitur, revocemus nobis in memoriã ſumma differentiarum capita, ut ex ſingulis capiamus propriam indicationem. Una igitur febrium differentia eſt, cum vel etiamnum adeſt cauſa efficiens, vel jam deſiit. Altera eſt, cum calor vel jam tum hecticus eſt, vel nondum, & ſcheticus tantum eſt. Nimirum facilè ſolubiles morbos dicunt eſſe ἐν σχέσει: contrà, non tales, ἐν ἕξει. Et concedendum illis eſt, ut, clarioris doctrinæ gratiâ, ipſas etiam febres vocent ἑκτικάς, quæ non facilè curantur, veluti σχετικάς illas, quæ facilè. Ita dici poteſt febres quaſdã eſſe ſimiles ligno à Sole calefacto: quaſdã ab igne ita tactas, ut fument, & fumum emittant

5. Hæ igitur ſunt primæ febrium differentiæ, quas ubi junxerimus cum generalibus indicationibus, iterum redeamus oportet ad ſpeciales. Prima enim indicatio, ut à morbo, pertinet ad omnem febrim, tollenda eſt. Secunda, ut à tali morbo, non jam ſimpliciter tollendam eſſe jubet: ſed per hæc. Secundùm enim intemperiem febre laborantiũ, neceſſe eſt curationem ipſius eſſe ablationem intemperiei. Omnis autem intemperies per intemperiem contrariam curatur. Nam & hoc dictum eſt anteà. Ergò febrilis immoderantia curabitur per immoderantiam contrariam. Eſt verò intemperantia febricitantium in abundantiâ caloris propterea reditus febricitantium ad temperiem nativam per frigida fiet.

6. Igitur, ſi febris jam ſit in facto eſſe, cauſa etiam faciens tranſierit: ſolus hic fuerit curandæ illius ſcopus, refrigeratio. Reſtabit igitur, ut inquiramus in materias, quæ habeant refrigerationem ejusdem gradus cum contrariâ caliditate At verò ſi adhuc in fieri ſit, h. e. ſi cauſa duret: hanc tollere oportet. Sin partim facta ſit, partim fiat, diſcendum conjecturâ eſt, quouſque ſit progreſſum utrum-

que

que. Tum verò auferenda cauſa eſt incentiva: poſteà exſtinguendum illud, quod fomitem incendio præbiturum ſit. Quæ igitur cauſæ febres gignant, & in quâ corporis diſpoſitione, niſi quis exactè ſciat, nunquam methodicè febrim curarit.

COMMENTARIUS.

7. Prima ſtatim verba quaſi fulmine proſternunt Titanas iſtos, qui ex merâ ignorantiâ dicunt, *Febres eſſe nudas intemperies.* Alias rationes non affero, contentus jam ſolâ autoritate. Ex iisdem obliquè doceo, l. 1. de Nat. hum. non eſſe librum, in quo Hipp. demonſtrârit numerum quaternarium Elementorum. Verum eſt, fuit hæc ſententia Hipp., quæ etiam Ariſtotelis eſt: quia in eâdem ſcholâ eruditi fuerunt ambo. At illud ſomnium de 4. humoribus, tantum abeſt ab Hippocratis, reique VERITATE, quantum Mendacium à Veritate. Hinc ſumo etiam hoc Corollarium, Liber Hipp. ille tantum diſcedit à libris Galeni de Temp., quantum terra abeſt à Cœlo. Idem dixi ſuprà de lib. Gal. de Fac. nat. Profectò Gal. planè heic ſui oblitus eſt, ut alibi deduxi.

8. Reliqua ſatis clara ſunt, niſi fortè lumine indiget *ἡ ἰσόῤῥοπ ψύξις.* Uno verbo eſt Contrarium ſimile, de quo ego jam toties. An ſub *ψύξει* latet & *ἡ ὑγρανσις?* Si enim Galenus ſuprà rectè docuit, in intemperiebus compoſitis non eſſe ſatis, ſi curetur alterutra: rectè etiam docebo ego, in febribus non eſſe ſatis, ſi calor febrilis exſtinguatur, oportet etiam curetur ſiccitas. Hoc enim firmiter teneo, febrim omnem eſſe intemperiem calidam & ſiccam. Nos igitur quia calorem ſolum reſpicimus, mirum non ſit, cur febres pleræque deſinant in maraſmum, & occîdant.

CAPUT II.

1. Dictum eſt, *τὴν ϛέγνωσιν* (obturationem pororum cutis) facere febrim in iis, in quibus tranſpiratio dicta inſenſilis non eſt vaporoſa, qualis eſt in bono habitu præditis: ſed mordax, acris, fumo ſimilis, aut fuligini. His talibus ſaluberrima ſunt balnea aquarum dulcium temperatarum, & frictio rarefaciens, & exercitia modica, & victus, è quo dulcis fiat ſuccus: (uno verbo, ſanguis, ſecundum naturam habens.) Contrà, adverſiſſima ſunt balnea frigida & aluminoſa, abſtinentia omnimoda à balneo, exercitium vehemens, frictio aut nulla, aut dura, victus cacochymus, vigilia, ira, triſtitia, cura, ardor Solis, labor. De reliquis iterum agam: de ſtegnoſi autem nunc, unde oratio initium habuit, id habendum pro certo eſt, ſolam, & ſine omnibus aliis, poſſe producere febres.

2. Si igitur quis ſit talis naturæ, de quali dictum eſt, & tu prohibueris illum

à familiaribus balneis,facilè febricitaturum. Vidiſti enim fortaſſis intereà, dum Romæ mecum commoratus es,quoſdam, qui admirabilem ἀδιάγνωστον ſuperandam cenſent eſſe,in maligniſſimas febres præcipitâſſe ægros, cum licuiſſet illis ſtatim,ac primus ingruiſſet paroxyſmus, in balneum illos mittere, & lotionem imperare frequentem,ſi delectentur,non ſemel tantùm,ſed bis. Ego ſanè,dimiſſis omnibus aliis,illius ſolius meminero, qui cum laviſſet in aquâ aluminoſâ, qualis Tyberina eſt,& Albula vocatur ; ex hujus enim uſu cum denſati eſſent pori cutis,cœpit febricitare. Suffecerit enim propoſuiſſe hunc in oratione exempli loco,ut res fiat clarior. Aderant autem viſitantes ægrum Medici non incelebres,quorum alter Eraſiſtratéus erat,alter Methodicus. Utrique videbatur in inediâ (triduanâ) continendum eſſe. At cum nos,digreſſis illis,ſuperveniſſemus,non admiſimus conſilium,ſed ſtatim in balneum duximus,&,affuſo oleo tepido in copiâ,fricuimus molliſſimè,& in labro aquæ calidæ juſſimus ſedere ſatis diu. Egreſſum aquâ frigida,ſecundùm conſuetudinem, perfudimus. Tum ſindoni involutum ſedere aliquandiu juſſimus, recuperandarum virium gratiâ. Quo facto iterum duximus in balneum,& eodem modo unctum,frictumque in calida aqua detinuimus. Deindè eductum,frigidâque aſperſum, & abſterſum cibavimus,ſtatim quidem ab egreſſu, & poſtquam aquam bibit, ſucco ptiſſanæ : mox autem interpoſito modico ſpacio, lactuca, poſt quam ex ſimplici albo jure,piſcium aliquid dedimus ex eo genere, quod teneras habet carnes,quales ſunt ſaxatiles omnes,& inter hos dicti aſelli. Fortaſſis melius ſit, ne quid deſit orationi, omnia adſcribere.

3. Quod ad anni tempus, quo iſta patrabam,erat paulò poſt Caniculares. Æger ipſe circiter 35.annorum,colore nigellus,habitu gracilis,piloſus,ad tactum manifeſtè acri calore,cum valeret. Urinæ abundè flavæ, acres, ſi quando cibo abſtinuiſſet. Alvus perpetuò ſicca. Excrementa pauca,acria,exſucca. Quod ad animi mores, iracundus & cogitabundus, pauci ſomni, perpetui de vigiliis queſtus. Hic cum alibi eſſet,negotiorum ſuorum gratiâ, uſus erat Albulis in vicinia. Circa horam ſeptimam,ut ajebat, ter,aut etiam quater lotus erat, ſperans inde aliquid boni. Inde in villam profectus,& cibum ſumſit, & parùm dormivit. Rediens in urbem ſero veſperi,balneoque commodo deſtitutus, per noctem illam febricitavit. Hunc viſitantes medici manè circa horam tertiam,juſſerunt, abſtineret cibo,non illo tantum die,ſed & ſequenti tota,ut viderent,quid tertia nocte futurum eſſet. Cum hoc dicto abierunt. Nos igitur lavantes illum,& cibantes,ut dictum eſt,domeſticis imperavimus, Si ſub veſperam redirent illi,diceretur illis,quieſcere herum, non eſſe cur heic ſtarent, redirent altero die. Cum diſceſſiſſent,nos iterum & lavimus eodem modo, & cibavimus,poſteà ſomnum capeſſere juſſimus.

4. Redeuntes igitur illi poſtero die manè, cenſuerunt, abſtinendum tunc quoque eſſe,etiamſi febris periculum nullum. Hoc promittente ſe facturum,

quod

quod vellent,ſcis tu quidem quis riſus obortus ſit,euntibus illis : & de quo certiores ſumus facti,poſtquam paulò poſt eò venimus ? Scis verò etiam , quid acciderit circa ægrum ? Quia (dicebam) ſanus bis lavare conſueveras, Medici verò inediâ te mori volunt, id verò totum concedendum illis non eſt : tamen putem illis aliquid concedendum eſſe. Quod cum non intelligeret ille,ſed putaret, me conſulere illi, ut lavaret quidem , ſed non bis, & paratum ſe eſſe ad omnia, quæ vellem ; Ergò, inquam ego, neque inediâ amplius te macera, neque bis lava. Nam & laboràſſe videris jam per triduum , & incaluiſſe plus æquo ſub Sole. Ideò & propter laborem , & propter exuſtionem, duobus balneis oportet de addere tertium,mihi parentem.Promiſiſti enim.Ubi ſubridens ille : Gravia quidem tu imperas, inquit, ſed quia promiſſis ſtare æquum eſt, faciam, quod jubes. Quæ verò in poſterum egerint Medici,& quàm irriſi fuerint,nôſti. Bis enim laverat,& poſt prandium meridiatus fuerat. Circa occaſum Solis venit è domeſticis quidam,nuncians Medicos adeſſe. Ille verò ſimulabat ſe dormire,ac veſte injectâ ad parietem converſus,ne obſervarent ſe vinum bibiſſe, amicorum cuidam in mandatis dedit, quid reſpondendum eſſet Medicis, ſi quid interrogarent.

5. Volebat autem illis dici primùm vulgare illud,illum cum diligenter contectum,obvoluto etiam capite,viderent, Quâ horâ paroxyſmus invaſiſſet ? Reſpondente igitur amico,Nondum integram horam abiiſſe ; interrogant iterum, Quo modo ? Cum frigore an cum horrore ? Cum horrore,dicente illo,tangunt hominem,præ riſu & operimentis jam ſudantem.Laudantes igitur illum,quod obtemperâſſet illis, & nihil peccâſſet ante tertium paroxyſmum. Propterea enim,dicebant,jam ceſſavit horror,apparetque ſudor,& mult⁹ circa cutim mador. Hæc non contigiſſent, niſi à cibo àbſtinuiſſes , & τὴν διάτριτον ita transegiſſes. Mandàrunt igitur familiaribus,abſtergant madores, ſi qui ſe oſtenderint,ſolicitè,antequam refrigeſcerent,redituros verò ſe dicebant manè, ne tunc quidem relinquentes mandatum de cibando poſt ſudorem ægro. Videbantur enim illis horæ nocturnæ breviores, & ſatius erat illis, altero die manè nutrire illum.

6. Abeuntibus,ſudore diffluxit juvenis, & ita ut veſtibus opertus erat,cucurrit in balneum,& tertiùm lavit,ſumſitque cibos eoſdem, Tertio die, ante acceſſum Medicorum,commodùm exiit domo,ne illum deprehenderent. Paulò poſt venientes illi,& audientes,quod æger proceſſiſſet,mirabantur inter ſe,quid coëgiſſet illum exire,qui proximo triduo nihil cibi ſumſiſſet ! Profectò, ſi hâc ſolâ injuriâ afficerentur ægri à Medicis, quod per tot dies lecto continentur , cum poſſint, absque etiam intempeſtivâ illâ inediâ, multò citius ad conſueta opera redire : erat certè hoc quoque ſatis grave. Verum longè gravius eſt,quod accidit.

7. Ejusmodi enim naturæ quia difficilimis tenentur febribus, ſi tali regantur

tur victu, Medici nihil mihi videntur differre à carnificibus. Non enim ut calidi & humidi cum in ejusmodi febribus tolerare coguntur infelicem διάτριτον, hoc ſolo miſeri ſunt, quod fruſtrà terunt tempus: ita hæ quoque naturæ. Sed in longioribus inediis tenentur febribus vehementiſſimis & acutiſſimis, quæque degenerant in hecticas facilè, & ex his iterum in maraſmum retorridum, περιφρυγῆ Græcis dictum, aut, ſi os ventriculi ſit valdè ſenſile, in ſyncopoſum.

8. Talibus Medicis ſæpè audiviſti me in os dicere, præſtare illis ſignificari ſine ambagibus, quantoperè peccent, cum ejusmodi naturas inediâ macerant, (tantum ſcil.) ac ſi benè ſanos etiam per biduum ſine cibo eſſe velint. Experientia enim docebit illos, quod ſubitò febricitabunt, non ob aliam cauſam, quàm famem. Qui enim alioqui de nullo alio conquerebatur, neque accidit intereà aliquid aliud à cauſis externis: ille ſine dubio ab inediâ febrem incurrit. At enim, quia non unum, duosve ſic affectos, ſi nihil cibi ſumant, nec lavent, febricitare videmus, nulla penitus ſuſpicio alia ſubnaſci nobis poteſt, ab aliâ cauſâ eſſe, quam ab hac. Quibus enim temperamentum ſiccum potius quàm humidum eſt, & calidum potius quàm frigidum, his habitus quidem corporis gracilis eſt, piloſus & niger: ſi verò tangas, præ aliis tribus intemperatis, calidior etiã. In his bilis eſt copioſa, urina & alia excrementa valdè tincta, pulſus magni, ſomnus brevis, ira vehemens. Quamobrem rectè dictum eſt de iis ab Hipp., cùm qualis debeat eſſe univerſum victus eorum, tùm quæ & qualia ſymptomata prævaleant in illis, non ſolùm ſi per totum diem jejunent, ſed & ſi prandio abſtineant.

9. In 6. enim Epid. ſcribit, *Calidæ naturæ refrigeratio, potus aqua, quies.* In libro autem de Victu acut., quem quidam inſcribunt de ſententiis Cnidiis, de iis loquens, qui intermittunt conſuetum prandium, mentionem etiam facit hujusmodi naturarum, πικρόχολες vocans ab humore ſuperante. Sic autem dictio habet: *Sed & qui conſueverunt bis comedere de die, ſi non prandeant, debiliores ſeipſis fiunt, & ſegnes ad quodvis opus, cum dolore oris ventriculi. Videntur enim illis quaſi ſuſpendi viſcera, mingunt que calidum & flavum, alvi excrementa amburuntur. Quibusdam & os amareſcit, oculi apparent cavi, tempora ſaliunt, extrema frigent.* Hæc cum præmiſiſſet, ſubjicit alia quædam de cœnâ & ſubſequente nocte. In fine ſermonis ait, *Dictos πικροχολες difficilius ferre, ſi cœnent tantum, ut & inediam, quàm alii homines,* explicans unam tantum ejus libri partem, quæ de victu, neglecto ſermone univerſali, qui in Epid. Refrigeratio enim, quam in calidis naturis conſuluit, fit quidem etiam aliis modis, ſed præcipuè oblatis cibis frigidis.

10. Quibus enim *Calidum innatum* ſqualidum eſt & acre, ſi durius ab initio morbi tractentur, in his oblati cibi faciunt, ut mitius appareat, & minus mordax. Planum autem eſt, cibos hos debere eſſe exquiſitè boni ſucci: non quod parum alimenti dent, quamobrem ſæpè dicuntur prorſus non alere, ſed quæ plurimum boni in ſe habeant, Sunt equidem quodammodo tales malva, braſ-

ſica,

ſica,beta,lactuca,& (breviter) olera omnia, & fructûs quidam,quod contineant in ſe aliquid ſubſtantiæ alimentalis : ſed, quatenus talia, paucum, multùm contrà inutile. Sic in pane puro,ovis, carnibus, farre, quod nutrit, copioſum eſt,pauciſſimum,quod non tale. Si verò,præterquam quod non nutrit,& inutile eſt,habeat facultatem acrem,aut acidam, aut acerbam, aut amaram, aut omninò pravam,non tantùm exciderunt jam cenſu propriè dictorum alimentorum,ſed & facultatis medicamentoſæ quid habent.

11. Tales igitur ægros nutrire oportet talibus alimentis,quæ nec facultatem medicamentoſam ſenſilem ullam habent,nec multum alimentoſam. Nam & hoc in vitio eſt,ſi crebrius uſurpetur. Primùm enim neq; in ventriculo accuratè coquuntur. Sed neque ſi ventriculi actio ſit ſuperior,illa coctio,quæ in venis fit, laudabilis eſt. In hac verò etſi non magnoperè peccetur:tertiã tamen,quæ in ſingulis partib⁹ celebratur,ubiq; benè ſuccedere difficile eſt. Accidit & hoc,oportere,ſi corpus fiat ſeipſo calidius & ſiccius, alimenta quodam̃odo refrigerare & humectare. Quare optimus eſt cremor ptiſſanæ,optimè coct⁹,ſine ullo ambitioſo condimento. Poteſt enim refrigerare,humectare,& à ſiti præſervare hominẽ, præterea nullũ moratur excrementũ,ſive vaporoſum ſit,ſive humidũ,ſive ſiccũ.

12. Voco autem *vaporoſa*, quæ per cutim exire ſolent: humida,quæ per veſicã urinariam: ſicca,quæ per inferiorem ventrem. Nomina hæc illis pono à ſubſtantiâ prædominante in illis. Quod verò nullum ex his ſiſtet ſuccus ptiſſanæ,clarum eſt. Excrementa enim per ventrem inferiorem vacuanda, ab adſtringentibus tenentur: per veſicam,& cutim univerſam, ab iis, quæ infarta ſunt meatibus, & fortiter adſtringentibus,quæ acerba vocant. Ptiſſana autem neque infarcit,neq; adſtringit. Quod non adſtringit & guſtus teſtatur,cujus proprium ſenſile eſt id, quod adſtringit. Quod non infarcit, colligere eſt ex aliis ipſius operibus. Sive enim exterius frices ptiſſanâ ſordidum aliquod corpus, abſtergit non ſecus ac aphronitrum & mel: ſive interius in ventriculo contentam pituitam modicam vacuare volemus,utilis eſt ptiſſana non minus quàm mulſa. Additum eſt τὸ *Modicam*: quia ſi multa ſit,ut valdè viſcida, craſſaque, rhaphanus ex oxymelite id præſtiterit,non mulſa,aut ptiſſana.

13. Eſt quidem & mulſa ad omnes prædictas vacuationes apta: ſed ſiti non medetur perinde ut ptiſſana,quamvis in picrocholis,etiã facilè bileſcat. Ptiſſana igitur,ut dictum eſt,cibus eſt optimus in talibus naturis: ab hac proximus eſt halica,cui parum aceti ſit permiſtum,adjuvandæ diſtributionis gratiâ: tertius, halica eadem,ſed ſine aceto, liquida,non craſſa,ut quidam parant, pultis ad inſtar. Melius autem eſt, ſi coctæ illi porri aliquid injicias. Apertum autem eſt, quod & anethum & ſalem accipere debet neceſſariò.

14. Panes etiam in furno cocti com̃odi ſunt,velut etiã piſces ſaxatiles omnes. Nec minus aſelli,niſi fortè vicinus ſit lacus,aut magnus fluvius in mare ſe ibi exoneret, unde propter alimentum carnem nanciſcuntur humidiorem & lentiorem. Proximè aſellos ſunt,bugloſſa & torpedo,interque piſces labrax & mullus,

deinde capito, qui marinus piſcis eſt. Omnes autem piſces ſunt deteriores, ſi ex lacu, qui mari jungitur, aut oſtio magni fluminis, capit alimentum. Ex avibus optimæ ſunt perdices, cum omnibus montanis aviculis. Deinde gallinæ & phaſiani, & columbæ juniores. Non ſint autem concluſæ hæ aves, quia omnes tales excrementoſæ ſunt, cum non exerceantur. Excrementoſa etiam lacuſtria omnia ſunt, & paludoſa. Quare etiam in ſuillo genere præferuntur illa, quæ in montibus paſcuntur. Quibus propinqui ſunt hædi. Ex dictis vitanda ſunt omnia vetera animalia, ut & recenter nata. Illa enim ſicciora ſunt & difficilia coctu: hæc autem humidiora quam par eſt, & excrementoſiora, maximè, quæ naturâ ſunt humida, quemadmodum oves & ſues.

15. Sed de horum ciborum differentiis dictum eſt alibi: nunc quaſi in exemplo dicta ſunto, ut omnia alia in hoc opere. Propoſitum enim nobis eſt, non invenire materias alimentorum, medicamentorumve: ſed ſolas qualitates univerſales. Nihil autem intererit, ſive generales, ſive univerſales appelles.

16. Regrediamur ad rem. Quibus ſingulis diebus diffluit acre quid, facile hi febribus tentantur, cum prohibetur diffluxus ille per cutim. Prohibent autem omnia adſtringentia, quales ſunt aquæ Albulæ, paulò antè memoratæ, & quæcunque aliæ poros claudunt. Fit etiam, cum ſiccitas cutis fit major, denſatque poros ipſius. Propterea vidiſti prohibere me uſum olei œnanthini in balneo, cum animadverterem inæqualitatis ſenſum. Eodem modo feci in eo, qui fricabatur oleo pauco cum multo vino (adſtringente.) Eodem in eo, qui lentiſcino, & jam ſentiebat denſationem. Nam & hunc nolui in poſterum uti. Arcui etiam à conſuetudine ſuâ illum, qui quotidiè Soli ſe exponebat. Ut & illum, qui pulveri. In altero, qui jam inæqualitatem febrilem præſentiebat, mutavi vehementem frictionem. Alium, ut ſcis, curavi, qui mirabatur ſucceſſum, qui erat, Multorum dierum inæqualitatem perfrictoriam diſſipavi unico lavacro cũ debitâ frictione. Utebatur & ille oleo illo adſtringente, quod non ſine cauſâ celebre eſt propter alios ipſius uſus, quod *Hiſpanum* vocant. Hoc igitur auferens, & ſubſtituens *Sabinum*, quo unximus illum pinguiter, ſed molliter continuando, ſimulque bis lavando, ſtitimus illum ſanum brevi tempore.

17. Hæc omnia igitur fugienda ſunt illis, qui perſpirationem habent fumoſam, & fuliginoſam. Vitare oportet etiam alimenta viſcida & craſſi ſucci. Nam & hæc obſtruunt poros, & impediunt perſpiratum. Impediunt quoque ſiccantia cutim ultra modum. Hinc factum eſt, ut multos eorum, qui uterentur his in Sole: alios, qui nitro copioſo: alios, qui ſale, aut exercitiis multis, aut frictione durâ (ξηροτριβίαν vocant) aut pulvere: cum ex abuſu illorum ſingulis annis ægrotâſſent, ita curarim, ut multis annis à morbo immunes fuerint.

18. Hæc præcepta veriſimiliter communia ſunt, & benè valentibus, & qui ſibi jam diſplicent. Præſervatio enim debetur, non jam factis febribus, ſed quæ ſunt in fieri, prout cauſæ efficientes vel agunt, vel non agunt. Quæ enim in fieri

ſunt,

ſunt, ſublatâ cauſâ tolluntur & illæ. Quare, quæ in de Sanitate tuendâ dicta ſunt, transferenda ſunt omnia ad febres fientes, ſive curationem vocare velis, ſive præſervationem. Curamus enim id, quod factum eſt, quamvis exiguum ſit: præſervamus autem, ne fiat majus, auferentes cauſam.

COMMENTARIUS.

19. Sæpius miratus ſum, cur Schenck. 6. Obſ. qui de Febr. eſt, ex h. l. Gal., ſolam eam cauſam Ephemeræ tam fuſè commemoret, quæ ex στεγνώσει? Niſi fallor, ratio eſt, quia cauſa quidem febrilis pleriſque eſt ignota, curatio autem per balneum aquæ dulcis, penè omnibus abſurda videtur. Ignota verò, cum ex tot cauſis fiat, quot Gal. §. 16. recenſet? Abſurda verò, cùm ſit ex ſummis indicationibus, Febrium aliæ ſunt cum cauſâ, aliæ ſine illâ? Et, cum hæc ſit ex primo ordine, quî curabitis illam, præſente cauſâ? Quod verò omnium peſſimum eſt, hæc ignorantia tangit ferè vos ipſos. Hoc duobus exemplis demonſtrâſſe ſufficiat. Foreſtus de ſe ipſo ſcribit 1. Obſ. 8. ſe ephemerâ laborâſſe ex frigore, & inſequente στεγνώσει: ſed balnei mentio nulla. Horſtius noſter 1. Obſ. 2. pariter te ſe ipſo ſcribit, ſe ex frigore laborâſſe eâdem febri: ſed neque heic de balneo ullum jota. Addo tertium, Maſſar., qui 5. Pract. 5. qui eſt de Febrib. geminam habet oppilationem, ut loquitur, vaſorum internorum & externorum. Ego verò, depoſito cum viro illuſtri quovis pignore, auſim decertare, apud Gal. non eſſe ullam ephemeram ex cauſâ internâ, ſed ſemper ex προφάσει aliquâ. Obſtat etiam ratio. Intra enim ſpacium diurnum quei poſſit expediri ulla obſtructio interna? Atqui Gal. infrà habet ἔμφραξιν. Locus eſt initio c. 4. Ah, quàm pudet ſortis humanæ? Verba ſunt, εἰ γὰρ δὴ ἔμφραξιν (ὡς ἐλέχθη) στεγνωθείη ἡ διαπνοὴ. Primùm ſe refert ad ſuperiora, in quibus ſola eſt στέγνωσις. Deinde diſertè dicit, de quâ abſtructione loquatur. Sed refero pedem, memoratâ hiſtoriolâ de Foreſto. Cum anno 1595. accingerem me Studio Medico, offendi apud amicum tres priores tomos Obſ. quos ille emiſſe ſe ajebat â SCHERBIO. Tunc ego, Ecquæ cauſa eſſe poteſt, cur ille domo expulerit? Cum ille diu tergiverſatus eſſet, tandem ſubmiſſâ voce, Ajebat, quæ ille ſcribit, poſſet ſcribere quivis è vulgo Med. Idem judico de HORSTIO. Et facerem idem, niſi aliquando delitiari lubido eſſet in vaſtis illis ſolitudinibus. Hui verò? inquit ὁ δεῖνα: Ego verò magnum memoriæ præſidium pono in Receptis illis. Ideò Foreſti volumen illud in fol. ſemper circumfero, cum domo exeo. Cui ego, Hæc neceſſitas vos tantum pulſat, qui non niſi compoſitiſſima ſcribitis, eademque pretioſiſſima: ego, qui non niſi ſimplicibus delector, facilè me abſolvo, licet propterea contemnar.

20. Miraris, cur Gal. tam fuſus fuerit in hac hiſtoria? Erat amœnum ingenium, quod ſicubi occaſio dabat ſe amplificandi nominis ſui, non deerat ſibi.

Vide hiſtoriam Medici Siculi 5. Loc, aff. 7. qui hepatis inflammatione cum laboraret, perſuaſionem habebat de pleuritide dextrâ. Hæc talia nullatenus ſunt improbanda, cum Veritatis lumen latius differant.

21. §. 7. diſertè docet, qui ſint illi, qui facilè ephemeris laborant, non calidi & humidi, ut quidam definiunt, ſed calidi & ſicci, quos ab Hipp. vocari πικρόχολυς mox dicet. Tales quibus alimentis ſuſtentari debeant, dicit §. 11. Inter hæc cum præſtet ptiſſana, excurrit in laudes ejus, & hac occaſione docet in univerſum, quæ ſint illa alimenta, ſimulque excuſat ſe, quod alibi tractata heic iterum inculcet. Ibi, vult dicere, doctrina eſt exegetica: heic fit mentio tanquam in exemplo.

22. §. 16. uſque ab finem declarat, quæ ſint vitanda illis, qui perſpiratum habent acrem & fumoſum.

CAPUT III.

1. QUemadmodum in dictis naturis tàm cum benè habent, quàm cum jam diſplicent ſibi, communis ſcopus eſt, ut corpus undiquaque ſit inſpirabile & perſpirabile: ita & illud, ut vitemus vigilias, iram, triſtitiam, curas, uſtiones in Sole, refrigerationes, labores. Ab omnibus enim dictis febricitant facilimè præfatæ naturæ, & omnes curandæ ſunt, partim eodem modo, partim diverſo. Eodem, quatenus omnes in declinatione primi paroxyſmi ducendi ſunt in balneum, veluti de ςεγνώσει dictum eſt, & fricandi pinguiter ſimul & molliter. Diverſo, quatenus, qui ex ſiccitate laborant, frictione quidem modicâ indigent, lotione autem diuturniore. Conjecturâ autem aſſequi tentandus eſt modus diſpoſitionis morbificæ. Ira enim, triſtitia, vigiliæ & curæ, neque frictione multâ indigent, neque lotione: ſed affuſione olei tepidi multi, ex eo genere, quod minimùm adſtringit, cum frictione brevi, & morâ in balneo uſitatâ.

2. Exuſtiones à Sole ſtatim quidem indigent refrigerantibus, frequentioribusque balneis: ſed minimè copioſo oleo, ut nec denſis frictionibus. Sint autem refrigerantia *ol. roſ.* & vocatum *omphacinum*, quod, ut puto, & ὠμοτριβὲς appellant. Ex his melius eſt illud, quod prorſus ſalem non habet. Oportet autem vas, in quo continetur, frigefacere, ſuſpenſum in puteo, ut aquam contingat. Hoc facilius continget, cum ſcaturiens aqua ferit vas, itaque refrigerat contentum oleum. Sin magis refrigeratum vis, nivi quidem ipſum vas immerge: oleum autem ſublatâ manu deſuper inſtilla ſincipiti, aut etiam hapſum lanæ mediocris magnitudinis intinctum impone. Hoc continuare oportet uſque ad declinationem, tandemque in balneum ducere.

3. Quod ſi refrigeratus hoc modo tamen febricitet is, qui ſic temperatus eſt, propter quem omnia iſta dicuntur: tamen in declinatione in balneum ducendus

cendus eſt. Si febris cum coryzâ aut catarrho (aliunde) ſit, lavare non oportet, uſque dum fluxio concoquatur: in hoc caſu etiam his præſentibus, oportet, ut oſtendimus in opere de Sanitate tuendâ. Poſt autem balneum iisdem rigare oportet, quibus anteà, refrigerantibus quidem in exuſtione: calefacientibus autem in refrigeratione. Sint autem hæc quoque mediocria, & quidem poſt balneum, qualia ſunt *Ung. irinum* & *nardinum*. Sed his non oportet immorari, cum dicta ſint in opere laudato.

4. Sufficiat autem dixiſſe, quod alia quidem omnia ſunt facienda in febricitantibus, ſive à calore, ſive à frigore: veruntamen non quovis febris tempore lavandum eſt, ſed in declinatione ſolâ. Nimirum in exuſtione quidem intendere oportet vim refrigeratoriam: in refrigeratione autem remittere calefactoria.

5. Reliquum eſt ut abſolvam illa, in quibus vel idem eſt victus, vel varius eorum, qui ob dictum temperamentum ephemerâ laborant. Communis omnibus eſt, qui conſtat ex iis, quæ & bonum ſuccum præbent, & facilè coctilem, nullibi in poris morantem: ſed in exuſtis cum aliquatenus refrigerantibus & humectantibus: (eadem ratio iratorum eſt:) in refrigeratis, cum mediocriter calefacientibus. Iis verò, qui vigilârunt, aut in mærore verſati ſunt, aut longioribus curis, quæ humectant, & ſomnum conciliant. Ita iis, qui laſſitudinibus afficiuntur, quæ copioſius alunt: qui refrigerati ſunt, quæ minus. Aliis, quæ medio modo ſe habent.

6. Scis, me quoque omnibus talibus vinum aquoſum & aſpectu & facultate dare. Per omnia enim præſtat aquâ, adjuvando concoctionem, urinam & ſudorem provocando. Clarum eſt, Hipp. quoque dediſſe vinum, non in ephemeris tantùm, ſed & in acutis, ut patet ex l. de Victu acut. In 6. autem Epid., ſive ipſe ſit autor, ſive Theſſalus, filius ipſius, prohibet vinum, non modò in calidis naturis, cum febricitant, ſed & in ſtatu ſanitatis. In calidis laudat refrigerationem, bibitam aquam, & quietem. Niſi fortè dici poteſt, ut quibusdam placet, laudâſſe illum præ vino uſum aquæ copioſioris. Hoc verò alibi diſquiratur.

7. Hoc loco de potu frigidæ definiatur. Ego ſanè dico, tales naturas, præſertim cum valent, ab hoc potu valdè juvari: in ephemeris autem febribus non prorſus arceo illos, qui aſſueti ſunt. Non aſſuetis autem non auſim dare, antequã ad priſtinam ſanitatem rectè pervenerint. Si quis verò timidior ſit, aut à pueritiâ non conſueverit, aut ex falſa opinione oderit aquam, huic re ipſâ perſuaſero, ſi fortè videro illum per æſtatem æſtuantem, poſt rem ratione. Si enim poſt uſum hujus potûs liberetur ab æſtu & anxietate; & ſenſerit os ventriculi melius habere, poſtquam ventriculus bilioſa dejecerit, melius concoxerit, poſt unum & alterum uſum corpus fiat auctius; tum verò, ſi oſtendero illi alios, quos ſimiliter juvi: primùm quidem aſſentietur mihi, veriſſimũ eſſe illud,

Contraria contrariorum eſſe remedia, de quo anteà ſcripſi: deinde, quod temperamentum ipſius, à commoderatione ſanitatis elapſum, jam morbo propinquum ſit; &, quod in talibus corporibus valetudo ſit lubrica, & κατὰ σχέσιν potius quàm ἕξιν; &, quod ſi putarem, illum laudabile ſortitum eſſe temperamentum, ſervarem potius omni ingenio; nunc quia corrupta eſt natura, muto in melius.

8. De his dictum eſt mihi latius in de Sanitate tuendâ. Quare non eſt heic ſtandum, more illorum ſcriptorum, qui, cum pauca ſciant, in omnibus inculcant illa libris. Hoc verò non eſt multa diſcere, ſed multa ſcribere, & multas chartas perdere, cum liceat paucis fieri compotem voti, multùmque temporis inſumere, cum poſſis parcior eſſe. Quare neque dignotiones ephemerarum heic ſcribo, cum ſcripſerim fermè omnes 2. de Criſ. Quæ deſunt in his, addere licet ex 1. de diff. feb., nec minus ex l. de Pulſ. In his enim, ut nôſti, primus omnium tam dilucidè rem expoſui, ut nec puer ceſpitare poſſit. At Archigenes, ut demonſtravi, non docet, ſed deblaterat utplurimùm, tàm in l. de Pulſ., quàm in opere, cui titulum fecit, de ſignis febrium.

9. Atque ut illum, qui laverat in aqua aluminoſa, Medici jubebant per triduum abſtinere à cibo & potu; eodem modo feciſſe eos nôſti tu in iis, quibus febris oborta fuerat ab exuſtione Solis, & aliis cauſis prædictis, neminem illorum lavantes aut nutrientes, antequam tertia dies præteriret: neceſſitas mihi quoque incumbit loquendi de διατρίτῳ, ne implicer nugis illorum, qui dicunt, *Aliud eſſe agere de tertio paroxyſmo, aliud de primo triduo.* Audîſti enim tu quoque, ad hanc uſque impudentiam eos pervenire! Sed profectò, ſive primum triduum dicere velint, ſive aliud quid, certè ego, non ſemel, aut bis, terve, ſed quoties dicere non eſt, prima quidem die ſtatim ſub veſperam in balneum duxi ephemera laborantes, altera autem potiori ratione, quin ipſa quoque tertia, ut paulò anteà dixi de illo, cujus ſtipata erat cutis. Idem tentavi ſæpè, multumque in iis, qui propter exuſtionem febricitabant, aut laſſitudine, aut alio tali. Vidiſti hoc quoque, omnes taliter à me tractatos quarto die exiiſſe ad ſolitas ſibi actiones, adeoque occurriſſe Medicis illis, qui putabant, ad tertium uſque diem totum fuiſſe ſine cibo. Quare admirabundo tibi, & quærenti, Quid cauſæ ſit, quò minus ne nunc quidem deponant iſti præſumtum errorem? reſpondi rationabiliter, ut puto, *Quod neque intelligant Veritatem, neque velint diſcere illam.* Quidam etiam, & audiviſti ipſe quendam mihi faſſum eſſe, privatim etiam cum lacrymis, Defutura ſibi vitæ neceſſaria, ſi videant ſe diſcere nunc demum, de quo perſuaſionem ſcientiæ anteà habuiſſent. Et tu quidem ſemel hoc audiſti: ego verò teſtor omnes Deos, multos ſæpiculè hoc mihi ſoli faſſos eſſe non ſine lacrymis, ſuamque deploràſſe infelicitatem, quod tempus illud perierit ſibi, quod impenderint malis Doctoribus! Teſtor verò iterum Deos, id ipſum mihi à condiſcipulis ſæpè reſponſum eſſe, cum junior eſſem. Quia enim ſoleo, ſi quis me inter-

interrogat de ſectâ aliquâ, quid ſentiam? dicere, Non poſſe me reſpondere, antequam cæteras omnes perdidicerim, habitumque mihi comparârim, quo diſcernam bonum à malo: non pauci condiſcipulorum objecerunt mihi, Tu verò & naturam nactus es excellentem, & peculiariter inſtitutus es ob patris ſplendorem, & es ejus ætatis, in quâ diſcere poſſis, adeoque præ manu ſumtus tibi, quos Mathematicis impendas: nobiſcum longè aliter agitur. Non enim eruditi ſumus in primis diſciplinis: non præditi ſumus eo ingenio: deſtituimur ſumtibus. Boni igitur conſulere oportet, qualia qualia ſint, quæ ſcimus. Tu igitur noli mirari, cur inter Medicos ſint, quos non pudet de diatrito loqui, poſtquam millies audierant, me ex primo paroxyſmo prædicentem, qualis ſit futura febris, nunquid ephemera, aut ex putridis aliqua, quæ vel tertio, vel quarto die paroxyſmum ſit habitura?

10. Potius illud conſidera, quod ab Hipp. dicitur, homine moribus Philoſophicis prædito, *Cum morbus eſt peracutus, ſubitò labores habet extremos, & indiget extremè tenui victu. Cum non eſt, & licet liberius cibare, tantum demere oportet, quò mitior eſt morbus, & quò longius abeſt ab extremis. Labores* dicit, quæcunque moleſta ſunt homini: extremos intelligit *Maximos*, qui in vigore ſe oſtendunt. Mandat autem deponere curam de victu tenuiſſimo, nihil aliud ſibi volens, quàm cum dixit, *Cum morbus in vigore eſt, neceſſariò victu eſt utendum tenuiſſimo.* Atqui fieri non poteſt, ut victus tenuiſſimus differatur in vigorem, niſi ab initio conſtitutum ſit, quo die vigor ſit futurus.

11. Sed & Hipp. delirare dicunt, qui talia ſcribat: nos verò cum re ipsâ oſtendimus ita eſſe, omnia potiùs credere ſe velle ajunt, quàm poſſe hominem, circa primum aliquando paroxyſmum accuratam notitiam habere diſpoſitionis morbificæ. Ego verò non dico neque in omnibus morbis, primo morbi die accuratè me ſcire diſpoſitionem, neque ephemeram ullam me fugere. Hoc ſufficit, certè primis diebus, ne quid peccetur in victu, diſcernere ephemeram ab aliis. Propterea quarto die, quo jam illi ægrum fame tantum non tabefecerunt, incipiunt nutrire, quo ipſo nos ad conſueta opera dimittimus. Hoc ipſo victûs modo prohibemus, ne ephemeræ degenerent in morbos acutos. Si enim quis aliter faxit, neceſſariò illi ſequentur, in dictis, inquam, temperamentis, præcipuè, cum ad ſummum calorem devenerunt febres. Ita loquor: In aliis enim naturis fames tot dierum, aut nihil nocet, aut non multum. Ita ſunt, in quibus tot dierum fames non ſolùm non nocet, ſed & utilis eſt. Sed de aliis naturis poſteà definiam. Illa, de quâ agimus, in ſummo periculo collocat ægros, non in hac ſolummodo febre, ſed in aliis omnibus.

COMMENTARIUS.

12. Quemadmodum ſuprà miratus ſum, cur Schenckius ſolam ex ϛεγνώσει ephemeram ſuis Obſ. dignam cenſuerit: ita nunc miror, & multò magis, cur reli-

reliquas omnes tacuerit! An quia non vocantur Medici, niſi cum deteriora ſunt omnia? An quia balnea & frictiones in deſuetudinem venerunt? Quod ad ægros, de cute ſuâ quid faciat unusquisque, prudens non curat. Quod ad Medicos, inexcuſalibe eſt factum practicorum, qui vel omittunt ephemeras, vel non niſi levi manu tractant.

13. In §.3. cogor reddere rationem, cur inſeruerim *τὸ Aliunde?* Quia ſeq. quaſi cum pipulo à me exigunt. Conſiderent, quorum intereſt.

14. Quæ de vini uſu §.6. ex Hipp. incipit dicere, perplacent: hoc moleſtum eſt, quod nimis citò ſe exonerat. De aquæ potu bonum opus peregit. Sunt enim inter noſtros, quibus citius venenum perſuaſeris quàm aquam crudam. His ego mederi didici ſolâ decoctione, injecto, dum calet, ſegmento panis domeſtici, cui affricta ſit nux muſcata. Non aſpernabiles etiam ſint vel jujubæ, vel tamarindi. Mutat enim aqua & colorem & ſaporem.

15. Quod vitium taxat §.8. dicunt quidam ex Aëtio, proprium eſſe *τῶν ὀψιμαθῶν*. Fui reprehenſus à quodam, quod obſcurus ſim. A quo cum peterem loca, attulit ille talia, quæ ſaperent *ὀψιμάθειαν*. Ergò reſpondi, Mi Domine, hæc ſunt alîus loci, quæ tu præſcire debebas, nec, quod vitium in te eſt, mihi aſſuere debes.

16. Non eſt melior ratio refutandi pernicioſam *ἀδιάκριτον* Methodicorum, quàm experientia. Quæ quia ita convaluit, per DEI gratiam, ut jaceat peſtis ſub pedibus noſtris, quæro ego, quid conſilii ſit contra *δοκησισοφίαν*, quæ adoleſcentes noſtros arcet à publicis lectionibus? Cauſam dicit Gal. heic, Ut olim, ita hodiè, *Nolunt dediſcere*. Accedit Invidia, quæ magnatibus quibusdam tàm eſt cordi, ut bonos deridere potius velint, quam ſequi. Hanc in ſuo veſtigio firmat novum illum numen, pronuper ex Orco redux, PENNALISMUS. Surge DEUS, & diſſipa hoſtes VERITATIS!

17. Ult. §. eſt de victu in acutis, tantò nobis accurandus magis, quò inſolentiores ſunt mulieres in turbando illo. Cibant, queritur alicubi Jacch., manè & veſperi, mediâ die & nocte, &c. Er muß ja ein Krafft haben! dicunt.

CAPUT IV.

1. SI enim propter obſtructionem, ut dictum eſt, *ϛέγνωσις* fiat, ſiquidem exigua ſit, & rectè quis abſterſerit cutim, prohibebit, quò minus alter paroxyſmus accidat: ſin magna, nihil jam promittere poſſis. At verò ſi impacti ſint humores multi, craſſi & viſcidi, febrim hanc impoſſibile eſt manere intra terminos ephemerarum. Neceſſariò enim putrida ſubſequetur, certè in naturis cacochymis. In aliis temperamentis, quorum in ſeq. meminero, fiet ſpecies quædam ſynochi, propter eandem cauſam, ſed citra humorum putredinem.

2. Hos tales ſermones intelligere non poſſit, niſi qui in dictis operibus præexer-

exercitus ſit, præſertim in illo de Diff. feb. Si enim obſtructio ſit mediocris, ob quam febricitant cacochymi, primo & ſecundo die fortaſſis putredinis ſignum non erit in pulſibus, ut neque in urinâ cruditatis: protractâ ſed enim declinatione, & ultrà debitum tempus durante, prout poſt vigorem inceperat, ſuſpecta res eſt. Ita è contrario, cum feſtinat nimium ad declinationem, & vapores quidam aut madores excernuntur, aut urinæ bonæ, ſed copioſæ, cum ſignis circa pulſum bonis, certò eſt ephemera. At cum obſtructio eſt levis, ſimilis quidem eſt ephemeræ, ut dixi, nimirùm initio: protractâ autem declinatione, res pariter ſuſpecta eſt, etiamſi putredinis indicia in pulſu nondum ſint.

3. Niſi enim cacochymia tota transſpirârit, neceſſe eſt putreſcere illam. At verò ſi transſpiravit, opus jam nobis eſt majore auxilio. Si vel puer ſit, vel ſenex, venam nobis ſecare non licet. In ætatibus intermediis, cum vires ægro præſto ſunt, vena ſecanda eſt, licet plethoræ ſigna abſint. Melius enim eſt vacuare majorem cacochymiæ partem, & venire ad abſtergendas obſtructiones. Si enim abſtergas, antequam vacues, periculum ſubeſt, ne humores altiùs ſe inſinuent. Ac ſolvunt quidem obſtructiones facultates abſterſoriæ, ſive foris cuti appoſitæ, ſive intra corpus aſſumtæ: Periculum autem adjunctum etiam habent forinſecus uſurpata, ne attrahant, unà cum iis, quæ ſolvunt obſtructionem, aliud quid: & quæ ab interno ſurſum eunt, ne ex vaſis aliquid ſecum rapiant. Quod ſi craſſum & viſcidum ſit, duplicabit obſtructionem: ſi non, tamen copiâ non parum lædet. Videmus enim aliquando etiam id, quod ſolâ multitudine peccat, ſi confertim eat, nihilominus impingi & infigi quàm viſcida & craſſa. Sed & ſi exitus ſit per poros anguſtos, multò magis hærere.

4. Ut ergò tutum his iter ſit, & externa tutò trahant, utiliſſimum eſt vacuum eſſe corpus. Nam & hoc modo minor fit copia excrementorum fumoſorum & fuliginoſorum. Et ita quoque calidum febrile minuetur, & poterunt per cutim digeri, præſertim ſi & obſtructiones ſint exiles. Hinc ubi ſcieris, cutim per ϛέγνωσιν eſſe obſtructam; (partim ex eo, quod in declinatione primi paroxyſmi vacuationes non fuerint inſignes: partim ex eo, quod declinatio ſibi ſimilis ſit:) ſiquidem homo non febricitavit ex cauſâ aliquâ manifeſtâ, etiam certior erit agnitio obſtructionis. Si verò ex manifeſtarum aliquâ, impoſſibile non eſt, duas ſimul concurriſſe cauſas. Si enim altera illarũ tantum, illa ſc. quæ ex præincipientibus, ſubeſſet, brevior fuiſſet declinatio cum manifeſtis vacuationibus.

6. Non igitur differre oportet venæ ſectionem in his ægris, auferentes tantũ, quantũ vires & magnitudo diſpoſitionis volunt. Indicatio autem, quanta ſit obſtructio, ex febris magnitudine ſumitur. In obſtructionibus enim vehementioribus major eſt illâ: minor autẽ in minoribus coincidit. Ubi modicè vacuâris, nõ multò poſt dabis aliquid vel cibi vel medicamenti abſterſorii. Sunt autẽ perpauca, quæ hoc præſtant in febribus: ſed, quod dictũ eſt anteà, in cenſu alimentorum

ptiſſana eſt,& melicratũ,in medicamentorũ autem oxymeli,& quæ incoqui melicrato poſſunt,ut calamintha,hyſſopus,origanum,ſerpyllum, iris & apium.Sed hæc omnia plus calefaciunt quàm par eſt, ideoque febres accendunt, ut & vinum. Solum oxymeli febriculoſum non eſt, & fortiter abſtergit, ut diſſolvere viſcida & craſſa poſſit,& poros ab infarctu liberare.In medio melicrati & oxymelitis eſt vocatum ἀπόμελι.Hoc plurimum utuntur in Peloponneſo. Poſuerit, puto,quis huc non ſine ratione & ſaccarum.

6.Hoc victu inſtituto,obſervabis quantum decedat calori febrili. Si enim tertio die manè videbitur tibi parumper decreviſſe febris, neque putredinis ſignum ſit in pulſibus,ut neque cruditatis in urinis, neque hora illa ſuſpecta, in quam primus paroxyſmus incidit, ſit ultra meridiem : confidenter hominem lava,& quidem quamprimum,longè ante ſextam. Sufficiat autem tibi balneum abſolviſſe intra tertiam.Sic,ſi decima hora ſuſpecta tibi ſit,uſque ad ſeptimam differas licet. Tres enim,quatuorve horæ æquinoctiales abundè tibi ſint inter balneum & paroxyſmum.

7. Oportet autem in balneo ante omnia ungere & fricare moderatiſſimè, deinde corpus totum extergere & abluere exterius. Materiam abſtergentium habes in libris medicamentoriis. Inde enim accipere oportet,quæ huc faciunt. Ibi ſcil.diſtinximus,quæ magis,minusve id faciunt. Dicentur autem & nunc quædam exempli gratiâ.

8.Moderatiſſimè igitur abſtergit farina ervi,hordei & fabarum.Tum verò melicratum aquoſum. Fortius id facit iris,panacis radix, & Ariſtolochia. Mediocre temperamento eſt & melicratum. Hoc verò magis,quod minus aquoſum eſt. Tale fit,cum melli miſcetur parum aquæ,ut affuſum exiguis cutis poris facilè penetret. Hoc iterum magis ſpuma nitri,& nitrum ipſum,& aphronitrum. Oportet autem nitrum ſit tenuium partium,quale eſt Berenicion, Si verò lapidoſum ſit,urere & lævigare accuratè oportet. Mel laudatur puriſſimum & acerrimum,quale Hymettium eſt. Alicubi ſapo etiam eſt inter validiſſima abſtergentia.

9.Sed ſatis eſto exemplorum abſtergentium. Tempus enim eſt ut tranſeamus ad ea, quæ poſt balneum fieri debent. Sunt autem pauca, Præter enim aquam,cui parùm apii ſit incoctum,nihil illis dandum,licet ſpacium,quod inter balneum & ſuſpectas horas futurum ſit trium horarum. Si verò circa veſperam,etiam citius, duabus horis ante primæ diei paroxyſmum, poſſis balneum ingredi, & nutrire tantum ſucco ptiſſanæ. Deinde,ſi ſuſpectæ horæ nihil prorſus afferant,iterum lavare,ſi velis, & nutrire, inhærendo ſcopis à me dictis. Sin afferant, comparare hoc cum paroxyſmo primæ diei, & ſimul conſiderare urinas,pulſusque. Apparebunt autem omnia mediocria, quod non niſi exilis ſuperſit obſtructio. Ubi autem laveris quarto die, & nutriveris, dictorum ſcoporum memor,ſperabis die quinto nihil amplius interventurum. At ſi magna obſtru-

obſtructio facta ſit, febris non erit ephemera. Quare in ſeq. rejiciatur librum. In hoc autem de ephemeris agimus.

COMMENTARIUS.

10. Magni momenti res heic agitur, ſcire, quando ephemera ſit tranſitura in putridam, & quid agendum ne fiat. Ego, quia Gal. lucidus eſt, non cogito de ulla paraphraſi, cujus loco aſpergam has amœnitates, Quale & unde ſit nitrum Berenicium, cujus Gal. heic meminit? Ab initio hoc admirabile eſt, quod hactenus apud nullum ex veteribus, præterquam hunc noſtrum, invenerim hanc ſpeciem, ne apud Plin. quidem. Ita loquor: quia valdè ſordet mihi μικρολογία illa, quâ diſtinguitur in *Nitrum, Nitri ſpumam, Aphronitrum*, à quo diverſum ſit, ſi Diis placet, *Aphronitrum*. Quantò præſtabilius erat diſtinguere locis natalibus, Nitrum Ægyptium, vel Alexandrinum, aut Nitrum terreſtre, vel marinum, aut nitrum candidum, rubrum, nigrum. Deinde falſa ſcriptura eſt, licet ad alios etiam autores dimanârit, Botanicos, Aſtrologos, & Geographos. Βερονίκη enim fit, quæ φερονίκη eſſe debebat. Hujus nominis fuit mulier Ægyptia, cujus comam aſtris intulerunt Poëtæ. Ab eâdem nomen habent aliquot urbes, præterpropter quinque. Ubi ſi quæras, à quâ ſit denominatum hoc nitrum? digitum intendam in *Africanam* ſeu *Cyrenaicam*, de quâ Plinius l.5.c.5. Atqui, inquis, apud eundem l.31.c.10 pro optimo habetur *Lydicum*. Niſi omnia me fallunt, leg. eſt *Libycum*. Nam & *Tenuiſſimum* vult Plinius prorſus ut Gal. heic. Quæri poteſt, quomodo ſimul ſit *Molle*? 1.κα.τοπ.? Quomodo farinæ omnes. Poſthac ergò Imperatus, Cæſalp. in Metall., & Chioccus, in Muſ. Calc. poſſunt dicere, quod ſit *Nitrum Berenicium* Gal. Ubi ſciendum, τὸ *Berenicarium* 6. Sanitat. tuen. 10. eſſe in vitio. Sciendum eſt etiam, quod in cellis quibusdam ſubterraneis tanquam ſtiriæ dependet, ut & Patavii à gli baſtioni, dietro di S. Juſtina, non eſſe *Nitrum*, ut nos credebamus, ſed *Sal petræ* vulgare. Nitrum enim in Chriſtiano orbe non reperitur, ait Bell. 2. Obſ. 71.

CAPUT V.

1. QUia igitur febres ephemeræ prædictis corporum temperamentis ſæpè eveniunt, ut & cruditatibus ciborum: conſequens fuerit, de iis agere. Peſſima igitur eſt in talibus naturis cruditas, & celerrimè ſuccendit febrim, in quâ corrumpuntur cibi in aliquid nidorulentum & fumoſum: quemadmodum contrà rarò in acorem, qui minus lædit. De utrâque ſeorſim dicam, facto initio ab eo, quod ſæpè accidit, & maximoperè lædit.

2. Ea eſt qualitas quædam, ut dixi, nidoroſa & fumoſa, minus quidem malum, ſi per fluxum ventriculus ſe exoneret: non leve autem, ſi corrupta retineantur. Facilè enim febricitant tunc cacochymæ naturæ, & præcipuè, cum

redeunt ad conſueta munia, obliti domi manere quietè in lecto. Quin corripiuntur quidam diarrhœis poſt cruditates, auctâ in ipſis febrili diſpoſitione non parum ex crebris dejectionibus. Si verò & morſus superveniat, & dolor, & calor in hypochondriis intenſus, multò etiam magis augetur diſpoſitio febrilis.

3. Non eſt autem eadem cura, ſive eant cruditates, ſive ſubſiſtant. Dicendum igitur de utroque particulatim. Patebit enim inde non ſolum in quibus peculiare quid habent, ſed & in quibus communicant. Si igitur videas ſola, quæ corrupta ſunt, vacuari, & lavandi ſunt, & nutriendi in declinatione febris, habitâ prius providentiâ partium, quæ circa ventriculum ſunt. Si verò ob copiam excretorum, jam debilis ſit æger, melius eſt cibum dare, non præmiſſo balneo, & ſic ad providentiam venire. Eſt autem providentia in iis, qui ita habent, ſi vacuatio finem habeat, embrocha ex oleo & abſ. Oportet autem præmacerare abſ. in aquâ fervidâ, ne nidoreſcat.

4. Si ſuperſit morſus aliquis circa ventriculum, aut dolor, hapſus lanæ imponatur poſt embrocham, ſive is calidus & ſiccus ſit, ſive madidus oleo abſ. fervefacto, & expreſſo. Utplurimùm autem madefactus imponitur. Melius autem fuerit, ſi in promtu ſit unguentum nardinum, curioſè confectum, in quo lana intingatur, & imponatur. Imò, multò commodius, ſi purpura marina ſit. Commodiſſimum, ſi optima Tyria ſit. Habet enim adſtrictionem cum multâ partium tenuitate, & hæc purpura, & optimu nardinum, ut facultas ipſorum ſicca, calida & roborans penetrare poſſit ad intima corporum, ventriculo adjacentium.

5. Quod ſi os ventriculi, quod per metaphoram ſolemus ſtomachum vocare, ſit debilius, maſtichen Chiam lævigare oportet ad conſiſtentiam ſordium & imbutam eo purpuram imponere. Sit autem unumquodque horum benè calidum in primâ impoſitione. Omnia enim tepida reſolvunt tonum ventriculi. Nôſti autem, quod in more nobis eſt poſitum calefacere unguenta in duplici vaſe, impoſito altero in ſubjectum vas majus, quod aquam ferventem continet. Si enim aliter calefiant, perit vis eorum. Si tamen perſeveret alvi fluxus, conſultum fuerit uti oleo melino optimo, recentique, ut nardino. Utile quoque ad omnia talia ol. maſt. Non minus huc faciunt unguenta, quæ voluptatis gratiâ, pro delicatis mulieribus fiunt, pretioſa dico illa, quæ inventa videntur luxûs ergò, & nomina habent Romana. Vocantur enim *Spicata* & *Foliata*. Si æger non toleret lanam, ſive per conſuetudinem, ſive ob mollitiem, poteſt fieri hoc per ceratum. Hanc in rem laudatur cera Tyrrhenica liquata in unguento nardino, ſi refrigeratæ miſceatur aloë & maſtix lævigata accuratè. Horum ſingulorum hæc debet eſſe proportio, Ceræ quidem & nardi pars æq., aloës autem pars octava, ut & maſticis, aut, ſi velis, hujus

paul-

paulò plus. Si verò dictorum unguentorum aliquod miſcueris cerato, efficacius habebis medicamentum. At verò ſi ventriculus ardere videatur, & ſuſpicionem inflammationis excitet, melius eſt ceratum admiſto oleo melino. Sunt & alia plura medicamenta, quale illud de œnanthe eſt. At verò illud de hypociſtide, balauſtio, & palmarum carne, aptum & refrigerare ventriculum, & roborare. Ex his igitur elige quod optimum eſt ad ſtatum præſentem, intentis oculis ad ſcopos prædictos. Hos tales nutrire fas eſt polentâ, & panibus illis, qui ὀξυλιπεῖς dicuntur, ſed cum pauco aceto confectis, non ut in dyſenteriis, & diarrhœis diuturnis præparare ſolemus. Aſpergere autem polentam debes, quandoque cum aquâ calidâ multam: quandoque, cum alvus adhuc fluidior eſt, cum ſucco granatorum, aut pyrorum, aut pomorum, præſertim cydoniorum. Si palato ægri conſulere voles, polentam inſperges decocto pyrorum, pomorum, aut myrtorum. Si venter non amplius excernit, & halica rectè condîta, veluti ptiſſana, h.e. cum aceto, & ſorbitio ipſius ſine aceto, & teſticuli gallorum, & piſces ſaxatiles ex jure albo, & fructus aliquis adſtringens, vel ſolus, vel cum pane (locum habebit.) Hæc verò talia tum potius dabis, cum nondum conſtitit venter. Si æger appetitum amiſerit, ut abhorreat cibos, (fit enim & hoc in multis, qui diarrhœâ laborant poſt cruditates:) Diacydonium ſuperdandum illis, menſurâ cochlearis unius aut duorum. Quod ſi non adſit, id quod ex carne illorum. Compoſitio dicta eſt in opere de Sanitate tuendâ. Et ſic curare oportet febricitantes, poſt primum paroxyſmum, ex cruditate, fluente alvo.

Vide 6. San. tu. 15. & Off. noſtra l. 2. c. 181. n. 3.

6. Si verò prorſus cohibeatur, tentatis prius hypochondriis, potius toto abdomine, conſidera diligenter, an cibus jam deſcenderit in inteſtinum tenue, aut colum. Deinde interroga ægrum, in quâ exquiſitè parte ſentiat aut morſum, aut pondus? item, quales ſint ructus? Poſt cognitionem, ubi moretur cibus, ſi extumeſcentiâ quâdam ſe prodat, da τὸ διατριῶν πεπέρεων, non medicamentoſum illud, quod celebravi in dicto opere, ſed quod ſimpliciſſimum, & quod pro illis eſt, qui non concoxerunt. Poſt hæc fomenta hypochondria, totumque adeò ventrem. Hoc facies etiam ubi deſcenderit, quod corruptum eſt, cum diſtinctione, ut vel augeas, vel minuas pro neceſſitate rei. Nam longiore tempore continuanda eſt profuſio, ſi opus ſit deinceps aliis, ut eſt in iis, in quibus corruptus cibus fluctuat in ſuperioribus. Ubi verò locum mutavit deorſum, opitulari oportet, aut ſuppoſitoriis, aut clyſteribus. Quod ſi morſus ſimul adſit, hunc mitigare: ſi inflatio, hanc compeſcere: ſi neutrum, enema adhibere ex melle & aquâ cum pauco oleo. Ubi morſus eſt violentior, oleum Sabinum convenientius erit, liquatâ in illo pinguedine anſerinâ, aut, in defectu, gallinaceâ. Si neque hæc in promtu ſit, caprinâ. In hujus quoque penuriâ, paucâ cerâ oleo permiſtâ, maximè, ſi cera ſit lota.

Inflationes ita tractabis,incoquens oleo rutæ aliquid,ſeminumque flatus diſcutientium,apii, cumini,fœniculi,ſinonis,aliorum. Alvo jam permotâ, ſtatim cibabis,cæteroquin iis,quæ dicta ſunt,abdicatis adſtringentibus.

7.Ubi ergò primo die hæc facta fuerint uſque ad veſperam, & aliquot noctis horas,etiam altero die repetes,inſuperque balneabis,ſiquidem à febre liber ſit. Sequenti nocte ſi benè dormierit,habebis illum pro ſano. Si verò vel de die,vel de nocte febris illum invaſerit,ages,quod altero die egeras, etiam in oblatione cibi. Afferat verò etiam tertia nox febriculoſi quid : tu extra metum eſto,& altero die lava,nutri,omnia fac proportionaliter iis,quæ diſtincta ſunt.

8. Quod verò attinet mutationem in acidam qualitatem, ne formidabis quidem illam,quippe ab his naturis alienam,niſi ſi cibi valdè ſint habiles ad acorem,quod raro fit. Si tamen febricitent,non erit ephemera : ut neque in tardis concoctionibus. Erit autem ſuſpicio in iſtis picrocholis obſtructionis & putredinis humorum,de quibus accuratius agam,ubi ad putridas febres pervenero. Heic ubi tantillum addidero,ad alia tranſire animus eſt.

9.Exhalatio fumoſa ne fit quidem in tardis concoctionibus, aut totalibus cruditatibus cum acido ructu. Frigidi enim vapores ex talibus humoribus exhalant,iique pauciſſimi,non exhalationes multæ fumoſæ & fuliginoſæ. Nam neque in exterioribus aliud eſt videre quàm fumum & fuliginem. Fumus quidem ex rebus ſemiuſtis eſt, ut dicat quis : fuligo autem ex ſuperaſſatis & combuſtis. Fuligo enim eſt exhalatio terrea: fumus ex commiſtione aqueæ & terreæ ſubſtantiæ.

10. Nequaquam verò cupiat aliquis heic ſcire,quid conſilii ſit illis,qui aut tardè concocturi ſunt,aut accidos ructus ſenſuri. Pertinet enim res ad Sanitatẽ tuendam.Heic ſcribimus de iis cruditatibus tantum,quas febris excipit.Quia itaque febris ephemera non ſequitur cruditates cum acido ructu ; ſed febris aliqua ex putredine humorum : rectè diſtuli ſermonem de ejusmodi cruditatibus,ſed nec eo modo tractavi,quo in de Sanitate tuendâ. Ibi enim dictum eſt, quid facere debeat ille,qui non concoquat in Statu ſano: heic quid,cum febres ſequuntur.

COMMENTARIUS.

11. Magni ſunt momenti,quæ heic tractantur. Inprimis obſervanda venit diſtinctio duplicis in ventriculo corruptionis, quæ prodit ſe per duplicem ructum. Horum alter frigidus eſt,& ſentiunt ægri acorem, de quo ſæpè audias conquerentes homines è vulgo : alter calidus eſt,& caret nomine.Eſt verò non unius generis, ſed Medici conſenſerunt,eſſe omnem illum, qui non ſit accidus. Græci *κνίσσαν* vocant,& *ἐρυγὴν κνισσώδη*.Latini *Nidorem*,&*Vomitum nidorulentum*. De his quæritur,uter ſit periculoſior? Et Gal, quidem ſubitò pronunciat, acidum

dum minus lædere. Rationem dat, quia febrem non cauſatur: ille verò frequenter. Ego verò latius proſpicio, ad melancholiam ſcil. hypochondriacam, πολυκέφαλον illud θηρίον, & dico, Ab utroque fit dictus morbus, niſi vel per vomitum, vel per alvum abeat corrupta materia. Poſt acidum ructum ſequi morbum hunc, ſi continuetur, in confeſſo eſt apud Practicos: poſt nidoroſum fieri, ſolus Rond. novit, ut docui in Patholog. Ego etiam hoc addo, magnam partem difficilis curæ & concatenatorum ſymptomatum eſſe ex eo, quod Medici errent in primâ cauſâ, ex quâ ventriculi intemperie ſit.

12. Poſthæc docet providentiam, ut loquitur, quam commendo Practicis, ne poſſit illis objici, *Serò medicina paratur, &c.* §.8. deſcendit ad acorem, referendo ſe ad l. de Sanitate tuendâ.

CAPUT VI.

1. DIcta mihi ferè omnia ſunt, quæ ad ephemeras. Qui enim ex bubonibus laborant, neque interrogant Medicum, quid facto opus ſit: ſed ubi proſpexerint ulceri, cujus occaſione bubo ſupervenit, ipſique buboni, balneum ingrediuntur poſt declinationem paroxyſmi. Si quis τῆς διατρίτου meminerit, omnes rident, ſcholaſticum appellentes. Naturâ enim, ut puto, intelligunt, tramitti non poſſe, quod nullatenus erit, cenſentque, Medicos in omnibus aliis quæ in ſenſus nō incurrunt, tales eſſe debere, quales ſunt illi circa phænomena. Quod verò in aliis eſt, nihil aliud eſt, quàm hoc, Quando in tertio ſit futurus paroxyſmus, quando non futurus?

2. Etenim & refrigerati, & ambuſti ſub Sole, & fatigati, aut tale quid paſſi, ubi febricitârint quidem, guſtârint autem in declinatione ſenſum tolerantiæ illius, quam ſani habere ſolent, ne tunc quidem ferre poſſunt eos, qui de διατρίτῳ obloquuntur illis. Quod enim ſæpè dicere ſoleo, Quivis è vulgo, cum ratio illi conſtat, melius ſentiat de rebus quàm ullus ſophiſta, hoc licet obſervare in divinâ illâ diatrito, quam derident omnes, qui ſecundum naturam habent.

3. Nuper idiotarum quis cum in convivio ſumtuoſo plus ingeſſiſſet & bibiſſet, venit quidem domum lapſabundus & manuductus: cum autem fluitarent in ventriculo, quæ gravabant illum, evomuit omnia, & per noctē quidem febricitavit, ſed manſit in lecto magnam diei partem. Surgens deinde, & parum inambulans, lavit & irriſit illum, qui conſulebat διάτριτον. Si enim per ipſum ſtetiſſet, debebat etiam ſeq. die eſurire æger: verùm, ut res ipſa tulit, ipſeque adeò fecit, cum laviſſet, & modicum comediſſet, & ſurrexiſſet altero die ſine querelâ, in ipſâ diatrito ad conſueta munia rediit, eo, inquam, tempore, cum fameſcere deberet, ſi obtemperâſſet *medicis diatritariis.* Sic enim feſtivè appellabat illos quidam, inſultans illis. Quin, cum jam cœnatus eſſet ille, ſuperveniens facetus alter, riſum excitavit dicendo, Eum, qui tertio ab hinc veſperi vomuiſſet,

muiſſet, fas eſſe per biduum aliud, nec edere, nec bibere, ſed cum faſtidio decumbere, ponentem in digitos horas, prout imperâſſent diatritarii. Puto enim & idiotis perſpicuum eſſe, ultra rei evidentiam eſſe, quæ illi audent. Ex hoc liquet abundè, hos quidem ἰατροὺς eſſe, alios autem λογιατροὺς. Quo enim modo non jure hoc modo ſalutentur? Quomodo non juſtiſſimè ſic irrideantur, & ſubſannentur, qui, præterquā quod hæc talia neſciant, Hippocrati tamen ſe præferant? Sed horum ſtuporem nec Mercurius unà cum Muſis ſanârit.

CAPUT VII.

1. POſtquam abſolvi ſermonem de ephemeris in naturis picrocholis, in quibus calidum ſuperat frigidum, & ſiccum humidum, digrediamur jam ad aliud temperamentum, in quo non minor cacochymia quàm in illo, in quo calidum prævalet humido, & humidum ſicco. Hæc enim intemperies præ omnibus aliis obnoxia eſt putredinoſis morbis, & quàmdiu valet, putredini propinqua eſt, cujus rei ſignum accipere eſt ex ſudoribus, qui fœtidi. Idem de urinis dicendum eſt, & fæcibus alvi, nec non de transſpiratione inſenſili. Qualis enim hircorum natura eſt, talis etiam harum naturarum eſt.

2. Ideò facilè capitur morbis ex quâvis cauſâ, cùm aliis, tùm febribus. Quoties enim denſatur illis cutis, non poteſt non febricitare, ut neque cum cruditatibus laborat, neque cum ſub Sole verſatur, neque cum tale quid patitur. Denſationes igitur cutis maximè lædunt naturas cacochymas. Quare picrocholi ob denſationem hanc non minus quam putridis laborant febribus: at in nidoroſis cruditatibus facilius læduntur calidæ & humidæ naturæ, quos jam σηπεδονώδεις, quoniam humores illorum facilè putreſcunt.

3. De obſtructionibus autem quid attinet dicere? Has ideò præcipuè febres accendere dixi in corporibus, quæ non habent transſpirationem ſuam. Sed de his febribus iterum dicetur: ephemeræ autem omnes facilimè in dictis temperamentis conſiſtunt ab omnibus cauſis, quas de picrocholis narravi. Curationem autem habent penè eandem, in paucis differentem. Cum enim naturæ ſint humidiores, & inediam & ſitim melius ferunt. Quare minus offenduntur in inediâ diatritariorum, ſi modò rectè transſpirent. Ideò etiam potius indigent balneis, quippe cutim rarefacientibus, aut certè non minus quàm picrocholi. Humectantibus autem non indigent.

4. Quæcunque autem dicta ſunt de ejuſmodi naturis, illa tu dicta putato de acquiſititiis etiam. Quidam enim cum naturâ abundent bonis ſuccis, picrocholi tamen fiunt, ſi quando plures concurrant cauſæ ſiccantes & calefacientes corpus. Agedum, venire quem in locum calidum & ſiccum, idque tempore æſtivo. Eſſe verò tum conſtitutionem quoque calidam & ſiccam aëris. Uti etiam cibis calidis & ſiccis, curis obrui, mœroribus, vigiliis, contentionibus, labori-

boribus. Contingat verò eundem hominem frequentius libidinari eodem tempore, verſari in Sole ut plurimùm. Bibere medicamenta calida & ſicca, ut quidam Theriacam, Ambroſiam, Athanaſiam. Scimus enim à recentioribus ita vocata fuiſſe quædam medicamenta. Profectò, cui omnia talia contigerunt, illi neceſſe eſt corpus jam eſſe picrocholum, quamvis anteà eſſet ſaluberrimum. Hinc fiet, ut talis promtè febricitet à quibuſcunque cauſis.

5. Ita etiam, ſi quis naturâ benè ſanus, locum temperatum inhabitans, tranſeat in alium locum, verno tempore, qui calidus & humidus ſit, eveniatque conſtitutio aëris talis, utatur victu tali: ille ſanè, non ſecus ac putredinoſus aliquis naturâ, tentabitur, cùm aliis morbis, quibus illi, tùm febricitabit, prehenſus ab iisdem cauſis, quibus illi, tum verò etiam ephemerâ, de quâ nunc nobis ſermo.

COMMENTARIUS.

6. Hoc cap. 6. eſt quaſi ἀποθεράπεια, quæ debetur diatritariis, ut quendam vocâſſe Galen. ait. Quamobrem transmittere volentibus facilè ignoſco. Cap. 7. duo habet utilia. Alterum eſt, quæ naturæ quibus febribus facilè aut difficulter capiantur? Alterum eſt admonitio ad inſtituendos, Temperamentum aliud eſſe nativum, de quo hactenus locutus ſit: aliud aſcititium. Hoc quî fiat, tam clarè docet Galenus, ut interprete opus non habeat.

CAPUT VIII.

1. CUm in univerſum octo ſint intemperies, ut docuimus, ex ephemeris in putridas acutas facilimus eſt lapſus, niſi victus inſtituatur eo modo, quo dictum eſt. Stat autem in primâ acie temperies calida & ſicca. Secundum locum obtinet (tu puta, ratione febris, cum alioqui ſit deterior:) calida & humida. Tertium calida ſimplex, cum ſcil. altera oppoſitio, quæ in humido & ſicco, irreprenſibilis eſt: in alterâ ſuperat caliditas. Promtior enim hæc reliquis eſt, tàm ad paſſionem febrilem, quàm ad mutationem ephemeræ in plurium dierum febres. Nihil enim impedit, quo minus πολυημέρους vocemus, quæ oppoſitæ ſunt τοῖς ἐφημέροις.

2. Huic propinqua eſt, quæ in cal. & frig. moderata eſt: ſuperat autem ſiccum elementum præ hum. Poſt hanc, quæ media eſt inter omnes, moderata ſcil. in utrâque combinatione. Quæ verò ſuperſunt quatuor aliæ intemperies, neque facile incurrunt in febres à cauſis dictis: neque ubi incurrerunt in ephemerarum aliquam, ſi temperent ſibi, deſinit illa in πολυήμερον. Quædam enim naturarum cum collegerunt copiam humorum, quæ nondum corrupta ſit, (colligunt enim tales quotidiè:) ab inediâ adjuvantur

potiſſimum quidem hum. & frig., deinde hum., & tertio loco frig., quarto ſicca & frig. Poſt enim diſcuſſas ephemeras, ſi quis tamen cogatur tranſigere διάτριτον infeliciſſimam, nulla quidem alia febris ex inediâ ſuccendetur, in frig. dico naturâ: offendetur autem inſigniter habitus ſiccus & frig., ut opus ſit longâ curâ, donec ad naturam ſuam redeant tales.

3. Si enim lateat fortè acquiſititia quædam cacochymia, incidunt ex ephemeris in πολυημέρους, cum ſine cibo & balneo includuntur domi per triduum. Sicca enim, ſed in alterâ oppoſitione moderata natura corporis, in longioribus inediis gracileſcit magis quàm ſicca & frigida; refocillatur autem citius in debita victus ratione.

COMMENTARIUS.

4. Pulcerrima heic eſt tabula febrium, quo ordine ſtent in relatione ad cauſas ſuas. Hanc intelligit quivis non σκαιός.

CAPUT IX.

1. IN omnibus his mutatio victûs potior eſt, quàm in iis, qui dicti ſunt, calido & ſicco, calido & humido. Humidum enim & frig. naturâ, quia calido & ſicco contrariè oppoſitum eſt, contrario victu etiam ſuſtentabis. Melius eſt autem dicere, non ſimpliciter contrario, ſed ratione indicationis illius ſolius, quæ à febri oritur eâdem, non aliâ. Sic enim eandem utrobique indicationem habebunt.

2. Jam enim ſæpè dictum eſt, quod id, quod ſecundum naturam ſemper indiget ſimilibus, quod præter naturam contrariis, ſi modò verum eſt, illud eſſe conſervandum, hoc amovendum. Febris igitur omnis cum ſit præter naturam, ideò vult victum humidum & ſiccum: temperamentum verò quandoque poſtulat ſimile, quandoque contrarium. Quod enim inculpatum, ſemper vult ſimilia: (ſervare enim fas eſt:) quod vitioſum, (ut in de Sanitate tuenda dictum eſt:) quandoque ſimile, quandoque contrarium. Et hoc meritò ita fit.

3. Neque enim exactè ſecundum naturam ſunt (quo modo enim culpabiles eſſent?) neque omninò præter naturam. Hujusmodi enim naturæ ſemper ægrotarent. Indigent enim ſimilibus, cum in aliis, de quibus iterum dicetur, tùm in ulceratis omnibus. (Demonſtratum enim id ſæpè in anterioribus eſt.) Indigent contrariis, in victu ſanorum, quod in de Sanitate tuenda doctum fuit Sed neque hoc in univerſum, ſed cum volumus corrigere intemperiem illorum & perducere ad melius. In ſanis enim eſſe nobis ſcopum duplicem, aut ſervare corpus ſanum in priſtino temperamento: aut, id ipſum meliorare. Sic, puto, res ſe habet in victu ephemerâ laborantium. Aut enim uni diſpoſitioni febrili attendam, & contrarium quæram: aut ſimul intemperiei laborantis, (& ſimile

volam,

volam.) In eâ nempè temperie, quæ citra controverſiam moderata eſt, à ſolâ febri indicationem contrariorum ſumens, humidum & frig, victum eatenus venabor, quatenus corpus eſt factum ſqualidius ac calidius ſe ipſo. Et hoc quidem manifeſtum eſt & citra quæſtionem: quare redeamus iterum ad naturas intemperatas.

4. Has enim, ut in de Sanitate tuenda definivimus, quia contingit ſervare easdem, quales accepimus; contingit verò etiam mutare in melius: conſultius fuerit, meâ opinione, mutationem victus tum meditari, cum ſine querelâ ſunt, non tum, cum jam vel ægrotant, vel diſplicent ſibi. Naturæ enim ſemper gaudent conſuetis, ut Hippocrates evidentiſſimè demonſtravit de Victu in acutis, & verò in confeſſo eſt omnibus, qui ſecundum naturam habent.

5. Qui enim ſibi diſplicere incipiunt, quod ſint extra cenſum ſecundum naturam habentium, nemo ſapiens dubitârit: de hoc potius certus eſſe volet, ſecundum an præter naturam ſe habeant? Atqui ſi indicationem quandam etiam ex conſuetudine ſumimus, ſi illos, qui longo jam tempore intemperati ſunt, victu regimus contrario: ita quoque faciemus in iis, qui ſibi diſplicent. Sin, indicationem ſumemus à ſimilibus temperamento. Hoc videtur Hippocrates quoque nôſſe, cum dicit, *Humidus victus omnibus febricitantibus confert, potiſſimum pueris, iisque qui aſſueti ſunt huic victui.*

6. Febricitantibus enim, quâ febricitant, humidus victus ex lege contrariorum proficuus eſt: pueris autem ex ſimilium. Eodem modo indicationem à conſuetudine ceperunt, ut & illam, quæ ab ætate. Ætas enim cum ſit ex rebus ſecundum naturam, ſimili illi victu opus habet. Inde ſumta eſt & illa indicatio, quæ petitur à conſuetudine. Servari enim & hanc vult, non minus quàm temperamentum puerile.

7. Quare & nos fas eſt ab omnibus, quæ circa ægrum viſuntur, capere initium conferentium, & conſiderare, quatenus indicationes conſentiant, aut diſſentiant. Ubi enim omnia ſunt æqualia, conſtituemus unam victûs ſpeciem: ubi pugnant inter ſe, fortiora & plura præferemus, ut tandem ex his conſtituatur victus, non neglectis contrariis. Prælatio illa aliquando quidem fit, cum, miſto inter ſe utroque, una auxilii materia prodit: aliquando fit, particulatim ſumtis. Hic ſermo communis eſt omnibus contrariis inter ſe indicationibus: quo modo autem tractare oporteat, ſi vel ipſi morbi complicentur, vel unum quidem ſit tale, contrà autem eat vel nativum ægri temperamentum, vel aſcititium, vel ætas, vel conſuetudo, vel regio, vel anni tempus, oſtendam in particularibus.

8. Nunc cum propoſitum nobis ſit ex ratione elicere victum convenientem ſingulis intemperiebus, communis methodi modus, quem inſtitui, veluti in exemplo inquiratur. Age igitur, duo homines febri corripiantur, qui in regione temperatâ habitent, in quâ etiam educati ſint, ſed mutârint locum: ſit alter in

calido & ſicco, alter in frigido & ſicco: ſint etiam diverſi temperamenti & naturâ, & conſuetudine,& ætate: ſint porrò etiam, ſi ita vis, in diverſis regionibus, in diverſis aëris conſtitutionibus: ut hic quidem calidus ſit & ſiccus Naturâ, & conſueto victu, qui & juvenis ſit, & laboret hyeme, loco frigido & humido,& conſtitutione tali: ille autem frigidus & humidus,victu etiam utatur tali, ætate puer, qui laboret æſtate, in loco calido & ſicco,in conſtitutione tali. (Hæc omnia ita ponantur.) Quæ jam in utroque ſunt indicationes? Quæ à febre,utrique eſt communis: debes enim humectare & refrigerare. Reliquarum nulla eſt communis. Priori quidem,& propter naturam, & propter ætatem,& propter conſuetum victum, cibi ſunt opportuni calidi & ſicci. Sed & debetur illi talis propter anni tempus, & conſtitutionem aëris,& locum. Non enim indicatio hæc à ſimilibus eſt,ſed à contrariis. Alteri autem, qui ſuppoſitus eſt,propter ætatem, naturam, & conſuetudinem quidem ſimilibus opus eſt humidis & moderatè calidis, propter ætatem, humidis autem & frigidis,propter eandem naturam & conſuetudinem; at verò propter locum, anni tempus,aëris conſtitutionem,contrariis. Hæc ipſa aliquando tantò ſunt frigidiora & humidiora temperatis, quantò ipſa loca ſunt calidiora & ſicciora. Indicatio enim à conſuetudine ſemper eſt ſimilium, quamdiu ægrotant homines: ſed ab ætate,naturâ,regione,anni tempore,conſtitutione,in temperatis quidem indicatio ſemper eſt ſimilium præſidiorum, ſive valeant, ſive decumbant, in intemperatis autem temporibus anni,conſtitutionibus & regionibus,indicatio eſt contrariorum: ætatibus autem & naturis non ſimpliciter, ſed cum conſuetudine.

9. In indicationibus contrariis nihil tam attendere oportet,quàm magnitudinem eorum,quæ huc faciunt.Hoc duplex eſſe oſtendimus in opere de Sanitate tuenda. Alterum,quod metimur dignitate indicantium: alterum, quod propriis ipſorum (ut quis dixerit) ſubſtantiis, quas ſumendas eſſe diximus ex comparatione cum ſymmetro ſeu nativo. Niſi enim quis ita ponderet indicantium facultates,fieri non poteſt,ut inveniatur menſura victus. Cum enim febris ſemper indicet refrigerationem & humectationem, aliorum autem quodque, ut dictum eſt: ſi conſentiant indicationes,nihil difficultatis eſt; ſi diſſentiant, variare oportet ſecundum magis & minus victum. Ex hypotheſi enim,febrim eſſe,indicatio oritur communis refrigerandi & humectandi: non ita de aliis.Sed quod ætas,temperamentum cum conſuetudine,regio,tempus anni,conſtitutio, indicationem etiam habeant refrigerandi & humectandi non ſolum extra dubium fit illud,deberi hunc refrigerari & humectari: ſed & hoc,non ſuperficialiter,& utcunq;,ſed validè & maximoperè,quod omnes ſcopi eò tendant. Ubi verò reliqua omnia non indicant victum humidum & frigidum, ſed contrarium,calidum & ſiccum: dubietas oritur & pugna indicationum inter ſe. Quo caſu maximè opus eſt comparatione indicationum ſecundùm numerum & magnitudinem.

10. In-

10. Indicatio enim à febri numero quidem inferior eſt, cum alia omnia contrarium ſuadent: ſuperior autem eſt magnitudine & dignitate & potentiâ, aut ſi quo alio nomine vocare velis, præcipuè, cum plurimum à naturâ receſſit. Duplex enim heic magnitudo eſt, & generalis, quà febris eſt: & ſpecialis, quà talis. Etenim, quia febris eſt, rapit nos vehementer ad ſe: & quia magnitudo ipſius notabilis eſt, ideoque occultat & quaſi inumbrat indicationes contrarias. Si parva ſit, reliquas indicationes omnes cum illâ conferre oportet, & examinare. In quo examine ſi æquales fuerint, neq; indicatio à febri ſuperabit, ut refrigerandũ & humectandum ſit: neq; aliorum, ut calefaciendum & ſiccandum, ſed eligemus mediam quandam viam victus in ita habentibus corporibus.

11. Ubi verò dominium habuerit altera indicatio, tantum diſcedemus à moderatâ & mediâ victus ratione, quantum ſuperant ea, quæ dominium habent, contraria.

12. Medicum igitur exercitatum in his omnibus eſſe oportet, prætereà naturâ prudentem, ut ſingularũ indicationum vim benè exputet, invicemq; contendat omnes. Sic enim unum veluti caput cumulabit proprii laborantium victus.

13. Ex his igitur ſcopis ſumuntur ephemerarum indicationes, rariuſculè ex viribus etiã ægri: πολυημέρων autem neceſſariò aſſumunt illam à viribus. Reverà enim non exiguus inde ſcopus ſumitur. Prætereà, cauſam etiam annectunt, præterquam in hecticis. Illas enim nulla cauſa accendit, quemadmodum neque corpus, quod hecticam ignis caliditatem in ſe recipit, ſive lapis ſit, ſive lignum. Hoc enim illis commune eſt cum ephemeris, quod non amplius fiant: differunt autem in hoc, quod ephemeræ calorem habent ſcheticum, hecticæ hecticum.

14. Poſſet quis dicere, etiam indicationem à viribus ſemper adeſſe, cum in aliis morbis, tùm in hecticis. Nos verò hoc in loco non indigemus illâ, quia primò non indicat, ſed per accidens, de quo in ſeq. dicam.

COMMENTARIUS.

15. Multa heic ſunt ἀξιομνημόνευτα. §.1. eſt, quomodo victus ſit mutandus, pro diverſitate temperamentorum. Hac in re magna eſt difficultas in ſimili & contrario, de quibus §.2. Non ſemel dixi ſuprà, contrarium eſſe duplex, alterum ſimpliciter dictum: alterum cum adjectione, contrarium ſimile. Illud debetur morbo, quà morbus, v.g. febris. Huic enim quia calidus & ſiccus, debentur frigida & humida. Hoc debetur morbo Socratis, ſive Socrati febricitanti. Socrates quia temperatus, debentur illi frigida & humida temperata, v.g. cichorium, & cichoracea. At juveni æſtuoſo deberetur lactuca, quæ ſpirat tota opium. Hoc enim eſt contrarium-ſimile, puta in gradu. In partibus eſt proportionatum quid. Laboret ruſticus ſenex ulcere dyſepuloto in crure: laboret & virgo tenella. Profectò non curabis utrumq; eodem ſarcotico, ſed illum quidem validiſſimè ſiccante, hanc autem

moderatè ſicco. Et hoc eſt, quod dixi, Medicus rationalis poteſt tranſire de medicamento ad medicamentum, quia ſumit indicationem etiam à loco affecto: Empiricus non poteſt, quia negligit. Laborabat ſuperioribus annis virgo provectæ ætatis ulcere cancroſo in ſuperiori labio, in quo fruſtrà occupabantur tonſores noſtri: ſupervenit Empiricus è vulgo, qui curabat adhibitis cauſticis. An fuit Arſenicum cryſt. pulv.? Hoc enim utebatur Ant. Fuchſ., dictus Norībergæ der Welſche Doctor, origine Monachus Venetus, ubi vocabatur il frate di cancaro, quem novi ego in adoleſcentiâ. Communicavit SCHERBIUS. At tu aliud docuiſti 6. Inſtit. 1. §. 5. Non credo: ſi tuâ opinione obſcurior fui, adde hæc pro explicatione. Uno verbo, Medicus utrobique quærit contrarium, ſed ſimile in gradu.

16. §. 7. incipit agitare quæſtionem, *Quid faciendum ſit in indicationibus contrariis?* Res Sphinge digna! Noſtri, dum occupantur in eruendo Galeni ſenſu, alii huc eunt, alii illuc. Ego conatus ſum perſpicuè dicere, quod res vult. Nec repeto.

Finis Lib. VIII.

METHODI MEDENDI LIB. IX.

CAPUT I.

1. Quomodo curandæ ſint, O Eugeniane, ephemeræ, expoſui libro ſuper. qui in ordine octavus eſt totius operis. Hujus generis febrium unicus eſt paroxyſmus, utplurimùm circumſcriptus uno die, ſecundum ſc. naturam ipſius. Quæcunque enim aut propter Medicorum inſcitiam, aut ægrorum intemperantiam, aut adſtantium temeritatem peccantur, & transponunt febres in aliud genus, non eveniunt naturâ ipſarum. Mirum enim non eſt, ſi propter errata vel in longum tempus extrahuntur, vel in alios morbos mutantur, quandoquidem & fieri poſſunt, cum anteà non eſſent. Nam ſi neque ſanorum quiſquam ſine periculo peccat, quomodo ægri tuti ſint?

2. Cæterùm, cum reſtent duo febrium genera, ut oſtenſum eſt l. de diff. feb. alterum putreſcentibus humoribus fit, alterum ſolidis animalis partibus affectis, ἑκτικὸν appellatur: in alterutrum ſæpè degenerant ephemeræ, ut anteà oſtendimus, niſi quis debito modo tractet.

3. Ut autem in aliis rebus omnibus, quarum communis eſt natura, uno genere comprehendimus, & ideò in ſe invicem mutantur, fitque in tranſitu ipſarum tertia quædam ſpecies, quæ neutrius accuratè formam habet; ita in ephemera-

merarum degenerationibus imaginetur ſibi quis aliud quoddam genus, quod cum neutro extremo ſit idem. Et videtur mihi de hoc primò definiendum eſſe, ut, velut in aliis quoque, ita hoc ſtatim atque factum eſt, prohibeatur ulterius progredi, ne, cum auctum eſt, aut difficulter aut prorſus inſanabile fiat. Id verò, quod medium eſt, neque cognoſci poteſt, neque curari, ignoratis extremis, è quibus conſtat.

4. Tibi verò, qui jam didiciſti ephemerarum ſigna, & reliquorum duûm generum, poſtquam aut ephemeris deeſt aliquid, quò minus legitimæ ſunt, aut reliqua duo ſimul ſe ingerant, nihil impedit, quo minus ſuſpiceris, febris hujus degenerem eſſe naturam. Exempli gratiâ: In ephemeris ab exuſtione Solis, cruditatibus, laſſitudinibus, vigiliis, affectibus animi, bubonibus, à cauſâ manifeſtâ factis, ultra tertium diem non extenderit ſe paroxyſmus, niſi error aliquis interveniat circa ægrum: at in cutis denſitate contingit aliquid amplius fieri, h.e. prolongari paroxyſmum. Quia enim denſitas exſiſtit, aut obſtructis aut conniventibus poris, aut etiam toto corporis habitu coacto inſtar filtri: rationabiliter diximus, à frigore, à balneis, ſive contactu refrigerantibus, ſive facultate (adſtrictoriâ,) à medicamentis talibus, præterea ab iis, quæ cutim ſiccant, ut Sol flagrans, item, quæ denſant illam, coguntque, ut dura frictio, præſertim poſt frigus, (ab his omnibus, inquam,) intus quidem cohiberi (veriſimile eſt,) exhalationes corporis fumoſas & fuliginoſas: accendi autem ab iis febres.

5. Sed ab his quidem, ut dixi, fieri denſationem totorum corporum, & conniventiam, occluſionemque pororum: obſtructionem autem eorundem pororum, ab humoribus viſcidis, craſſis, copioſis. Hinc adeò veriſimile fit, febres, quæcunque ſe oſtentant aut poſt conniventiam pororum, aut condenſationem recentem corporum, conquieſcere poſt primum paroxyſmum, ſi quis rectè illis obviam eat, & eſſe, dicique ephemeras: quæcunque verò ab obſtructione ſunt, ſiquidem exigua illa ſit, ſolvi illas ſimili modo, quo reliquæ ephemeræ, ſi quis curam inſtituat decentem; ſi verò validè impingantur, ut vecte opus ſit valido, extendi quidem neceſſariò ultra diem unum; excidiſſe autem è cenſu ephemerarum. Quo enim modo ephemera dici poſſit, quæ extenditur ultra tertium? Debebat enim quieſſe altero die, quod ſecum fert appellatio. Dictum enim anteà eſt, quod ita dicta dies eſt 24. horarum, ſi annumeretur etiam nox.

6. Etenim, ſi neque humorum putredo adſit, neque corpus calorem hecticum præ ſe tulerit, neutra ex his ſit. An igitur in primâ febrium diviſione tribus dictis generibus oportet addere quartum, an potius, inſuper habito novo nomine, ephemeras vocabimus? Neque enim è ſubſtantiâ ipſâ tractum eſt hoc nomen. Carentes igitur proprio nomine, clarioris & brevioris doctrinæ gratiâ, ab eo, quod utplurimùm ſequitur, nomen impoſuimus. Natura igitur eſt eadem cum ephemeris: nomen non eſt idem.

COM-

COMMENTARIUS.

7. Magni momenti res heic agitur: quæ tamen nauci eſt apud pleroſque Practicos. Ita quidem eſt, rarò vocamur ab initio: ſed & cum vocamur, quis noſtrûm curat Methodicè? quis obſervat tranſitum ephemerarum in putridas? quis in ephemeris à ϛεγνώσει facit officium, ut ſuprà queſtus ſum? Adeò verum eſt dicterium illud in noſtro quoque ægro: *Qui negligit ſcientiam, negligit ferè conſcientiam!* O ſapite vel tandem Medici!

CAPUT II.

1. (SEd quod eſt nomen illud?) In quibuscunque febribus ephemeris paroxyſmus extenditur in plures dies, Σύνοχοι appellantur. Et eſt nomen ipſum non Græcum: ſed maluerunt Medici ſolœciſmo uti potius, quàm ſpeciem hanc innominatam relinquere. Sed, veluti ſpecies hæc eſt una: ſic natura non eſt ſimplex & una. Quædam enim perſpicuum putredinis ſignum habent: quædam nullatenus habent, quas ex genere ephemerarum eſſe dicimus. Quia enim paroxyſmi finis eſt, cum humores non ebulliunt amplius; non fiat autem transſpiratio in validis denſationibus: neceſſariò extendit ſe paroxyſmus in plures dies.

2. Quando igitur in tali febri occaſio nulla eſt, à quâ principium oriatur novi paroxyſmi, ut πολυήμερος fiat; neque invaſionem ullius paroxyſmi facit. Manet autem à principio uſque ad finem idem paroxyſmus, (una febris,) quæ neque typum quotidianæ, tertianæ aut quartanæ habet.

3. Tu verò cum audis me dicentem, In validis corporum condenſationibus coërceri calorem febrilem, non ita accipiendum eſt, denſationem eſſe exquiſitam, ſeu totalem, ut nullis humoribus quantumvis attenuatis intercludatur exitus: neque enim de oſſibus hoc verè dici poteſt, neque de carnibus, neque de cute: ſed ſi multa ſit bullientium humorum evaporatio; diffluat autem extrorſum parùm: ex neceſſitate fit, ut, quod relinquitur, & foveat febrim, & exurat proxima.

COMMENTARIUS.

4. Quod Gal. alicubi dicit, ſe neminem unquam reprehendiſſe ob ſolœciſmum, intelligere oportet de vocibus uſu receptis, qualis σύνοχος. Quare ægrè ferre non debent Candidati noſtri, ſi liberius corripiantur ob barbariſmos. Non enim ſunt hujus ætatis, ſed illius, quæ ſub ferulâ eſt. Eadem ratio eſt locutionum impropriarum. Non enim propterea ephemeræ pro ſubjecto habent ſpiritus, quia aliquando cum illis loquitur Gal. qui id volebant: quin in flore ſan-

guinis eſſe apertè teſtatur heic, cum ζέσιν agnoſcit. Spiritus non ζέουσι, quia ſunt in fieri. Eſt etiam levis ἀκυρολογία in illis, *In humoribus quantumvis attenuatis.* Sub vaporis enim ſpecie exeunt.

CAPUT III.

1. QUoniam igitur, cur febris duret? à duabus cauſis pendet; Et non transſpirare totum vaporem, Et concalefieri partes vicinas: neceſſe eſt triplicem differentiam ſtatui Synochorum. Aut enim eadem eſt magnitudo, illa, inquam, quam febris in vigore primi paroxyſmi habuit: aut augetur parum, aut minuitur quid, & hoc fit, vel æqualiter, vel inæqualiter.

2. Igitur, ſi, quod transſpirat, eſt æquale illi, quod accenditur, & calor febrilis neque major fit, neque minor: ſed ita manet ſibi ſimilis, ac ſi nihil vel adderetur, vel minueretur. Nihil enim intereſt ad æqualitatem permanentiæ, aut ſervari in univerſum eandem ſubſtantiam, aut æquale eſſe, quod additur. Sed ſi alterutrum ſuperet, ſi quod vacuatur, neceſſariò febris minuitur: ſi quod additur, augetur omninò.

3. Manifeſtum eſt autem, quod cauſa vel augmenti, vel decrementi eſt in inæqualitate copiæ. Aliquando enim major eſt, aliquando minor vel generatio vel transſpiratio. Neque verò in iis, in quibus major eſt, neceſſariò in omnibus augmentum eſt æquale: ut neque in iis, in quibus eſt minor, decrementum: utrobique lata eſt differentia.

4. Unum igitur ſive genus Synochorum, ſive ſpecies, ſive alio quocunque nomine appelles eſt, quod ejuſdem eſt naturæ cum ephemeris. Alterum, cum in omnibus vaſis, præcipuè majoribus, æquabiliter humores putreſcunt. Neutra hæc febris fit in corpore gracili & frigido: ſed utplurimùm in ſanguineis & carnoſis. Obſtructiones enim ſine putredine non fiunt, h.e. niſi, quod non transſpirat, ſit multum & calidum. Nimirùm, putredo humorum in omnia vaſa, quæ ſunt inter alas & inguina, æqualiter & ſubitò in naturis frigidis extendi non poteſt. Quæ enim putreſcunt, debent eſſe calida & humida, ſimulque difficulter difflabilia. Proptereà, neque in frigida ætate, neque in frigido temperamento, ſive naturali, ſive aſcititio, Synochi febres fiunt. Ita nec in gracilibus & raris: ſed in ætate & naturis calidis tàm ab origine, quàm poſteà.

5. Præcipuè, cum carnoſi ſunt & ſanguinei ægri cum habitu denſo, & excrementorum calidorum copia. Ideò qui ita febricitant, pulſum habent magnum, æqualem & vehementem. In his conſiſtentia arteriæ neque durior, neq; mollior eſt, cum ſecundum naturam ſe habent. Celerior & denſior, pro magnitudine febris, pulſus eſt. Hæc igitur utrique communia ſunt: adeſt alteri proprium ſignum, putredo in urina & pulſu, cum calore inſuavi,

COMMENTARIUS.

6. Cauſam dat, cur, quæ febres utplurimum unum tantum durant diem, unde ἐφήμεροι dicuntur, fiant aliquando πολυήμεροι? Videtur autem oratio defecta, & ex 2. Diff. febr. 2. ita integranda §. 4. *Cum ephemeris, idque ſine putredine, & dicitur Synochus imputris.* Et poſteà, *Putreſcunt, idque tripliciter: aut enim calor ſubinde accreſcit, & dicitur σύνοχος ἐπακμαστικός: aut eodem modo decreſcit, & vocatur παρακμαστικός*: aut in eodem ſtat, & ὁμοτόνος vocatur. Hanc correctionem non confirmabo multis, quia hujus loci & temporis non eſt. Hoc tacere non debeo, Locum cap ſeq. §. 7. ſanari poſſe transpoſitione, ut ἰσοδυναμοῦντα ſint τὸ ἀκμαστικὸς, καὶ ἐπακμαστικὸς, quod apud Græcos non eſt inſolens.

CAPUT IV.

1 UT in exemplo tecum agam. Meminiſti duorum adoleſcentum, quos vidiſti, cum mecum obambulares. Erat horum alter liber, & Gymnaſticæ deditus: alter ſervus, non imperitus quidem Gymnaſticæ, ſed minimè in palæſtrâ verſatus, qui tamen quotidianis exercitiis & operibus intererat. Ille igitur, quem liberum eſſe dixi, ſynocho laborabat imputri: ſervus verò putri. Utrique quam curam adhibuerim, tempus eſt ut dicam.

2. Maximè enim exerceri adoleſcentes par eſt in exemplis. Nempè enim methodi univerſales non ſufficiunt ad cognitionem rei accuratam: meliora autem ſunt exempla illa, quæ ipſi vidimus. Quod ſi omnes, qui vel docent, vel ſcribunt, opera prius ipſa exhiberent, pauca omninò falſa dicerentur. Nunc plerique docere alios volunt, quæ ipſi nunquam aggreſſi ſunt, neque aliis demonſtrârunt. Vulgares enim Medici, cum negligant benè inſtituta, mirum non eſt, opinionem ſcientiæ potius quam VERITATEM ſectari.

3. Apud nos non ita agitur. Non enim heri demum aut pridem, ad Philoſophiam acceſſimus, ſed à pueritiâ. Deinde, cum Pater perſpicuis ſomniis admonitus eſſet, ad Medicinæ exercitium divertimus, & per totam vitam, utramque diſciplinam, operibus potius quàm verbis ſectati ſumus. Quò minus mirum eſt, ſi dum alii ſalutationibus dediti totam urbem circumeunt circulo, cum divitibus & potentibus cœnant, eos circumquaque deducunt: Nos toto hoc tempore laboramus, ſtudemusque ea, quæ veteribus ſolerter inventa ſunt, operibus comprobare, dijudicare, actu oſtendere.

4. Ergò juvenem gymnaſticum, cum febricitare cœpiſſet primâ noctis horâ, vidimus ſeq. die horam circiter tertiam. Videntes igitur calorem ſic ſatis intenſum, non acrem tamen; pulſus æquales, magnos, celeres, denſos, vehementes; urinas conſiſtentiâ & colore non prorſus alienas à naturâ; audien-

tes

tes etiam, neglexiſſe hominem exercitia conſueta ad dies uſque 30., niſi quod præcedenti die exercitium quidem obierit vehemens; ſed non protraxerit; comederit etiam pro more ; concoxerit quidem, ſed tardiuſculè, & difficulter, quaſi jam ſub veſperam febris ſe oſtenderit. Hic cum facie rubicundâ eſſet, & ſanguinis plenâ, & fateretur ipſus, ſe plethoram ſentire, quidam etiam venæ ſectionis mentionem feciſſet : viſum tamen mihi eſt differre conſultationem auxilii hujus in aliud tempus, partim, ut melius inſtrueremur de genere febris, partim, neceſſitate ita volente ob prægreſſam βραδυπεψίαν. Poſtquam autem ſub veſperam etiam viſa eſt febris in eodem vigore eſſe, nullam quidem ſenſibilem vacuationem molitus ſum, ſed ſuborta eſt ſuſpicio ſynochi ex obſtructione copioſi ſanguinis, carniumque mole, à quibus ςέγνωσις. Cum totâ nocte ſtetiſſet eadem febris magnitudo, ſeq. die viſum eſt omnibus viſitantibus Medicis, venam eſſe ſecandam. Oborto autem diſſenſu de tempore, obtinuerunt illi, qui in craſtinum dilatam volebant. Totâ hac die viſa eſt febris ſibi ipſi ſimilis. Ingruente tertiâ nocte, alius quidem non apparuit paroxyſmus, analogus primo : æſtus autem laboranti fuit intolerabilis, totũ corpus tendebatur quaſi plethoricum, pulſus in capite, vigiliæ ob id perpetuæ, juvene ſubinde de latere in latus ſe jactante. Quod cum non amplius ferret, circa horam noctis fortaſſis octavam, miſſo ad me quodam è domeſticis obſecrat, ſubitò veniam ad ſe. Obtempero, abeo, deprehendo febrim intenſam, & pulſus, quales dixi. Cum neque in his, neque in urinis, neque in qualitate caloris appareret ſignum aliquod putredinis humorum, videbatur conſultum ſecare venam, priusquam putredo inciperet. Aufero igitur de induſtriâ tantum ſanguinis, ut deliquium ſequeretur. Hoc maximum eſſe remedium in febribus ſynochis dictis, & ratione, & experientiâ edoctus affirmo.

5. Primùm enim refrigeratum in lipothymiâ corpus celerrimè devenit in contrariam diſpoſitionem. Hoc, neque ægris, neque facultati corpus regenti quidquam ſuavius, aut accommodatius. Deinde in talibus neceſſariò ſequitur dejectio alvi, in quibusdam etiam vomitus bilioſus. Mox madores per univerſum corpus, aut etiam ſudores. Omnia hæc illi quoque ſupervenientia confeſtim febrim exſtinxerunt ita, ut quidam ex præſentibus dicerent, *O homo, jugulâſti febrim* ! Super hoc verbo omnes riſimus. Atque ut finem ſermoni imponam, nihil mali fuerit hæc ſuperaddidiſſe, Poſt duas à phlebotomiâ horas, parum alimenti dedi ægro, &, imperatâ quiete, diſceſſi. Rediens horâ quintâ tam profundè dormientem inveni, ut tangentem me non animadverteret. Et dicentibus, qui illi miniſtrabant, Tam profundum eſſe ſomnum, ut nec abſtergentes ſentiret ! ſuaſi, ita pergerent. Eſſe enim hominem jam prorſus à febre liberum. Reverſus iterum horâ decimâ, inveni & tunc dormientẽ illum. Exiens denuò ad alios ægros, veni horâ 1. noctis, non jam ſilens, ſed de induſtriâ altè vociferans, ut æger excitaretur è ſomno. Quod ubi factum eſt, ptiſſanæ ſolius ſucco cum

 cibâſ-

cibâſſem illum, diſceſſi. Addens verò ex abundanti diem ſeq., lavatum dimiſi die illo. Et hæc quidem circa hunc acta ſunt: quæ circa alterum, jam ordior.

6. Totâ die fatigatus ille, cum poſt balneum parum comediſſet, noctu cœpit febricitare, continuans totum ſeq. diem. Viſitavimus autem illum poſt alteram noctem, in cæteris eodem modo affectum, præterquam quod evidentia aderant putredinis ſigna. Venam igitur confeſtim ſecuimus, & uſque ad lipothymiam ſivimus fluere. Poſt hoc, idoneum interponentes ſpacium, nutrivimus, melicrato quidem primùm: poſt horam ab illo unam, ſucco ptiſſanæ. Ut omnia hæc facta ſint intra quinque horas. Cum febris ſemper ſibi ſimilis eſſet, exſpectavimus ſynochum putrem. Et ſic etiam factum eſt. Cum enim conſpiceremus illam circa horam noctis ſecundam in eâdem magnitudine, tertio die futurum paroxyſmum, ſive is futurus eſſet, ſive non eſſet, accuratè volui obſervare, præcipuè ſeptimam noctis horam ſuſpectam habens. Summo igitur manè ægrum accedens, inveni, quod metui. Neque enim tertio die paroxyſmus venit, ſed apparuit febris paulò remiſſior, quàm reliqueramus veſperi. Cum vidiſſem etiam meridiè, jam certus eram de remiſſione, adeoque ſynochum eſſe *παρακμαστικὸν*. Quare tunc quoque nutrivi eodem modo. Ubi tranſiit etiam nox quarta, manifeſtè minor evaſit febris die quarto. Hoc die pariter eodem modo nutrivi, imitatus morem remittentis, & totâ illâ die, & nocte ſubſequente quintâ, in quâ manifeſtiſſimè minor erat quàm anteà. Proportionales huic remiſſioni erant & urinæ, & jam obſcurum non erat, febrem ſeptimo die ceſſaturam. Et ſic factum eſt. Exquiſitè igitur *παρακμαστικὸν* ſe ſtitit nobis hîc ſynochus.

7. Vidi multos ſynochos (putres) alios *ὁμοτόνους*; alios *ἀκμαστικοὺς, ἢ ἐπακμαστικοὺς*, aut quomodocunque appellare voles; alios tandem *παρακμαστικοὺς*, qualis & hic erat. Horum quidam ſtatim primo die ſigna habuerunt putredinis; quidam tertio: quidam cum longiſſimè, quarto. Hoc fit vel ob ignorantiam Medicorum, venam non ſecantium: vel ob timiditatem ægrorum. Eorum enim, qui ab obſtructione ſolâ laborant, nemo incidit in putridam, ſi modò prævenire voluerunt venæ ſectione, conſtantibus viribus, nec repugnante ætate, uſque ad lipothymiam. Horum quid ſi deſit, tamen ſecanda eſt vena, & auferendum primo die, quantum videbitur, poſteà, quantum opus fuerit. Qui ita laborant, niſi vena illis ſecetur, in extremo ſunt periculo, niſi eripuerit illos morti præſenti, aut hæmorrhagia copioſa, aut ſudor multus. Interim quidam ex Medicis, licet videant, Naturam non paucos ſervâſſe hoc modo periclitantes: repudiant tamen venæ ſectionem, neque experientiam, neque veram rationem pro ſe habentes. Hos ſinamus, poſtquam ſufficienter contra illos diſputavimus libro ſingulari de venæ ſectione contra Eraſiſtratum: nos ad propoſitum redeamus.

COMMENTARIUS.

8. De duplici ſynocho duæ ſunt heic hiſtoriæ pulcerrimæ, quæ duplicem habent abuſum. Alterum, cum quidam ex illis pertendunt, licere in ipſo paroxyſmo cibare. Inſignis ἀδιοςιςία! Videant ſocii, in quâ febre, in quo paroxyſmo Galenus fecerit! In ſynocho, cujus paroxyſmus ſæpè ſe extendit ad triduum, imò ſeptendium! cujus finem ſi exſpectare voles, quovis Diatritario pejor eris. In ſynochis igitur ſolis & licet, & neceſſarium eſt: Licetne etiam in continuis? Non, ſed neceſſarium eſt. Tum verò eligere oportet horam leviorem, in quâ minus laborat Natura. In intermittentibus tam non licet, ut nemo unquam tam furioſus fuerit, qui cogitârit?

9. Alterum, quod quidam hinc damnent omnem ad animi deliquium venæ ſectionem. Cogitate iterum, O ſocii, in quibus temperamentis Gal. admiſerit? In calidis & humidis, quos ſuprà vocavit πυλυαίμυς καὶ πολυσάρκυς. Admiſit verò etiam excluſivè, non incluſivè. Quâ de re videris Maſſar. in quæſtione de ſcopis mittendi ſang. Quem moneo ex h.l. Nolit d. quæſt. f. 81. abſolutè juxta ſe ponere Synochos, & Continuas-tertianas. Ibi enim major eſt fiducia in viribus: heic non eſt, quod alioquin facilè exſolvantur. Eandem admonitionem inſtillo auribus illius f. 109. cum explicat nobilem illum locum 11. Meth. 11. Saluberrimum autem &c. Reverà Gal. nimis largus eſt, cum iterum abſolutè comparat Synochos cum omnibus febribus putridis. Hæc diſtinguere vitæ intereſt.

10. Mihi in tranſcurſu hoc libuit adjicere, purgationem ad animi deliquium, de quâ præcipuè 1. Aph. 23. extr. nunc quoque videri adulterinam. Vide, ſis, d. Maſſ. in quæſt. alt. f. 234.

CAPUT V.

1. PRopoſitum autem erat de iis velle agere febribus, quæ ςεγνώσεις ſequuntur illas, quæ ab obſtructione, quæ cum absque putredine ſunt, dixi ex ephemerarum cenſu eſſe: ſi verò illis putredo ſuperveniat, vel ſtatim ab initio, vel poſteà, quæ conſpiciendam ſe det, vel in omnibus vaſis, vel in majoribus, Synochos eas vocari. Illa putredo ſi fit in unâ aliquâ parte, periodum habere, qua exacerbentur, (conſtituantque Intermittentes.) Sed de his quidem iterum.

2. Quod verò bis, terve, ac ſæpius, iterum ac iterum dicendum eſt, Si ita affecti rectè volent curari, venæ ſectio amplectenda eſt. Quibus enim corpus ob copiam humorum minus difflabile eſt, & colligit tantum calorem, ut febricitet, iis tantùm ſanguinis auferendum eſt, quantum vires ferunt, Niſi enim

enim hoc auxilium locum inveniat,ſuffocari ita diſpoſitos denique oportet,minimùm ſyncope prehendi, & mori, niſi à morte liberet eos naturæ robur, aut largam hæmorrhagiam excitantis,aut copioſum ſudorem.

3. Hinc manifeſtum eſt,etiamſi ego non dixero, iis certè, qui l. de Pleth. legerunt ſtudioſè,quãquam & nunc idipſum à me dicetur,Nobis heic ſermonem non eſſe de plethorâ ad vires,(non enim obſtruit ora vaſorum, ut impediatur prorſus reſpiratio: neque tendit tunicas ipſorum,aut ruborem, tumoremve facit,multò minus inhibet transſpirationes carnis & cutis:) ſed quia nequeunt vaſa amplius continere ſanguinem,qui ob id aſſolet rumpere illa, & aperire, & alia ſymptomata jam dicta affert,obſtructionem,&c. *

4. Et ſic quidem finem habet ſermo meus, cui hoc addam. Hæc copia cum bona ſit,augere nata eſt robur facultatis: at verò ſi gravet illam,nec augebitur amplius,nec bona perſeverabit. Si enim ſemel amiſerit ornatum ſuum naturalem,fieri non poteſt,quin putreſcat. Quare, nec aliud quodque corpus cal.& hum., ex externis iſtis, videmus manere imputreſcibile. Ideò oportet properare ad ablationem ſanguinis,ut vaſorum natura, ex ventilatione & agitatione naturalem ſuam temperiem nacta,priſtino more gubernet humores. Si enim ab intemperie affligatur,periculum eſt putredinis.Intemperies fit à calore febrili,quàm ſi indoctus aliquis Medicus auxerit differendo vacuationem, à quâ pendet cauſa στεγνώσεως,in incerto eventu poſteà ſit oportet omne auxilium.

5. Cum enim copia vacuationem deſideret, calor exſtinctionem, pugna & ſeditio fit inter auxilia curativa. Quæ enim exſtinguunt, licet naturæ reddant temperiem ſuam: tamen detinent copiam intra corpus. Ita,quæ vacuant rarefaciendo,tamen calefaciunt. Quare, dum vacuationem inſtituis, febrim auges: dum febrim oppugnas,copiam ſinis. Huic dubio ſe induunt, qui non ſtatim à principio vacuant,ſeducti ab Eraſiſtrato, qui neque ſpontaneas vacuationes imitari audet.

6. Optimum igitur,ut vidiſti nos ſemper facere,non dierum numero quâvis in re mentem adhibere: ſed ſolis viribus,in ejusmodi febribus. Si enim illæ ſerventur,licet venam ſecare,non ſexto tantum die,aut ſeptimo,ſed & ſeq.

7. Sin cogaris adeſſe ægro,in quo non tantum ab initio ſit prætermiſſum hoc auxilium,ſed & nunc,vel ob inſcitiam Medicorum,vel ob timiditatem ægri domeſticorumve, in longius tempus protrahatur: de frigidæ potione cogitare oportet. Sed diligenter æſtimare æquum eſt,quot damna illam excipere poſſint. Si futurum ſit parvum aliquod,aut etiam nullum,frigidiſſimam dabis, & in ea copiâ,in quâ æger ipſe velit. Securior etiam eris, ſi ille aſſuetus ſit. At ſi magnum quid exſpectes, abſtinebis potius, aliisque intentus eris remediis, quæ & obſtructiones expediunt,& plethoram vacuant,& fervorem contemperant.

8. Intempeſtivæ potionis,ut & immodicæ,hæc ſunt damna: Prohibet extenuationem & diſcuſſionem viſcidorum humorum, ſive fecerint obſtructio-

nem

nem, ſive putredinem, ſive inflammationem, ſive eryſipelas, ſive ſcirrhum, ſive œdema. Ubi igitur febris ex his conſtiterit, non promovet vacuationem illorum frigidæ potio. Quin, licet ab initio levamen præſtet in exſtinguendâ febre jam factâ: tamen quia cauſa etiamnum durat, aliam de novo excitat febrim, utplurimùm graviorem illâ, quod à frigidâ denſatum jam corpus ſit.

9. Et hoc eſt damnum unum non contemnendum, alterum tale eſt: Partes multæ debiliores, ſive ob naturalem intemperiem, ſive ob læſionem aſcititiam ab aquâ frig. læduntur. Nam huic quidem œſophagus tam acriter læſus fuit, ut difficulter deglutiret: illi autem ventriculus, ut vix coqueret: aliis os ventriculi: aliis rurſus hepar: aliis colum: aliis pulmo: aliis diaphragma: aliis renes: aliis veſica, aliis alia pars à frigidâ aquâ ita perculſa fuit, ut inhabilis fuerit in poſterum ad propriam actionem. Quidam etiam ab intempeſtiva & immodicâ potione, non longo tempore poſt, ſed ſtatim facti ſunt dyſpnoici, epileptici, tremuli, quippe (ut uno pugno comprehendam,) totum genus nervoſum vexatur. Novi, quod timidiorem te fecerim ad dandam frigidam iis, quas dixi: tu verò etiam vidiſti me eundem ſæpè uſum illâ, cum magnâ felicitate, & absque ullâ ſenſibili ægrorum læſione. Quibus enim in parte aliquâ principe diſpoſitio vel inflammatoria, vel œdematoſa, vel ſcirrhoſa, illi uti illâ non debent: ut neque illi, qui obſtructione aut putredine crudâ laborant. At ſi certò ſcieris, coctionis ſigna eſſe in urinâ, nec tumorum dictorum ullus, hoc tantùm ulterius diſpice, an ulla pars ita ſit frigida, ut abſcedere in illam poſſit aqua? Eryſipelas enim exquiſitum aliter non curâris: at ſi conjuncta ſit inflammatio, exſpectabis coctionem.

10. Hæc igitur hactenus copioſius quam pro materiæ ratione. Unde fortaſſis neceſſitas nobis orietur iterum loquendi de quantitate aquæ. Nunc enim alter ſynochus à ſolâ obſtructione generationem habebat: alter cum putredine erat in omnibus vaſis. Si igitur obſervâris in illis ſigna concoctionis humorum, de quibus ſufficienter l. de Criſ. dictum eſt, audacter dabis frigidam. Roborata enim Natura ſolidarum partium attenuatos humores aggreditur, ut, quicunque boni, & nutrire dum apti ſunt, hos trahat ad ſe: quicunq; verò inutiles, hos expellat, aut per alvum, aut per ſudores.

11. Si verò æger tuus ſit ὑδροπότης, planè nihil dubitans da illi frigidam, ipſâ experientiâ doctus, tolerare omnia viſcera præſentiam ipſius. (Quæ illa verò experientia?) Si ullum viſcus tam frigidum eſſet, ut offenderetur ab aqua frigida, offenſum fuiſſet in Statu ſanitatis; nunc offenſum non eſt: quare nec in febri offendetur. Poſtquam enim etiam non aſſueti, in cauſis coacti bibere, offenſi non ſunt, nec aſſuetorum quis offendetur, quippe, qui ex abundanti propugnaculum habent maximum, copiam caloris. Hic enim cum in cavitatibus vaſorum plurimus ſit, isque ſubſtantiâ aërius, & præterea humores ipſi ignefacti: quantum à frigore patitur, tantum à calore reficitur. Quare, quibus parum ſan-

ſanguinis, carniumque, iis intuta eſt hæc potio. Celeriter enim ad ſolidas partes repit, nec obſtat illi quidquam, à quo retundatur. Propterea febres hecticæ neque tam intenſo indigent frigore, neque tam multo, cum occupent eæ corpora utplurimum gracilia & pauci ſanguinis.

12. Sed de his iterum poſteà. Remedia ſynochorum duo ſunt iſta maxima, venæ ſectio, & frigidæ potio. Sed illa quidem omni tempore, ſiquidem vires admittant: hæc autem, ſi febris ſit quidem maxima, appareant autem ſigna coctionis evidentia. Attendere verò oportet in ſcopis venæ ſecandæ, tàm præcedentia, quàm conſequentia. Si enim cibi non concoquantur, differre oportet tantiſper venæ ſectionem, dum ſit veroſimile & factam eſſe coctionem, & excrementa ſeceſſiſſe. Si verò poſt venæ ſectionem ſeſe oſtenderit vacuatio aliqua, tantum de eo, quod ſuperfluum eſt, relinquendum eſt, quantum ſperabatur vacuatum iri. E. g. Si menſes fortè ire incipiant circa tempus venæ ſectionis, aut hæmorrhoides fluant, conſidera, quo cum impetu id fiat, ſi putâris fluxionem ſatis futuram morbo, committenda res eſt Naturæ. Sin minus, tantum eſt auferendum, quantum utraque vacuatio perfectura eſt.

13. Ac velut in his putare non oportet, naturalem & ſenſibilem vacuationem eſſe ſcopum non magni momenti; ita alibi naturam ſpectare oportet, vel ætatem, vel aëris conſtitutionem. Sunt enim quidam proni ad inſenſilem transſpirationem: pueri autem ſemper propter ætatem. Conſtitutio autem aëris cum valdè calida & ſicca fuerit, (ita voco temperiem aëris ambientis, ſub quâ continetur & regio, & tempus anni. Horum enim utrumque indicationem habet illam, quæ ex temperie aëris ſumitur:) idem facit. Cæterùm οἱ εὐδιαφόρητοι ſunt humidi omnes, præſertim, ſi calidi ſimul ſint. Sunt etiam rari habitus. Præterea, quibus os ventriculi πικρόχολον, aut debile, aut ultrà quàm par eſt ſenſile.

14. Hi igitur ſunt ſcopi *Contra-indicantes* venæ ſectionem: quemadmodum *Co-indicantes* ipſam, qui cum diſpoſitione primò indicante, habitus quidem durus & denſus, uno verbo, δυσδιαφόρητος: ambiens autem frigidus & humidus. Veriſimiliter ſanè hæc quidem ſimul indicant venæ ſectionem: hæc autem prohibent. Vacuatio enim ſcopus ipſius eſt. Eorum autem quædam, quæ dicta ſunt, prohibent transſpirationem: quædam promovent. Quædam non poſſunt hàc vacuari: quædam poſſunt. Prohibent, quo minus transſpirent corpora, & occluſio pororum cutis, & ambientis humiditas & frigiditas. Promovent his contraria. Eorum, quæ vacuantur, quædam humida & calida ſunt, humidaque, quæ facilimè diſcutiuntur: quædam craſſa & viſcida, frigidaque, quæ difficulter.

15. Hæc igitur, quod ad præſens, cognôſſe ſufficiat de venæ ſectione & frigidæ potione, quorum utrumque vidiſti Medicos inexercitatos averſari, quorum aliquos αἱμοφόβους voco, aliquos ψυχροφόβους, veluti rabientes ὑδροφόβους. Nam & horum quidam, præ ſectæ ſuæ ſtudio, non levi rabie ſunt infecti. Relin-

quens

quens igitur illos, inſiſto iis, quæ ab initio propoſui, revocans lectoribus in memoriam, quod ſermo ab ephemeris deſcendit ad ſynochos, propter communionem ſymptomatum.

16. Nam quoniam obſtructio ſiquidem exigua ſit, & rectè tractetur, ephemeram quidem facit febrem; ſed quia, vel ob magnitudinem, vel ob imperitiam Medicorum excidit aliquando è conſueto ephemerarum tempore, vel in ſynochum, vel in periodicarum aliquam: rectè ſermonem de ephemeris excepit ſermo de ſynochis; hunc ille, de putredine humorum. Viſum autem fuit è re legentis, perſpicuitatis & exercitii gratiâ, meminiſſe utriusque febris exemplum unũ.

COMMENTARIUS.

17. Febrium putridarum duo maxima ſunt remedia, venæ ſectio & frigidæ potio. De illâ ſtatim agit, & diligentiſſimè perſuadet, eſſe omninò adhibendam. De hac incipit agere §.7.&, enumeratis tàm commodis, quam incommodis, diſtinctè docet, in quibus febribus locum habeat, in quibus non habeat? In ſynochis ſolis, inquit Quæ cum ſint tam raræ quàm rari ſunt verè plethorici, mirum non ſit, rarò dari Medicis occaſionem uſurpandi remedium. Ego verò video, ſubeſſe etiam aliam cauſam, corruptionem loci hujus. Cum enim §.9. tam diſertè prohibeat uſum illius in iis, quibus viſcus ullum vel affectum ſit, vel metus, ne ab aquæ frigiditate afficiatur: quis ferat illum dicere extremò, *Eryſipelas exquiſitum aliter non curâris: at ſi conjuncta ſit inflammatio, exſpectabis coctionem?* Deleo igitur totum, quamvis quæ ſubſtituam, non habeam. An id audendum? *Poſſit aqua?* §.10. *Cum alter ſynochus ſit à ſolâ obſtructione ſine putredine, alter cum putredine: in hoc ſolo, ſi obſervâris ſigna coctionis, audacter.*

18. In §.12. duo pulcra ſunt præcepta, quæ ante & poſt V.S. obſervanda. Accedit tertium, Si inter principium febris & V.S. ingerat ſe vacuatio aliqua ſanguinis naturalis, quid agendum? Vulgaris praxis ita decîdit, Sinendum. Gal. aliter determinat, quem non ſecutum eſſe me, fuit aliquando mihi fraudi.

19. In ſeq. fundamentum ſuum *Coindicantia* & *Contra indicantia*, de quibus noſtri homines nimis multa.

CAPUT VI.

1. HÆc quia nobis conſummata ſunt luculenter, ut extremo l. præced. dixi, illud, inquam, Indicationes in aliis febribus, quæ non amplius ephemeræ ſunt, ſumi, non tantum ab iis, quæ ibi tradita ſunt, ſed & à cauſis febriũ efficientibus, nec non ægri viribus: regrediamur ad univerſale exercitiũ. Certi enim ſumus, nulli⁹ artis poſſeſſionẽ acquirere nos poſſe ſine hoc, niſi & methodũ uni-

 verſa-

verſalium theorematum habeamus : & exercitium in particularibus exemplis. Fieri enim non poteſt, ut ſine multiplici exercitio in particularibus ægrotorum hiſtoriis (excellens quis evadat:) ut neque exercitium ipſum rectè obeatur, ſinè rectâ cognitione univerſalium. In his enim eſt methodus: in illis exercitium.

2. Quemadmodum igitur qui iter aliquod conficere volunt, utroque crure invicem utuntur, non autem altero tantùm claudicantes, alioquin, & longo tempore & errando ad deſtinatum locum perventuri: ſic quicunque ad finem artis alicujus properat, illum uti oportet his quaſi duobus cruribus, aut inſtrumentis, aut quomodocunque vocare velit, methodo quidem in cognoſcendis univerſalibus: uſu autem in particularibus.

COMMENTARIUS.

3. In brevi hoc cap. ſententia eſt commemorabilis, cujus ſimilem hactenus ap. Gal. non offendi, de eo, qui velit evadere in magnum virum. Hanc ego commemorabili hiſtoriâ confirmare eo, vel ideò, quia alii contrarium publicè ſcripſerunt. Erat Patavii 1604. inter συμφοιτητὰς Germanos, quidam provectæ ætatis, qui primos juventutis ſuæ annos tàm malè collocârat, ut in Theatro quidem Anatomico non eſſet ſurdo felicior: in praxi autem non magis intelligeret quàm aſinus, quem ſequebatur. Huic tamen Fortuna Baſileæ tam prolixè favebat, ut inter 5. vel ſex Candidatos primum ei locum aſſignaret. Quâ de re cum gratularer illi in convivio, O mi ſuaviſſime, inquit, tu, & juxta tecum D. DAVID FABER, competitor meus (factus eſt hic poſteà Medicus aulicus Electoris Saxoniæ:) ſcitis, quàm indignè hæc patiar! quomodo ſuſtentabo ſpem de me conceptam in patriâ apud cognatos & amicos? DEUS, inquam non deſeret te, niſi tu deſerueris illum? Quid fit? Cum omnes certarent de illo promovendo, uxorem etiam offerrent non proletariam, ipſe per ſcalas decidit, & cultro, quem manibus gerebat, vulneratus, intra paucas horas exſpiravit &c. O providentiam DEI imperſcrutabilem!

CAPUT VII.

1. **R**Edeuntes igitur ad methodum, vires conſiderabimus ægri, utrum aliqui conferant ad curationem, an prorſus nihil, ut viſum eſt quibusdam? Videtur autem quibusdam, qui dicunt, inutilem eſſe quæſtionis inventionem ad praxin, alienam quippe ab hoc loco, & Logicam, digniorem que Sophiſtis. Dicunt enim, ex diſpoſitione, quam curamus, oriri indicationem eorum, quæ agimus, non ex viribus. Ergò eodem modo cogentur dicere, & tempora anni, & regiones, & conſtitutiones aëris, & ætatem, & conſuetudinem, & temperamenta ei

ta eſſe inutilia! Deinde, cum propter hæc mutare curationem coguntur, ideò, obliti eorum, quæ anteà dixerant, quædam horum ajunt contrà-indicare ſcopis Therapeuticis: quædam alia utilia eſſe ad inventionem materiæ auxiliatricis, veluti etiam partes animalium.

2. Equidem in his chordâ oberrant eâdem, ut ſic dicam, cum ab initio pertendunt, Inutiles eſſe vires ad inventionem remediorum: mox cum redarguuntur, ad indicationem quidem curationis nihil conferre ajunt, ſed ad materiæ permutationem, inventionem, differentiam, qualitatem (nam neque omnes eodem nomine utuntur:) neceſſariam eſſe concedunt.

3. Quod igitur jam dixi, reſumam nunc quoque, Ex utili in arte theoremate in Logicam perveniunt diſputationem. Utile enim eſt invenire remedia, quibus æger curetur: illi verò hoc relicto de nominibus litigant, indicationes, contraindicationes crepantes, communitates, ſcopos, materias auxiliorum, alia talia, rati, ſe varietate vocum excuſare poſſe falſa dogmata. Ego verò non prohibeo illos uti vocibus, quibus volent: hoc jubeo, ſint memores eorum, quæ anteà dixerunt. Siquidem inventio auxiliorum eſt ſcire, ad quæ quid conducere quomodolibet videatur, fateri etiam fas erit, ad curationem eſſe neceſſarias.

4. Sic igitur & vires, ſuntne neceſſariæ Medico apud ægrotos, an non ſunt? Ego ſanè dico, ſæpè maximè neceſſarias eſſe, & ſic quidem, ut omnia, quæ fiunt circa ægrum, harum gratiâ fiant. Eſt & cum minus neceſſariæ ſunt, ſed aliquid tantùm expetitur: non autem illud, cui res tota incumbit. Rurſus & hoc tibi demonſtrâro, vires aliquando tàm exiguum quid conferre ad inventionem auxiliorum, ut penè nihil ſit. Immò, aliquando transmitti, & ſilentio involvi, quaſi non foret ex cenſu utilium ſcoporum.

5. Hoc ipſum accidit in aliis quoque indicationibus. Jam enim alia potentior eſt, alia infirmior. Summa, aliquando una adeò tam prævalet, ut ſola ſit in eſſe, ut ſic dicam: viciſſim, eadem tàm debilis, ut prorſus deſeratur.

CAPUT VIII.

1. HÆc mihi demonſtranti mentem adhibe, ejus memor, quod neque ex aliis conſtet methodus curativa, neque alius ante nos omnia ordine definiit, licet concedendum ſit, Hipp. primùm ſecuiſſe viam. Hæc enim, quæ ego nunc aggredior, curationem indicantia, omnium primus ille ſcripſit. Verùm, ceu primus inventor, neque quod debuit, ordinem adhibuit juſtum, neque ſingulorum ſcoporum dignitatem explicuit. Quin & omiſit quasdam limitationes, obſcurus etiam in plerisque fuit, ob breviloquentiam veterem. Sed & de morbis complicatis pauciſſima docuit. Atque ut in compendium conferam, Videtur mihi ſecuiſſe univerſam viam ad therapeuticam methodum: ſed ita, ut curâ indigeat ad perfectionem.

2. Quemadmodum enim nunc videmus, vias quaſdam veteres in terrâ habere aliquid lutoſum, aut ſaxoſum, aut ſpinoſum, aut difficile aſcenſu, aut periculoſum deſcenſu, aut beſtiis obſeſſum, aut propter fluvios inſuperabile, aut ambagioſum, aut aſperum. Hoc modo cum ſe haberent omnes in Italiâ viæ, Trajanus Imp. correxit, aquoſa & lutoſa loca lapidibus ſternens, altis extollens aggeribus, ſpinas exſtirpans & ſentes, fluvios pontibus jungens, ubi longior æquo via, breviorem & compendioſam ſecans, propter collis altitudinem difficilem, avertens in locum commodiorem, ſi beſtiis immanis erat, ſi deſerta, ab illâ transferens, & in ſemitam regiam declinans, in ſummâ, aſpera omnia mitigans.

3. Non igitur oportet admirari, ſi Hipp. tribuimus laudem inventæ methodi medendi, & inde hoc opus molimur. Non enim quaſi nuſpiam fuiſſet anteà, ſed quod manca iis, quæ diximus, ad hoc opus veni, cum neminem offenderem, qui defectum ſupplere vellet. Quidam enim ne quidem agnoverunt illam: quidam agnoverunt quidem, ſed addere addenda non potuerunt. Sunt etiam, qui abſcondere & obumbrare voluerunt, & prorſus obſcurare. Qui verò ſint iſti, in progreſſu ſermonis patefiet. Nunc faciam ut promiſi, expoſitis omnibus ſcopis therapeuticis.

COMMENTARIUS.

4. Gal. duob. his capp. mirificè labaſcit, quia devenit res ad triplicitatem animæ, quam invitis omnibus Muſis, ipſoque Apolline defenſam vult. Hoc primùm obſcurè apparet ex tergiverſatione, cum §. 1. adverſarios ſuos deducit ad abſurdum. Quanti enim ſit illud genus reſponſionis, vel dupondii noſtri ſciunt. Inquis, Quæ eſt ergò directa reſponſio? Duplex, 1. Si proprietatem ſermonis amamus, Vires non indicant, ſed permittunt. 2. Sed indicent: non habent locum, niſi in morbis magnis. Apparet deinde ex §. 3. in quo ait, eos de nominibus litigare. Quod crimen ut illis non impono: ita video 3. illum fruſtrà §. 4. meditari ſcalam, quando ſint magni momenti, quando exigui, quando nullius. Video 4. in §. 5. temerè quærere exempla ſimilia. Video 5. principio cap. 8. etiam demonſtrationes illum minari, quæ ubi ſunt? Quin, mutato habitu, ex Analytico factus Rhetor, Hipp. comparat cum Trâjano, optimo principe, cujus ſtudium in reparandis viis unicè commendat. Quâ in re ſuum an Hipp. honorem quæſierit, in ambiguo eſt.

CAPUT IX.

1. PRincipium heic ſumo, idque perſpicuitatis gratiâ, à repetitione eorum, quæ dicta ſunt libro ſuper, cum loquerer de feb. ephemeris. Fuit enim prima ibi indicatio, prima quidem, & (ut quis dixerit) principaliſs., tollere diſpoſitio-

tionem morbificam, quemadmodum in ſanis ſervare. Sed ut ſervatur quid per ſimilaria: ita tollitur per contraria. Diximus autem, ad remediorum inventionem ſimul concurrere, tàm temperamentum corporis, quàm conſuetudinem, regionem, tempus anni, & conſtitutionem aëris.

2. Cæterùm, in quibus morbis particularis alicujus partis diſpoſitio facta eſt, v.g. in capite ab exuſtionibus Solis, oportet à parte quoque illâ indicationem capere. Verùm, in l. illo nihil dictum eſt, aut de viribus, aut de cauſis morbificis, partim, quia vires heic nihil proprium habent, quia ſatis validæ illæ: partim, quia in ephemera, quà talis, nulla diſpoſitio eſt vel generans, vel augens. Utroq; enim modo loqui licet. Sed nunc, ubi de viribus dixero, veniam ad cauſas, quæ febrem hanc producunt.

COMMENTARIUS.

3. Miror, ſi hæc demonſtratio eſt? In ephemerâ nulla à viribus indicatio eſt, quia non eſt morbus magnus, nec indiget magno remedio, quod viribus incommodet. Et hoc eſt, quod ait ipſus, Vires eſſe robuſtas.

4. Cæterùm, quas habeat ambages, *Contraria contrariis, &c.* alibi dictum eſt.

CAPUT X.

1. Gubernant animal, ut dictum eſt l. περὶ δογμάτων, tres inter ſe diverſæ facultates, quarum unaquælibet quaſi ex fonte proprio, in totum corpus diditur. Plato vocat animas, & tribuit unicuique ſuam ſubſtantiam. Harum una nutritioni animalis dicata eſt, communis illi cum plantis, quæ quaſi fontem habet hepar, ductus verò ex eo in totum corpus diſperſos, venas, quam ſive *Concupiſcibilem*, ſive *Vegetativam*, ſive *Nutritivam* vocâris, nihil intererit, quemadmodum & ſive animam, ſive facultatem.

2. Altera, non ſolùm ut plantis, viventibusque, ſed & ut animalibus ineſt anima, & in corde ſedem habet, fons & ipſa *Calidi innati*. Hujus ductus ſunt arteriæ, & multa habet nomina. Nam & anima & facultas vitalis dicitur, itemque *Iraſcibilis*.

3. Tertia in cerebro firmatur, anima *Rationalis* vocata, actionum voluntariarum unà cum ſenſibus præſes. Utitur & hæc partibus quaſi ductibus, nervis dictis, per quos toti animali tramittit ſenſum & motum. Has facultates ſervare eſt ipſam vitã ſervare. Probatum enim eſt, quâcunq; ex illis perditâ, ſimul perire reliquas. Et hic eſt ſcopus noſter in l. de San. tu. In Meth. med. autem, primus eſt analogus illi, ſublatio morbi. Quod enim ibi eſt ſervare ſanitatem: heic eſt exſcindere morbum. Utriusque unum eſt commune, *Cuſtodia* vitæ, in ſanitate quidem tuendâ conſequens cuſtodiæ ſanitatis. (Quod enim fit ſanitatis gra-

gratiâ, hoc ſubitò eſt vitæ conſervatorium:) in therapeuticâ autem non amplius, quod quæ curant diſpoſitiones præter naturam in nobis, non neceſſariò ſervant hujusmodi facultates.

4. Quædam enim illorum talia ſunt, ut, ſi immoderatius aut intempeſtivius utare, vitam perimant. V.g. in venæ ſectione, quam paulò ante inſtituebamus uſque ad animi deliquium in ſynochis à condenſatione, ut exſtinguatur flamma febrilis, veroſimile eſt, non exiguam noxam ſecuturam eſſe, ſi non ſuo tempore, & in debitâ menſurâ fiat. Vidi enim duos interiiſſe in ipſis Medicorum manibus, cum in animi quidem deliquium cecidiſſent, ſed revocati non eſſent. Horum multi, etiamſi non ſubitò perierunt, ſed aliquandò poſt, ob vim facultati factam perierunt tamen. Hos ſi quis vacuâſſet abſque diſſolutione facultatis, mortui non eſſent. Sed & quidam in longos morbos inciderunt, ob facultatem reſolutam à largis vacuationibus. Alii toto vitæ tempore ita refrigerati ſunt, ut non potuerint reduci ad priſtinum ſtatum. Ex horum numero quidam decolores fuerunt, quidam cachectæ, & facilè à quâvis cauſsâ ægrotârunt, tandemque mortui ſunt. Alii, ex hâc eâdem causâ, pernicioſis impliciti ſunt morbis, hydrope, orthopnœâ, hepatis imbecillitate, ventriculiq;, apoplexiis, & paraplegiis.

5. Cum igitur tantoperè ſit neceſſarium robur facultatis, lædunt poſteà omnia vacuantia, ſi quis immoderatius illis utatur. Contrariæ ſc. indicationes exſiſtunt in ejusmodi corporibus, iis, dico, cum morbus eſt victus quidem, ſed indiget largâ vacuatione, quam vires non tolerant. Sed quia fit, ut aliquando facultas à purgante non lædatur, negligitur ab inconſideratis pariter & temerariis iſtis Medicis, quaſi indicata non fuiſſet. Falluntur autem, quia non dignoſcunt, alîus cujusdam cauſâ facultatem eſſe ſcopum faciendorum, nec quidquam ad tollendam diſpoſitionem indicare.

6. Ut igitur in benè valentibus ſequitur ſanitas in univerſum ea, quæ ſanitatis cauſâ fiunt, neque quidquam eſt, quod ſanitatis cauſâ fit, quod idem vires deſtruat: ſic in ægrotantibus vires aliquando ſuccedunt iis, quæ pro ſolutione morbi adminiſtrantur, aliquando ab iis deſtruuntur.

7. Si enim vires ſint debiles, copia autem major, in moderatis vacuationibus, non modò nihil nocetur viribus, ſed & utilitas maxima ſequitur, ſublato eo, quod gravabat. Sin, ut curetur diſpoſitio, magna ſit neceſſitas vacuationis; reſolvantur autem vires à tâm copiosâ vacuatione; non modò rurſus homini non proderit, ſed & vehementer periclitabitur.

8. In ſynochis igitur à conſtipatione quia utplurimùm conſtant vires, vacuatio citra periculum eſt, in aliis morbis extremum mali eſt. V.g. in cacochymiâ, quæ jam corruptio eſt.

9. De hac ut dicam tempus eſt, ut abſolvam hoc libro omnes venæ ſectionis ſcopos. Ergò, quod corruptum eſt, à naturâ alienum eſt. Hoc verò indicat ſub-

ſublationem ſui. Itaque ſi incidat corruptio cum virium debilitate, pugna eſt diſpoſitioni cum viribus. Diſpoſitio enim vacuationem indicat vel per venæ ſectionem, vel per purgationem: ſed neutram admittit debilis facultas. Quia igitur in omnibus talibus dubium fit omne auxilium, adeoque diſpoſitio vel prorſus fit incurabilis, vel in longum tempus protrahitur, & debetur illi magnus medicus. Oportet enim in contra-indicationibus ejuſmodi pedetentim quidem vacuare, quod pravum eſt: paulatim autem ingenerare, quod bonum eſt. Hæc curatio vocatur à Medicis ἐπίκρασις, cum ita tractatur cacochymia.

COMMENTARIUS.

10. Heic antequam calamo excidat, quod in animo eſt, contra vitilitigatores Menippéos cogor inclamare ſocietatem Apollinéam, ne æquè ineptus ſim atque illi. Primùm vociferantur, Cur eadem toties ſcribam contra Gal.? Bina hæc eſt dica. Prima & univerſalis eſt, Cur toties offendam? Non agnoſco offenſionem. Ne latius evager. Gal. ipſe toties hoc facit in his ipſis libris, ut dici poſſit, pudorem amiſiſſe, qui id neget. Altera particularis eſt, Cur toties contra Gal, de animâ? Non una reſponſio. 1. Dolet, quod tango ulcus ἀνίατον, præcipuè, quia GALEniſtæ eſſe vultis? Hoc verò tolerari quidem poterat, ſi κατορθώματα tantùm ſectaremini: non poteſt autem, quia etiam ἀφρονηγμένα. 2. Non minus dolét, quod producam & falsò dicta, & turpiter accepta.

11. Quid ais? Tu non intelligis Gal. Fortaſſis credam, ubi probâris! Quod de facultatibus animæ ille dixit, tu de ſubſtantiâ explicas? Rideo, ignoſce. Non eſt opus, ut ad puteal Libonis proficiſcamur, ad libros περὶ δογμάτων: hem tibi verba ipſius principio cap. τρεῖς ἑτερογενεῖς ἀλλήλων δυνάμεις. Hoc, hoc eſt, quod volumus. Debetis igitur & hoc velle, Gal. latere ſub πολυσημίᾳ. Quod niſi concedatis, concedatis oportet ex verbis immediatè ſeq., δύναμιν eſſe ὀσίαν: ὀσίαν eſſe δύναμιν.

12. Quam litem quia dirimit Gal. d. operis l. 5. c. 4. & 9. ulterius progredior, Ergò, inquam, Gal. ex Orco revocavit damnatam ab Ariſt. 1. de Animâ ult. t. 90. animam humanam eſſe μεριστήν. Ad cujus argumentum, ὦ μεγαλόθυμε, quid reſpondes, Τί ὂν δή ποτε συνέχει τὴν ψυχήν? Scio quid conatus ſit Gal., & expoſui in opellâ, Collatio doctrinæ de anima, &c.

13. Atqui præſcribit operi ſuo Hipp. & Plat.! Scio. Tu autem vide Com. 2. de Thor. initio. Adde d. Collat. & videbis omnia plena pudoris. Ad quæ pertinet, quod heic ait, τὴν ζωτικὴν δύναμιν ſibi vocatam eſſe τὴν θυμοειδῆ Platonis. Quo modo? Eſtne θυμὸς καὶ ζωὴ idem? Quin ἡ θρέψις καὶ ἡ ζωὴ ſunt ἰσοδυναμοῦντα in veteri ſapientiâ.

14. Ah, valeant vel tandem figmenta iſta! Apud enim Ariſt. in animali eſt ſtatus Monarchicus, & cor ſolum eſt pars princeps abſolutè, propter cauſam, à Gal.

Gal.dictam, *Eſt ſedes Calidi innati, quo ſervato ſervatur Vita*, & fit mera quæſtio Logica apud Avicennam. Vide mox cap.13.

15. Hujus principatum egregiè ſtabiliunt, quæ §.4. ſcribit de Venæ ſectione ad deliquium animi, ſi in aliis morbis quàm in ſynochis adminiſtretur.

16. In fine §.7. reddenda mihi cauſa eſt libertatis in vertendo. Cacochymia eſt duplex, initialis ſeu ſuperficiaria, cum levis eſt declinatio: & perfecta, quæ jam peculiari nomine διαφθορὰ dicitur. Hanc cum ſuſpicaretur Gal., apertâ venâ, ſubitò iterum claudebat: at nos quò impurior eſt ſanguis, eò plus mittimus, inſigni errato!

CAPUT XI.

1. Memineris autem mihi, propter ea, quæ dicenda ſunt, & ſcoporum venæ ſectionis. Quia enim phlebotomia eſt vacuatio ſanguinis; ſanguis autem naturæ eſt familiaris: ubi factus eſt inutilis, oportet vacuare. Fit autem inutilis dupliciter, aut cum non manet intra limites naturæ ſuæ, intra quos nutrire poteſt: aut cum tantoperè increſcit, ut aut vires gravet, aut tendat vaſa, aut rumpat, aut obſtruat arterias, venasque.

2. In his quidem eſt venæ ſectio utilis, ut auxilium vacuatorium: in aliis autem ut revulſorium, aut derivatorium, cum vehementiorem humorum motum aut in contrarium revellimus, aut ad latera avertimus. Opus autem heic ſemper eſt forti facultate, ut ſufficiat magnæ vacuationi.

3. Ex his ſcopis ſanguinem mittimus vel unâ vice, vel alterâ, tertiâve, vel etiam ſæpius, ut in ſeq. etiam docebitur. Hoc loco ſatis nobis fuit demonſtrâſſe, quod facultas aliquando rectè fert auxilia vacuatoria, & tamen nec ſublevatur illis, nec læditur magnoperè. Sæpè autem vel magis vel minus juvatur, læditurve. Tum verò, cum perſpicua eſt ex illis noxa, perſpicuè etiam inde cognoſcitur, quod facultas præbet aliquam etiam indicationem utilem. Viciſſim, cum valdè juvatur. Cum verò neque commodum, neque incommodum oritur pro morbo pellendo, negligitur.

COMMENTARIUS.

4. Eſt quidem hæc generalis διαγραφὴ ſcoporum venæ ſectionis: ſed cui deeſt multùm lucis, præſertim in §.3.

CAPUT XII.

1. Cæterùm, hinc quoque una tantùm indicatio oritur utilis, ut in aliis omnibus. Secundùm enim naturam ſuam, quidquid indicat, indicat unum, quia & ipſum unum eſt. Hoc unum ſi ſimplex ſit, ſimplex erit & ipſum: ſi compoſitum, & ipſum erit compoſitum.

2. Quæ-

2. Quædam enim indicant cuſtodiam ſui ipſius: quædam deſtructionem. Sive verò hanc indicent, ſive illam, ſimplex & ipſum ſimplicem habebit indicationem: quod non ſimplex, non ſimplicem. Propterea in ſuperioribus ſemper aſſeruimus, ſimplicem intemperiem facere indicationem quoque ſimplicem, quemadmodum (ſi ita contingat) à frigiditate unâ indicatur una caliditas. Ita ex adverſo, non ſimplex intemperies, v. g. calida & ſicca, facit indicationem compoſitam, refrigerandum & humectandum.

COMMENTARIUS.

3. Hoc telum alicubi vibravi contra illos, qui febrim habent pro intemperie ſimplici, calidâ. Ergò, inquam, refrigerandum tantum? Ergò, inquam iterum, ſiccitas manebit ἀκεραιφνὴς, ut cum Græcis loquar? *Integra*? In vigore ſuo? Manebitne talis? Imò verò tranſibit in hecticam, naſutulé ne putes forte, quæſtionem Logicam eſſe. His ego ſoleo objicere, Quei fit, quod quidam querun-tur longo poſt febres tempore, Ich kan mich nicht widerumb recolligiren! Non eſt mirum: Non rectè curatus es. Siccitas hæret adhuc oſſibus imis.

CAPUT XIII.

1. HAbebit igitur & facultas unam indicationem, quæ eſt cuſtodia ſui. Quibus autem cuſtodietur? Primariâ quidem ratione, ut reſarciatur id, quod periit de ſubſtantiâ & qualitatibus: ſecundariâ autem, ut arceamus, quæ ſubſtantiam diſſipare & qualitates peſſundare poſſint. Includamus autem, brevitatis causâ, alterantibus, quæ ſolvunt continuitatẽ ipſius. Hæc omnia cum facultas indicet, in benè valentibus quidem, ut dictum eſt, conſenſus eſt omnium eorum, quæ fiunt, in id, ut durare poſſit: in ægrotantibus autem non ſemper. In his obſervare oportet id, quod vincit, aut magnitudine aut dignitate, ut anteà quoque dictum eſt.

2. Maxima igitur virium dignitas eſt. Ipſa enim vita noſtra conſtat in his ſervatis, quandoquidem neceſſe eſt vitam ipſam eſſe aut ipſas vires, aut actiones ipſarum. At vitâ ipſâ nihil eſſe prius in animalium corporibus, indicio ſit, quod neque valere ſine vitâ poſſunt. Facultas igitur ſervanda eſt antè omnia hominibus, quia nec ſubſtantia ipſius difflari, neque alteratio intendi uſque adeò poteſt, ut vicina ſit corruptioni.

3. Hujus cuſtodiæ pars eſt, cum bonam temperiem aut tuemur, cum eſt: aut reddimus, cum non eſt.

4. Poſt vires à diſpoſitionibus indicatio eſt, quibus mederi animus eſt. His conſequenter aliis. Omne igitur, quod pugnat cum indicatione à viribus, ſecundarium eſt & poſterius iis, quæ volunt illæ. Quæ verò cum viribus concurrunt, adeoque idem volunt, quod illæ, jam utrumquẽ calculũ habent, & illa quæ

principum (ſic verto τὸ πρωτεῖον) & quæ minus principum (ſic τὸ δευτερεῖον.) Ut illa quidem ſine contradictione ſint facienda, hæc, quæ contra-indicant, vel omninò ſint ſinenda, vel leviter tangenda.

5. Si enim diſpoſitio, quam curandam ſuſcipimus, opus habeat vacuatione; facultas verò extremè debilis ſit: eo tempore nihil eorum, quæ diſpoſitioni adverſantur, ægro admovebimus, quatenus viribus conſulimus. Cum verò eousque increviſſe putaverimus, ut vacuatio, vel nihil læſerit, vel parumper: ibi etiam ad diſpoſitionis curationem accedemus.

6. Omnium ergò primus ſcopus à viribus eſt: non tamen ut therapeuticus primus eſt, imò, nec in numero eſt dictorum therapeuticorum, ſed vitalium, ut quis dixerit. Non enim ut primò valeamus, neque ut defungamur morbis, ex illâ quid capimus: ſed ut vivamus. Additum enim eſt τὸ πρώτως, quia aliquando virium reſtitutio utilis eſt per accidens ad morbi curationem. Hæc in ſeq. demonſtrabimus.

COMMENTARIUS.

7. Heic inſignis ſe oſtentat difficultas, à Cap. 10. pendens. Avic. cenſuit, Gal. ſententiam de triplici animâ admitti poſſe in Medicinâ: non poſſe in Philoſophiâ. Hoc ego olim credidi, quàm diu licuit: nunc non amplius credo. Si enim triplex anima, triplex etiam vita erit, Si triplex vita, triplex etiam facultas vitalis. Atqui apud Gal. unica tantùm eſt, quia unica tantùm indicatio eſt. Deduco. Græcis familiare eſt uti ſingulari pro plurali, & viciſſim. Hinc Gal. modò δύναμιν dicit, modò δυνάμεις. Hoc non eſt perinde: quia controverſia eſt de re, unane ſit, an plures? Perinde eſt dictu, Nervi, venæ, arteriæ, muſculi hoc eſt officium: &, nervorum, venarum, arteriarum, & muſculorum idem eſt officium. Ita dum ludit Gal. inter δύναμιν, καὶ δυνάμεις, diſtrahit lectoris animum. In Latinâ linguâ culpa fit manifeſtior. Quis enim non aliud cogitat cum *Facultatem* audit & *Vires*? Nec eſt, quod quis putet, interpretem poſſe mederi huic rei. Non poteſt, quod experiundo didici.

8. Reſtat ergò, ut ad Ariſt. converſi dicamus, *Una eſt anima, quam Facultatem etiam vocare poſſis*: unum eſt ipſius inſtrumentum, *Calidum nativum* in corde: ab hoc niſi unica indicatio eſt, conſervandi illud. Conſervatio autem eſt apud Ariſt. juxta & Gal., ſi quantum fieri poteſt, arceantur cauſæ tàm internæ, quàm externæ. Nam neque ab alimentis, neque à medicamentis ullum ei ſubſidium.

8. Mireris, cur extremò diſtinguat ſcopos Therapeuticos à vitalibus? Reverà, ut dixi, vires non indicant, ſed permittunt.

CAPUT

CAPUT XIV.

1. Redeamus igitur ad propoſitum, compendii causâ, totum reducturi ad pauca capita. *Scopi curativi* ſumuntur, partim à morbo, partim à temperamento, denique ab ambiente aëre. Ab his diverſi ſi jam dicti ſunt, item, ſi non hi tantùm dicentur, ſed & alii: ex horum ſubdiviſione omnes eſſe factos dicatur. Corporis enim temperamentum, quod tum fuit cum ægrotare inciperet ille, quatenus ad inventionem remediorum utile eſt, generatur ex naturâ, ætate, conſuetudine & ambiente nos aëre. Ambiens autem factus eſt talis, & propter regionem, & propter anni tempus, & propter conſtitutionem.

2. Unum igitur eorum utrumque cum ſit, fit tale ex multis. Diſpoſitio autem in cauſas dividi non poteſt, ſed in differentias. Aut enim in ſimilaribus eſt, aut in inſtrumentariis partibus. In ſimilaribus aut ſimplex eſt intemperies, aut compoſita: in inſtrumentariis, vel circa ſimplicium partium ſitum fit, vel conformationem, vel numerum, vel magnitudinem, & quæ in horum ſingulis differentiæ.

3. Hæc igitur ſunt tria prima curam indicantia, cum duabus corporis aut conſtitutionibus aut diſpoſitionibus, aut ſi quo alio modo appellare tibi libeat, unâ quidem, quæ ſecundum naturam, alterâ autem, quæ præter naturam, quæ ipſa morbus eſt. Quod verò non ſint plura genera ſcoporum therapeuticorum, quam tria dicta, ex ipsâ rei ſubſtantiâ eruere tibi liceat.

4. Morbus enim & ſanitas ſunt diſpoſitiones corporis, quarum altera vult ſui ablationem: altera ſui conſervationem. Ambiens autem eſt tale, ſine quo nec tolli morbus poteſt, nec acquiri ſanitas. Quare rationem habet cauſæ ſine quâ non. Quæ verò cauſæ morbum alterant, niſi noverimus, quouſque ſit alterandum, neſciemus etiam, quando ſit deſiſtendum ab alterando.

5. In univerſum igitur in his tribus ſcopis conſiſtit omnis curatio, non in pluribus: particulatim verò, ut anteà dictum eſt, quidam alii partibus ſimplicibus ſunt proprii, alii compoſitis. Quod ad ſimplices, unum genus eſt intemperies calida: hinc nomen febris, cum extenditur in totum corpus. Hinc omnis febris, quatenus febris, remedia ſunt humida & frigida. Ubi igitur ſola eſt, ſcopus omnium auxiliorum communis eſt is, qui dictus eſt. Quare ad curationem alio non eſt opus, quàm materias invenire, in quibus ſcopus latet. Inventis materiis, captare oportet occaſiones ex quatuor febrium temporibus: quantitatem verò ſingulorum remediorum ex collatione cum morbo.

6. Quantum enim à naturâ receſſit, tantùm refrigerare & humectare oportet ægrum. Aër autem ſi temperamento ſit contrarius, jam unum auxiliorum eſt: ſi ſimilis, accedit ad cauſas morbificas. Quare alias materias vel indagare oportet, vel fugere: quam aër ſuppeditat, declinare non licet, ſed neceſſariò fruimur præſenti conſtitutione. Quare & hanc obſervare cogimur, ſæpè qui-

dem conſentiente indicationi à morbo: ſæpius autem contra-indicante & opponente ſe.

7. Igitur, aër aliquando quidem rationem habet auxilii curativi: aliquando autem cauſæ morbificæ. Ubi enim morbus vult humectationem & refrigerationem, ſi id faciat aër, habet rationem materiæ therapeuticæ: ſi calefaciat & ſiccet, evadit in cauſam morbificam. Ergò cum concors eſt cum indicationibus curativis, pro beneficio id eſt accipiendum: cum contrarius, prohibenda eſt noxa intendendo & exaugendo aliorum remediorum humiditatem & frigiditatem.

8. Accommodare igitur ſe oportet, &, quantum fieri poteſt, taliter præparare aërem, videlicet transferre ægrum in domum aliquam humidiorem & frigidiorem, aërem ipſum alterare in eam qualitatem, v.g. ſi morbus ſit frig. & hum., qui poſtulet caliditatem & ſiccitatem, domus quæratur & fiat calida & ſicca. Quæratur, inquam, quæ talis ſit ſuâ naturâ: præparetur autem arte, æſtate quidem conclavia ut ſint profunda, & verſus Septemtrionem, quorum pavimenta continenter rigentur aquâ, aſpiret autem ex Euripo aliquo aura artificialis, ſternatur idem pavimentum floribus & germinibus potentiâ frigidis humidisque: hyeme autem contrariis, morbo ita jubente, uti fas eſt. Si non poſtulet morbus, obſiſtendum tamen eſt immoderationi utriusque temporis, de quâ neceſſario in poſterum mihi loquendum eſt. Nunc enim non de materiâ judicium fero: ſed methodum urgeo.

CAPUT XV.

1. AD hanc reditum faciens oratio demonſtret, quomodo vel plures fiant ſcopi therapeutici, vel pauciores, pro diverſitate ſectionum. Tres in univerſum fieri poſſunt, ut jam fecimus, in pauca capita totum colligentes: ſed ſingulas iterum ſubdividentes, ut plures fiant, ut hoc quoque monſtratum eſt. Quin ipſæ ſectiones rurſus ſecari poſſunt, donec ad inſectile quid perveniatur.

2. Tria prius dicta in alia duo redigi poſſunt, in prædictam diſpoſitionem, quam Morbum vocamus: & quæ præerat aliam, quam ſanitatem, & naturalem. Non enim aliud quid valet, aliud in ſtatum naturalem reducitur. Hæ diſpoſitiones cum invicem contrariæ ſint, neceſſe eſt transpoſitio illarum mutua fiat per contraria. Et ſic quoque unus tantum eſt ſcopus generaliſſimus remediorum, contrarietas.

3. Hinc igitur iterum exorſi, inveniamus particulares, quia, quod ægreſcit, ſano eſt contrarium, per contrarium ſemita eſt ad illud. Quo autem modo invenietur quantitas contrarii? Non enim ſufficit quovis modo admoviſſe contrarium, frigida calidis, absque debitâ menſurâ. Si quid enim in defectu peccetur, periculum eſt ne quid morbi ſuperſit: ſi in exceſſu, ne contrarius morbus acceſſatur. Qui enim plus quam par eſt frigefacit, egreſſus ſymmetriam ſanam, inducet

cet alium morbum, frigidum. Hoc ne fiat, ſcire oportet naturam corporis curandi, ut, quantum morbus ſymmetriam exceſſit, tantò validius ſit medicamentum refrigerans.

4. Cæterùm, exceſſum dicere non eſt, niſi cognitum ſit, quo gradu ſit quodque humidum vel ſiccum, calidum vel frigidum? quo gradu valens quis differat à ſeipſo ægro? Quod enim plurimùm receſſit à ſtatu ſecundum naturam, validiſſimis indiget contrariis: quod non tantum, debilibus. Plurimũ igitur quia morbus frigidus abeſt à corpore naturâ calido, ut & calidum à frigido; minus autem abeſt calidum à calido, ut frigidum à frigido: ex utrisque eſt indicatio.

5. Sed quoniam aliorum omnium auxiliorum materiæ penes nos ſunt; aëris non eſt: veriſimiliter ab hoc etiam indicatio petitur. Cæterùm, quia temperamenta corporum dignoſci ad unguem debent; hoc verò valdè difficile eſt: tentare oportet, an dignotio præſtari poſſit ex l. de Temp. Præterea, ex ſuperabundanti an ex iis, quæ de ætate ibi dicuntur, certius quid haberi poſſit, ut & totâ vita anteactâ, quæ conſtat ex genere vitæ, & victu, in hâc regione, hoc anni tempore, hac conſtitutione, hac converſatione, (his moribus.)

6. Si enim gracilis ſit naturâ, ad tactum calidus, bilioſus, iracundus, piloſus, hic calidus, & ſiccus eſt temperamento: non tamen neceſſariò nunc quoq;, poſtquam ægrotare cœpit, eandem prorſus diſpoſitionem habet. Fieri enim poteſt ut in deſidiâ vixerit, in victu humido & frigido, amplius, balneis frequentibus uſus, delitiis, ſomnoque longo aſſuetus, in regione frigidâ, humidâque, hyemis tempore utplurimum & ipſo frigido & humido. Fieri quoque poteſt, ut contraria omnia præceſſerint, h.e. calefacientia & ſiccantia in ſingulis generibus dictis. Ex his igitur ſupplebimus defectum eorum, quæ ad agnitionem temperamenti propoſiti. Hoc autem invento, ſcibimus quid facto opus ſit.

COMMENTARIUS.

7. Heic omnia ſunt clara, præterquam id, quod maximè debet, Quod eſt contrarium illud, quod §. 3. quærit? Tota quidem oratio pendet à contrario ſimili, de quo mihi jam toties ſermo: ſed quia non dicit ipſis literis, poſſet aliquem ſuſpenſum tenere. Reverà, hoc eſt contrarium illud, quod tam difficile inventu eſt, quod ſolum tamen perfectè curat febres v.g. Audias vulgo quiritantes quosdam Analepticæ ſubditos, Supereſt mihi aliquid febriculæ, nec poſſum defungi! Dic tu, medicaſter, Siles? Tu non uſus es vero & adæquato contrario ſimili: ideò flammam nondum exſtinxiſti.

CAPUT XVI.

1. Dictũ eſt anteà, cũ de potione frigidæ ageretur, hoc quoq, conſiderandũ eſſe, Anñon pars quædã, quæ naturâ ſuâ frigida ſit, poſſit uſu ipſi⁹ graviter

 lædi?

lædi? Numquid contingit, ullam ex partibus ægri corporis, abſque iis ſignis, quæ dixi in operibus ei rei dicatis, hujus, illiusve temperamenti eſſe? Illi, neque inquirunt, neq; ſciunt, imò, ſecundum proverbium, uno calceo calceant omnes! Nos autem, qui quærimus, invenimus, uniuscujusque partis temperamentum cognoſci per multa, eaque difficilia indicia, & quidem non ἐπιςημονικῶς, ſed ςοχαςικῶς tantum.

2. Ergò ſi offerat ſe nobis ex multis iisque ambiguis ſignis, unum aliquod & certum, annon, abjectis reliquis omnibus, hoc præ illis eligemus? Non puto ullum eſſe, qui ſecus facturus ſit, ſi modò mentem habeat. Atqui vix credas, quod verum tamen eſt, omnia temperamentorum ſigna ſimul ſumta, minorem præbere indicationem conſuetudine. Si quis enim ſanus ſemper bibit frigidam, nec ſentit ullum incommodum, vel in ventriculo, vel in hepate, vel in veſicâ, vel in ullâ aliâ parte, certo certius eſt, omnes has benè valere, nec lædi à frigidâ.

3. Quamobrem ne putemus, exiguum aut debilem à conſuetudine præberi ſcopum ad remediorum inventionem, veluti etiam ad cuſtodiam ſanitatis. Nemo enim hominum tam ſtupidus eſt, qui graviter læſus à frigidæ potu, ulterius utatur illâ. Evidenter enim ab illâ læſus, & adeò, ut jam ægrotet, omninò abſtinebit.

4. Igitur, ſicut alia non pauca, contra communes notiones dicta ſunt à Medicis, ita hoc quoque, Ex conſuetudine nihil utile capere Medicos, neque in victu ſanorum, neque in curâ ægrorum. Res enim ipſa loquitur, non ut alia, ita conſuetudinem exile quid & contemtibile afferre, ſed maximum quid & principaliſſimum, (alteram vid.) corporum naturam.

5. Nos igitur ex illâ methodicè progreſſi dicimus, diſpoſitionem partium præter naturam nobis inde naſci: ex hac deinde nos proficiſci ad indicationem eorum, quæ fieri debent. At Empiricus oggannit, quæſtionem hanc eſſe ſupra naturam. Ad quod enim (inquiunt) vos demum ratione perveniſtis, ejus cognitionem nos jam habemus, Non lædi corpus ægri potu frigidæ. Hoc verò eſſe id, quod ab initio propoſuimus, non autem naturam cognôſſe.

6. Niſi fallor, poſt hæc meritò nos irriſerint, quod longis ambagibus utamur: at nos viciſſim accuſabimus illos, tanquam à ſenſu communi alienos, cum ajunt, conſuetudinem prorſus inutilem eſſe. Quid igitur, inquias, reſpondebimus nos, qui methodo artem includimus? Quid aliud quàm hoc? Vera dicunt de conſuetudinibus, quæ evidenter vel utiles, vel nocivæ ſunt. Omnes enim agnoſcunt etiam ante methodum: at quid fit de aliis, quæ ſtatim ab initio magnum afferunt detrimentum? Certè, non poſſunt experientiâ inveniri. Dictum autem de iis prolixius eſt de Sanitate tuendâ. Quare, ſi in frigidæ potione ſufficit conſuetudo citra methodum, nec nos conſuetudinem excutere poſſumus: imò omnem, non ſecus ac illi, utilitatem inde capientes, addimus extrinſecus, quantum licitum eſt nobis, indicationibus à rerum naturâ petitis.

Hoc

Hoc autem loco, ſequelam methodi obſervantes, fatemur, longiore viâ inveniſſe, quod breviore licebat, ſine analogiſmo.

7. Poſtquam enim ſæpiculè vidimus, multos in febribus ardentibus, cum mediocrem concoctionem exſpectâſſent, febrem aggreſſos eſſe potione aquæ frigidæ, etiam cum de conſuetudine non conſtaret: venimus in eam ſpem, fore nobis impunè, ſi in conſuetis tale quid auderemus, ſecuturumque commodum, ſine omni damno.

8. Habes igitur & doctrinam de conſuetudine, quamvis in parergo, ſatis tamen facturam. Unum enim & hoc eſt eorum, quæ curant morbos mediante naturâ corporis, ut & ætas. Nam & hæc indicationes intercedente temperamento habet. Exempli gratiâ, Temperamentum puerile, cum calidum & humidum ſit, facilè digeritur.

COMMENTARIUS.

9. Hic diſcurſus multimodis mihi tremendus eſt. Videor enim mihi audire adverſarios Gal. inſtantes, Quid indicat tibi frigidæ potionem, in tanto σβέσεως metu! Maximus enim ardor non eſt ſine maximâ virium dejectione, præcipuè viſcerum, non ſolius abdominis, ſed & thoracis. Hâc in re cum Gal. firmaret ſe vel in ſolos ſynochos, vel in conſuetudinem, facile eſt videre, quid reſponſum fuerit.

10. Multò magis tremendum eſt mihi parergon, de quo in fine. Cum enim à ſynochis receſſum eſſet ad cauſas vulgares; & rerum intelligentes nollent eſſe contenti Naturâ corporis, quæ fortaſſis ut hodiè, occultum quid ſpirabat: imaginor mihi crebras Gal. cum ὁμοτέχνοις velitationes, ob quas etiam Româ diſceſſerit. Perſuadeo enim mihi, non ſemper habuiſſe juſtas cauſas pugnandi. Quod ad uſum frigidæ etiam in ſynochis, ſoleo dicere, CAVE CANEM!

CAPUT XVII.

1. ADſis verò mihi animo, de differentiâ corporum differenti. Lapidum quidem ſubſtantia ſtabilis & perpetua eſt, ob ſiccitatem & frigiditatem: ita quoque æris & ferri, & auri, etiam in ſummâ omnium corporum terreſtrium. Sed humidorum & calidorum in aëre ſemper celerrimè digeritur, aliquando quidem ſoluta in vapores ſenſiles: aliquando autem in oculis inconſpicuos quidem, ſed ratione perceptibiles diffluxus.

2. Hæ igitur corporum naturæ quaſi è diametro ſibi invicem opponuntur: aliarum autem omnium viciniores ſunt frigiditati & ſiccitati, ideò indifflabiles ſunt, ſed minus quàm ferrum & adamas, omniſque lapis. Ita quæ caliditati & humiditati, digeruntur quidem facilè, ſed & hæ minus quam aqua calefacta.

Sine

Sine enim calore nullum corpus digeſtibile eſt, ſed manet ſubſtantia conſtricta & denſa. Cæterum, non omni calido hoc accidit, ſed illi, quod in vapores ſolvi poteſt. Hoc verò eſt humidum.

3. Puerorum igitur natura facilè digeritur, quare inter ætates eſt humidiſſima: non tamen etiam frigidiſſima. Ideò vacuationibus artificialibus opus non habet, cum ex ſe ipsâ vacuetur naturaliter. Accidit verò quandoque per cutim digeſtio notabilis, tàm propter regionem calidam & ſiccam, quàm propter anni tempus, nec non conſtitutionem aëris.

4. Propter hanc ipſam iis, quibus opus eſt, aut prorſus non venam ſecabimus, aut parumper emittemus. Habebimus autem ad hanc ſectionem multos ſcopos, priſtinam naturam, conſuetudinem, ætatem, regionem, tempus anni, conſtitutionem aëris, diſpoſitionem morboſam, quam curandam ſuſcepimus, & alio quodam modo ante ipſam vires laborantis.

5. Cumque certum ſit diſpoſitiones eſſe numero multas, privatim & in ſingulis ipſarum indicatio à calidâ quidem refrigeratio erit: à frigidâ autem calefactio, in ſingulis earum, contrarium. Rurſus, octo cum ſint intemperies, octo etiam erunt ſcopi particulares omnium, quæ corporibus ſimplicibus superveniunt, morborum. Accedit his communis ille morbus, cum partibus organicis, cujus cum nullum eſſet nomen apud veteres, coacti ſumus nos nomen dare, & dedimus *Continui ſolutionem* vocantes. Demonſtravimus etiam, communem & heic curandi ſcopum eſſe, *Unionem*. Quot autem ex hoc ipſo iterum ſecto fiant ſcopi particulares, oſtendimus quatuor libris hujus operis, tertio, quarto, quinto & ſexto.

6. Nunc igitur perſequar in ſeq. ſermonem de intemperiebus: quo perfecto, ad morbos veniam partium organicarum, & oſtendam eâdem in illis methodo uſus, & primos omnium ſcopos, quos generaliſſimos vocari nihil prohibet, & qui ex horum ſubdiviſione fiunt. Deinde illos, qui ex his exſiſtunt, uſque dum perveniamus ad illos, qui amplius dividi non poſſunt.

7. Hanc enim nobis methodum Plato exhibuit, quæ ipſa totam artem conſtituit. Sed de organicis, ut dixi, amplius agetur: nunc commonefactis lectoribus, quâ parte hujus laboris verſentur, finem imponemus præſenti diſcurſui. Unum genus morbi eſt in partibus animalis ſimilaribus & ſimplicibus dictis, quod *Intemperies* vocatur. Harum intemperierum quasdam quidem fieri docuimus alteratis invicem corporibus ſecundum nudas qualitates: quasdam cum materiâ quâdam, in ipſas partes deſidente. Viciſſim, utrasque has, aut in unâ parte, aut in pluribus animalis partibus, aut etiam in toto corpore.

8. Ergò, cum in hujus operis ſeptimo exegerimus intemperies, quæ fiunt alteratis ſolis qualitatibus, deinceps in aliis duobus deſcendimus ad eas intemperies, quæ in totum ſe extendunt corpus, primo loco agendum nobis eſſe vidimus de Febribus. Quoniam autem harum quædam etiamnum ſunt in fieri, tu

puta,

puta, cauſâ illarum efficiente etiamnum efficaci; quædam jam factæ ſunt, abiit autem cauſa efficiens: melius fore judicavi, de his primum agere, quæ ſimplicem habent indicationem, & tandem, quæ duplicem, additâ videlicet illâ, cum cauſa adhuc ſævit in corpus.

Finis Lib. IX.

METHODI MEDENDI LIB. X.

CAPUT I.

1. IN febribus ephemeris ſimplex quædam eſt præter naturam diſpoſitio, primitivis cauſis ferè non amplius agentibus. In quibus enim cauſa adhuc agit, in iis, neque diſpoſitio (morbifica) amplius eſt ſimplex, neque curatio. Quod enim febrile jam factum eſt, id oportet ſolvere, ſumtâ indicatione ex propriâ febris naturâ: quod verò demum fit, avertere & prohibere ne fiat. Prohibebitur autem cauſâ efficiente radicitus exciſâ. Quare in ephemeris indicatio faciendorum exſiſtet nobis potiſſimum ex febre, ſimul in conſiderationem vocatis temperamento, ætate, conſuetudine, regione, anni tempore & conſtitutione.

2. In reliquis, quæ cauſam habent internam, primus indicationis ſcopus eſt à cauſis ipſis. Itaque, ſi rectè oſtenſum eſt, humorum putredinem eſſe cauſam febrium diuturnarum, hanc primam & ante alia curare oportet, non negligentes febrim, quæ jam accenſa eſt. Igitur ſi in unum coierint, & ea, quæ febrim exſtinguunt, & quæ cauſæ occurrant, quia unum eſt, quod indicatum eſt, ſine morâ faciendum eſt.

3. Si verò factarum febrium cura auxerit cauſam efficientem, aut quæ cauſam auferunt, febrim intenderint: diligenter conſideranda eſt remediorum ſpecies. Diligens illa conſideratio hæc fuerit, ſi diſtinxeris negotium in hos tres ſcopos, Nunquid ſola febris curanda ſit, neglectâ causâ? an contrà, cauſa ſit exſcindenda, poſthabitâ febri? denique an uni præcipuè ſit incumbendum, non prorſus neglecto altero?

4. Primum illud tentare non licet. Si enim quibus auxiliis ſemper oppugnamus febrim, quæ fit, augebitur cauſa febrilis, neque unquam morabimur generationem ejus, neque magnitudini aliquid adimemus. Generatio enim proportione reſpondebit cauſæ efficienti: magnitudo autem creſcet cum magnitudine cauſæ.

5. Alterum ſi diſtinxerimus, non erit incomodum. Si enim febrienti magni-

tudo caloris ſit intolerabilis, non oportet augere febrim iis, quibus contra cauſam pugnamus. Ut enim veriſimile eſt, ſimul deſtruemus & febrim & febricitantem. Sin febris tam mitis ſit, ut, quo tempore ſoli cauſæ inſtamus, metus non ſit ita diſſolvendarum virium, ut æger ſit in periculo, non fuerit contemnendus etiam hic modus.

6. Non fuerit etiam hic tertius, opponere ſeilli, quod majus periculum affert, non prorſus neglecto altero. Utplurimùm autem cauſa eſt potentior. Sed fiat febris tàm inſignis, ut pernicies ſit in proximo, niſi quis ſe illi opponat: hoc caſu febrim oportet exſcindere, & mox ad cauſam tollendam proficiſci.

7 Hæc, O Eugeniane, definita tibi ſunto ſtatim ab initio in indicationibus contrariis. Quia verò dum has excutimus, non minima ſalutis ſpes in viribus eſt, fiant ſanè hæ quoque non minimus ſcopus tibi inveniendorum agendorum. Ut jam ſint tres ſcopi indicatorii in iis, quæ in ſubjectis conſiderationi noſtræ febribus ſunt, unum quidem febrim ipſam: alterum autem cauſam efficientem: tertium denique vires. Sed duos quidem priores tollere oportet: cuſtodire autem tertium.

8. Eſto verò heic iterum tibi hæc ipſa conſideratio, quam paulò antè propoſui, ut compares in ſpecie cum viribus & febrim, & cauſam ejus. Deinde, ſi utrumque horum medicamentis indigeat, nihil cunctare: ſin pugnent indicationes, aut illam, quæ à viribus, eligito, aut, quæ à morbo, aut quæ à causâ; ſi quid magis urgeat, id perſequere, non prorſus neglectis cæteris.

9. His talibus inſtructus limitationibus, primò quidem cauſam exſcindes, deinde autem febrim, ſi conjectando aſſecutus fueris vires his medicamentis ſuffecturas eſſe. Rurſus, ſi debiles fuerint, ante omnia roborabis has, ut ferre poſſit inedias, unà cum medicamentis febrilibus. Nempè, poſſumus aliquando de omnibus ſimul exiſtimare, ut paulò antè dictum eſt de febri & cauſâ ipſius.

COMMENTARIUS.

10. Pulcerrima ſunt hæc ratiocinia, quæ tamen à pleriſque tantum non aſpernabilia ſunt.

CAPUT II.

TRia igitur cum ſint quæ animadvertere fas eſt in propoſitis febrium curis, febris, cauſa febris & vires; & verò jam inventi ſint ſcopi generales, quos etiam univerſales vocamus: progredi jam oportet ad ſpecialia & particularia auxilia. Quo loco iterum meminiſſe debemus, ex ephemeris quasdam tranſire in πολυημέρυς. Hoc cum fiat uno quidem & communiſſimo modo, propter inſcitiam Medicorum; aliis verò etiã duobus & ſpecialibus; quod quarun-

rundam harum cauſa jam abiit, quarundam durat huc uſque: de utroque in ſpecie agere par eſt.

2. Abiit igitur efficiens, cum propter iram, triſtitiam, vigiliam, curam, Solem æſtivum, laſſitudinem, bubonem curatum fit febris ſine cutis ſtipatione: non abiit, cum à cauſâ præincipiente, aut etiam febri fit ſtipatio. Semper enim refrigeratio, ut & uſus adſtringentium, mediante ſtipatione, facit febrim. Combuſtio autem à Sole quandoque ſtipat corporis habitum, ipſum etiam febris principium, illius quæ φρικώδης dicitur, ſtipationem aliquando fecit. Imò, etiam humores lenti, viſcidiq;, ut & multi, cum modicam obſtructionem cauſati ſunt, ephemeram aliquando gignunt, cum peritum ſortiti ſunt Medicum, ut dictum eſt anteà.

3. Omnes igitur febres ejusmodi vocantur ἐφήμεροι, quia, quantum in ipſis eſt, ſolvuntur unâ ſolum die, connumeratâ ei etiam nocte, ut cum dicimus, Menſem eſſe 30. dierum, annum trecentorum & ſexaginta quinque. Et, hoc factum eſt ante triduum, aut fiet intrà quatriduum. Veruntamen non eſt omnium eadem diſpoſitio: ſed quædam ſemper habent comitem ſtipationem, aut utplurimùm, aut ambiguè, aut rarò. Semper habent, quæ fiunt ab aquis aluminoſis, vel vitriolatis, vel aliis talibus, item, quæ à frigore, aut levi obſtructione. Utplurimùm etiam illis adeſt, quæ ab exuſtione Solis. Modò eſt, modò non, cum à laſſitudine. Quæcunque verò ab irâ, mærore, vigiliâ, meditatione perpetuâ, bubone, cruditate, rarò habent comitem. Omnes hæ, quatenus tales, non habent etiam alterum paroxyſmum, ſed intra 24. horas ferè quieſcunt, niſi ſi quædam longius exerrant.

4. Duæ autem ſunt cauſæ, prohibentes ſolutionem: altera quidem refrigeratio, ſive ex ambiente ſit, ſive ex unguento aliquo frigido: altera autem infelix diatritos, ubi coacti fuerint quidam transigere illam medicorum inſcitiâ. At cum ambiens eſt tepidum, neque vocatur aliquis è grege illo, qui diatriton adorat, deſinet quidem febris in primo paroxyſmo cum ſudore, aut madore, aut certè cum perſpiratione vaporoſâ: æger autem ſentiens defunctũ ſe febri, facere res ſuas occipiet, aut lavabit, aut reunctorem admittet, aut etiam ſinẽ his cibum ſumet, ſiquidem ex cenſu ſylvicolarum eſt.

5. Nimirùm plerique idiotarum, ut in plerisque aliis, ab ipſâ rerum naturâ inſtituti, ſophiſtis ſunt ſapientiores: ita in ephemeris à ſeipſis conſilium petentes, ſiquidem non ſentiant validam ſtipationem, (facilè ſe expediunt:) at ſi vehementius laborent, malo quodã fato ſuo incidunt in Diatritarium quendam; ſi melius cum illis agatur, in talem, qui lavet, qui cibet, qui omnia faciat, quò ſolvatur ſtipatio.

6. Sæpè igitur, ut dixi, ob levem obſtructionem, cum obſcurâ cutis ſtipatione, factâ ob balneum in aquâ vitioſâ, aut aliud tale, capiuntur quidam ephemeris. Quo tempore niſi quis ocyus medeatur obſtructioni, incidunt in πολυημέρους.

ημέρας. Eſt enim hæc febris naturâ ſuâ communis τῶν ἐφημέρων καὶ πολυημέρων, & fit unius diei, ob cauſæ exilitatem, veluti plurium dierum, ob ejusdem magnitudinem. Eſt enim paroxyſmus unus à principio uſque ad finem, niſi excipiat illam alia febris, quæ ſit ab humorum putredine.

7. Si itaque contingat, ut neque in pulſu ſit ulla putredinis nota, neque in calore, neque in urinâ; habeat autem originem à ſolâ obſtructione: & curatio ipſius eſt ſolius obſtructionis expeditio. Dictum verò eſt anteà, quo modo ſit expedienda.

8. In ſummâ, ephemerarum multæ ſunt differentiæ. Una, cum nullatenus ſupereſt cauſa efficiens, qualis uſtio ſub Sole. Altera, cum ſupereſt, ut ſtipatio, cujus duæ ſunt dictæ differentiæ, denſatio pororum cutis, &, quam nunc tractare incipimus, obſtructio. Eſt alicubi & denſatio duplex, quædam propter ſiccitatem, ut fit in uſtionibus à Sole, laſſitudine & ira: quædam propter refrigerationem, aut ſimplicem, aut cum adſtrictione. Hæ quatenus differant, dictum eſt, in libris medicamentariis. Eſt & obſtructio quædam à copia: quædam à qualitate, cum humores ſunt lenti & craſſi. Heic in copia primum in curatione locum habent Venæ ſectio: in qualitate, attenuantium eſt. Scopus verò à viribus in ephemeris eſt exilis: momentaneus contrà in πολυημέροις, tantò magis, quò longius durant.

9. Cum vires ſecundum naturam ſe habent, in πολυημέροις nullius vacuantis uſus prohibetur: cum præter naturam, (ſic voco, cum debiliores ſunt,) pro debilitatis quantitate prohibentur vacuantia. Rarum autem eſt, vel primo ſtatim die, vel etiam ſecundo deficere. Defectus autem tum eſt, vel ob cachexiam, vel ob ſenectutem. Aliquibus in cauſâ eſt laſſitudo, unà cum exuſtione, mærore, vigiliis, quæ ſint ab inedia totius diei, circa veſperam incidente febre ante cœnam, unde defectus ſomni, à quo magna virium ſtrages.

COMMENTARIUS.

10. Quò plura & pulcriora ſunt heic, quàm in ſup. cap., eò magis curanda ſunt: imò ſæpius relegenda.

CAPUT III.

1. NArro tibi hiſtoriam ægri, in quo, ratione duce, primùm inſuper habui τὴν διάτριτον, potiorem rationem virium habens. Poſt hunc eodem modo curavi ſimiliter diſpoſitos. Prima enim experientia cum teſtimonium diceret iis, quæ per indicationes inveneram, confidentior ſum factus in ſecunda.

2. Qui igitur febricitavit juvenis, erat quidem annorum 25., gracilis & muſculoſus inſtar canis, temperamento exactè calidus & ſiccus. Gaudebat ali-

qua-

quatenus exercitiis, cogitabundus alioquin & laborioſus. Hic prima die, cum abſens ab Urbe nuncium parum lætum accepiſſet, triſtis ob id & anxius ad Urbem tendebat. Hoc ipſo die mediocrem ſenſit laſſitudinem, lotus eſt, cœnavit, quievit in diverſorio quodam, vigil utplurimùm. Poſtero die etiam amplius properavit, & confecta via ſabuloſa, & ſqualida, ſub Sole fervido, circa horam ſeptimam cum dimidia, venit in Urbem. Cum autem lætiora audiret iis, propter quæ properârat, in gymnaſium profectus lavit & unctus eſt, cum ſodali & quodam frictiones adhibuit. A quo cum perſuaſus eſſet, ut leviter ſe exerceret, cum contentio inter illos orta eſſet, ut ſolet fieri inter exercitores, graviores motus habuit, quam inſtituerat, adeoque jam totus erat ſiccus. Gymnaſio igitur exiens offendit ex ſociis alios depugnantes, quos dum dirimit, inſcius obit aliud exercitium non leve, dum hos quidem divellit, illos autem impellit, alios medios amplectitur, increpans alios, tanquam injuſtos, iraſcens cauſâ aliorum, qui læſi erant, ut rediret domum extremè ſiccus, & laſſitudinem & inæqualitatem ſentiens. Aquam igitur pro conſuetudine bibens, cum nihilo melius ſentiret, ſed inæqualitas creſceret, aquam quidem revomuit, cum conſultum ſibi videretur, nondum edere, compoſuit ſe ad quietem hora ferè diei undecima. Cum verò vigilaret, & febricitaret tota nocte, manſit in lecto tota die ſeq., recompenſare volens inſomnem noctem. Quo tempore cùm viſitarent illum quidam Diatritarii, Non levem quidem eſſe ajebant febrim: cæterùm veſperi ſe reverſuros. Hi veſperi cum viderent febrim declinaſſe, ne tum quidem cenſuerunt nutriendum, quamvis alius quidam medicus ſuaderet. Huic ſtrenuè ſe oppoſuerunt illi, dicentes, Si abſque febre eſſet, daturos fortaſſis aliquid: ſed febricitanti adhuc, nihil ſe dare. Hi tertio etiam die reduces manè, cenſuerunt tramittendum eſſe diem illum. Erat autem hora illa 11. ſuſpecta, ut dixi. His abeuntibus ſuperveniens ego, inſpexi adoleſcentis faciem, & talem eſſe pronunciavi, qualem Hipp. deſcribit his verbis, *Naſus acutus, oculi cavi*, & alia, quæ ſequuntur. Hunc omninò hecticâ & marasmodi laboraturum febri perſuaſi mihi, niſi cibaretur, celerrimè præparatum ex halica ſorbitionem dedi. Nihilo tamen minus, tempore hujus paroxyſmi, circa horā 11. invadentis, refrigerari cœperunt extrema ipſius, nec recaleſieri potuerunt, pulſus parvus, & extremè debilis. Propterea & die quarto, manè & veſperi, cibavi illum, partim, ut vires reficerem, partim, ut ſiccitatem corporis mitigarem. Erat enim cutis ipſius, corii ad inſtar, arida. Durante verò febre obſcura, ſibique ſimili, fas eſſe putavi cibare hominem, non ſimplici ſorbitione, ut anteà, ſed injectis halicæ granis mali Punici ex aqua calida ſine conditura. Edulium enim hoc convenientiſſimum eſt ventriculo picrocholo. Roborat enim illum malum Punicum, & ſine corruptione diutiſſimè manens halica in ventriculo ſenſim coquitur, non aceſcens, non innatans, quod alioqui ſorbitionibus accidit. Quinto die paroxyſmus ſe oſtendit ſimilis. Nobis & eo die, & ſexto &

ſeptimo eodem modo cibantibus, contigit octavo videre ſimile paroxyſmi principium. Quo tempore jam planè manifeſta erat amentia ne dicam, aut contentionis ſtudium Diatritariorum? Omnibus enim patebat, hominem ad quartum perventurum non fuiſſe, niſi ante tertium altus fuiſſet: illi verò tendebant, & tum & ſeq. diebus malè nutritum fuiſſe. Verùm comittendum non erat, ut quis litigando cum illis ægrum proderet ſubtrahendo cibum die illo, quo paroxyſmus exſpectabatur. Eodem igitur modo nutrientes die etiam nono, & videntes pulſum in paroxyſmo robuſtiorem quidem eſſe, quamvis nondum ſecundum naturam & cum extremorum refrigeratione, non exſpectatâ impudenti Medicorum linguâ, die 11. prædiximus amicis ægri, Hodiè ſcituros illos, vivere iſtum hactenus per me! permiſi tranſire ſuſpectas horas. In iis cum pulſus prorſus intermitteret, & totum corpus vehementer refrigeraretur, neque ipſe jam loqui poſſet, & vix ſentiret manus tangentes pulſum; vocati ſunt omnes, qui ab initio viſitârant illum medici. Parum autem aberat, quin diſcerperemur à familiaribus, ego quidem, qui de induſtriâ prodidiſſem ſalutem ipſius contentionis ſtudio: Diatritarii autem, ex inſcitiâ & ſtupore. Ibi tum illi decoloratiores & frigidiores facti ipſo ægro, locum fugæ circumſpiciebant: quod providens ego, claudi juſſi primam è viâ domus januam, & comitum alicui clavem aſſervandam dedi. Et ſtans in medio, Nunc tandem (dixi) vos certò ſcitis, quis noſtrûm vitam huic ſervârit huc uſque? Servabitur enim nunc quoque per nos. Non enim prorſus à cibo arcuimus illum, quod certò moriturus eſſet in hoc paroxyſmo: ſed quod ſciamus, tantum illi ex victu præcedenti virium eſſe, ut ferre poſſit paroxyſmum, ſivimus horam paroxyſmi præterlabi ſine cibo. Præſtiterat quidem multò antè cibatum fuiſſe: ſed ut hos redarguam, & quibusdam è contubernio perſuadeam, Non confeciſſe me adoleſcentem, neglecto vero cibandi tempore, jam oſtendam illis, Etiam in ipſo paroxyſmo cibandos eſſe quosdam, nedum ante paroxyſmum? Hæc dicens, dilatato febrientis ore, infudi ptiſſanæ ſuccum per vas anguſti orificii, ad tres cyathos. Paulò poſt etiam vini albi tenuis, modicè aquâ calida temperati, ad duos cyathos. His admiſſis, & reſpexit ille, & audiit, & nôſſe cœpit præſentes, cum jacuiſſet anteà ut lignum aridum extenſum, ſine ſenſu, ſine voce. Iterum præbita illi panis buccella, vino ita temperato intincti, perfectè refocillavi. Defunctus hoc periculo, inſtitui eandem victus rationem, cumque viderem, ad paroxyſmum, in 13. futurum, ſatis benè ſe habere, 14. iterum manè nutritum in balneum miſi circa horam 8. Tum iterum liberalius nutrito dedi vinum bibere. Hoc pariter feci circa 12. & 13. cibavi hoc modo etiam 15. manè. Tunc cum egregiè toleraret paroxyſmum, iterum lavi 16. aliaque feci circa hominem, quæ feceram anteà. Et quia paroxyſmus 13. minimum moleſtus erat, parvusque, cum ſpe bonâ victum inſtitui analepticum.

3. Hic æger erudiit multos ex iis, qui ſemimali ſunt, & non penitus aſini, quod

quod etiam ante paroxyſmum quibusdam ſit cibus dandus, etiamſi duæ interſint horæ: & multò magis ante tertii initium. Docui etiam te, tales cibandos eſſe, circa inſultum primi paroxyſmi. Tales dico, qui calidi & ſicci ſunt.

COMMENTARIUS.

4. Quantoperè in victu febricitantium aberrent noſtrates à veterum præſcripto, patet, tàm ex l. ſup. c. 4. quâ de ſynochis, quibus ferè obnoxii ſunt calidi & humidi: quàm ex hoc cap. quâ de tertianis exquiſitis, quibus ſubjacent calidi & ſicci. Cauſa erroris eſt regula ſacerrima, *In omnibus febribus quàm longiſſimè recedendum eſt à paroxyſmis.* Hos hactenus quia non pudefecit Gal., nec ego ſperem deterrere me poſſe ab inſaniâ.

5. Cæterùm, quia à Methodicorum furiis, adeoque ipsâ diatrito, tantoperè abſumus, quantum qui ſtant à contrariâ parte, ſecuri eſſe poſſumus ab illo errore. Reſtat igitur, ut abſolvamus nos ab oppoſitâ culpâ. Cibamus, inquit alicubi Jacchinus, manè & veſperi, &c. **Wo ſoll ſonſt der Krancke Stärcke nehmen?**

6. In curâ ipſâ hoc deſidero, quod vitam ægri ponit in aciem novaculæ, confiſus tantillo pulſuum robori? Quæ ſpes ſi deſeruiſſet illum, quanto in pudore fuiſſet? Sed contigit illi, quod Campolongus aliquando dicebat, *Audacia nunquam pœnituit me, timiditatis ſemper.*

CAPUT IV.

1. Fortaſſis ne hoc quidem credibile fuerit vulgo Medicorum! Sed ſive rationibus ſit pugnandum, ſive experientiâ, in utroque me ſiſto. In experientiâ produco homines, qui ſi per biduum cibo abſtineant, neceſſario febricitant. Ita quidam ad iram compulſi, in mærore, in vigiliis. Manifeſtè enim talia eveniunt iis, qui ſunt ſub victu analeptico poſt morbos longos, præcipuè, calidos & ſiccos.

2. Ratione confirmo, quod ſit. Dictum quidem alibi id eſt: ſed dicentur iterum ſumma capita. Vapores & humores acres, per partes ſenſiles lati, horrores & rigores cauſantur in iis, in quibus ſtipatâ cute, jam retinentur illa, quæ anteâ vacuabantur, cum fuliginoſa eſſent, febresque accendunt. Hos tales vapores & humores motus frequentes & vehementes, vigiliæ, iræ, mærores item & curæ valdè augent. Poſt has cauſas idem facit, & quidem per ſe, inedia. Habitus enim corporis in talibus bileſcit, ſi crebrius repetatur inedia. Hoc igitur cum ſimul fit, ſimul æger contentius movetur, quàm viribus ſuis convenit, itaque acria excrementa copioſius per cutim feruntur: neceſſariò (quod in de Cauſ. ſympt. demonſtratum eſt,) aut rigorem aut horrorem concitat.

3. Rigor

3. Rigor igitur accidet propter cùm copiam, tùm acrimoniam euntium excrementorum, nec non celeritatem, tunc potiſſimum, cum vires ſunt debiles. Multa enim paucis, acria minus acribus mordent magis, & quæ in celeri motu citius quàm quæ in tardo. Vires etiam cum benè habent, omnia contemnunt ac tolerant: cum malè, à minimis etiam offenduntur. Horror autem ſubveniet, cùm nec qualitas intenſior eſt, nec motus celerior, nec copia major, potiſſimum cum vires ſe opponunt ſolicitantibus. Hæc ipſa cum omnia ſunt remiſſiora, ne fit quidem horror: ſed ulceroſus quidam ſenſus, aut ſola inæqualitas.

4. Ergò cum omnia iſta concurrunt, rigor eſt vehementiſſimus: rurſus cum omnia exſolvuntur, ne ſenſum quidem ſui faciunt excrementa dilabentia. Ubi verò hæc quidem adſunt, illa autem abſunt; rurſus, ubi hæc quidem eximia ſunt, illa autem exilia; in medio quid erit cum latitudine, inter rigorem maximum, & totalem inſenſibilitatem.

5. Nihil igitur admirabile, ſi in hoc quidem individuo conſpiciendam ſe præbet inæqualitas: in illo autem ſenſus ſeu laſſitudo ulceroſa: in iſto hoc, illud, prout cauſa quælibet vel ſola & per ſe agit, vel cum aliis.

6. Sint ex hypotheſi vires quidem debiles, corpus autem ſic ſatis ſenſile; (hoc enim conferre etiam aliquid ad productionem horum ſymptomatum dictum eſt:) habitus contrà gracilis ſit, temperamentum bilioſum, ſtomachus pariter bile non leviter tinctus, accedat prætereà ciborum defectus, inſomnia, triſtitia, cura, profectio domo, urgente neceſſitudine quâdam.

7. His ita poſitis (quod ita fieri vidiſti) homo hic, re ita jubente, conſilium capiat de longiuſculo per urbem itinere, annon protenus ex motu acrium humorum, inæqualitatem quandam ſentiet primùm? mox etiam horrorem? Quin, ſi continuet motum, annon febricitabit etiam, niſi præſumat aliquid cibi? Monſtravi equidem tibi quoſdam hac occaſione febricitantes, præcipuè, cum ex longo morbo ſe recolligerent? Horum uni, fortè fortunâ in viâ occurrenti, in ipſo horroris principio, & ſignificanti, quid ſibi accideret, panem ex vino aquâ temperato exhibui, & ſubitò horrorem ſtiti. Sed hunc, ut nôſti, ex viâ in officinam quandam deductum febrire prohibui: alios, poſtquam in proprium hoſpitium comitatus ſum, cibavi vel in principio horroris, vel paulò poſt.

8. Ut ſemel dicam, qui ſentiunt principium acceſſionis febrilis, iis omnibus panem ex vino diluto calido ſubitò offero, itaque & febrim tollo, & horrorem ſiſto. Hos tantò citius curabis, quò citius nutries. Si ceſſes aliquantiſper, febris quidem non redit: ſed calor multus, prorſus ut iis, qui in intenſo frigore iter faciunt, domumque reverſi calefiunt. Si pluſculum ceſſes, ſentient illi quidem calorem talem & tantum, ut dubitare poſſis, vocandusne ſit febris?

An quæ etiam ἄθλιπτος dicitur 3. Præſ. pulſ. 6?

9. Ubi præterierint duæ horæ poſt inæqualitatis principium, cibare quidem & tum oportet, durante etiamnum horrore: prædicere autem febrem fore ἄλυπον, quæ cum madore reſolvatur. Hoc facto, & balneo uti, & iterum nutri-

nutrire. Sin horror quieverit, & jam manifeſta ſit febris, non amplius nutrire illo tempore. Declinante autem facto paroxyſmo, ſtatim nutrire, non expectatâ ἀπυρεξία. In omnibus enim ſqualidis diſpoſitionibus paroxyſmi non rectè finiuntur, priusquam humectetur corpus balneis & alimentis.

10. Hæc ego omnia opere ipſo demonſtravi, ob quod factum, ut ſcis, παραδοξοποιὸς à laudantibus juxtà & invidentibus vocatus ſum. Ubi verò diſputavi de his ipſis, probavique, oportere quosdam ante paroxyſmum nutrire, quosdam etiam in ipſo propinquo jam ſtatu, imò etiam inſtante: tu nôſti, quod inclamârunt me παραδοξόλογον. Quid igitur facias de hominibus iſtis, qui neque re ipſâ, neque ſermone perſuaderi poſſunt?

11. Impoſſibile eſt, vociferantur, dignôſſe tales febres? Quo igitur modo dignoſcimus nos? Impoſſibiléne tibi eſt dignôſſe temperamentum calidum & ſiccum? aut à naturâ factum, aut poſteà introductum? Tam mihi hoc facile factu eſt, quàm legere has literas. Quid verò illud eſt, ſi hic quidem putredinem in humoribus agnoſcit, ille non agnoſcit? An propterea res eſt impoſſibilis? Certè, nobis non eſt. Certè, ex pulſibus & urinis, adeoque ex ipſâ caloris qualitate evidens nobis dignotio fit! Si verò illi, neque diſcere quidquam volunt, neque exercere ea, quæ exercitati, quid impedit, quo minus deſeramus Geometras, Arithmeticos, omnes tales artifices?

COMMENTARIUS.

12. Profectò, & pulcra & utilia ſunt, quæ ratiocinatur heic Galenus. Quibus cum ſentiam meum quoque latus fodi, dicam pauca. Nemo ſcit, inquit ὁ δεῖνα, verane an falſa ſint, quæ Hofmannus docet! Mirifica accuſatio! Alîus profeſſionis homines ſi jactarent hoc telum, dolerem: nunc quia talis & tantus Medico-Philoſophus, palàm fatetur ignorantiam ſuam, doleo vicem ipſius vel ideò, quia certò ſcio, non legiſſe. Si legiſſet & intellexiſſet, muneris ipſius erat MONERE me privatim? Tantò magis, quod putat, me tam ineptum eſſe, ut neque GALENUM legerim! Ne longius abeam, quia & errores practicos pro cathedrâ tango, ſumne propterea καὶ παραδοξόλογος, καὶ παραδοξοποιὸς? Sæpè me ipſum explicui, In praxi omnibus cedo, & faxo nemo me in poſterum accuſet τῆς παραδοξοποιΐας? quia & pauperculus & otioſus ſum! Quo minus autem & illa ex Galeno dicam, & alia ex Galeni praxi proponam, quæ vera eſſe ſcio, quis me prohibeat? Sed turbarum ſatis.

CAPUT V.

1. RElictis igitur talibus, veniamus iterum ad continuationem ſermonis noſtri. Inedia habitibus calidis & ſiccis cauſa eſt adverſiſſima & febriculoſiſſima. Dico *habitus calidos & ſiccos*, non ſolum, ſi à principio tales fuerint, temperamento proprio: ſed & ſi poſteà facti ſint, ex victu tali, ex motibus pluribus, ex vigiliis, curis, mæroribus, in regione calidâ & ſiccâ, tempore anni tali, conſtitutione tali. Sanè & citra *Regionis* nomen, licet in talibus ſermonibus uti *Conſtitutione* ſolâ. Hoc credes, ſi ex ſuperioribus repetieris:

2. *Naturas calidas & ſiccas*, ſive tales primævâ origine ſint, ſive à victu, laboribus immodicis, affectibus animi, regione, & conſtitutione eò perductæ fuerint, inedia valdè lædit. In hoc ſermone non eſt quidem *Tempus anni*, quò ad verba ipſa: continetur autem potentiâ, in *Conſtitutione*, inquam, ſummè calidâ, quæ temperamentum hoc efficit, & alio tempore non accidit quàm æſtate. Neque enim vel autumno, vel vere, multò minus hyeme, caliditas & ſiccitas ſumma evenit, veluti nec frigiditas & humiditas alio tempore quam hyberno.

3. Propter hanc cauſam & ego nonnunquam deſero tempus anni, contentus *Conſtitutione*. Liceat quidem unicuique ſermone uti, quo velit: ſervet autem rerum naturam. Eſt autem *rerum natura* illa, quæ dicta fuit: tamen dicam nunc iterum. Quæcunque enim ad curationem quàm proximè accedunt, ſed ignorantur quàm maximè, illa nec Hipp. veretur docere ſæpius.

4. Inedia igitur calidis & ſiccis corporibus valentibus quidem noxia eſt: febrientibus autem, æſtate calidâ & ſiccâ, ab exuſtione Solis, à laboribus immodicis, à vigiliis, ab affectibus animi, non ſimpliciter nociva eſt, ſed ſi quæ alia cauſa, pernicioſa. Aut enim in Cauſos incidunt, è quibus, niſi mors præoccupet, in hecticas delabuntur, atque ex his in maraſmum. Fit etiam ut ab initio invadat febris hectica, præterito Cauſo.

5. Sæpiſſimè temperamenta calida & ſicca, ſtatim ab initio hecticis capiuntur, ſicuti mulieri illi accidit, quæ incipiente quidem autumno facta eſt clinica propter vigilias & anxietates, durabat autem magnam hyemis partem. Hanc viſimus, ut ſcis, quarto die, ſtatimque judicavimus, hecticam eſſe febrim, cum putridâ conjunctam. Curatio autem tum fuit, ſola aqua frigida, quam ſana etiam bibere ſolebat, moderatè bibenda. Sed cum aliis commiſſa fuerit mulier, putavi mihi ſilendum eſſe. Alii cuidam, qui eodem tempore ſe nobis commiſerat, dedimus ſinceram fontanam frigidam, aliquando cyathos duos, aliquando tres. Tales enim multam frigidam absque noxâ non ferunt. Quare optimum factu eſt, ſtatim atque febris ſpeciem cognôris, cautè uti frigido copioſiore, antequam partes ſolidæ valdè exſiccentur.

6. Adoleſcens enim ille, qui ſub Caniculæ fervoribus ex irâ febrim contraxerat,

xerat, calidus & ſiccus, cum in primo paroxyſmo exhauſiſſet aquæ frigidæ cotylas duas; ſtatim quidem vomuit bilem flaviſſimam: ſed & paulò pòſt talem dejecit per inferiora. Deinde iterum poſt cibum, cum bibiſſet ad cotylam unam, febris illum deſeruit. Alii enim Medici, non animadvertentes ab initio febris ſpeciem, ſed poſteà demum agnoſcentes, nihil penſi habentes, an æger caſurus ſit vel in hecticam, vel jam etiam maraſmoden, dederunt ægro frigidam, nos imitati: & omnes voto exciderunt. Doſis enim frigidæ in talibus multâ indiget diligentiâ, ut debita menſura inveniatur. Dicetur autem de illâ paulò poſt, cum finem impoſuero propoſito negotio.

7. Præſcriptus enim modò æger exemplum præbet omnium eorum, qui ali debent ab initio ob ſiccitatem, etiamſi jam febricitent. Cum enim accidat illis febris, ob acrimoniam humorum, calefactorum & attenuatorum ab Sole, inediâ & laboribus, alimentum humectans maximo illis remedio eſt. Ita contrà cum febricitat quis vel ob copiam, vel ob obſtructionem, vel ob inflammationem, vel (ut ſemel dicam) ob putridos humores, maximo malo eſt alimentum.

8. Hos enim neque in declinationibus tutò nutrieris, nedum ſub initium paroxyſmorum: at prædictos omni tempore, maximè in declinatione. Et quoties vidiſti, eos me, qui ex copiâ & inflammatione ægreſcebant, detinuiſſe in diuturnis inediis, neque quidquam dediſſe ad ſeptimum uſque diem? contentum quippe ſolo melicrato? viribus ſcil. integris? Quoſdam, quibus vires non conſtabant, aut os ventriculi bilioſum, debile, valdè ſenſile, ſolo ptiſſanæ cremore ſuſtentavi uſque ad d. diem, cum ſpes eſſet, fore illo tempore declinationem, aut etiam omnimodam per criſin Solutionem.

9. Figantur tibi in ſingulis ægris, ſtatim primo die, ſcopi nutriendi, ut Hipp. juſſit, ſtatus morbi & vires ægri. Si videatur nihil dandum eſſe uſque ad ſtatum, ſerva hominem in inediâ: ſin opus ſit pauco ſubſidio, ſolum melicratum ſufficiat. Si aliquid amplius melicrato; ſit cremor ptiſſanæ. Si non liceat tibi ſtatum attingere aut tenui hoc victu, aut inediâ totali, tenta illum nutrire ſtatim in fine primi paroxyſmi. Sed & nutrire poſſis quoſdam, ut dictum eſt, cum inſtat paroxyſmus, etiam cum jam incepit. Tales erant calidi & ſicci, aut à nativitate, aut poſteà facti, ipſi debiles neceſſariò.

10. Fieri enim non poteſt, ut corpus calidum & ſiccum cum febricitat, validis ſit viribus. Quod ſi in tali corpore accedat inflammatio partis nobilis, omninò mors præ foribus eſt. Vidiſti enim & nos ſemper hoc prædicentes, & nunquã falſos, præcipuè ſi pulmo eſſet inflammatus, aut pleura, aut ventriculus, aut hepar. Inflammationes enim harum partium ſemper, non tantum in debilibus, ſed & in firmioribus pernicioſæ ſunt. Et una ſalus in his eſt, pleuriticis, inquam, peripneumonicis & ſynanchicis, ſi vires conſtant. Nec minus periculoſa eſt inflammatio hepatis & ventriculi. Quatenus enim inflammationes ſunt, pauciſſimè nutrire oportet: at verò ob virium debilitatem, ſæpius erat neceſſe. Hinc fit ut vires labaſcant, inflammatio fiat auctior.

 11. Hæc

11. Hæc fuſius quàm par erat dicta ſunt. Propoſueram enim hoc libro agere de febribus citra inflammationem: verùm, ob ſermonis communionem, exerravi.

COMMENTARIUS.

12. Mera hæc ſunt doctrinalia, ideò bonis jam ſatis commendata. Præ cæteris ego unguem imprimo §.3. & oſtento vitilitigatoribus meis veterem ſcribendi conſuetudinem, Tu, dicunt, ſæpè repetis eadem. Fecerunt & veteres. Hujus rei vel centum teſtimonia capiam ex ſolis his libris Methodi, inter quos princeps hic eſt. Alius eſt cap. ſeq. §.2.

CAPUT VI.

1. Ruſus igitur veniamus ad illos, qui obnoxii ſunt febribus illis, quas *Hecticas* appellamus. Quem igitur præſcripſi, juvenis, is laborabat febre dicta hecticâ, & coactus fuiſſet transigere admirabilem *διάτριτον*, niſi mors præveniſſet, quam attrahunt illi, qui ſine methodo nutriunt. Fingatur igitur alius, qui omnia habeat eadem cum prædicto, præterquam in eo, quod robuſtior ſit, & poſſit ſuperare *τὴν διάτριτον*. Hic ſi cibetur more recepto ab illis, qui *διάτριτον* ad cœlum uſque extollunt, neceſſariò fiet hecticus. Cibârunt igitur die quarto, rurſus ſexto, mox octavo & decimo. Talis enim eorum victus eſt, quod ſæpè vidi.

2. Prima igitur cibatio inſtituitur, poſt decurſam primam *διάτριτον*: reliquæ alternis. Statim autem, ut puto, hypochondria ipſius ſiccârunt * artomelite. Nam & hæc inter alias lex eſt horum Medicorum, ſive inflammatio viſceris alicujus in hypochondriis ſit, ſive non ſit. In principio quomodo cibandi ſint tales, dictum quidem prius eſt: tamen ſumma capita iterum dicam.

* *Hanc compoſitionem nuſpiam invenio.*

3. Cum vel ex laſſitudine, vel ex irâ, vel ex pluribus curis, vel inſomniâ, vel ex triſtitiâ, vel ex longâ inediâ, vel ex omnibus his cauſis concurrentibus, ut in præſcripto adoleſcente accidit, ſiccato corpore febris ingruat, unde & cutis evadat ſqualida, & totum corpus ſit igneum: metus quidem eſt, hominem occupatum iri febri hecticâ, potiſſimum in æſtate, & conſtitutione calidâ, ſiccaque; veruntamen celerrimè oportet hominem reficere & ptiſſanæ cremore & ſorbitione halicæ, additâ micâ panis, demum curare oblatâ frigidâ. Statim enim exſtinguitur febris, & conquieſcit omnimodis, ſi, ut dixi, neque inflammatio adſit, neque humorum putredo. At verò ſi horum aliquod ſimul ſe oſtendat, operam dare diligentem oportet, & diſcernere, quo tempore primum frigidam dare auſimus? Ego ſanè dedi multis, & horum quibusdam,

qui

qui inflammationibus tenebantur, ratus conſultius eſſe, augere, hoc quidem tempore, inflammationem, quam ſinere hominem fieri hecticum.

4. Omninò enim, ut ſemper dicimus, comitatur curationem & dignotio & prognoſticum. Dignoſcere quidem fas eſt præſentia: præſcire autem ex iis, quæ futura ſunt, qui volet uti medicamento efficaci. Quare ſi veriſimiliter ſit ſecutura magna noxa, aut ex putredine humorum, aut ex inflammatione: abſtinere quidem à frigidâ, uti autem refrigerantibus externis, aliquando quidem ori ventriculi impoſitis; aliquando autem totis hypochondriis; aliquando etiam thoraci, ſiquidem conjeci, magnum ibi calorem eſſe.

5. Dictum quoque eſt, quod balnea etiam commoda ſint ita laborantibus, h. e. valdè quidem exſiccatis corpore, febricitantibus autem, abſque humorum putredine, ex aliquâ dictarum cauſarum. Demonſtratum etiam eſt in l. de Diff. feb., quod etiam ad inflammationes ſequuntur febres, idque ob putredinem humorum in illis. Quare, ſi dixero alicubi, febribus putridis hoc illud conferre aut non conferre, puta tu, ſub illis comprehendere me etiam illas, quæ ab inflammationibus ſunt, ſub communi putredinis appellatione. Sicubi verò deinceps utraſque vocâro, audies me definitè loqui de iis tantùm, quæ à ſolâ putredine ſunt.

6. Qualis verò diſpoſitio ſit Inflammatio, dictum eſt mihi l. de Inæq. int., ut & l. de Tum. præter naturam. Hujus rei heic quoque memorem eſſe te oportet, quod abſcedente in partem aliquam ſanguine plurimo, attolluntur quidem ſtatim majora vaſa, cum plenitudinis capacia non ſint: poſteà verò minora: deinde, cum ne hæc quidem capiunt amplius, exſudat ex dictis vaſis in vacua inter vaſa ſpatia, ut omnia in circumpoſitâ carne loca occupentur.

7. Hæc eſt diſpoſitio inflammationis: fit etiam, ut ſine tali diſpoſitione in ipſis vaſis putreſcant humores quidã, aut in unâ corporis parte, vel quaſi cuneo adacti in extremitates vaſorum, vel in totas cavitates, quæ ſunt inter inguina & alas, receptæ. Quando igitur abſque putredine corpus ſqualidum febrire contingit, caput curæ eſt collocandum in auxiliis humectantibus & refrigerantibus.

COMMENTARIUS.

8. Quod præcipuum eſt in hoc cap., eſt id, quod dicitur fine §. 3. de uſu frigidæ in iis ephemeris, quæ in hecticas degenerabunt, niſi præcaveas. Quæ ſententia quia non minus ἄδοξος eſt quàm ſuperior de uſu ejuſdem in ſynochis, cave idem facias, quod ibi Practici, CONTEMNAS. Eſt à magno autore, qui non vult ſe contemni. Multo autem minus à te patietur conculcari ſe pedibus, qui multis paraſangis inferior ipſo es, & in dignoſcendo, & in prognoſticando. Nec te ſublevet ſæculi ſiniſteritas,

cui omnes penè ephemeræ in loco penè nullo ſunt. Sed luunt contemtum, non ægri tantùm, ſed & Medici.

CAPUT VII.

1. EST autem heic materia in genere duplex, Una quidem eorum, quæ forinſecus incidunt: altera autem, quæ intra corpus ſumuntur, quæ προσφερόμενα appellantur. Exterius incidit, & aër, & medicamenta, quæ poteſtate humectare & refrigerare poſſunt. Præter hæc tertium ſunt balnea, aquarum dulcium. Interius ſumta ſunt, & edita & bibita, & inſpiratus aër.

2. Ex his ſumere oportet, quæ & humectant corpus & refrigerant in propoſitis ſermoni febribus. Sed refrigeratio, quoniam per qualitatem efficaciſſimam inducitur, pauco tempore durat, & lubrica eſt; longo autem illa, quæ ſiccatorum eſt, curatio, quæ humectantibus fit, minusque lubrica: examinemus dictas materiarum differentias, ab aëre exorſi.

COMMENTARIUS.

3. Plenius tractatur hoc negotium 1. de Sanitate tuenda, ult. Ego alibi oſtendi, præcipuè l. 5. Inſt., vocari hodiè *Sex-res-non-naturales*, & conſtituere Diæteticam Medicinæ partem, quæ ex æquo miniſtrat duabus ſummis Medicinæ partibus, τῇ ὑγιεινῇ καὶ θεραπευτικῇ.

CAPUT VIII.

1. HIc igitur cum temperatus eſt, utendum eſt illo, ut eſt, nec quidquam aliud moliendum. Sin benè calidus aut frigidus ſit, calido quidem remedium quærere oportet conclavia ſubterranea frigidiſſima, ſed eadem difflabilia, ad Septentrionem aperta, præterea, auras illis inducere ſuaves, quandoque quidem ex euripis, in quos ſe exonerent ſiphones aquarum multi: quandoque autem aquâ frigidâ ex vaſe in vas derivatâ. Hæc ſtatim & ſomnifera eſt. Præterea aſpergere oportet pavimentum aquâ frigidiſſimâ, & roſas projicere plurimas, aut vitiginea folia, aut ſummitates rubi, aut ſarmenta lentiſci, aut aliud quid plantarum frigidarum. Et dictum eſt de illis anteà.

2. Arcere etiam oportet multitudinem hominum. Nam & hæc calefacit conclave. Et hoc quidem modo refrigerare oportet aërem æſtivum, cum æſtas eſt. Hyems enim calidiſſimum non facit, ut neque frigidiſſimum æſtas. At verò cum moderatè frigidus eſt, boni conſulere oportet, non meditari quidquam pro mutando temperamento ipſius. Si frigidiſſimus ſit, quatenus inſpiratur, ſinere oportet. Refrigerat enim ſufficienter calorem cordis: non autem,

qua-

quatenus contingit ægrum. Denſat enim & cogit cutim, prohibetque transſpirationem putrium humorum.

3. Per pulmonem enim, qui viſcus eſt rarum, non facilè penetrat aliquid ad cor, nec qualitas, multò minus ſubſtantia: at per cutim non poteſt ire vel qualitas, vel ſubſtantia. Præoccupat enim denſatio. Meminiſſe enim & heic oportet illius, quod dictum eſt de Simpl fac., de validè adſtringentibus, & ſcire, aërem valdè frigidum præcludere ſibi ipſi vias, ſemper denſando vias. Scire tamen fas eſt, majus fore commodum ex frigidâ inſpiratione, quàm incommodum ex cutis denſatione, maximè, cum licet nobis tegumentis injectis corrigere noxam.

4. Tali aëre uti nos oportet potiſſimum in iis hecticis, in quibus cor primùm patitur, velut in iis, in quibus ventriculus primùm eſt affectus, per comeſta & bibita ſuccurrere illi oportet. Ibi enim integris viribus parti affectæ allabuntur, veluti cordi inſpiratus aër. Hepati verò ex inſpirato aëre nihil eſt utilitatis: à comeſtis verò & bibitis minor quàm ventriculo, ea tamen non obſcura.

5. Communis omnium cura eſt per extrinſecus appoſita humida & frigida. His igitur viſceribus utplurimùm ſupervenire vidi febres hecticas & tabificas. Superveniunt & thoraci, & meſaræo, & jejuno inteſtino, & colo, & utero, & renibus. In diaphragmate tabem non vidi: hecticam autem febrim vidi, ſemel quidem jam in ſummo gradu, ſæpius occidentem, antequam eò perveniret. Dyſpnœa enim tales diſpoſitiones excipit, & deliria, à quibus mors, antequam ulterius eant. Facilima autem earum cognitio eſt, tàm ex pulſus duritie, quàm ex hypochondrii ſurſum tractione, unde dyſpnœa quædam inæqualis, & varia. Utplurimùm enim ſpiritum habent parvum, ſed denſum: viciſſim, manifeſtè lentum. Mox quaſi ſuperſpirant velut cum gemitu, quod eſt, duplicem faciunt inſpirationem, & quaſi ſuperinſpirantes, & mox duplicem exſpirationem, quod ſit quaſi ſuperexſpirantes. Sæpè etiam thorace toto ſpirant, ſcapulas attollentes valdè & ſenſibiliter. Aliquando valdè raram & magnam edunt reſpirationem, ubi delirium vincit.

6. Verùm, nunc propoſitum nobis non eſt docere, aut ſigna locorum affectorum, aut cauſas ipſorum. Redeamus igitur ad curationem, & diſpiciamus, quas differentias habeant materiæ auxiliorum, ad hecticas febres pertinentes.

7. Dicta hactenus non pauca ſunt de aëre calido & frigido, multum præſtante, cum, ut ſolent loqui, Cor primariò afficitur. Affert aër non minus commodi in aliis etiam febribus, quoniam in his quoq; Cor eâ intemperie laborat, ſine quâ, nec maraſmus fit, nec hectica, neque ulla alia febris. Apertum hinc eſt, quod etiam cum pulmo primò patitur, præ aliis omnibus opus habeat frigido aëre.

COMMENTARIUS.

8. Inter res-non-naturales primum locum habet Aër, cujus commoda & incommoda eruditè explicat. Quo loco noto inſignem Gal. candorem, quo alterum

terum ex fictitiis aëris externi uſum conculcat. Is eſt, ingreſſum per poros cutis materiam præbere gignendis ſpiritibus. Si enim frigidus præcludit ſibi viam, ne poſſit ingredi, quî poſſit materiam ullam præbere ? Dicis, Tamen calidu poteſt ? Non poteſt. A calore enim ita laxantur extremitates vaſorum, ut con cidant, & apprehenſioni ſint inepta. Hoc tantò veriſimilius eſt, quò calidior ſunt excrementa fuliginoſa arteriarum. Hinc ſimul concidit falſum dogma Arterias ad cutim non deſinere. Atque hæc addita volo cap. 19. Phyſiolog.

9. Quo loco illud etiam mireris, quomodo, ſalvâ triplici animâ, dicere poſ ſit, Hepati ab inſpirato aëre nihil utilitatis eſſe? Si enim peculiaris ibi anima eſt indiget etiam peculiari ſpiritu, qui naturalis dicetur, contra quem tamen pugna infrà l. 12. c. 5. ut ibi videbimus.

CAPUT IX.

1. DEinceps fuerit dicendum de medicamentis exterius impoſitis, hume ctantibus & refrigerantibus. Eſt verò hoc notorium omnibus, eligend heic fore ex frigidis ea, quæ ſine adſtrictione id faciunt, ſed cum tenui ſubſtanti Præterquam enim quod talia ne humectent quidem, frigida eorum qualitas pe netrare in profundum non poteſt, cum cutim cogant & ſtringant. Melior igitur ex adſtringentibus ſunt illa, quæ non tantùm ſine adſtrictione id faciun ſed & cum tenui ſubſtantiâ ſunt.

2. Perfectiſſimè igitur refrigerantem ſubſtantiam unà cum partium tenu tate fortaſſis inventu non eſt. Ita loquor: quia omnium eorum, quæ ſcimus re frigerare cum tali ſubſtantiâ, acetum eſt, quod tamen habet aliquid calor admiſtum. Præterea, quæ contingit corpora, ſiccat, licet humidum ſit imag natione. Hinc nec ſolo illo aliquando utimur in diſpoſitionibus illis, qui hume ctatione & refrigeratione indigent: ſed tantum miſcentes aquæ, ut bibi poſſit,

3. Et licet corpus tale non detur, quod perfectè ſimul ſit frigidum & tenu tamen præparare licet tale, quod aptum ſit operibus talis medicamenti. Dictu quidem de iis abunde eſt in opere de Simplicibus, dicetur verò & nunc in pa cis exemplis, ut exercearis in particularibus.

4. Faciam autem initium ab omnium ſimpliciſſimo eorum, quæ hum ctare & refrigerare poſſunt, quo in eryſipelatis utimur, & initio inflammatio num in pudendis, antequam ſe oſtendat putredo quædam depaſcens. Oport autem pro illo præparatam habere ceram totam quam optimam Talis eſt Po tica alba, nec minus illa, quæ fit è favis Atticis. Adſit verò & oleum roſ. ex e genere, quod vocatur ὀμφακινὸν, ab aliis ὠμοτριβὲς, abſque ſale factum. Opt mum autem & illud oleum, quod exquiſitè tenuium partium, quale Sabinu eſt. Hæc ambo in uſu miſcenda, liquentur in vaſe duplici, quo modo ubi f ctum eſt Ceratum humidum, (tale fit cum ol. acceperit ceræ triplum aut qu

druplum:

druplum:) & id jam refrigeratum fuerit, deraſumque, inſtilletur ſenſim tantùm aquæ, quantâ opus eſt ad miſturam, in mortario faciendam.

5. Oportet autem Ceratum quidem accuratè perfrigeratum ſit: aqua autem frigidiſſima. Refrigeratio Cerati ſufficiens erit, poſtquam modicè denſatum fuerit, immiſſo vaſe, in quo continetur, in aquam frigidiſſimã. Dum miſces, parùm aceti, tenuis & ſplendidi, ſi voles, adde, & habebis medicamentum efficacius in humectando & refrigerando. Non oportet autem ſinere in corpore, uſque dum incaleſcat, ſed ſubinde mutare.

6. Aliud medicamentum. Oxalidos, quæ & oxylapatum, ſuccus, adjectâ modicâ farinâ, excipiatur panno duplici lacero, & frigidus actu imponatur. Si non ſuppetat talis pannus, linteum duplex, ſucco illo inebriatum, imponatur parti refrigerandæ. Equidem & portulacæ ſuccus, & ſempervivi cum ſucco uvæ acerbæ, eodem modo cum farinâ miſcetur. Præter hæc lenticula paluſtris, & tribulus (aq.) viridis, & polygonum, & lactucæ & ſeridos ſuccus, & ſi quæ alia frigida, cum tenuiſſima farinâ. Sine etiam farina uti licet totis plantis lævigatis. Sed & epithema ex palmulis pinguibus (παλάθας appellant) bonum eſt medicamentum. Horum carnem elixare oportet, & eximere membranas, aliquando cum aceto applicare claro, aliquando cum aquâ etiã, ſed lævigatam, cum per coctionem mollita fuerit. Quod ſi duriuſcula etiamnum apparuerit, melius fuerit miſcuiſſe aliquid Cerati. Addere ſi voles ol. roſ., nihilo pejus erit. Sed cum pacto, ut parum ſit, ſimplex, actu frigidum, & ſine ſale paratum.

7. Simplex cum voco roſ., cum alia ablego, tùm illud, ut ſine aromatis ſit factum. Nec minus heic laudis habet ſuccus roſ., ſed actu frigidus, cum farinis. Sed & roſæ ipſæ levigatæ, non ſecus ac germina modicè adſtringentium herbarum. Ita herbæ ipſæ, quale Solanum. Sed hæc materia alibi explicata eſt: nunc ~~aliquid~~ attuliſſe ſat ſit, exempli cauſâ. His uti oportet, ut vulgus Medicorum, vel ſuper toto thorace, vel ſuper toto abdomine: ſed ſuper illâ maximè parte, quæ primò affecta eſt. Neq; enim neceſſitas poſtulat, ut vel æquè refrigeremus illam, quæ valdè indiget ac illam, quæ minus; vel citius deſiſtamus, metuentes parti alicui vicinæ. Ego vidi, cum medicamentum refrigerans imponeretur hypochondrio, ægri reſpirationem ſubitò alterari. Alium vidi ſubitò tuſſire: ſed ſublato medicamento, nihil amplius ſentire. Tu verò ſi voles minus refrigerare, habes in promtu *Emplaſtra ceratiformia*, modicè refrigerantia, quorum non tantum materiam didiciſti, ſed & compoſitionis rationem.

CAPUT X.

1. CUm ſentiã nunc demũ me exceſſiſſe modũ propoſiti mei, tranſitum facio ad proxima. Proxima autem eſt balnei conſideratio, cũ propter rẽ ipſam,

tum propter Philippum, qui cenſet noxium eſſe iis, qui maraſmo laborant. Equidem, quam habeo ego ſententiam de balneis, & in ſpecie de hecticis, maraſmoque occupatis, de aliis, de illâ hoc in libro potiſſimum agere inſtitui. Et memini, me in feb. quoque ephemeris laudâſſe illa. Sic in 7. libro juſſi ſæpè uti illis in ventriculi ſiccis intemperiebus cum malè coquit, & propterea corpus attenuatur. At de univerſâ illarum facultate nuſpiam ſeorſim egi, ſed reſervavi me ad h.l., in quo accuratior ero, vel ideò, quia Philippum habeo adverſarium.

2. Jam anteà oſtenſum eſt in curâ ulceris, quæ ſit cauſa, cur ignorentur proprii ſcopi in ſingulis morbis? Idipſum tamen nunc quoque dicetur, utile futurum & præſentibus & futuris Cum enim una in corpore diſpoſitio eſt, ſi non ratione, certè experientiâ probari poteſt non difficulter, unam ipſius curationem eſſe: at cum complicantur duæ aut tres, potiſſimum cum contrariis opus habent auxiliis, fieri non poteſt, ut experientiâ inveniatur, quid ſit faciendum, quin ne ratione quidem facile eſt.

3. Etenim eſſentiam propriam ſingularum diſpoſitionum accuratè oportet nôſſe; nec minus indicationem propriam cujusque curationis venari par eſt, à quâ illarum inchoare primùm oporteat, à quâ magis, vel minus, quàm ſecundam aut tertiam facere. Propter hanc cauſam ignotum eſt Medicis gregariis, neque an febrium, quà febres, unicum ſit remedium, refrigeratio: neque actu, an potentiâ: neque an per accidens plura alia ſint refrigerantia, febrium remedia. De his quidem dictum eſt anteà: dicetur autem in his iterum.

4. Quædam enim remedia complicatam quodammodo & duplicem habent facultatem: ut & per ſe juvent, & per accidens. Tale balneum eſt. Potio enim frigidæ per ſe quidem juvat: actu autem refrigerat: ſuccus autem uvæ acerbæ potentiâ eſt medicamentum refrigerans. Utrumque igitur refrigerat primò, quod eſt per ſe, & nullo intermedio: ſanguinis autem ademtio, ut anteà dictum eſt, in ſynochis vocatis, non amplius per ſe, ſed per accidens curat calidas intemperies. Eodem modo & clyſter, & purgatio, & embrocha, & cataplasma diſcuſſorium, concoctoriumque.

5. Utramque hanc facultatem continet in ſe balneum, de quo loquimur, quoniam, ut puto, compoſitum quid eſt ex diverſis facultatibus. Qui enim ingrediuntur, verſantur in aëre calido: poſteà inſiliunt labro aquæ calidæ. Qui egrediuntur, frigidæ ſe mergunt. Et his poſteà ſudor abſtergitur. Poteſt enim hæc prima pars balnei & æqualiter calefacere corpus, & materias fundere, diſcutere humores, unde ἀνωμαλία, rarefacere cutim, & vacuare multa, quæ in primo aditu. Altera pars balnei, ſi quis utatur illâ in ſiccâ corporis intemperie, egregiè humectare poteſt partes ſolidas. Tertia pars, ubi frigidam adhibuerimus, & refrigerat totum corpus, & cutim denſat, & vires confirmat. Quarta, ſine ullo ex frigore detrimento, vacuat corpus per ſudores.

6. Hæc omnia cum poſſit circa corpus facere balneum aquæ dulcis temperatum,

ratum, & præterea auferre horrores & denſationes cutis, quæ obveniunt intempeſtivè utentibus: tentabimus in poſterum definire omnia. Dicam autem antè omnia de illis, quibus lotis horrores incidunt. Et eſt una quidem illis cauſa (ut ſic dicam) continens facti ſymptomatis, quam aliæ plures præcedunt. Quæ horrorem facit, cauſam eſſe dico motum confertiorem acrium humorum. In quibus igitur hi abundant, habitus autem denſior, cutisque conſtipata eſt, illi horrent, ſive balneum ingrediantur, ſive in Sole ſtent, ſive quacunque de cauſa vehementius cieantur in geſtationibus, frictionibus, aut exercitiis. In quibus verò pauca ſunt, contrà corpus ipſum facilè laxatur & rareſit à calore, non ſolum non horrent, ſed & melius ſibi eſſe ſentiunt vacuatis humoribus.

7. Veriſimiliter igitur, neque in principio paroxyſmi, neque in ejusdem augmento, quisquam lavit ægrum ſuum. Cutis enim hoc tempore denſa eſt, & quaſi in filtrum coacta, ut & ſubjecta illi carnoſa ſubſtantia. At verò ſi fiat in declinatione paroxyſmi vel incipiente, vel benè progreſſâ, & nos & alii ægros lavantes non parum juvimus. Quando igitur hoc illudve faciendum, in ſeq. definiam: nunc propoſitum mihi eſt de univerſis balnei partibus diſſerere.

8. Ubi hoc primum explico & dico, Multos eorum, qui cruditatibus laborant; plures eorum, qui abundant acribus humiditatibus; omnes, præter paucos quosdam, qui morbis laborant talibus, qui paroxyſmis interciſi ſunt: veriſimiliter inhorreſcere, ſive balneum ineant, ſive in Sole ſtent, ſive fricentur, ſive geſtentur, ſive exerceantur. Cum enim horum quid incipit agi, excitatur magnus excrementorum impetus. Interim, quia denſa adhuc cutis eſt eorum, qui balneum meditantur, ut nequeat ad priſtinam naturam ſuam redire, cum primùm aërem calidum contingit, ſed opus habeat tempore longiore, in quo confertim ad extima ruunt ſuperflua: neceſſe eſt tunc contineri ſub cute, & collecta ibi mordere carnes, per quas feruntur. Monſtratum autem eſt in de Cauſ. ſymp., quod acria excrementa per partes ſenſiles lata, horrores & rigores faciunt.

9. Cur igitur horreant tales in balneis, jam inventa nobis cauſa eſt. Eodem modo cur non horreant illi, qui vel nullum tale excrementum ſub cute collectum habent, vel tale, ut facilè exhalet. De his igitur deinceps loquamur, propter quos mentio eſt facta inhorreſcentium. Si quis igitur balneum ingreſſus horrorem neutiquam ſenſit, ſed laxata illi eſt, rarefactaque cutis, hunc conſequi prius dicta neceſſe eſt, vacuationem ſuperfluorum, æqualem per totum corpus calorem, rarefactionem meatuum cutis, remiſſionem tenſorum, fuſionē denſatorū.

10. Vacuatio excrementorum utilis eſt omnibus febricitantibus: ita etiam rarefactio & remiſſio. Sed neque fuſio, neque calor omnibus eſt contrarius, (frigefieri enim diſpoſitio illorum vult, non calefieri.) Fundi autem æquabiliter, ſolidis quidem partibus omninò incommodum eſt, humoribus non ſemper utile eſt, niſi cum inflammatio, aut inflammationi quid ſimile ſubſit in corpore,

aut plethora alterutra, ſive ad vires, ſive ad capacitatem vaſorum, nocentiſſimum omnium eſt.

11. Inflammationes enim augentur, calefactis & fuſis humoribus: tenduntur autem tunicæ vaſorum, non capientes copiam in flatum converſam. Vires autem laborant hoc ipſo. Calidis igitur & ſiccis diſpoſitionibus, de quibus dicebamus, diffundi in illis melius eſſe acria excrementa, (ſine enim periculo eſt fuſio,) non ſine noxâ calefactio.

12. Ex primâ igitur balnei parte hæc commoda exſiſtunt iis, qui ita affecti ſunt; cum tempeſtivè lavantur: digrediamur, age, ad alteram, quæ eſt propriè dictum balneum. In hac, à madefactione quidem hoc boni habent: à calefactione autem nihil habent.

13. Diſcedamus igitur ex hâc ad tertiam, in quâ calefacta ſine moleſtiâ refrigerantur: vires autem fiunt validiores. In hâc eâdem, quæcunq; rarefacta ſunt, & plus æquo laxata, redeunt ad æquabilitatem naturalem.

14. Hujus rei indicia petuntur ex quartâ parte. In quibus enim omnia ritè peracta ſunt, & jam ſudant poſt frigidæ uſum, & vacuantur omnia corporis excrementa.

15. Ex his omnibus, quæ de balneo dicta ſunt, unum ſummum caput fieri poteſt, Vacuatum quidem eſſe, quidquid ſub cute erat fuliginoſum & fumoſum: carnes autem ſub cute & cum cute eſſe in naturali ſuâ ſymmetriâ. Cæterum, & ſqualorem partium ſolidarum eſſe ſedatum, & conſequenter calorem, non eum ſolum, quem balneum excitavit, ſed & illum, qui prius erat, ab uſu frigidæ ſublatum eſſe.

16. Huic rei teſtimonium dicit corporis conſtitutio illa, quæ balneum excipit, cum ambulamus ſub Sole calido. Ingredimur enim balneum, præ ſiccitate linguæ, fauciumque, vix loquentes, cum totius corporis ariditate: egredimur frigidâ, actutum reſtituti naturæ, neque calore febrili conflictati, neque ſiccitate impediti, promtè loquentes, & à ſiti liberi.

17. Nunquid igitur evidentiorem aliquem effectum deſideras balnei in diſpoſitionibus calidis & ſiccis? Ego quidem alium non habeo. Licet autem illis, qui poſt tale iter balneum neglexerint, experiri, quid ſecuturum ſit. Aut enim ſtatim febricitabunt, aut magno cum faſtidio jacebunt in lecto, caput dolentes, & potiſſimum, ſi nullo frigido æſtum abegerint.

18. Nimirùm, plerique juvenum ſtatim poſt talia itinera, in frigidam ſe abjicientes, adjuti ſint, & potiſſimum ii, qui validi ſunt, & aſſueti. Uti ruri, ubi balnea non ſunt, in ſtagna & fluvios ſe præcipitantes, nullo etiam Medico conſulto, ſed ab ipſa corpus gubernante Natura ducti ad id, quod naturale eſt. Natura enim animalibus etiam brutis motum indidit ad contraria, dolorem facientia. Nam & ipſa frigidæ ſe mergunt, cum calor moleſtus eſt, quo modo in hyeme quoque calida cubilia quærunt. Hac contrarietate motu, edunt, cum famelica ſunt, bibunt, cum ſiticuloſa, & omnia alia agunt ſecundum naturam.

19. Quod ſi certam diſcretionem haberemus naturæ eorum, qui febricitant, auderemus, puto, ſemper quosdam ex iis lavare frigidâ, ſine balneo. Quod enim ſint, qui opus habent tali, manifeſtè docent illi, quibus profuit. Certè, non accidiſſet hoc, niſi illo tempore benè diſpoſiti fuiſſent ad frigidam.

20. At verò quia neſcimus accuratè diſpoſitiones febriles, & quantum ſit mali, ſi res ſecus fiat, abſtinemus ejusmodi experimentis, præſertim in febribus hecticis, in quibus ſubjectum nobis corpus eſt pauci ſanguinis, paucæ carnis, pinguedinisque. Hinc partibus ſolidis nullum eſt propugnaculum, impetum frigidæ ſine offenſâ excepturum: ſed ſtatim alliditur partibus ſimilaribus, à quibus actiones omnes eduntur.

21. At juvenis benè carnoſus, tempore æſtivo, in ipſo febrilis paroxyſmi ſtatu, ſine inflammatione viſceris alicujus, frigidæ inſiliens, ſudorem excitaret. Quod ſi aſſuetus eſſet tali balneo, magnâ cum fiduciâ inſiliret.

22. Sed de ejusmodi auxiliis iterum dicetur: qui hecticâ laborant, in temperamento calido & ſicco, præſertim, ſi jam maraſmo laborent, iis tutum non eſt in totam aquam conjici, cum tale quid experiri volunt. Ita neque ii, qui tempore, cum conſtitutio eſt calida & ſicca, poſt longum finitum iter, cum graciles & debiles jam ſunt, refrigerari hoc modo debent. Nam nec his tutus eſt uſus frigidæ, niſi corpus balneo præcalefactum ſit.

23. Tale quid enim nobis accidere imaginari debemus, cum ſolium aquæ frigidæ meditamur, quale accidit in ferri tincturâ. Refrigeramur enim & denſamur ad illius inſtar, cum ignefactus mergitur frigidâ.

23. Hanc ob cauſam in corporibus debilibus inventa ſunt balnea præcalefactoria, & præparatoria ad frigidum ſolium. Tale quid moliuntur, qui frigidâ utuntur absque balneo, cum præexercitati inſiliunt. Tale enim quid præſtat nobis balneum, quale illis exercitium, non tantùm excalefaciens, ſed caloris nativi motum ab interioribus ad exteriora provocans, quo in motu quaſi occurrit allabenti frigidæ, propugnatque, prohibetque, ne nimiâ cum violentiâ in profundum ſe inſinuet, & viſcerum aliquod percutiat. Tutum enim non eſt ſubſtantiam frigidæ penetrare uſque viſcera, quemadmodum neque irrefractam qualitatem absque ſubſtantia. Melius autem & tutius eſt ſolam qualitatem differri in profundum.

24. Quare quicunque hectici in balneum veniunt, niſi frigidæ immergantur, nihil proficiunt. Qui enim diverſâ ab hecticâ febre laborant, illorum partes ſolidæ nondum ita diſpoſitæ ſunt, ut calorem præter naturam deponere poſſint. Quare ſufficit his auxilium, quod habent à ſudoribus unà cum inſenſili transſpiratu. Per hæc enim in febribus ephemeris vacuari contingit ipſam illarum ſubſtantiam: at in hecticis caliditas

& ſiccitas eſt ſimilis illi, quæ in ferro ignito. Quare ſatis non eſt in balneis illos calefeciſſe & humectâſſe, (ſic enim febri ſubminiſtraverimus alimentum & augmentum:) ſed præſtat immergere frigidæ, & exſtinguere calorem illorum.

25. Heic, heic periculum eſt, ne corpus in contrarium collocetur, nimiumque refrigeretur! Quis hoc neſcit? Non propterea id, quod rectè ſuccedit, culpare oportet! Neque deſiſtere ab incœpto par, ſi difficilis eſt prehenſu menſura! Si enim poteramus tutiori ratione ſuccurrere hecticis & maraſmo affectis, faceremus: nunc, quia in refrigeratione & humectatione principalis ſcopus eſt; in omnibus autem refrigerantibus remediis hoc quaſi à tergo ſtat malum, ob corporis gracilitatem, video neceſſitatem ſuggerere nobis Thucydidis illud conſilium, Δράσαντάς τι καὶ κινδυνεῦσαι, *Etiam cum periculo quid audendum eſt.*

26. Qui enim aliâ ratione ſanitatem corporis adipiſci non poſſunt; & quæ adeſt, intuta eſt: hos neceſſitas jubet periculis ſe exponere. Sed nec error ipſe aut lethalis eſt, aut cui obviam iri non poſſit. Quos enim dum febrim exſtinguere volunt, frigida aqua deduxit in habitum contrarium, hos ſeq. tempore omni curare oportet calefaciendo. Sed neque par periculum eſt vel diſpoſitionis frigidæ, vel remediorum neceſſariorum. Nam anteà quoque oſtenſum eſt l. 7. quin & l. de Maraſmo, ut & in de Sanitate tuenda, quod impoſſibile ſit ſanare conſummatam ſolidarum ſiccitatem, & quod ſi hoc fieret, tali victu nemo ſeneſceret.

27. Igitur, ſi ſolidarum ſiccitas eſt inſanabilis; breviſſima autem ad illam via eſt per febres hecticas: melius fuerit transferre hominem ad intemperiem ſiccam, ut habeamus, quod curemus. Qui enim hoc fecerit, oppugnabit deinceps illatam noxam: qui verò ſinet mori, deſperabilem ægro ſalutem parabit? Quare, quantò melius eſt, cum ſpe certâ facientes aliquid periclitari, illo, ſine ſpe, certò, ſinere perire aliquem. Eodem modo melius eſt pugnare generoſis remediis, quàm nihil agere.

28. Refrigeremus itaque hecticos ſtatim omni ingenio, antequam progreſſi ad maraſmum moriantur: hunc verò, ne attingamus quidem. Licet enim calorem exſtinxerimus: tamen relicta ſiccitas ſenectæ modo hominem perdit, tamdiu victurum, quamdiu extrema ſiccitas ſolidarum permiſerit. Fortaſſis autem malit aliquis familiarium, niſi ſi & æger ipſe, vivere illum in habitu ſenili, quàm extemplo mori!

29. Curare igitur tales oportet cum prædictione, Ex hoc maraſmo transferam illum in alium, qui hodiè dicitur, γῆρας ἐκ νόσου, *ſenectus ex morbo.* Accidit enim illos, non ſolùm dies plures ſupervivere, ſed etiam menſes. Ita habentem juvenem cum curarem, refeci illum primùm, & veluti ſenem alui in ſenili imbecillitate, ſervavi illum in vitâ, non ſolum per menſes aliquot, ſed etiam annos.

30. Hujus maraſmi curam nemo deſideret heic nôſſe. In 7. enim libro dixi potentiâ, cum tractarem intemperies frigidas & ſiccas, ut & in de Sanitate tuenda,

la, quâ parte de Gerocomicâ. Hoc libro volui agere, non de curâ maraſmorum, ſed febrium hecticarum, ex quarum genere & maraſmodes ſunt.

31. De his, cum alia mihi dicta ſunt, ratione & experimento mihi comprobata, tùm illud, non eſſe reformidanda balnea, ut Philippus facit. Nimirùm, cautius ullo utitur, ut nos quoque in aliis febribus, quæ vel ab inflammatione, vel ab humorum putredine. In illis enim nihil nocueris, etiamſi in aquam frigidam non merſeris illos, ſed (ut moris eſt) perfuderis aquâ primùm tepidâ, qualis à Sole fit, deinde paulò frigidiora. In hecticis expetitur nobis, non calidum ſolium, ſed frigidum, quod præparat laborantis corpus, ut in iis, qui per ſanitatem utuntur.

32. Videtur autem mihi Philippus, non hoc tantum neſcire, quid balneum in maraſmo poſſit, quod tantoperè graciles non audet immergere in frigidum labrum, aut certè tandem infundere aquam frigidam: ſed quod ſæpè alia ſit conjuncta febris ex humorum putredine, aut inflammatione viſceris alicujus; imò etiam, quia maraſmus per ſe lethalis morbus eſt. Hinc eſt, quod quidam non rectè culpant omnia oblata, cum cauſa hæreat in ipſo morbo.

33. Reſumentes igitur iterum, quæ diximus, ſermoni imponamus finem. Omnes hecticos, potiſſimum ex iis, qui jã maraſmodes ſunt, ſine aliâ implexâ febri, ſive ex ſolâ putredine, ſive cum inflammatione, induc balneo confidenter, citra ullum laborem, ne diſſolvantur vires, quod ipſum cum non minus lædat vires, cauſa ſit, cùr balneum culpetur. Citra laborem, ſic intelligo: Volo ægrum portari ſuper lectulo, paratamque ad manum habeat ſindonem calentem, ſuper quam in primâ domorum balnei calentium nudus transportetur. Sint autem quatuor, qui illum teneant, unus in unoquoque extremo. Ubi igitur prima domus ſatis calida fuerit, in eâ exutus æger in alteram inferatur. Hæc ſi videbitur frigidior adhuc eſſe, non ſit æger nudus, ſed tectus, aut certè obvolutus aliâ ſindone calidâ, aliove involucro. Apertum autem eſt, quod quæ ſuſtinere debet ſindon, ſatis firma eſſe debet. Si debilior ſit, oportet facere duplicem. Sit autem media domus illa, non ſitu tantùm media, ſed & temperantior priori tantò, quantò frigidior tertiâ. Heic oleum ſit tepidum, quo perfundatur ocyus ac illatus fuerit in ſindone. Hoc factô, tertiam domum ſubeant, in labrum illum deponentes, non aliò divertentes extra tres dictas domos. Non properantibus quidem portatoribus: ſed tamdiu morantibus in prioribus domibus, uſque dum in alterâ deponatur è grabatulo: in mediâ perfundatur oleo.

34. Omnium harum domorum aër ſit neque in ſummo calidus, neque in ſummo frigidus, ſed abundè temperatus, mediocriter humidus. Hoc fuerit, ſi ante ingreſſum effundatur è labro aqua largiter, ut diffluat per omnes domos. In ipſâ autem natatorii aquâ non moretur diu, ſublevatus ſindone, non ſuperinfuſâ ullâ aquâ, quale quid in aliis facimus. Sed neque capiti affundere velim. Sufficit enim bis, terve immergere, remittentibus ſenſim ſindonem quatuor portato-

tatoribus,iterumque ſurſum trahentibus. Hinc exportatus, mergatur in aquam frigidam confertim, ſed ne diutius ſubſiſtat.

35. Oportet autem portatores, cùm in aliis benè inſtructos eſſe, tùm in hoc præcipuè ut merſio ſit ſubita. Tum verò alius, paratam habens ſindonem, ſuperinjiciat illi. Mox grabato impoſitus, ſpongiis primum mollibus abſtergatur, deinde pannis abſtergentibus, ne duriuſculè contrectent. Sic unctum & indutum portent in domum ſuam, ubi degit, ibique nutriant. Dictum eſt autem in ſup., libro ſc. 7. ubi ſiccas intemperies curabamus, domum debere eſſe contiguam balneo. Et hæc quidem de balneo ſufficiant.

COMMENTARIUS.

36. Prolixa hæc quidem eſt, ſed vera, hecticorum curatio. Quam quanti faciant, imò quam abſurdam aliam ſubſtituant Practici noſtri, videre eſt, cùm apud alios, tùm apud Ill. Maſs., 5. Pract. 23. Ego operæ pretium facturus videor, ſi detexero latens hoc loco venenum Phyſiologicum. Tacitè enim inſinuat heic Gal., Solidarum partium materiam eſſe τὸ σῶμα τῆς γονῆς, ut Ariſt. loqui ſolet. Hoc falſum eſſe ſciunt, qui rectè inſtituti ſunt. Sed eſt h.l. quæſtio Logica, quam ſub hoc nomine tramitto.

CAPUT XI.

1. CUm ſuper. cohærent, quæ de facc. alimentorum ſuperſunt. Eſt autem hoc clarum omnibus, quod facc. hæ debent eſſe frigidæ & humidæ, ſiquidem opponi debent feb. hect. Tales ſunt & ſuccus ptiſanæ, actu frigidus aſſumtus, halica etiam eodem modo præparata, quod eſt, cum aquâ & modico porri, anethi, ſaliſque, nec non olei & aceti. Hujuſmodi ægris aptus etiam eſt panis, aquæ frigidæ intinctus. Nihil autem horum validè refrigeret, veluti potionis. Illa enim & facilè calefit, & tranſit: hæc verò diu in ventriculo ſubſiſtentia, fortaſſis etiam refrigerent illum, ſi intenſè frigida ſint.

2. At verò ſi febris diutius duraverit, etiam lac aſininum propinabis, diligenter animadvertendo ne in caſeum coaguletur in ventriculo. Hoc aliquando te docebit ipſe æger, cum didicit, quid in ſe fieri ſoleat: aliquando nos id obſervabimus, ex longiori uſu. Tum verò an opus erit miſturâ mellis, cum pauco ſale veſci, ut prohibeatur ſymptoma? Neutiquam.

3. Hoc enim caſu fugiendum fuerit mel, quantum fieri poteſt in febribus hecticis, & propterea & melicratum. Bileſcit enim & ſicciores efficit febres, unà cum calore acri. Primo igitur loco dandum eſt lac aſininum, non ultra cyathum unum, ut vidiſti me facere, introductâ aſinâ in ipſum ægri cubile, ne quod tempus interſit, & æger ſubitò bibat, obſervantibus nobis diligenter pulſum, qui ante

Cyathus apud Plin. eſt 3. x.

ante & poſt potum. Si enim corrumpatur lac, videbis pulſus, quales ſolent eſſe in compreſſione ventriculi: ſi non corrumpatur, fieri majores & fortiores. Hinc licebit tibi æſtimare, copiam lactis in poſterum augendam eſſe, addito ſemicyatho. Deinde iterum addendum ſemicyathum. Et iterum, aſcendendo uſque ad ſymmetrum. Hujus ſymmetri menſuram, non ſolum in lacte, ſed & in aliis cibis omnibus, habes ibi, ubi ſcopos explicui curandi ſiccas ventriculi intemperies, lib. inquam, ſeptimo.

4. Ibi enim primo loco expoſuimus ſiccam intemperiem tamdiu productam, ut totum corpus ſit gracile, & docuimus, quomodo quis utrumq; tractet, & ventriculi intemperiem, & gracilitatem corporis. Ne igitur multa ſcribam, fortè præſtat eò remittere lectorem, ubi de omnibus alimentis actum eſt. Intemperies enim cum invicem ſimiles ſint, ſimilia etiam poſtulant remedia. Inter igitur has quantò calidior eſt febrium hecticarum, tantò frigidioribus indiget auxiliis, tantò etiam diligentiâ majori, ne fortiora remedia noceant. Ergò, qui maraſmo jam vicini ſunt, ii utantur balneo: qui verò eò nondum pervenerunt, abſque ſindone abſolvere id poſſunt, fortiores quippe. Oportet autem & hos inferre domui, aut grabato innixos, aut vehiculo alicui impoſitos, ſi poſſint ipſi uti pedibus, ut aliquantulum morentur in aquâ calidâ. Qui verò debiliores ſunt, iis vix permitti poteſt, ut ipſi demittant ſe in frigida natatoria, quin foris ſunt perfundendi primùm tepidiori, deinde frigidiori aquâ.

5. Tum verò aqua ſit eouſque frigida, ut (quandoquidem tantum eſt hauriendum, quantum ſatis ſit toti homini perfundendo:) neq; evidenter frigida appareat, neque evidenter tepida: ſed qualis Fontana vocata, in medio frigiditatis ſenſibilis, & tepiditatis exſolventis.

6. Hoc in negotio ſi omnia fiant rectè, & quoad balnea, & quoad alimenta, ſpes eſt ſanum fore hominem tuum: ſin peccetur in uno ſaltim, evertet id reliqua omnia. Quod enim in ipſâ diſpoſitione febrili mali eſt, ne minimũ quidem errorem tolerat. Horum enim aliquis ſi ſervatus eſt, ipſius genus carnoſum tantũ erat paſſum: & verò cum ſolidæ etiam partes exſiccatæ fuerint, fieri non poteſt, ut homo redeat ad perfectã ſanitatem: ſed neceſſariò vel ex ipſo morbo mors conſequitur, vel ex maraſmo incidit in ſenectutem ex morbo. Nam, primùm quidem morb. depopulatur proprium partium humidum, quo aluntur: hinc tranſit ad genus carnoſum, quod ſubnatum eſt fibris, membraniſque ſolidarum partium: ſic deinde contingit & ipſas ſimilares.

7. In ſingulis partibus, quas ſimplices & primas nominamus, ut vidiſti in Anatomiis, hæc quidem pars ſubſtantiæ ipſius veluti fibroſa eſt: hæc autẽ membranoſa, illa carnoſa, V.g. Venæ tunicam quandam tenuem vides, in quâ videre eſt fibras multas araneiformes, interſtitiis quibusdã copulatas, quibus utriſq; propria venæ ſubſtantia circumnata eſt, alia atq; alia in aliis corporis partibus, cõmune nihilominus nomen ſortita. Interim nihil prohibet doctrinæ gratiâ, vocare illã

Carnoſam ſubſtantiam, naturam, aut, ſi ita vis, hanc illius partis carnem, aliam in ventriculo, aliam in hepate, veluti rurſus aliam in arteriis & muſculis. Vocata autem eſt ſola illa, quæ in muſculis, aliam nullam ita vocantes, præter paucos quoſdam, qui illam, quæ in hepate, renibus, pulmone, liene, παρεγχύματα appellant. Contrà, illas, quæ in inteſtinis, ventriculo, & utero innominatas relinquunt.

8. Tu verò nomina neglige: diſtingue autem molem ſubſtantiæ, quæ in ſingulis partibus, quæ ferè conſtituit ſubſtantiam illarum, naturamque, quæque ſubjecta eſt generationi & corruptioni, ut videmus expreſſè renaſci in cavis ulceribus, cum eandem generationis rationem non habeant vel fibræ, vel nervi, vel membranæ. Sed neque in malignis febribus ita extabeſcunt, ut carnes, quæ animal exſtinguunt, antequam prorſus exareſcant.

9. Sunt quidem febres maraſmodes omnes è cenſu colliquantium: ſed in hoc differunt, quod colliquata in corpore univerſa caro in hecticis inſenſibiliter digeritur, in maraſmode ſi ſe oſtendit in excrementis alvi. Hoc fieri videmus evidenter in carnibus ſuper craticulam toſtis. Quarundam enim colliquamentum copioſum eſt, & ſuper carbonibus apparet: quarundam non eſt ſenſibile, quod defluit, quamvis carbones ſint æque multi.

10. E.g. carnibus aprugnis aut parùm, aut nihil deſtillat: à domeſticis plurimum. Et hoc pro differentiâ animalis pinguioris, carnoſiorisve. Tum enim copioſius eſt colliquamentum. Eodem modo in fervidiſſimis febribus. Si enim caro adſit humida & mollis cum pinguedine multâ, colliquamenta ſunt ſenſibilia: ſin pauca, cum pinguedine etiam paucâ, tamen maraſmodes febres fiunt.

11. Hujus rei evidentiſſimum ſignum capitur ex iis, qui colliquationes exhibent in alvi excrementis, cum aut ob vim morbi, aut ob imperitiã Medici incurrunt hoc mali, quamvis diſpoſiti ad id non ſint. Quamdiu enim ſuppetit materia, excernunt: cum deficit, exſiccant etiam duras carnes; à quibus nihil defluit. Hoc accidit etiam in carnibus ſalitis, ſi velis aſſare illas, ſubjectis æquali copiâ carbonibus. Sicciores enim erunt hæ carnes, & indureſcent amplius, corii inſtar, nec tamen ulla effluet colliquatio.

12. Hæc ubi cognôris, colliges inde, colliquativarum febrium curationem eſſe ejusdem generis. Quare ad frigidæ potionem quamprimum venies, & alimenta dabis humida, frigidaque.

13. Ex his melicratum eſſe adverſiſſimum, quo tamen uti vides pleroſque omnes Medicos. Sed de his febribus aliter iterum fuerit agendum, quemadmodum etiam de peſtilentiâ hecticarum, quæ Epidemiorum morborum eſt. Verùm, de methodo curationis hecticarum & maraſmodῶν ſufficiant hæc.

Finis Lib. X.

METHODI MEDENDI LIB. XI.

CAPUT I.

1. Febrium, in humoribus accenſarum, ſcopi quidem primi dicti ſunt anteà, cum docui, quâ ratione, & duæ ſint, & tres: imò etiam una. Nunc, ut in aliis febribus, ex primâ primorum generum diviſione venimus ad ultimas ſpecies: ita heic quoque faciamus, illud prius admonentes, quod & in de Diff. pulſ. factum eſt, Quod, ſive primas differentias vocare quis velit, ſive prima genera, ſive generaliſſimas ſpecies, ſive, quomodocunq; aliter, nihil interſit, modò obſervet accuratam rei notionem.

2. Febres ephemeras quomodo curare oporteat, hujus operis l. 8. dictum eſt, velut etiam quomodo ſynochos vocatas, in ſeq. Ita etiam, quomodo hecticas in proximo, qui 10. eſt, cum ſpecialibus plura etiam communia tractans. Nunc propoſitum eſt mihi, quo modo illæ, quæ ſunt à putredine humorum.

3. Scopi autem curatorii, ſecundùm binam illam diviſionem, & diſpoſitio, quam curamus eſt, & temperamentum partium ægri. Licet autem, ſi quis velit, etiam comprehendere uno capite, dicentibus, Scopum curatorium eſſe unam omnium contrarietatem, quâ diviſâ, fieri illum duplicem, hinc quidem morbi, indicantis uſum, contrariorum remediorum: illinc autem temperamenti, definientis ſimul quantitatem contrarii.

4. Dictum verò ibi eſt, etiam aërem facere unum ſcopum, & ponendum eſſe, ſiquidem duos tantùm ſcopos faciamus, inter cauſas vel morboſas, vel ſalubres. Cauſæ ſalubres cum ſint omnes illæ, quæ ſanitatem cauſant, una ex iis eſt, quæ *βοήθημα, auxilium*, ſecundùm diverſas notiones, ultimum & primum rectè vocatur. Tempore enim ultimum erit, quia Natura, Ars & Fortuna ſunt priora illo: primum autem, quatenus tangit morbum, alterando diſpoſitionem illam. Proptereà, ars & artifex fiunt cauſæ ſanitatis, quatenus corpora morboſa alterando ad ſanitatem ducunt, non quod primò & per ſe morbos exſcindant, ſed quod beneficio aptarum materiarum, quæ *βοηθήματα* vocantur.

5. Venæ ſectio, ipſa, per ſe ipſam, hoc ipſum nomen ſortita eſt: at verò cum lædit hominem, fit *cauſa morboſa*, veluti cum prodeſt, *ſalubris*. Ideò *βοήθημα* dicitur, cum prodeſt, ut omnis alia materia, quocunque modo corpus alteret, cum prodeſt, *βοήθημα* dicitur. Eodem modo & aëris proprium nomen eſt, ex naturâ ipſius deſumtum: ſed quatenus ad nos refertur, aliquando quidem *βοήθημα* eſt, & *cauſa ſalubris*, aliquando autem contrarium quid, *cauſa morboſa*.

6. Et quoniam ex conſtitutione aëris præſenti, & tempore anni, & regione

aër recipit mutationes in cal., frig., hum. & ſicc., ex iſtis iterum oriuntur indicationes quædam particulares. Fortuna igitur, ars & artifex, mediantibus materiis ſuis effectum edunt: Natura autem ex ſe ipſâ, ex trib. illis facta partib., ſpiritûs eſſentiâ, & reverà ſolidis, quæ conſtare ex ſemine dictum eſt, & præter illa ſubſtantiâ carnoſâ, quæ propria eſt uniuscujuslibet partis. Unumquodq; trium dictorum propriam iterum quantitatem habet, & qualitatem naturalem. Qualitas eſt ex convenienti temperamento humido, ſicco, cal. frig.: quantitas ſolidorum corporum ſemper una, eademque eſt, in iis, quæ adhuc in augmento ſunt, numero tantùm, in perfectis autem etiam magnitudine. At verò ſubſtantiæ magnitudo variabilis eſt, cum deſiit augmentum animalis. Sic ſpiritus eſſentia tantùm non ſingulis momentis fit minor aut major.

7. Hinc fit, ut vires, cum de ſcopis loquimur, aut ſolæ opponantur trib. dictis, aut ſeorſim poſito temperamento, & per ſe. Quæ ipſæ iterum aliquando dividuntur in naturam propriam & conſuetudinariam. Ideò ex his, aliisque prædictis fit indicatio remediorum propria, peculiarisque. Sæpè etiam temperamentum acquiſititium, ad cauſas efficientes reductum, indicationem illis elargitur.

8. Hanc ob cauſam diximus, ex ætate, vitæ ſtudiis, itemque conſuetudine quandoque indicationes auxiliorum ſumi. Conſpirare autem invicem omnes indicationes, adeoque ſpecialiores contineri in generalioribus. In uſum autem produci ſpecialiores, ex diviſione generalium erutas.

COMMENTARII

loco ſit repetiuncula, aliquibus fortaſſis moleſta futura, Contrarium illud alterum, de quo §.3. eſſe Contrarium-ſimile, jam toties mihi dictum.

CAPUT II.

1. PRima omnium indicatio curatoria eſt, quæ ſumitur à curando morbo, & contrarium vult. Sed quia plura ſunt morborum genera, ſinguli habebunt ſuum contrarium. Sed alia quidem tranſeant hoc loco: præfiniatur autem nobis ad præſens inſtitutum genus morbi curandi, quod *Intemperies* eſt. Curabitur igitur per intemperiem contrariam. Sed quoniam generis totius febrilis *Caliditas* eſt, inſtituenda fuerit per Frigiditatem, ut conſentiant inter ſe Indicationes.

2. Sive enim ſimpliciter ita dicamus, quod febris ſit curanda per contraria ſive, quod per contraria temperamento: ſermo neuter pugnabit alteri. Eodem modo, neque ſi dixerimus, quod curanda ſit per ea, quæ febrim refrigerant; neque ſi diviſim loquentes, per ea, quæ actu ſunt talia, vel per ea, quæ potentiâ. Et iterum, vel per ea, quæ per accidens, vel quæ per ſe, Aut etiam iſta conjun

jungentes,ſi dicam⁹,per omnia iſta fieri,ulla erit pugna in verbis. Indicatio enim à morbo in tot loquendi modos diviſa eſt. Et rurſus, hi ipſi ſcopi in lib. Simpl. inveniunt materias. Principiũ enim illarum eſt,ubi finis eſt ſcoporum curatoriorũ.

3. Principaliſſima enim & propriiſſimè dicta in ſolutione morbi conſiſtit *curatio*: quæ verò metaphoricè dicitur, miſtum quoddam genus eſt ex curatione propriè dictâ, & illâ quæ προφυλακὴ, *præſervatio* dicitur impropriè. Febrium igitur ephemerarum reverà eſt *Curatio*, ut & hecticarum: putridarum vero, ni mavis, earum, quæ ex putredine humorum ſunt, *curatio præſervationem* ſibi ſociam ſumit, quæ eſt exſcindere ſimul cauſam morbificam.

4. Vocatur autem & artis pars illa θεραπευτικὴ, purè licet & reverà diviſa ἀπὸ τῆ προφυλακτικῆ, eo, fieri quidem morbum à cauſâ agente, futurum autem à prophylacticis. Nominibus igitur utatur quis ut volet (hujus enim ſemper meminiſſe oportet,) diſtinguat autem in rebus ipſis indicationes auxiliorum. Si enim contingat ut vel unam illarum negligat, curatio erit deterior pro ratione vel magnitudinis, vel poteſtatis, vel quomodocunque appelles.

COMMENTARIUS.

5. Niſi fallor, confuſiones heic ortæ ſunt à Scribis, quod Gal. nimis diligenter diſtinguat indicationes, & præcipuè, quo ſingulæ cauſæ agant modo. Mihi ita ordinare libuit: ſi quis me erit expeditior, ei non ego immoriger ero. Hac in re cum conſulerem Ill. CRATONEM, fraudi mihi fuit brevitas ipſius.

CAPUT III.

1. POrrò, quemadmodum à diſpoſitione ad materias auxiliorum pervenimus: eodem modo à ſingulis reliquorum primorum generum deſcendendum eſt, v.g. à viribus. Eæ enim morbo adverſantur, veluti antagoniſtæ, & propoſitum eſt Medico favere illis, & omni ingenio in belli ſocietatem venire.

2. Quis igitur primus ſcopus à viribus? aut, quæ prima ab ipſis indicatio eſt? Nam heic quoque loqui pro arbitrio poſſis, & primum quidem facere ſcopum vires ipſas: ſecundum autem id, quod ab ipſis indicatur. Quia igitur monſtratum eſt, vires velle cuſtodiam ſui, ut morbus ablationem ſui: ſecundus iterum ſcopus erit cuſtodia, eo modo quo morbi ablatio.

3. Sed cuſtodia volet ſimilium uſum, ut ablatio contrariorum. Et quia ſubſtantia virium in tribus eſt, in ſpiritu, ſubſtantiâ carnoſâ & ſolidis, permanentia ſingulorum à ſimilibus eſt. Spiritûs quidem à reſpiratione & transſpiratione, ut & à ſanguinis evaporatione: (liceat verò heic quoque, quam ego ἀναθυμίασιν voco, aliis vocare ἀέρωσιν, aliis λεπτοποίησιν αἵματος, aliis εἰς ἀτμοὺς λύσιν, aliis, ut ipſi volent:) ſolido autem generi ex ſolido cibo,

veluti carnoſo generi ex medio quodam conſiſtentiâ inter humidum & ſolida corpora. Uniuscujusque horum quantitatem quidem invenies ex reſervato quanto: qualitatem autem ex temperamento: hujus item, prout quoddam vel optimum eſt, vel aliquo modo culpabile. Optimum ſervare ſemper oportet: quod deficit, in ſanis quidem aut ſervare, aut alterare: in ægris autem, pariter ſervare.

4. Ex quo ratiocinio anteà probavi, conſuetudinem præbere maximam indicationem, ſive tueri voles nativum temperamentum, ſive inſtituere novum. Fieri autem ut dicebatur, indicationem hanc ex menſurâ auxiliorum temperamenti, quod nunc viget, veluti & ætatis, non in quâ olim erat æger, ſed in quâ nunc eſt.

5. Sed cum non exigua ſit differentia in temperamento partium animalis, propria uniuscujusque menſura erit ſimilis ſimili, v.g. terreſtris terreſtribus, humidi humidioribus. Ita & aërii aëriis, calidi igneis. Hinc verò invenire licet materias auxiliorum in omnibus particularibus vel cibis, vel potibus, vel aëre, vel vitæ inſtitutis omnibus. Ubi verò ſecum pugnaverint quædam indicationes, prædictâ uti methodo licet ad faciendorum inventionem, intuendo magnitudinem & dignitatem indicantium ſcoporum. Oſtendimus enim capi oportere eas indicationes à ſcopis dignioribus & potioribus. Dignitas verò judicanda eſt reſpectu vel vitæ vel ſanitatis. Magnitudo duplex eſt, aut ſecundùm propriam ſubſtantiam, aut ſecundùm declinationem naturalem. In his igitur methodis exerceamur in eo quoque febrium genere, quod à putredine humorum eſt.

COMMENTARIUS.

5. Semper judicavi, Galenum, cum de triplici virium ſubſtantiâ & heic, & alibi loquitur, & ex alienâ ſententiâ loqui, & implicare ſe difficultatibus inæſtimabilibus! Res in plano ita ſtat. Vires, apud Ariſt. quoque, ſunt in triplici corporis noſtri conſtitutione, præſertim in primâ, quæ Temperamenti eſt. Temperamentum cum ſit cauſa actionum ſimpliciter, erit etiam cauſa actionum firmarum. Temperamentum cum conſideretur tripliciter, vel quatenus eſt factum quid, vel quatenus perennat per nutritionem, vel quatenus agit: quorſum ſubdiviſio illa in ſolidas & carnoſas? Solidæ quidem afferunt ſecum ſemen maſculum, tormentum ingens, ut nuper dixi: carnoſæ autem occentant nobis nutritionem, & pueris, qui nondum ære lavantur, notæ. Spiritus, qui ſunt commune animæ inſtrumentum, quis neſcit, quid ad actionem conferant? Hi ipſi duo alia afferunt tormenta, de quorum altero nuper, quæ quis ferat ſine exclamatione? Jam, ſi accedat numerus ternarius virium, de quibus ſuprà, pro numero ternario animæ, quis jam pedibus conſiſtat?

CAPUT

CAPUT IV.

1. QUoniam putredo conſiſtit aut in omnibus vaſis æqualiter, aut majoribus tantum & principalioribus, quæ ſunt inter alas & inguina, aut in unâ ſolâ parte; & rurſus vel cùm, vel ſine inflammatione, in quâ parte, tanquam in foco aliquo ſit concluſum principium febrile: in ſingulis ſeorſim exerceat ſe quis oportet.

2. Et primùm quidem tractemus putredinem illam, quæ accidit in vaſis aut maximis ſolis, aut ſimul omnibus. Hanc diſpoſitionem febrilem *Synochum* neceſſariò eſſe dicemus, ſimulque ſignificabimus, curari non poſſe, niſi putredo ſiſtatur. Non ſiſti autem, niſi cauſa tollatur. Quæ igitur eſt putredo illa, cujus cauſa exſcindi debet prior, ut poſt illam febris curetur? Æqualis in omnibus vaſis. Heic primum recordari oportet, ecquæ ſit cauſa putredinis? Deinde quærere, quæ ſit cauſa æqualitatis in omnibus vaſis?

3. Demonſtratum eſt l. de Cauſ. morb., illa tantùm corpora putreſcere, quæ calida & humida cum ſint, & in tali loco perſeverent imperflata, & ineventilata: ſi verò ſint in motu, & ventilentur, difflenturque, poſſe quidem defendi à putredine, ſed non niſi tum, cum motus illi naturales (& perpetui ſint:) quales ſunt in animalibus & ſtirpibus. Hæc enim duo rerum genera habent in ſe connatos motus, (hoc oſtenſum eſt in lib. de facc. nat.) quibus ſuperflua expellunt.

4. Demonſtratum verò etiam eſt in aliis duobus operibus, quis ſit uſus reſpirationis & pulſus? Ut nimirum ventilent & difflent corpus, conſerventque *Calidum nativum*. Si igitur contingat quid in corpore velle putreſcere, neceſſe eſt dictas transſpirationes eſſe cohibitas.

5. Et quomodo poſſunt, inquis, omnes totius corporis perſpiratus huc pervenire? Poſſunt, per ϛέγνωσιν dictam, cum accidit vel in extremitatibus vaſorum, vel per univerſum corpus. Hæc ϛέγνωσις univerſalis fit vel ex frigore externo magno, vel ex humoribus lentis, craſſis, viſcidis, multis, cum confertius ad exteriora vergunt. Hoc iterum fit in exercitiis palæſtricis, aut aliis vitæ inſtitutis, per itinera contenta, per aërem, cum ſubitò ex frigore tranſit in calorem. Fit etiam à vehementi commotione, in quâ ebullientes humores ſimul & ſemel cum violento impetu ruunt ad faciendas ϛεγνώσεις illas.

6. Quicunque igitur propoſitam in ſermone febrim curare vult, oportet exſcindat ſimul cauſam, ſimul factum in corpore calorem exſtinguat. Hunc quomodo refrigeret, dictum eſt anteà: illam quomodo exſtirpet, cognoſcet ex propriâ cujusque contrarietate. Si enim ex frigidâ cauſâ ſtipatum ſit corpus, oportet id omnibus modis laxare & rarefacere. Hoc ipſum ſi factum ſit ab obſtructione, deobſtruere. Quod verò deobſtruit, hinc etiam petes, intuendo contrarietatis ſcopos. Humores enim copioſos vacuabis, craſſos & lentos attenuabis, & fluxi-

ſtabiles reddes. Si cauſæ plures concurrerint, omnibus inſtabis ex lege contrariorum. Fieri enim poteſt, ut & corpus denſatum ſit, & humores adſint lenti, &c. In his complicationibus ſi memineris eorum, quæ dicta ſunt, à venæ ſectione auſpicabere, copiam auferendo, veniendoque ad attenuandum. Deinceps ad laxandum & rarefaciendum. Et hæc hactenus per indicationes à morbo petuntur.

COMMENTARIUS.

7. Videtur h. l. à me requiri, ut parùm attentum lectorem moneam, quid vocet σύνοχον, vel ideo, quia Latini codices alternant, magnusque Crato ſub umbrâ latet. Non intelligit ullam putridarum, de quibus poſt ephemeras & hecticas agere h. l. inſtituit: ſed ephemeram degenerem, quæ, inquam, [illegible] eſt. Hac in re cecipiſſe etiam præceptores meos, facile erat oſtendere. Adeò intricata res eſt!

8. Ungoem etiam imprimo verbis ſin. §. 4. Synochorum cauſam eſſe in reſpiratione & pellis, quod hactenus apud Practicos non legi. Cur ſuperaddo hoc [illegible], Synochum Græcorum eſſe *Febrem ſanguineam* Arabum. De quâ, quàm multæ & graves ſint controverſiæ, non aliunde melius cognôris, quàm ex Ill. Maſs., Pract. l. 5 f. 783. ed. Francof. Vide tamen, ſi placet, etiam [illegible] cap. 285.

CAPUT V.

1. A Virib. (ſiquidem cibus, potus & aër has cuſtodiunt, modò in certâ quantitate & qualitate exhibeantur, & fuit (ſi meminiſti) delineatus modus quantitatis ipſorum à ſubſtantiâ virium: qualitatis à temperamento:) ſumenda eſt indicatio, quatenus ſe habeant illæ, quæ corpus gubernant. Si enim vegetæ ſint, utere confidenter remediis vacuantibus, quæ capta ſunt ex diſpoſitione morbificâ: ſi infirmæ, cautus eſto. Nam & quantum cibi ſit dandum, hinc pendet. Cum enim bene habent, & ſtatus morbi in propinquo eſt, tenuiſſime eſt cibandum: ſi debiles, non licet ſine magno diſpendio. Tum enim addere oportet tantum, quantum deceſſit robori ipſarum.

2. Ex his enim ſcopis quantitas cibi definienda eſt: ex morbo autem, unà cum temperamento naturali, quod eo tempore ſe oſtentat, partium ſolidarum qualitas. A morbo, ſi obſtructio ſit, ut victus ſit attenuans: à temperamento, unà cum conſuetudine, ut anteà definitum eſt. Tempus autem cibandi in aliis quidem febribus putridis, dicetur in ſeq.: in his autem, quæ uno conſtant paroxyſmo à principio uſque ad finem, (de his enim hæc loquimur,) tolerantia & conſuetudo pro ſcopis ſunt. Tum enim illi cibandi, cum melius habent, & maximè illo tempore, quo ſani veſcebantur. In hos enim ſcopos ſi quis intuetur, comperiet, bene actum eſſe cum illis.

3. His

3 His talibus dandam etiam frigidam, humoribus jam concoctis, & craſſitie illorum ſublatâ, ex dictis patet.

COMMENTARIUS.

4. Non minus heic quam ſuprà l.9. c.10., increpanda eſt nobis ſocordia Galen. noſtrorum, qui nolunt intelligere verum eſſe, quod Peripatetici illis occentant, *Errores, in fundamento admiſſos, oſtendere turpitudinem, ſuam etiam in fine.* Parùm ſit, admiſiſſe tres animas, nec poſſe reſpondere ad objectionem vetuſtiſſimam, *Quid unit illas*? Ingens piaculum eſt admiſiſſe etiam triplices vires, quæ tamen in uno calido nativo hoſpitentur, quæque uno illo ſervato ſerventur omnes. Hoc amplius fit, admiſſâ per poſticum triplici virium ſubſtantiâ, quam cap.3. oppugnavi! Et quid? ut jam hoc addam, quod, inquam, eſt ποιὸν illud τῶν ςερεῶν, quia merè paſſivè ſe habent? quia plus non habent, quàm à ſpiritibus accipiunt?

5. Atque ut aliquo modo laxem frena Pegaſo meo, quam excuſationem habent impetus hujus irrationalis? Non credo, inquit dux ipſorum, Galenum tam abſurda docuiſſe! Quod neſcire vis, id à me audies. Allegas propriam turpitudinem. In hac exaggerandâ non morabor, ne te confundam amplius.

CAPUT VI.

1. HÆc febris quia ſtat medio loco inter putridas, quæ paroxyſmos habent, & vocatas ephemeras, in utroque genere memini illius, ephemerarum quidem, quatenus unum habent paroxyſmum: putridarum autem, quatenus πολυήμεροι. Alterum ſynochorum genus duo communia habet cum ephemeris, & quod citra putredinem, citraque periodum: tertium non eſt commune. Sæpè enim extenditur ad quintum uſque diem.

2. Harum igitur febrium cura jam ſcripta eſt: ſynochi autem cum putredine, quatenus cum aliis putridis communicant, & coëgerunt me bis de illis agere, & ſubſtantiâ & totâ naturâ ex genere ſunt earum, de quibus nunc agimus. Communicant autem cum ephemeris ùnico accidente, quod eſt, unicus paroxyſmus totius morbi. Oportet igitur hujus ſolius ratione in communionem curationis cum ephemeris veniant: in reliquis omnibus diſtingui dupliciter. Quosdam enim ſcopos curatorios à putridis ſumit: quosdam ex propriâ ſubſtantiâ.

3. Sic curare oportet & alias putridarum differentias, ut ſæpè dictum eſt anteà, ſumtâ indicatione, & à communi genere, & à propriis differentiis.

COMMENTARII

loco ſit hæc notela, Cap. hoc paulò minus quam κίβδηλον eſſe.

CAPUT VII.

1. RESumentes igitur negotium iterum dicamus, Quot ſint differentiæ omnium putridarum febrium? & quod ſit genus commune indicationum curativarum. Deinde, quæ ſit propria ſingularum? Neceſſe enim eſt, ut, quod omnibus commune eſt, communem habeat indicationem: quod proprium, eximium, pro magnitudine exceſſuum generalium, unde indicatio ſpecialis originem habeat.

2. Sunt autem hæ differentiæ febrium putridarum. Una, quod cauſa putredinis etiamnum adſit, aut non adſit. Altera, quod cauſa illa vel totum occupet corpus, vel partem aliquam. Tertia, quod quædam cum inflammatione eſt, quædam ſine illâ.

3. Videndum igitur nobis eſt, quid commune habeat indicatio cauſæ adhuc præſentis? quid item putredo ipſa ſibi velit? deinceps, quid illa, quæ vel in toto corpore, vel in principaliſſimis vaſis? pariter, quid illa, quæ in unâ parte? iterum illa, quæ vel in hac, vel in illâ? Veriſimile enim eſt, alias eſſe indicationes, ubi inflammatio eſt, alias ubi non eſt. In his iterum, ſicubi cauſa adhuc agit, alia, ubi deſiit agere. Mox, quæ ſint differentiæ cauſarum manentium in ſingulis febrium ſpeciebus. Tunc enim neceſſe eſt deſinere nos in indicationes curandarum diſpoſitionum. Poſt has eâdem methodo accipiemus illas, quæ ſunt à partibus curandis. Quibus ſi addiderimus eas, quæ à viribus, perfecta erit methodus febrium putridarum.

CAPUT VIII.

1. INcipiamus igitur à primo ſcopo, ſecundùm diviſionem accepto, (erat is putredo,) & conſideremus, Quibus intentus quis ſcopis? quibus uſus indicationibus? curationem ipſius inveniat. Principium autem inventionis erit natura rei, de quâ agimus. Nam & id didicimus in methodis Apodicticis.

2. Quæ igitur natura *Putredinis* eſt? *Mutatio totius corporis putreſcentis ſubſtantiæ ad corruptelam à calore externo.* Etenim à calore proprio nihil corrumpitur. E contrario autem omnia ab illo augentur, corroborantur & valent: immò, omne vivens tamdiu vivit, quamdiu ab illo regitur. Nimirùm, ipſa animalium corpora, quippe maximam ſui partem ex calido humidoque conſtituta, longiſſimè tempore durant imputria, valentia & viventia, cuſtodita ſcil., ut oſtenſum eſt, à calore proprio, in corpore quidem cordis, beneficio reſpirationis, in aliis autem partibus omnibus, partim per communionem cum corde, partim per aliam quandam reſpirationis ſpeciem, quæ fit per cutim, & proprio nomine dicitur *διαπνοή*.

3. (Hi

3. (His benè ſe habentibus ut benè ſe habet corpus:) ita malè ſe habentibus, vitiatur unà *calidùm nativum*, hujus autem loco alienus quidam calor, isq; præter naturam, ingeneratur corporibus, qui humores quidem primos putrefacit & corrumpit: progreſſu autem temporis pinguedinem aggreditur, carnemque.

4. Ut igitur inter non-viventia quæ putreſcunt, primum quidem abjiciuntur, quæ jam putruére; reliquum autem in altiorem & perſpirabiliorem locum translatum, in frigido vid. aëre, liberæ transſpirationi committitur: eodem modo putredinem in animalibus curabimus, omni ingenio vacuantes, quod corruptum eſt; quod reliquũ eſt, moderatis motibus ad ſymẽtriam ſuam reducentes.

4. Quod ad vacuationes, fiunt illæ per veſicam & alvum, per vomitus & ſudores. Poſt has adhibebimus exercitia modica in aëre temperato. Hæc quomodo inſtituantur quàm commodiſſimùm, paulò poſt videbimus: modò ad alteram diviſionis partem digreſſi, dicemus, quomodo quis dextrè inveniat curationem cauſæ putredinis etiam manentis.

5. Eſt verò ne in hac quidem re difficultas, cum auferatur per contraria. Quia igitur prohibita transſpiratio facit putredinem, auferenda illa fuerit. Sed quia non uno modo prohibetur, vel denſatis cutis poris, vel conſtrictis corporibus, idque vel ob copiam humorum, vel ob craſſitiem, lentoremque illorum, ſingulas has diſpoſitiones curare oportet per contraria, denſationem quidem per rarefacientia; conſtrictionem autem per fundentia; copiam tandem per vacuantia. Ita craſſitiem per ſecantia, lentorem per abſtergentia. Ita ſi horum aliquid ſit in toto corpore, toti corpori per contraria eſt occurrendum: ſin in parte tantùm ſit putredo, in illâ hoc meditandum. Sic eſt, non omnia iisdem indigent medicamentis, nec eodem temperamento præditis: ſed differunt, ut partes ipſæ inter ſe.

COMMENTARIUS.

6. Hoc cap. eſt ſedes latiſſimæ controverſiæ, An Gal. heic definiat eam putredinem, quam Ariſt. 4. Meteorol. 1? Dico clarè, *Non*, propter duo argumenta. 1. Ariſt. loquitur de univerſali putredine, de illâ, inquam, quæ Generationi opponitur. 2. Si propriè loqui volumus, Putredo Gal. eſt σύγκαυσις potius. Vide Simonium in diſp. de Putredine, Cracoviæ in 4. 1584. Noſtra ſi non faſtidis, vide exordium febr. putrid. in χg. παθολ., cap. 287.

CAPUT IX.

1. QUomodo ergò agendum ſit in ſingulis videbimus, ut orationis ordo tulerit, incipiendo à putredine totali, à quâ etiam ſunt *Synochi*. Expurgare

igitur oportet, quæ jam putruerunt è corporibus, quæ ita laborant, per urinas, per alvum, per ſudores. Quod ſi materia ſpontaneum motum habuerit ad os ventriculi, & per vomitum. Aliis modis irritare non oportet. Neque modicum eſt materiæ, quæ ad exitus dictos properat. Sed cum materiæ vacuantium ſint calidæ & ſiccæ, febrem augebunt.

2. Eliget igitur Medicus, quæ ſine calore & ſicc. operentur illas, ut ptiſſanæ ſuccus, melicratum, oxymeli & apomeli, item apii radix, incocta aquæ, pro potu paratæ. Hæc ipſa etiam ventriculo ſunt apta. Cujus excrementa cum non ſuccedunt, clyſtere oportet uti ex melicrato cum oleo. Ante univerſalem purgationem corpus rarefacere non oportet: ubi purgatio facta eſt, uti oportet medicamento tepido, quale chamæmelum eſt.

3. Hoc tempore bibitum aquoſum vinum promovet omnes vacuationes. Eodem modo balneum temperatum ex aquâ dulci. Quo loco ſi non ſemper adſcribatur τὸ γλυκὺ, ſubintelligere oportet, & ſcire, quod de tali ſit nobis ſermo, quoties in febribus ejus meminimus, non autem de bituminoſo, ſulfureo, aluminoſo, vitriolato, ſalſo, aut marino.

4. At verò cum obſtat febris magnitudo, ut obſtat in ſynochis, neque vino utendum eſt, neque balneo, neque unguentis rarefacientibus: ſed aqua frigida in his ſumta eſt aptiſſima, niſi hoc quoque ſit, quod impediat. Ipſius enim febris medela in univerſum eſt frigida aqua: veruntamen nihil educit putridi vel per alvum, vel per urinas, vel per ſudores.

5. Ideò exercitatum in propoſitis methodis eſſe oportet Medicum, ut animadvertat in ægris, quæ directa ſint ad febrim ipſam; quæ ad putredinem, cauſam febris, cum per ſe ſola ſubſiſtit; Non enim omnia conſentiunt invicem: quin ſæpius contraria ſunt.

6. Quâ occaſione meminiſſe oportet eorum, quæ didicimus, veniendum eſſe ad omnium maximum, & huic vel primùm, vel ante alia mederi. Difficile igitur eſt, ut ſcis, & acutâ indagine dignum conferre inter ſe hæc tria, febrim, putredinem, & cauſam putredinis, ubi etiamnum adeſt: difficilior autem res fit, cum vires etiam adſumſeris. Hoc neceſſitas poſtulat ſemper quidem propter ſcopum vitæ, ut anteà diximus: aliquando etiam per accidens, propter curationem morborum, quod promiſimus nos probare velle.

7. V. g. Veſtis ſit, quæ putreſcit, aut aliud quid inanime corpus, ex dictis tantum oriretur indicatio: ſed enim quia in vivo corpore putredo eſt, quod alterari poteſt, coqui & reduci ad melius, ſi quid tantùm ſemiputre ſit, & ſemimalum, exſtimulare oportet vires & roborando curare putria. Quæ cauſa eſt, cur tum præcipuè vel balnea inſtituamus, vel rarefacientibus utamur, aut aquam frigidam propinemus, aut vinum, tum ſcil. cum ſigna adſunt coctionis. Non enim his indigemus tantum, cum pulſus benè habent, ut neque cum motus eſt validus: ſed, ut dixi, cum coctrix prævalet.

8. Si

8. Si itaque contingat vires omnes eſſe validas, in febre urentiſſ. præſentibus coctionis ſignis, etiã frigidam dare audent. Perſpicuum enim ex iis, quæ diximus, ſenẽ non eſſe, quod vires illi omnes robuſtæ. Si accedat, quod carnoſus ſit, & cõſtitutio calida, ſiccaq;, etiamſi im̃ergatur in natatoriũ frigidum non offendetur.

9. Hoc tempore, qui projiciunt ſe in aquam frig., omninò ſtatim ſudant, quorundam etiam alvus dejicit. At verò ſi febris ſit moderata, & vires non invalidæ, unà cum ſignis coctionis, proſunt talibus & balnea, & vinum, & unguenta rarefacientia, præcipuè cum ambiens friget. Ut plurimùm enim deſiderant balnea frigida, aut frigidum potum, bellè quippè refrigerari ab inſpirato aëre.

10. Si contingat in tali aëre cauſum ſe oſtendere, exigua ſalutis ſpes eſt. Si etiam abſint coctionis ſigna, & vires appareant infirmæ, hunc ſervare impoſſibile eſt, quemadmodum, neq; ſi balneo utare, neq; ſi unguentis rarefacientibus, neque ſi vinum des, neque ſi frigidam adhibeas. Summa, *ubi ſalus in dubio eſt, fruſtrà fuerit infamare remedia, quæ multis fuêre ſalutaria.* Ego verò vidi Medicos methodi ignaros, cum imitari vellent ea, quæ à nobis viderant, iisdem uſos eſſe medicamentis in iis, qui prorſus morituri erant. Sed & cum aliquid proficerent, ſuſpectum reddiderunt tempeſtivum medicamentorum meorum uſum.

11. Nos tempora, præſidiaque ſcribimus iis, qui ſervandi ſunt. Nempè, ſi qui incurabiles ſunt, iis neque ullum tempus eſt aptum, neque ullum remedium. Hujus meminiſſe oportet in toto hoc ſermone, neque permittere, ut quis convicietur primum & principaliſſimum ſcopum. Ita enim ratiocinantur, Cum dicat Hipp., *Contraria ſunt contrariorum remedia*, quid obſtat, quo minus omnibus febrientibus detur aqua frigida? Atqui non danda eſt, neque hoc vult ſcopus univerſalis omnis curationis. Aqua enim frigida eſt unum è remediis actu refrigerantibus: plura verò alia, ut dictum eſt, potentiâ refrigerant. Quædam alia etiam per accidens, quorum hoc, illove utimur in complicationibus ſcoporum contrariorum.

12. Hæc methodus eligendi quod conducit aliud præ alio jam tradita eſt. Monſtratum quoque eſt, quod, quod ad febrem, aqua frigida ſemper eſt remediũ: quod ad alia, non ſemper. Veluti etiã, cum obſtructio craſſorum & lentorũ humorum fecerit putredinem. Supponatur verò adeſſe etiam copiam eorundem in toto corpore, ſimulq; vires eſſe integras. In his enim complicationibus, cum multa in corpore præter naturam ſe ſiſtunt, quædam illorum cauſas fore præcedentes, ut copia humorum craſſorum & lentorum. Ab his enim producta eſt obſtructio, morb. organicus corporum obſtructorum. Hujus ſymptoma eſt cohibita transſpiratio, quemadmodum rurſus putredo eſt cauſa febris præcedens.

COMMENTARIUS.

13. Non poſſum non meminiſſe infelicitatis Gal. quem Adraſtéa §.7. forti brachio ſtringit, cogitq; dicere, τὴν θρεπτικὴν Ariſt. ſolam eſſe illã, quæ animal

ſervat in vitâ. Ejusdem pugnæ indicium eſt §.9. ubi concedit uſum reſpirationis Ariſt. adeoque concedit, calidum nativum cordis eſſe primum inſtrumentum τῆς θρεπτικῆς. Cautius igitur loquatur in poſterum Gal., nec vel plures animas, vel plura calida nobis fingat. Huc digitum intendiſſe ſufficiat.

CAPUT X.

1. ERgò iis, qui febrim curare volunt, hoc incumbit, ut putredinem ſiſtant. Hinc duo ſunt ſcopi, alter à febri, alter à putredine. Et rurſus, à febre duo ſunt ſcopi, ut id, quod in febre factum eſt, curetur: id, quod fit, inhibeatur. Rurſus, alii ſunt duo ſcopi, id, quod in putredine factum eſt, ut curetur: id quod fit, inhibeatur. Quod fit, ex ἀδιαπνευστείᾳ eſt. Nihil enim prohibet hanc ita vocare, perſpicuitatis gratiâ. Ut iterum aliæ duæ ſint indicationes, ut vacuemus, quod cohibitum eſt: quod cohiberi vult, ut impediamus. Impedietur autem ab iis, quæ obſtructionem curant.

2. Hujus obſtructionis ipſius iterum duo ſunt ſcopi, ut id, quod factum eſt, auferatur: quod futurum eſt, prohibeatur. Auferetur, quod factũ eſt, deobſtruentibus: Prohibebitur futurum, cum affluxum affluentium humorũ avertemus.

3. Quod igitur inventum eſt ultimo loco in methodo Analyticâ, in curatione facere oportet primo loco. Demonſtratum enim eſt in anterioribus, cum volumus uti deobſtruentibus, non præmiſſis vacuantibus, non modò nihil proficiemus, ſed & augebimus diſpoſitionem, pugnantibus inter ſe indicationibus.

4. At verò cum primùm purgavimus, venimus ad curam obſtructionis, & opus eſt nobis deobſtruentibus. Veruntamen quia pleraque horum ſunt calida, periculum eſt, ne & putredinem augeamus, & febrim. Quæcunque igitur deobſtruunt ſine calore, his utemur. Poſtquam deterſimus & incidimus obſtruentia, vacuare illa tentabimus, per alvum, urinam & ſudorem. Quæ ipſa medicamenta cum etiam calida ſint, neceſſariò ab illis augetur & putredo & febris, (ut & à prioribus.) Quare, quantum licet, eligere oportet minus calida, aut potius, ſi quid inveniatur non calidum, quemadmodum hoc tempore balneum, eo eſt utendum. Eo ipſo tempore & vires roborare oportet, ut humores coquantur evictâ putredine. Eo ipſo febris, quæ in facto eſt, refrigeranda eſt. Hic enim ultimus eſt ſcopus, quamvis alio reſpectu ſit primus. Inde enim cœpit methodus inveniendi remedia.

COMMENTARIUS.

5. Eſt hoc cap. inſigne commemoratione indicationum & ſcoporum febrilium. Hanc ob cauſam commendo Practicis, non tam ob εὐτυχίας, quam ἀποτυχίας in hoc genere morbi.

CAPUT XI.

1. IGitur ſi nullum inſigne ſymptoma ſiverit decurrere curationem à principio uſque ad finem, expedita ſolutio febris erit: ſin interceſſerit tale quid, quod ex ſe mutet totam curam, neceſſe eſt hoc tempore ſiſti illam. Quod enim intercidit, utplurimùm contrarium eſt ſolventibus auxiliis nodum dictorum morborum, cauſarum & ſymptomatum: vel certè nihil confert.

2. Si igitur quæ intercedit cura, ſit contraria ordini inſtituto, neceſſe eſt tum omnia in deterius labi: ſi verò neque valdè proſit, neque valdè obſit morbo id, quod intercidit, correctio tamen ejus impediet celeritatem curationis. Si nocet, neceſſe eſt, aut in longius tempus protrahi negotium, aut periculum aliquod in procinctu eſſe, aut utrumque fieri.

3. Agedum, curationi vitiati ventriculi interveniat ſyncope, quam quia cogimur curare, intempeſtivè etiam cibos offerre cogimur cum vino actu frigido. Hujus uſu augentur neceſſariò obſtructiones, ſtegnoſis, putredo. Propter horum augmentum augeri & febrim oportet. At ubi vires conſtant, & nihil, ut dictum eſt, intercedit, cujusmodi eſt modò dicta ſyncope; fiat autem ejus loco hæmorrhagia, inſomnia, dolor; peccetur aliquid ab ægro, adſtantibusve. Horum nihil ſi fiat, profectò, ordo remediorum præſcriptus ſanum præſtabit ægrum. Interim idem ordo, quocunque remedio, omnia, quæ præter naturam ſunt, neutiquam ſanabit.

4. Melicratum igitur, quod ad vires ipſius ſecandi craſſos humores, & abſtergendi lentos, ut promoveatur excretio ipſorum, optimum fuerit auxilium in ſynochis à ſtegnoſi & putredine: ſed quod ad caloris febrilis augmentum, noxium eſt. Quamobrem, ſi intenſùs hic ſit, abſtinere quidem à melicrato, uti autem cremore ptiſſanæ. Si verò obſtructiones difficulter mobiles videantur, etiam oxymelite. Rurſus, hoc ipſo ſi immodicè utare, inteſtina rodit, tuſſim movet, & genus nervoſum lædit.

5. Ut difficilimum ſit invenire tale remedium, quod ſine noxâ inſigniter proſit. Hoc accidit, ob complicatas diſpoſitiones corporis unà cum cauſis antecedentibus, & inſequentibus ſymptomatis.

COMMENTARIUS.

6. Notela hæc eſt, quæ pertinet ad explicationem cap. præced.

CAPUT XII.

1. TAmen propterea non fit, ut illud *Contraria contrariorum remedia ſunt*, modò verum ſit, modò falſum: ſed manet perpetuæ veritatis. Fieri enim non poteſt, ut, quæ præter naturam ſunt, ſanentur aliâ remedii ſpecie. Non tamen ex

uſu

uſu ſemper eſt omnia curare, quæ præter naturam ſunt, ſed tum, cum ſola ſunt, & per ſe ſubſiſtunt. Si verò cum aliis ſint, ſæpè alia curantur ante illa, velut in cavis ulceribus, cum inflammationem junctam habent.

2. Verũ enim manet illud, à carnem generantibus curari. His verò uti non licet ante inflammationis curationem: ſed poſtquam hanc curaverimus. Quo facto, ulceris cavi tàm non melior fit conditio, ut etiam cavius fiat. Si uti velis ſarcoticis, neque efficies quidquam, & inflammationem augebis. Sarcotica enim locum habent in iis, quæ ab inflammatione immunia ſunt, non autem inflammatorum. Hoc igitur verbo tam deſpicabile, Contraria contrariis, potentiâ maximum eſt. Confundit enim totum medendi methodum, qui hunc ſcopum negligit, Omnia, quæ contra naturam, curari per ſua contraria.

3. Cum autem duplex ſit prima illorum differentia, (quædam enim per ſe ſunt; quædam eſſentiam ſuam habent in fieri, & ſequuntur morbos, quemadmodum umbra corpus:) curatio eſt ſublatio diſpoſitionum: hanc ſequitur ſublatio ſymptomatum, quibus ipſis nihil opponitur primò, ſed manet in illis quoq; univerſale hoc, *Contraria contrariis*.

4. Dum enim curamus diſpoſitiones, quas ſymptomata ſequuntur, in contrarium ducimus, adeò ut quæcunque ſymptomata fiunt propter pororum cutis denſationem, à rarefactione cutis evaneſcant. Si verò ipſi etiam ſymptomati, quod fit ob pororum denſationem, quod eſt, minori quàm par eſt transſpirationi (paulò ante vocavimus ἀδιαπνευστείαν) ſymptomatum genus aliud contrarium introducere velis, ne ſic quidem oratio erit ambigua. Copioſior enim transſpiratio minori eſt contraria. Ut ſi in ſymptomatis ipſis uſurpare quis velit hoc genus dicendi, *Contraria contrariis*, conſtet heic quoque primus curationis ſcopus.

5. Sed præſtat, ut dictum eſt, eorum, quæ reverà & primò curantur, eſſe illud *Contraria contrariis*, h.e. diſpoſitionũ in corpore, quæ reverà ſunt entia: actiones enim ipſarum, ut & læſiones, dici quidem poſſe Fientia, Entia ſimpliciter dici non poſſe. V.g. manum extendere vel flectere Entium ſimpliciter non eſt: ſed Fientium. Multò minus immobilitas ipſius, quæ & ipſa ſymptoma eſt diſpoſitionis præter naturam, quæ in muſculis eſt, nervisve: ſed diſpoſitionem, quæ una eſt Entium, contrariis indigere remediis, quâ ſolutâ ſequi contrariam diſpoſitionem, quæ ſanitas eſt, & hanc rurſus actio quædam naturalis, contraria ſoluto ſymptomati.

6. Heic non oportet in nominibus falli, (ſæpè enim aliâ formâ proferuntur quàm contraria aliàs ſolent: ſæpè ne nomina quidem habent:) ſed oportet contrarium indagare ex ipſâ rei naturâ, præ oculis habentem ſcopum illius, ab omnibus pro confeſſo habitum, *Contraria eſſe illa, quæ plurimùm à ſe diſtant in eodem genere.* Mente igitur concipiens id, quod mediocre eſt in illo genere, (hoc verè ſæpè dictum eſt medium extremorum eſſe:) invenies infinitam quandam far

raginem rerum contrariarum, ſecundùm magis & minus invicem differentium.

7. Ut exemplo declarem. In ſymmetriâ pororum cutis imaginare tibi duas ametrias invicem contrarias; in actionibus autem ſymmetriam vacuandorum, in quibus iterum utrinque ſit ametria. In his hæc eſt differentia. In poris ametriæ habent ſua nomina, *μάνωσις, καὶ πύκνωσις*: in vacuandis non habent. Ideò dicere cogimur, hos quidem minores eſſe quam natura volebat, illos autem majores, cum in promtu non ſit vel *μάνωσις*, vel *πύκνωσις*.

8. Hoc igitur vel maximè cavendum nobis eſt, ut dixi: in illo contrà exerceri debemus, ut facilè inveniamus *Contrarium*. Non enim in qualitate tantùm, ſed in quantitate eſt invenire hujusmodi contrarietatem, quam Ariſt. *ἀντίθεσιν* vocat, non *ἐναντίωσιν*.

9. Sic apud Ariſt. *τὸ μέγα* non *ἐναντίον τῷ μικρῷ*, ſed *ἀντικείμενον*, quia eſt *τῶν πρός τι*. Sic etiam *τὸ πολὺ τῷ ὀλίγῳ*. Eodem modo, neque *τὸ ἀραιὸν τῷ πυκνῷ*, neque *τῷ συντεταγμένῳ τὸ κεχαλασμένον*, neq; *τῷ κατὰ φύσιν τὸ παρὰ φύσιν*. Sed apud Hipp. omnia talia habent appellationem *τῶν ἐναντίων*, ut & apud Plat., qui ait, Generationes ex contrariis eſſe. In aliis demonſtratum eſt mihi, neque Ariſt. conſtantem fuiſſe in ſervandis pronominibus ſuis, cum principia rerum naturalium *ὕλην* vocavit, *καὶ εἶδος, καὶ στέρησιν*. Sed quod ſemper inculcamus, divinum ſecuti Platonem, Negligere oportet nomina, minimè rerum ſcientiam. Scientia enim plurimùm confert ad ſalutem hominum: ſed error in perniciem tendit. Nominibus ſive propriè ſive impropriè utare, nihil ægris inde vel accedit, vel decedit. Hoc inde didiceris melius, ſi non dixeris, Contraria contrariis: ſed, quod illi malunt, Oppoſita ſibi invicem ſunt remedia. Copiam enim demit vacuatio: inopiam reſarciunt alimenta. Et in univerſum, quod ſuperat ablatio curat: quod deficit, additio.

10. Unde, puto, in alio quodam libro dicitur Seni noſtro: Medicina eſt appoſitio & ablatio. Appoſitio quidem eorum, quæ deficiunt: ablatio eorum, quæ ſuperfluunt. Deficiunt autem, & ſuperſunt, quædam in quanto, quædam in quali, illud, cum ſanguinis plus æquo copia eſt, aut viciſſim minor: hoc, cum frigidior, calidior, craſſior, tenuior. Sive igitur *ἐναντίωσιν* appelles, ſive *ἀντίθεσιν* eam Medicinæ partem, quæ ſcopum habet tollendi ea, quæ præter naturam ſunt, ſemper recordare, & mentem adhibi illi. Hoc quidem maximè fieri, ut dictum eſt anteà, in diſpoſitionibus: ſecundo autem loco in ſymptomatis, quorum neque primariò, neque principaliter contrarietas eſt. Eſt autem curatio illorum unà cum diſpoſitionibus per accidens: contrarietas verò dicitur per metaphoram, & lucidioris doctrinæ gratiâ.

COMMENTARIUS.

11. Valdè confragoſa ſunt hæc, ſed & Logica in utroque ſignificatu, & quia ad diſciplinam illam pertinent, & quia inutilia ſunt. Quò magis miror

magnum Cratonem tantoperè occupari in paraphraſi! quæ tamen manca eſt ibi, ubi mihi §.5. Quo ipſo loco, niſi penitiſſimè fallor, Gal. παρερμηνεύει, & opus habet correctione meâ. Et quid eſt, quod Crato, Linacrum ſecutus, *Indicem* vocat, qui Græcè σκοπὸς eſt?

CAPUT XIII.

1. Redeamus igitur ad ſcopos curatorios dictorum ſynochorum. Meminero autem eorum, quæ in nobis ſunt præter naturam, h.e. *Cauſarum, morb. & ſympt.* Cauſarum, copiæ, craſſitiei & viſciditatis humorum. Cauſæ & ſymptomatis ſimul, cohibitæ transpoſitionis. Cauſæ & diſpoſitionis ſimul, putredinis. Morbi ſeu diſpoſitionis, obſtructionis, & febris. Symptomatis, cohibitæ transſpirationis.

2. Hinc ſingulæ cauſæ præcedentes indicabunt (ut dictum eſt) proprium & ſingulare quid, Copia quidem in prædicamento quantitatis, vacuationem: viſciditas autem & craſſities in qualitatis, curationem contrarietatis. In hujus plerisque oppoſitionibus cum nomina deſint uſitata, decipiuntur inexercitati in parte circa res, cum uno nomine exprimere non poſſunt, quod in mente eſt, deſiſtentes ab inquiſitione quaſi non entis, quod accidit etiam illis in dictis humoribus. Craſſus enim humor oppoſitum habet tenuem: viſcidus (ut anteà vocavi) abſterſivum. Fortaſſis autem quis, à ſolidis corporibus profectus, κραῦρον appellârit. Sic enim & Ariſt. videtur oppoſuiſſe: quamvis ut dixi, non in humoribus, ſed ſolidis.

3. Tu verò ſi noveris naturam viſcidi humoris, quod, quidquid tetigerit, ei tenaciter adhæreat, veriſimiliter dixeris eum, qui non adhæreat, ſed abſtergat potiùs adhærentes, contrariæ eſſe naturæ. Cauſarum igitur antecedentium contrarietates ſunt hæ: in morbo autem inſtrumentali, qui Obſtructio eſt, Deobſtructio contraria eſt. Sic in ſymptomate excretio eſt contraria cohibitioni eorum, quæ transſpirationi ſubjecta ſunt. In putredine humorum & excretio & refrigeratio, & ventilatio, & ſemiputridorum concoctio eſt contraria. In ipſis febribus oppoſitio eſt refrigeratio. Quâ verò methodo quis inveniat materiam, effecturam hæc ſingula, jam dictum eſt.

4. Pugnantibus indicationibus, ut diximus, jam hæc, jam illa indicatio vincit, ut & materia. Ideò quidam ignorantes, quod à ſingulis rebus non niſi una indicatio oritur, & quod; ſiquidem indicatum fuerit ex rebus præter naturam, indicatio eſt ipſius contrarium. Sin ex rebus ſecundum naturam, non contrarium, ſed ſimile, non poterant conſtituere methodum vel Therapeuticam, vel Hygienam. Ubi enim erratum in primis methodi ſcopis eſt, multò magis errabitur in ſequentibus.

5. Qui enim domum ædificant, firma debent firmamenta ponere. Ita in navibus

vibus firma debet eſſe carina, ſi firma eſſe debent, quæ ſuperſtruuntur & ſuffiguntur. Ubi verò ſtatim ab initio debilis eſt baſis, quæ machina ſuperſtructa non erit debilis? Quia igitur in ſynochis, à ſtegnoſi cauſatis (non enim pigere oportet, cum iterum atque iterum reſumendum eſt aliquid, ut vulgus Medicorum vel nunc tandem diſcat verum methodum:) ſeptem ſunt propoſita capita, verum præter naturam, à quibus petuntur indicationes, Copia humorum, craſſities, viſciditas, obſtructio ſeu cohibitio tranſpirationis, putredo & febris non intermittens; & omnia indicabant contrarium; præter verò hæc indicatio à rebus ſecundum naturam ex temperamento tàm partis affectæ, quàm omnium principum, ex quantitate ſubſtantiæ earum, ex quantitate & qualitate ſpiritus; hæ verò indicationes non contrariorum, ſed ſimilium ſunt, in quibus & ætas & conſuetudo, & omnes cauſæ præincipientes: officii Medici eſt omnes has intueri indicationes, ut ſciat, cui primò & potiſſimū occurrere debeat, cui ſecundo loco, cui tertio, & ſic deinceps alio atque alio utetur remedio.

COMMENTARIUS.

6. Et hoc cap. eſt inſigne, præcipuè confuſione indicationum contrariarum & ſimilium. Ita eſt, ut ſcripſi initio l. 6. Inſtit., Indicationes contrariæ locum habent in Therapeuticâ: quidquid enim præter naturam eſt, tollendum eſt abſolutè, idque per contraria, ut dictum eſt fuſè à Gal. Indicationes ſimiles locum habent in Hygienâ: debet enim unumquodque (ut totum, ita pars) ſervari in eo ſtatu, in quo Natura locavit. Hinc, quod tu mireris, oritur Contrarium-ſimile, de quo ego jam toties, præcipuè 6. Inſtit. 4. Bilioſus V. g. in 4. gr. debet ſervari in eo gr., quamdiu eſt ὀρθοστάδιος: cum ægrotat, eſt collocandus in eodem, non autem reducendus ad 2. vel 3. Ita in ulcere cavo cum ſarcoticum non reſtituit carnes, ſed colliquat, Medicus rationalis ſubſtituit temperatius, quod Empiricus non poteſt. Hæc quia extr. cap. confundit Gal. an παρερμηνεύει? ut ſuprà? Certè hic locus eſt in cauſâ cur vulgus Medicum ampliſſimè erret.

CAPUT XIV.

1. Conſtantibus enim viribus, ſtatim ſecanda eſt vena illi, qui ſynocho putri laborat: ſed ſi abſit cruditas in ventriculo. At ſi non conſtent vires, aut ætas obſtet, non eſt ſecanda. Dictum & hoc eſt, in hac febri ſemper conſtare. Eſt enim benè habitorum corporum ſynochus, & ætatis calidæ. Si verò in puero viſatur, nondum egreſſo annum æt. 14. non oportet ſecare venam. In his talibus enim, cum calidi & humidi ſint, ſingulis diebus digeritur plurimum ſubſtantiæ illorum. Quare, quod venæ ſectione moliebamur, id à naturâ habemus curandi corporis.

2. Si corpus ſit ultra dictam ætatem, ſpectandus eſt habitus qualis ſit? num-quid gracilis & denſus & durus & multi ſanguinis, an contrarius? Tum enim in priori ſtatu mittendus eſt ſanguis, in altero non eſt. Sed & quantitas ſanguinis mittendi ex iisdem ſcopis ſumatur. Si enim 30. annorum ſit, fluidus, mollis & pinguis, albus, exiguis venis præditus, aut planè non ſecabis illi venam, aut parum auferes. Planè non, horâ æſtivâ, loco ſuffocativo, conſtitutione calidâ & ſiccâ. Parùm, aliis anni temporibus, regionibus, conſtitutionibus.

3. Nam niſi obſtructio ſuberat, neque putredo, ſed ſola humorum copia, ſtatim poſt venæ ſectionem melius habuiſſet. Quare ſanguis mitti debebat in omni temperamento, omni loco & tempore, conſtitutioneque, & tantum ſinere fluere, quantum crevit naturâ. At quia neque obſtructio, neque putredo per venæ ſectionem curatur, ſed opus eſt aliis auxiliis, ut anteà oſtendimus, ſeponere oportet aliquid ſanguinis uſque ad tempus curationis, ne neceſſitas aliqua cogat nos intempeſtivè nutrire. Quod enim ad hanc febrim, non eſt in illâ nutriendum.

4. Monſtratum enim tibi eſt anteà quoque, ſolum à viribus ſcopum velle alimentum. Quantum enim diſſipatum, tantum reddere oportet. Ut alterutrum ſit neceſſarium, aut alere & febrim augere: aut non alere, & virium diſpendium facere: Medius eſt igitur, ceu dictum, relinquere aliquid ſanguinis, pro alimento proprio partium ſanguinis: te verò contentum eſſe modicis ſorbitionibus & potionibus, quibus medicamenti loco utimur potius quam alimenti. Verùm dictum eſt hac de re quoque.

CAPUT XV.

1. SEd jam tempus eſt dicam de perfuſionibus hypochondriorum, cataplasmatisque. Vulgus enim Medicorum hoc quoque remedium habet in cenſu curationis illius amethodi. Inter hos omnes ut nutriunt poſt impletam Diatriton: ita oleo perfundunt. Deinde, uno interpoſito die, iterum nutriunt præmiſſo cataplasmate. Si alvus non reſpondeat, etiam clyſterem applicant. Ut ſecundùm hos unâ horâ diſci poſſit ars diætetica: ſed non eſt ita. Totius enim latè patentis artis una quædam pars eſt non minima, ſcientia diætæ, quæ ex his maximè conſtat auxiliis, alimentis, potionibus, cataplasmatis & clyſteribus.

2. Venæ enim ſectio, ab initio ſtatim prætermiſſa ab illis, totam deinde curam commendat diætæ. Quamobrem rectè dictum eſt, unius horæ eſſe diſciplinam diætæ apud hos. Quinimò, ſi, qui diſcit, capax ſit, ne hâc quidem integrâ, ſed minimæ partis, in quâ pronunciare quis poſſit, quæ nunc ego, Omnibus febricitantibus ab initio quidem venam ſecabis, ſiquidem valeant: deinde autem, ubi oleo perfuderis poſt exactam diatriton, aut melicrato cum halicâ nutries, aut ſorbitione: deinceps alternis nutries, præmiſſo cataplaſmate, quod *artomeli* dicitur. Si quandoque alvus ſubſtiterit, clyſtere ſubduc.

3. Tu

3. Tu quidem hanc artem jam calles: veram autem jam audi. Calefacere hypochondria cataplaſmatis & perfuſionibus non eſt omninò tutum: ſed in illis tantùm ægris, in quibus non amplius vaga ſunt excrementa totius corporis quæ reliquis minantur extrema. Ubi enim plethora alterutra eſt, vel ad vires, vel ad vaſa, aut etiam ubi prava excrementa circa unum, alterumve viſcus ſtagnant, illa omnia trahuntur ad locum calefactum. Quare vidiſti non ſemel, cum hypochondria ab inflammatione immunia prorſus eſſent, me tibi monſtrante, & jubente exſpectare eventum, poſtquam gregales illi Medici per quatriduum uſi eſſent perfuſionibus, inflammationem ſecutam eſſe. Ex quibus perſpicuè cognôſti, quantum mali ſit in irrationali diſciplinâ! In univerſum enim inflammationes inſcii cauſantur ſuis medicamentis, atque ita iisdem delictis ſemper implicantur.

4. Sic Hipp. de iis, qui fracturas cum ulcere utrinque deligabant. Nam & illi cum inflammationes in ulcere excitarent, tamen non deſiſtebant à deligaturâ ſuâ, rati, cauſam non eſſe deligaturam, ſed aliud quod infortunium. Et quomodo ad aliud curationis genus tranſiiſſent illi, qui nihil antiquius habent ſuâ ſectâ, quam & diu profeſſi ſunt, & à præceptoribus acceperunt? Nihil enim petunt ab indicationibus, ſed à ſolâ experientiâ. At Hipp., orſus à rei naturâ, commodum invenit curationis modum, qui experientiâ comprobatus, oſtendit, quam falſus eſſet prior.

5. Et profectò, ſi quis velit in hujusmodi diſpoſitionibus, relictis cataplaſmatis, & ex oleo perfuſionibus, pervenire ad curam rationalem, non difficulter etiam ex experientiâ judicaverit, quantoperè peccent illi, qui ita curant plethorica & impura corpora. Accidit enim ut in talibus morbis malè tractentur divites potiùs quàm pauperes. Dupliciter enim ab his peccatur, idque ferè ob mollitiem, ob quam & venæ ſectio intermittitur, & nimis diligenter habentur, quod Medici ſingulis diebus aliquid novi tentent.

6. Principiò, plerique illorum ob mollitiem non admittunt venæ ſectionem, licet præ pauperibus frequentius plethorici ſint, quod & plus ingurgitent, & in otio degant. Qui verò illos curant Medici, quia neglectum fuit maximum remedium, ſatagunt, ut ſuppleant id aliis omnibus. Ægri verò ipſi, ſiquidem victu inſtituto quieſcat aliquis, negligentiam eſſe putant, & contrà, quidvis egiſſe, diligentiam, cogunt Medicos ſingulis diebus aliquid applicare hypochondriis.

7. Hoc nec invitis Medicis fit, ut videantur aliquid ſemper feciſſe. Hinc ſpes eſt amplioris præmii. Inde adeò fit ut divitibus ſubnaſcantur inflammationes eo tempore, quò pauperibus ſpes eſt ſolutionis. Venam enim ſecantes ab initio in propoſitis febribus, non pauperes modò, ſed & mancipia divitum, plerique illorum die quinto criſin habuerunt, alii ad ſeptimum pervenerunt, ulterius nemo. At divites cum & ſanguinis & excrementorum plus habeant; & verò etiam venæ ſectionem non admittant; utentes

Oo 3 interim

interim cataplaſmatis & perfuſionibus: inflammationem quandam colligunt, aut circa hepar, aut circa ventriculum, aut aliud in illâ regione viſcus (moriuntur,) aut quarto die, aut quinto, aut certè ſexto. Tu verò nôſti etiam exempla eorũ, qui in ipſâ perfuſione difficilem habuerunt ſpiritum, cum ſuperfluum omne à calore ad diaphtagmâ traheretur. Et hic quidem mortuus eſt, ut alii quoque infiniti quotidiè moriuntur, non ſecus ac cucurbitâ trahente cataplasmata ad viſcera excrementa totius corporis. Quidam etiam ipsâ cucurbitâ uſi ſunt, & ipſi hoc ſolum ſcientes, videri aliquid egiſſe circa ægrum.

8. Optimum quidem igitur ut dictum eſt, venam incidere, non ſolum in ſynochis, verum etiam in cæteris, quæ ex humorum putredine, cum neque ætas, neque vires obſtant. Natura enim corpus gubernans levata, depoſito, quod gravabat illam, quaſi onere quodam, facilè ſuperior erit illi, quod reſtat, & coquet, quod coqui poteſt, & excernet, quod excerni poteſt, domeſticorum recordata operum. Providentia enim, quæ hypochondriis debetur, maximum malorum eſt, ubi prætermiſſa eſt venæ ſectio: non maximum autem, ubi facta eſt.

9. Sed & ſic noxia eſt in ſynochis. Exuſta enim à caloris copiâ viſcera, amplius uruntur, & quaſi deaſſantur. Igitur illi tantùm opus habebunt providentiâ iſtâ, ubi putredo conſiſtit in uno aliquo, ubi ſcil. facta eſt venæ ſectio. Providentia autem fiet, non eo modo, quo adminiſtrant illi ex trivio Medici, ſtatim poſteà laxantes: ſed totum contrarium facientes in plerisque. Auxilia enim laxatoria, ut ab initio diſcutiunt, quod in partibus continetur: ita loco diſcuſſi plus attrahunt, ſi ab initio adhibeantur.

10. Ubi enim fluxiones tendunt ad locum affectum, repercutere melius eſt, & ſiſtere, non trahere ad illum. Vocata autem ἀποκρουστικὰ, quippe quæ participant aliquid de facultate adſtrictoriâ, inter initia conveniunt, ſimul enim roborant partes affectas, ne facilè recipiant affluentia excrementa: ſimul exprimunt, quod in illis continetur, tenuiſſimum. Hâc ratione ubi impetus ſedatus fuerit per hæc auxilia, & facta ope adſtrictionis denſatio in partibus retinuerit craſſiora: jam tempus fuerit laxandi, ut poſſint vacuari retenta, & præcipuè cum vel in hepar, vel in ventriculum abſcedunt ſuperflua, & jam opus habent hæ duæ partes adſtringentibus.

11. Valdè enim principales ſunt, & neceſſarium præſtant opus in morbis. Hoc opus eſt tale, quale omnium eorum, quæ unicè hoc faciunt, à quo, inquam, opere nutritur animal. Tanti enim intereſt, ut, ſi in ventriculo non coquatur rectè alimentum, in hepate non fiat ſanguis. Tale quid in fame patimur, cum inopiâ ciborum eſurire cogimur: tale in morbis fit in omnibus animalis partibus. Non enim ex deglutitis, ſed ex elaboratis in dictis viſceribus fit mutua ſucceſſio alimenti, quo totum corpus nutritur. Propter hanc cauſam ventriculus cum hepate majori opus habet adſtrictione: habent etiam opus in morbis, quo tempore firmata in illis excrementa propelli debent. Quod enim ex ſuperabun-

abundanti robur habent à naturâ præ cæteris partibus, ſervare in illis oportet, ſtante uſu prædicto.

12. Uſus is eſt, ut dixi paulò antè, confectio alimenti. Si igitur duo hæc viſcera debilia non benè coxerint aſſumta, nullus ipſorum uſus eſt: ſed dum corrumpuntur, irritato ventriculo, ſecedunt ſimul, quæ anteà cocta erant. Hinc duplex corpori toti noxa, cum neque à cibis alitur, neque conſtitutio naturalis manet integra.

13. Et abſque his, coctiones ciborum, ſive in ventriculo non fiant, ſive in hepate, febres augent, ſuâque cacochymiâ acriores faciunt. Quare diligenter promovere oportet coctiones in omnibus febribus, & propter illas non parùm eſſe ſolicitos de tono inſtrumentorum concoquentium. Quidam verò, ut ait Hipp., non pauca lucrantur, quia ignorant. Arbitrantur enim ſe hepatis inflammationem relaxantibus curare, cum fallantur in dignotione. Interim famam ſibi comparant. Cauſa deceptionis inde eſt, quia circumſcriptio muſculi, à thorace ad hypochondria tendentis, aliquo modo repræſentat hepar. Mirum autem non eſt, illos ex ignorantiâ lucrum facere, cum nihil quidquam in arte rectè diſcant, neque exerceant in dignotionibus locorum affectorum.

COMMENTARIUS.

14. Non dubito verè ſcripſiſſe Gal. omnia. Interim, quia longè aliud eſt, ab initio talibus uti, & poſtquam benè purgatum eſt corpus; ideò non pigebit afferre hanc hiſtoriam. Circa initium ſæculi hujus, laborabat quidam è convictu noſtro febre valdè malignâ, uti ferebatur. Ideò deſperabundus Noribergam translatus eſt ad matrem viduam, unde rediit paucas intra ſeptimanas benè ſanus. Sciſcitantibus nobis de progreſſu, reſpondit, Seniorem CAMERARIUM uſum eſſe ſolo cataplaſmate ſuper totum abdomen. Cætera confecta fuiſſe ſolo victu & medicamentis reſumtivis.

CAPUT XVI.

1. VErùm, iſti jam dimittendi ſunt: nos verò vel levem ſuſpicionem habentes hepatis, ventriculive malè affectorum, ſtatim abſinthium oleo incoquentes perfundemus eo dictas partes. At verò cum omne abſ. duplicem habeat facultatem, qualitatemve, ut dictum eſt in de Simpl., in Pontico quidem adſtrictoria non eſt exigua: reliquis autē amare qualitas eſt vehementiſſima, adſtrictio autem vel valdè obſcura, vel omninò nulla. Propterea Ponticum præferre fas eſt in inflammationibus hepatis & ventriculi. Eſt autem & folium & flos ejus multò minor, quàm in aliis abſ. Odor non ſolum non ingratus, ſed & aromaticum quid præ ſe ferens, cum reliqua omnia fæteant. Quare fugere oportet:

tet: ſemper autem uti Pontico. Eodem modo uti licet alio aliquo, quod cum amarore adſtringat. Demonſtratum enim eſt libris dictis, qualitatem amaram præcedere adſtrictoriam. Quare melius eſt hoc medicamentum iis, quæ adſtringunt tantum.

2. Si fortius velis adſtringens, etiam oleum ſit adſtrictorium, quale eſt, quod Hiſpanum vocant, & ſi quod aliud præparant cum ramis oleæ, aut quale eſt omphacinum vocatum. Si debiliorem quæras adſtrictionem, aliud quod oleum præpara, maximè ex iis, quæ tenuium ſunt partium, ut Sabinum. Optimum eſt autem, cum potentius adſtrictorium volumus, Iſtricum, quod utramque habet facultatem, adſtringentem & amaram. Ubi ol. abſ. non eſt, melinum præſtat, aut maſt., aut lentiſc. primo loco. Si febris ſit exigua, & ung. nardinum faxit. Sit verò & hoc optimum. Hoc enim plurimum differt à vulgari. Quod enim Neapoli fit in Italiâ ſolum nomen eſt, comparatum illi, quod in Aſiâ, primum quidem Laodiceæ, nunc verò in pluribus oppidis. Si quo tempore id facis, declinatio ſit parùm benigna, cavere præſtat nardum, uti autem oleo melino, hoc non præſente, lentiſcino, poſt hoc maſt. Ung. enim nard. omnibus eſt calidius. Ideò, in defectu aliorum, roſaceum eſt miſcendum. Ol. myrtini adſtrictio non quadrat, quia non penetrat ob craſſitiem partium.

3. Et hæc quidem exempli loco dicta ſunt. Horum multa ſunt in l. Simpl. Eodem modo & cataplaſma compoſitum ſit ex facultate laxatoriâ tenuiũ partium cum amarâ & adſtringente. Prædominetur autem in illis, ſi repercutere & tonum dare volumus, medicamentum adſtringens: ſi incidere & abſtergere, amarum. Si diſcutere, quæ laxant cum tenuitate partium. Quæ enim craſſarum ſunt partium, iis dicta ſunt convenire, qui pus expectorare debent. Et cùm diſtincta ſint in l. Simpl. ea, quæ ſolam habent facultatem aut adſtringentem aut amaram, ab iis, quæ utramque conjunctam: optimum fuerit eligere, quæ utramque habent, ſi non adſint, miſcere amara cum adſtringentibus, ut vidiſti aliquando nos in hepatis inflammatione cataplasma facere ex iis, quæ præ manu erant. Erat enim æger Medicus. Viſitavimus autem illum jam ſuccenſis lucernis, ut nihil tale emere potuerimus ab iis, qui talia vendunt.

4. Cum igitur febrim inveniſſemus notabiliter inclinâſſe, feſtinavimus uti occaſione quàm celerrimè, vel ideò, quod ſuſpectam horam videremus allaturam initium alterius paroxyſmi circa gallicinium. Coximus igitur abſ. quidem in oleo, cydonium autem in aquâ. Dum coctio fit, reliquias myrobalani invenimus cum Iridis radice in conclavi, quæ duo contudi & cribravi, injecique lebeti aquam & oleum, à me parata, quæ leviter coxi cum modico ceræ. Coquere autem ſoleo cydonium, non in aquâ ſolùm, ſed ſæpè in vino auſtero. Aliquando miſceo aliquid ipſius pomi, ubi ſc., quod affluit, multum eſt, viſcus autem debilius, & ita augemus, ut ſcis, adſtrictionem. Ubi autem totum corpus vacuum, hepar autem minimè debile, nihil autem affluit amplius; pauciſſimum eſto adſtringens, copioſum laxatorium.

5. Præ-

5. Præterea, & amarum & acre ad proportionem fuit materiæ injectæ. Febris ſi ſit exigua, nec inflammatio intenſa, ægerque inediæ ſit aſſuetus: augeantur diſcutientia, minuantur adſtringentia. Neque enim amplius juvant adſtringentia, ubi affluxꝰ cohibitus eſt, firmatus autem eſt craſſus humor in parte affectâ: quin, ut dictum eſt, trahimus potius curam, dum miſcemus adſtringentia, roborandi viſceris ergò. Hinc, non tantum colo affecto, aliove inteſtino, aut muſculis abdominis, aut peritonæo, non miſcemus adſtringentia, ut neque veſicâ (urinariâ,) neque utero, tum, inquam, cum nihil ampliusinfluit, neque alias copia excrementorum adeſt: in toto corpore. In medio horum renes ſtant & thorax. Quantò minus enim à periculo abſunt, quod in hepate & ventriculo: tantò magis accedunt in reliquis. In hepate enim & ventriculo exſolvi tonum perniciosiſſimum eſt: in aliis extra periculũ eſt. In his quidem periculoſum, ſed non æqualiter, excepto eo caſu, cum pus evocandum eſt è pectore & pulmone.

6. De liene ſimpliciter pronunciari non poteſt, nec prius quàm definita ſit totius corporis natura, nec non diſpoſitio, quæ illum tenet. Nam ſi æger naturâ colligat excrementum melancholicum, aut eo tempore abundet in eo hic humor: neceſſariò miſcenda ſunt adſtringentia, ut cuſtodiatur viſceris tonus. Sic enim trahet ad ſe excrementa, & purgato corpore, ad ventriculum ablegabit, ut in Phyſiologicis oſtenſum eſt.

7. Si nihil excrementi hujus adſit, neque adſtringendum, aut minimum. Adhibere autem mentem oportet, non in liene ſolum, ſed in aliis quoque partibus omnibus, in quibus humor putreſcit, quod ex ſymptomatis ſit fortiſſimũ, quod ſecundo loco, quod tertio, ut ex illis diſcas exactè, quæ ſit diſpoſitio, ut propriam illi curam accommodet. Aliquando enim calor ſuperat in parte affectâ, aliquando tumor, aut propter copiam, aut propter craſſitiem durus. Si itaque calor præponderet, diſcuſſionem moliri oportet ſenſim per ea, quæ tepidam habent caliditatem, quale eſt ſemen lini & chamæmelum. Oportet autem amiſcere farinam hord. aut fab. Neutrum enim calefacit. Sæpè, ut nôſti, vocatum à Medicis ἀρτόμελι paravimus pro cataplasmate in ejusmodi inflammatione, additâ aquâ, in liene aliquando aceto. Si calor non ſit in magno exceſſu; ſed magnitudo tumoris inſignis: confidenter diſcutere oportet ſine aquâ addito inſuper fæno Græco. Si verò inflammatio jam ſcirrhoſa ſit, ob craſſitiem aut lentorem contentorum humorum, acetum miſcere oportet & amara medicamenta, potiſſimùm in liene.

8. Hoc enim viſcus quia trahit ex hepate craſſum humorem, & propter quem laborat utplurimùm, ideò conducunt illi cataplasmata ex ὀξυμέλιτι, abſ. & cappari. Quæ cum ignoret vulgus Medicorum, omnes perfundunt oleo, & cataplasmata imponunt laxatoria, antequam corpus purgent, & hoc maximè, ut dixi, committunt in divitibus, quibus adulantur, non in his tantum, ſed & lavant. Ego verò neque balneum conceſſerim, neque dicta cataplasmata in

 ullo,

ullo,qui putridâ febre laboret,antequam ſuperflua expurgârim. Hoc facto,non ſolum audacter lavem, ſed & cataplasmata imponam, in aliis quidem laxatoria ſola,in hepate autem & ventriculo cum mediocriter adſtringentibus.

CAPUT XVII.

9. IN thorace rarius utor adſtringentibus. Qui enim phlegmonen cauſantur humores aliquando repelluntur in cor & pulmonem. Quare tonum horum viſcerum ſervo alimentis. Neque enim ut in ventriculo & hepate, ita heic tenuiſſimus victus convenit. In illis enim alimentum coquitur, & periculum eſt,cum phlegmone ſupervenit,ne & pejus coquant,& phlegmone augeatur. In thoracem autem non plus attrahitur alimenti,quàm ſoli illi neceſſe eſt. Multò magis in phlegmone pulmonis abſtinere oportet ab adſtringentibus, ubi etiam laxatoriis miſcenda ſunt acria quædam,& manifeſtè calefacientia. Convenit enim extrorſum potius trahere quàm repellere. Quare etiam cucurbitulæ applicantur præpurgatis. In plethoricis enim non magis ex pulmone in thoracem aliquid excrementi ducent,quàm ex toto corpore trahent in utrumque.

COMMENTARIUS.

10. Hoc cap.cum ſup.jungendum fuerat. Eſt enim ejusdem materiæ,perſequitur,inquam,differentias inflammationum,quod propriiſ.eſt methodi Gal., quam ego,poſt tot ſæcula, primus revoco in lucem,admonitus à Friſimelica,ut alibi dixi. Quantò enim præſtabilius eſt unico loco egiſſe de Inflammatione quàm tot,quot partes eâ laborare poſſunt? Hoc autem de univerſalibus potiſſimum eſt verum: de particularibus autem agit Gal.heic.

CAPUT XVIII.

1. EAdem ratione in inflammationibus cerebri & meningum cucurbitulis opus non eſt ab initio: ſed cum nihil amplius affluit, & prævacuavimus totum corpus. Initio autem & heic repellentibus dictis utemur. At cum oſſa cranii interſint, ubi facultatem in profundum pervenire volumus, miſcebimus repellentibus aliquid eorum, quæ deducere valent, h.e.quæ ſunt ſubſtantiæ tenuioris. Acetum v.g.non ſolum tale eſt: ſed & ipſum repellit non mediocriter. Unde veriſimiliter in his affectibus utuntur,ol.roſ. miſcentes. Progreſſu temporis addunt ſphondylii & ſerpylli, quæ jam calefaciunt, non tantùm tenuium partium ſunt.

2. At his digredi oportet ad concoquentia & digerentia plus quam inflammationibus conveniat, quod vis horum retundatur ab interjacentibus oſſibus.

Sic

Sic igitur & caſtorio utimur, licet in aliis inflammationibus non utamur, etiam in extimâ declinatione. Calidius enim eſt, quam ut heic locum inveniat. At in locis circa cerebrum in declinationibus eſt optimum, quia non ſtatim cerebro accidit, impedientibus oſſibus. Habet hoc & partium tenuitatem, ut poſſit permeare etiam denſa objecta.

COMMENTARIUS.

3. Durat quidem repellentium uſus in capite in Italiâ, ut videre eſt apud Maſs, & Sax., ne alios producam in ſcenam: ſed Noribergæ deſiit. Ego enim cum uterer, & audirem ab amico, Quò repellis, ſodes! Memento graviſſimorum ſymptomatum, ipſius adeò mortis, quæ ſecuta eſt, & aliter ſenties! Ab eo tempore uſus non ſum.

CAPUT XIX.

1. NOſti ſanè ſingularum partium meatus proprios, ad excrementorum exitus paratos, quos aperire me vidiſti in inteſtinis, ventriculo, meſaræo & ſimis jecoris, quæ partes per inteſtinum rectum levantur onere ſuo. At renes, veſica urinaria, gibba hepatis, vena cava, arteria magna, & quæ aliæ in lumbis ſunt, per urinas vacuantur: Pulmo & thorax per aſperam arteriam & fauces: Cerebrum & meninges per palatum & nares.

2. In his ἔυροιαν parant, illis quidem, quæ per anum ire debent, melicratum, & quæ alvum molliunt, tàm alimenta, quam medicamenta, quæ mediocriter ſtimulant. Cavere enim oportet acriora, quæ cient inflammationes. In ventriculi, hepatis & lienis inflammationibus ne melicratum quidem tutum eſt. Subitò enim bileſcit, & ita auget viſcerum inflammationes. Medicamentis diureticis averteris redundantiam per urinas. Eodem modo becchicis purges thoracem & pulmonem per tuſſim. Singulorum materias petes ex doctrinâ Simpl., non dictorum modò, ſed & cerebri & meningum per nares purgamenta.

COMMENTARIUS.

3. Catalogus viarum, excrementis dicatarum, partim mancus eſt, partim ab Anatomiâ exactâ alienus. Mancus eſt in ani excrementis. Ab Anatomiâ alienus in hepate & cerebro. Vide autem Inſtit, noſtras ſuis locis.

CAPUT XX.

1. NAm & horum omnium uberem copiam habes in dicto Com., quantum, inquam, ſatis eſt huic operi in quo de differentiâ partium inflammatarum dictum eſt mihi. Dicturus enim ſum de illis abundantius in methodo curationis omnium præter naturam tumorum. Nam neque heic aggreſſus ſum rem, tanquam ἔργον meum, cui ſoli ſtuderem: ſed παρέργως, & conſequentiâ quâdam incidens illi.

2. Propoſitum enim eſt, non quomodo quis methodo curârit unumquodq; membrum inflamatum: ſed indicare noxam eorum, qui cataplasmatis utuntur in febribus absq; purgatione totius corporis, maximè, ſi inflametur viſcus aliquod internum. Si aër caleat adeò, ut fundantur confertim materies, major ex cataplasmatis noxa eſt quàm ex balneis.

3. Et videtur iis, qui quotidiè hypochondria perfundunt, & cataplasmatis inquinant, ſe non tantum non nocere ægris, ſed & emolumentum magnum afferre. Ex balneis autem non comodum ullum, ſed magnum malum, ignari naturæ, ut aliorum, quæ circa ægrum patrant, ita & balnei. Ego verò de universâ eorum facultate perfectiſſimè locutus ſum anteà: jam tantum dixiſſe mihi ſufficiat, quod in quibusdam nec omninò noceant: in quibusdam minus quam cataplasma. Quod enim in hypochondriis faciunt vocata ab iis χαλαστικά: hoc in quibusdam balneum. Quare in declinatione uſurpatum, jam mediocriter difflato corpore, non mediocriter promovet vacuationem omnium fuliginoſorum & vaporoſorum excrementorum. Quod ſi viſcus nullum ſit debile, juvabit ægrum eo, quod horror nullus ſit metuendus.

4. Tres enim hos ſcopos balnei præmeditari oportet in omnibus febribus, primum quidem, ut abſolvatur absque horrore: alterum autem, ne pars ulla princeps ſit debilis: tertium, ne in primis viis abundent crudi humores. Oſtenſum enim antè eſt, quod horror non ſolum augere poſſit febres præſentes: ſed & facere, cum nondum ſunt. Debilitas viſcerum recipit potius fuſos humores, etiam antequam fundantur. Copia crudorum humorum in totum diſtribuitur corpus. Horum nullum ſi impedit, ſperabit æger à balneis duo lucra, vacuatum iri aliquid ex ſuperfluis, & multùm demtum iri febrili calori. Si inſuper nulla pars princeps ſit debilis, etiamſi minus principum aliqua ſit, ut pedes in podagricis, in arthriticis omnes corporis articuli: magna tamen ſanitatis portio redundabit ad ægrum, quod excrementa in ſe recipiant partes ægræ.

5. Solet quidem hoc fieri etiam extra balneum: in balneo autem ſæpius, quod fundantur tum humores, adeoque viæ etiam pateant. Utrumq; enim fieri ſolet in mediocriter calefactis. Dico, & fuſionem, & patulas vias. Hinc ſi vel hepar, vel ventriculus, vel pulmo, vel thorax, vel unum ex his principibus debile ſit, vehe-

vehementer omnes loti, ſi quid ſuperflui in corpore, afficiuntur. His ipſis ſi cataplaſma applicetur, noxa fit duplo major, nec quidquam proficitur.

6. Balneum enim, & vacuat totum corpus, & diſſipat, quod fumoſum & fuliginoſum eſt: dicta autem χαλαστικά, cum ſimilium vitium perfuſionibus, neque boni quid in ſe habent, & omnia excrementa trahunt ad partem illam, quæ debiliſſima eſt, quæcunque illa ſit in hypochondriis, ſive hepar, ſive ventriculus, ſive diaphragma, ſive jejunum inteſtinum, ſive colum, ſive renes. Si diligentiores eſſe volumus, & thoracem etiam calefacere, aut in ipſum trahentur excrementa, aut in cor, aut in pulmonem. Voco debilem partem, aut naturâ intemperatam, (eſt autem aliâ alia intemperatior,) aut ob prægreſſum aliquem morbum in intemperie, aut ob præſentem temporis ſtatum huc perducta. Non enim ſubitò omnium partium inflammatarum, aut putridos humores in ſe habentium, aut obſtructarum facultas debilis eſt. Citius tamen ex his fertur in partem affectam, quod ſuperfluum eſt, qualecunque etiam ſit, propter calidam diſpoſitionem febrilē. Veluti enim focus febrilis eſt pars illa, quæ in ſe habet obſtructionem, putredinē, inflammationem. Quando igitur trahenti illi ob calorem extrinſecus advenerit alia quædam cauſa ex re poteſtate calefaciente, neceſſariò augetur diſpoſitio. At verò, ſi quis, prævacuato toto corpore, laxantibus curetur, niſi febris ſit intenſa, aliquando adjumentum aliquod ſentiet. Quo caſu, ut dixi, etiam balneo quis utatur ſine noxâ. Hos tales abſtinere oportet à frigido lavacro. Si enim diutius in eo morentur, crudi humores, iique putreſcentes inhabiles fiunt ad digeſtionem. Nocet etiam illis, ſi aqua valdè frigida ſit. Qui enim ita diſpoſiti ſunt digeri inſenſibiliter debent & toto corpore, & præcipuè quoad partem affectam. Quò fit, ut vel perfundere (ut etiam ſolemus) debeamus ſufficienti aquâ, vel, ſi aqua ſit non niſi mediocriter frigida, ſinere quidem ingredi, ſed ſubitò revocare. In progreſſu autem morbi, cum abſumta ſunt jam excrementa, & coquuntur tàm cruda, quàm putrida, ſine periculo uti poſſumus & cataplaſmatis laxantibus & balneo.

CAPUT XXI.

1. EOrundem remediorum in febribus intermittentibus tempus eſt, cum, ut dixi, difflari inceperit calor febrilis. Simul enim & alimento præparant corpus, duobus ſcopis, & quia tempus poſtulat tam ſtatus prægreſſi paroxyſmi, quā principium futuri. Atq; hoc ideò, ut quàm longiſſimè recedamus ab utroq;.

2. Ergò ſi ſpatium intermedium ſit ſatis magnum, res facilis eſt: ſin breve, alterutrum eſt neceſſarium, nutrire vel ſatis calido adhuc ægro, aut jam jam in propinquo exſiſtente altero paroxyſmo. Quare opus eſt prognoſtico Medici, qui primis ſtatim diebus divinare poſſit, quamdiu febris ſit duratura. Certum enim eſt, ſi continua ſit, quod brevi ſit ſolvenda.

3. Ergò ſi non ultra ſeptimum progredietur, in totali inediâ continebitur, conjectantes, vires ſuffecturas eſſe: ſin durabit ad nonum uſque, undecimum, aut 14. potius quàm ut ſeptimo ſolvatur; ſi vires debiliores ſint, quàm ut vim perferant tanto tempore: neceſſariò nutrimus. Eligere autem oportet, ut in dubiis fieri ſolet, quæ minus noxia ſunt, & diſcernere ab iis, quæ magis nocitura ſint & loco affecto, & morbo, ſumtis ſignis, cum ex paroxyſmo, tum ex more ſtatus.

4. Inflamato enim ventriculo aut hepate pernicioſiſſimum eſt nutrire antè paroxyſmum: ſine autem inflammatione, cum æger debilis eſt, utiliſſimum. Hepate enim affecto dejectiones ſupervenire ori ventriculi ſyncope, idq; cum paroxyſmo ipſo. In aliis partibus fit aliquid proportionale, pro ratione ſitus & dignitatis. De his iterum dicetur.

5. Cæterùm, morem ſtatus ita te jubeo conſiderare, ut mentem adhibeas, in ſtatu quidem, ſi ſiccus ſit & ſqualidus, ſine magnitudine caloris febrilis, an urens ſine ſqualore? Prius ſi ſit, extemplo humectare oportet alimento: ſi poſterius, exſpectare, dum ſenſibiliter remittat calor.

6. Sic etiam obſervabis morem principii paroxyſmi in refrigerandis extremis, puta, an multus ſit ſanguinis recurſus? an potius ſine inſigni preſſurâ? Si enim hoc poſterius fiat, non magnoperè ad animum re voces, quod paroxyſmus ſit tolerabilis: ſi prius illud, diſtinctione opus eſt. Si enim ſit ſine viſceris inflammatione, ſine abundantiâ humorum, ex ſolo motu illorum introrſum, ut fieri ſolet in paroxyſmis, nihil peccabis ſi paulò citius nutrias. At verò ſi vel inflammatio adſit, vel copia humorum, nihil peſtilentius quàm cibare initio paroxyſmi.

Finis Lib. XI.

METHODI MEDENDI LIB. XII.

CAPUT I.

1. NEque genus, neque ſpecies, neque differentia (peculiaris) eſt febrium, quæ ſymptomatis comitatæ ſunt, ut quidam putant: ſed, ut alius morbus alii morbo, ut ſymptoma ſymptomati jungitur, eodem modo cum febri copulantur modò majoris momenti ſymptomata, quæ majorem curam deſiderant (modò minoris, quæ minorem.)

2. Minorum, quæ neceſſariò inſequuntur febrium generationem, neque meminerunt Medici, ſed, quaſi non ſint, ſine nomine relinquunt: quæ verò rarò ſuperveniunt febricitantibus, aut præter modum inſignia ſunt, doctrinâ cenſent digna peculiari.

3. Ho-

3. Horum tres primæ differentiæ ſunt. Aut enim ſunt inter actionum læſiones: aut ſunt immodicæ vacuationes, retentionesve: aut ipſorum corporum diſpoſitiones. Non enim quartum genus ſymptomatum conſtituere eſt, etſi plerique magnâ cum contentione conati ſunt, v.g. Eryſipelata, ophthalmias, ulcera, parotidas, & hujusmodi talia.

4. Ex tribus dictis, actionum læſiones cum ingraveſcunt, convertunt ad ſe Medicum, ut cogatur ſinere morbum ipſum: eodem modo immodicæ excretiones & retentiones: genus verò in diſpoſitionibus ſignum quidem eſt alterius diſpoſitionis, quæ curatione opus habent, ſed propriam non requirit. Quieſcit enim curatâ diſpoſitione, quæ illam facit.

5. Ut igitur in ſummâ dicam, nullum ſymptoma, quà tale, neque indicat curationem, neque quidquam in illâ mutat primariò. Demonſtratum enim eſt, indicationem curationis fieri ex ipſis morbis, quemadmodum præſervatio à cauſis. Dictum etiam eſt, quomodo præſervatio ſe immiſceat curationi. Aliquando etiam ſymptomata mutant curationem per accidens, cum eo ipſo tempore rationem cauſæ habent. Unum autem omnium eorum caput eſt, cum mutant ut cauſæ. Unum hoc eſt læſio aut virium, aut diſpoſitionis. Ut cum non lædit, nec impediat curationem.

6. Lædit autem vires, vigilia, dolor & nimia vacuatio: diſpoſitionem autem non ſemper, utplurimùm autem, & maximè, cum modum excedunt. In his igitur ſolis cogimur immutare ordinem curationis, quem ab initio inſtitueramus, id agentes, ut exſcindamus antè omnia, quod ad præſens tempus, ſymptoma.

7. Infirmis igitur, ſed non extremè, verùm pugnantibus adhuc, reſpicimus ad ſolum ſymptoma, ut quam celerrimè tollamus illud: debilitatis autem valdè, non tantum hoc agimus, ſed & vires confirmamus. Si verò uno auxilio & ſymptoma leniri poſſit, & morbus curari, hoc non fuerit ad ſymptoma reſpicere, aut remedium adhibere propter ſymptoma: ſed directè tota hæc remediorum ratio curatio eſt.

8. Neque enim ſi in pleuritide venam ſecamus propter dolorem lateris, aut purgamus, ſymptomatis hæc curatio eſt: ut neque cum apoſtema diſtentum, & cum pulſu dolens aperimus, & pus emittimus: ſed cum, v. g. in fluxionibus dyſentericis valdè acribus aut tragi ſuccum infundimus, aut ſevum caprinum, aut ceratum roſ. Ab his, ipſa quidem inteſtinorum exulceratio non curatur, maximè ſi ſit putredinoſa, vires autem intereà refocillantur. Et hoc eſt pugnare contrà ſymptoma, neglecto hoc tempore morbo.

9. Nempè enim, ubi fiducia eſt in viribus, nunquam ſymptomati nos opponimus: contrà, aliquando auxiliis dolorificis curamus morbos, ut ipſam dyſenteriam mordaciſſimis medicamentis tractamus, cum vehementiſſima eſt. Ita Medicus quinquagenarius, æger jam in ſeptimam noctem, alioqui non ſatis firmus,

firmus, cum dolor capitis ingens, circa tempora max. dextra, illum corripuiſſet, non exſpectato amico ullo, venam ſibi ſecuit ipſâ nocte. Et dolor quidem ceſſavit ſubitò: ipſe longo tempore decolor, gracilis, malè habitus, ut vix rediret ad ſtatum priſtinum.

10. Habent verò Medici duplicem excuſationem, cum dolori obſtant, aliquando quidem, quod gratificentur mollitiei ægrorum: aliquando autem ex arte ipſâ. Si enim qui adverſus dolorem obfirmato ſit animo, cum generoſis medicamentis curari poſſet uno die, ad dolorem ſe converterit, negligens totius curæ, ille ſic facit, non ſecundũ artem, ſed ægro gratificatus. At ſi à dolore vires frangantur, & periculum ſit in viciniâ, oportet lenire dolorem, viresque inſtaurare, ut morbo reſiſtere poſſit, & ad finem uſque curationis durare.

11. Novi enim quosdam, tàm Medicos, quàm ægros, qui laudem fortitudinis affectarent, periiſſe propter hoc ipſum, quod fortiter & viriliter congrederentur cum doloribus, nec admitterent ſopientia dolores: ſed in aſperis verſantes medicamentis, morbum, (ut ipſi loquebantur) ita refutarent. Atqui melius erat longiori illos tempore curare, quàm fortiter properando mori.

12. Horum quidam, dyſentericos (ut ipſe ſibi perſuadebat,) generoſo medicamento curans, multos quidem percuravit uno die, quosdam etiam jugulavit. Modus curandi erat hic. Cepas tonſiles vocatas cum pane devorandas dabat, parumque bibere ſinebat eo die. Altero die manè clyſterem ſubdebat marinam acerrimam, & poſt illam medicamentum forte. Qui tolerare poterant, perfectè curabantur. Quidã poſt convulſionẽ aut in ſyncope cũ madoribus mortui ſunt.

13. Terminus igitur eſt Medico, ſecundum artem generoſè pugnanti, ut tutò curet: quemadmodum illi, qui dolorem lenit, ut vires cuſtodiat. Qui ultra it, malè inſtitutus ſit, ſi unà cum morbo & vitam auferat homini: aſſentatoris, ancillari ægro, & ſcopum ſibi proponere voluptatem, non ſanitatem. Incidunt verò in hos exceſſus Medici, in aliis quidem multis auxiliis: ſed maximè in anodynis dictis, quæcunque fiunt ex ſem. pap. & hyoſc., rad. mandrag. ſtyr. & his ſimilibus. Qui enim gratificaturi ſunt ægris, horum copiâ abundant: contrà qui intempeſtivè & immodicè fortes videri volunt, cum nunquam utantur, conficiunt ægros doloribus.

14. Quemadmodum igitur in totâ vitâ in omnibus artificiis & ſcientiis, ita heic quoque, amplectendum eſt illud, NE QUID NIMIS, terminum ſibi præſcribens utilitatem ægri. Si enim ſperet, ſe abſoluturum curam iis medicamentis, quæ morbum curant, non attingere oportet ſoporifera, quæ ἀνώδυνα vocant. Si verò æger in mortis diſcrimine ſit ob vigilias & virium diſſolutionem, utatur ſuo tempore his quoque medicamentis, non ignarus, quod aliquà læſurus ſit corporis habitum, ſed præferendam eſſe læſionem morti.

15. Niſi enim valdè inſignis ſit illa, poterimus illam iterum exſcindere longiori temporis ſpatio. Sin tam gravis, ut non poſſit tolli omninò: tamen hoc præſtabi-

ſtabilius judicabimus quàm perdere hominem. Hoc ratiocinio uſi & nos, quamvis maximè abhorrentes ab uſu ſoporiferorum, aliquando damus Colicis, in vehementiſſimis oculorum & aurium doloribus, ut & aliarum partiũ eodem modo. Aliquando etiam, cum ob tenuem catarrhum & vigilant ægri, & tuſſiunt vehementer; parum quid hujus generis medicamenti damus, facilius corrrectu rati cum tempore noxam, quàm ſi ſemel (in juſtâ doſi) demus. Differunt aliquando & inter ſe hæc medicamenta.

16. Quæ enim in magnâ copiâ recipiunt ſoporifera, laudantur quidem ſtatim: ſed relinquunt in corpore validum, nec facilè delebile frigus. Quæ in minori copiâ recipiunt, plura autem calidiora: quantò invalidiora ſunt in præſens, tantò innocentiora ſunt in futurum. Omnia autem ſunt meliora, ſi poſt annum à compoſitione uſurpentur, veluti Philonis illud, quod eſt inter nobiles compoſitiones illas, quæ mitigant dolores ſtupefacto ſenſu. Sunt & aliæ plures, διὰ σπερμάτων vocatæ, & τρίγωνα, parum quidem efficacia, ſi præſentem dolorem ſpectes, ſed ſecuriora, ſi de futuro cogites. Eadem ipſa meliora, ſi poſt annum à repoſitione: imò Philonis illud eſt melius multò, ſi poſt biennium, triennium, quadriennium. Non inutile etiam eſt ſeq. annis uſque ad 10. Diu enim ſervatum tantò eſt innocentius, quò vetuſtius. Evanidum autem eſt viribus, quod debiliter agit id, cujus gratiâ datum eſt.

17. Ut igitur, quantum fieri poteſt, abſtinendum eſt à talibus: ita in caſu neceſſitatis fugere non oportet. Uti autem oportet non valdè recentibus, in quibus vis narcotica adhuc viget; neque tàm vetuſtis, ut excidamus voto noſtro: ſed, ut dictum eſt, exſpectare, uſque dum caſtigetur vis refrigeratoria à calefactoriis. Horum uſus tantum eſt, cum ſymptomati nos opponimus, præcipuè, cum à frigidâ cauſâ eſt. Vehementer enim nocent toti diſpoſitioni, adeoque tantùm non immedicabilem reddunt.

CAPUT II.

1. VEnæ ſectio, quæ non corrumpit vires, non eſt eorum, qui ſymptoma intuentur: ſed eorum, qui totam διάθεσιν exſcindunt. Ita & balneum, & purgatio, & fomentum, & vini potio, quorum omnium Hipp. meminit ſub doloribus oculorum, cum in Aph. ita inquit: *Dolores oculorum ſolvit vini meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut purgatio.* Hæc enim omnia, diatheſes ſanando, ſanant ſimul dolores illorum. Sic & alimentum, ut anteà dixi, in morbo ſqualido & ſicco, laborante ore ventriculi datum, tollendo diſpoſitionem, prohibet ſyncopen.

2. At non eam, quæ ob frigidorum humorũ copiam, ſive ἔκλυσις dicatur, ſive

ſyncope ſtomachica, alimento indiget ceu medicamento, etiamſi ſæpè in talibus diſpoſitionibus, non alimentum ſolum, ſed & vinum dare laborantibus cogimur, ut avertamus periculum, quod in inſtanti eſt, non diſpoſitioni medentes. Vacuatio enim potius quàm adjectio talium eſt medicina. Et videre eſt quotidiè plures tales interire inſcitiâ Medicorum. Quare tempus mihi videtur de his differendi.

CAPUT III.

1. IGitur febricitare incipiunt quidam, poſtquam collegerunt inſignem copiam crudorum humorum, unà cum vitiato ore ventriculi, quod στόμαχον appellitant. Hoc fit vel à cruditatibus, vel cum ob alias cauſas hypochondria fiunt tumida, adeoque totum corpus in majorem tumorem attollitur, & color his quidem fit albidior, & aquoſior, quàm pro naturâ: illis autem vertitur in acrum aut lividum, quos quidam Medicorum μολιβδοχρῶτας nominant. Omnium horum pulſus ſunt minores, quàm pro ratione caloris, obſcuri, omninò inæquales, & aliquando illâ inæqualitate, quæ συστηματικὴ vocatur, ſemper illâ, quæ in uno ictu.

2. In nullo horum ſanguis auferri poteſt absque maximo detrimento, quamvis indigeant vacuatione. Sed neque venæ ſectionem ferunt, neque purgationem, quod etiam ſine his facilè ſyncope capiantur. Quomodo igitur tales curantur? Cum indigeant vacuatione, neque tamen ferant illam? Nullam aliam inveni in his vacuationem, quam illam, quæ fit per frictiones. Convenit igitur inchoare illas ſtatim initio morbi, & primam quidem in cruribus à ſuperioribus ad inferiora, idque facere linteis non molliſſimis, ſed quæ habent aſperum quid. Oportet enim aliquatenus lancinari cutim ab illis, ſimulque illam digeri, ita poſtulante ægri conſtitutione. Deinde tota etiam brachia, ab humeris eodem modo, à ſuperioribus ad inferiora euntes. Ubi artus toti videbuntur calidi, & metus fuerit ſenſus cujusdam laſſitudinarii, ob contuſam carnem à copiâ frictionum factam, utendum eſt oleo laxatorio, quale eſt Sabinum. Abſtinere vero oportet ab adſtringentibus, quale eſt Hiſpanum & Iſtricum, nec non id, quod paratur cum ramis ex olivis immaturis. Tempore hyemali non nocuerit transire ad aliquod digerens, quale eſt Sicyonium, chamæmelinum, aut quod in Ægypto frequens eſt (Cicinum.) Hæc ſi non adſint, laxativum aliquod, cui nulla adſtrictio, maximè, ſi vetuſtius ſit, ſumere oportet, injecto anetho, quod videbitur proportionatum. Deinde, ut conſuevimus, in vaſe duplici tamdiu calefacere ſuper igne, uſque dum imbiberit qualitatem herbæ, tum hoc ipſo ungere artus, & fortiter fricare. Poſt hæc oleum quidem abſtergere, (ſordes enim facit) pergere autem ad ſpinam, eamque ſimiliter confricare, primùm quidem ſicce, deinde autem cum pinguedine. Hinc ad crura digrediendum eſt, ab his iterum

ad manus. A manibus iterum ad ſpinam, toto die nihil aliud agentes, & quidem in domo lucidâ & ſiccâ. Sit verò & temperata hæc in caliditate.

3. Pro victu his ſatis eſto melicratum, cui incoctus ſit hyſſopus. Et non oportet illis vel cibum concedere, vel ſorbitionem ullam, vel etiam aquam; imò nec potum indulgere liberaliter, ſed ſolo contentum eſſe melicrato tribus primis diebus, dum alius poſt alium fricat, ſolo interpoſito illo tempore, quo ſomnus ægrum occupat. Hunc inſigniter promovet perpetua illa frictio. Quare vel ob id etiam aptum eſt auxilium, non ob ſolam vacuationem. Nam ſomnum etiam conciliat.

4. Non tamen ob id longior ſomnus talibus eſt utilis. Impedit enim digeſtionem crudorum humorum, & gravat viſcera: ſed ſi ullus morbus utroque hoc, ſomno & vigiliâ, moderato indiget, hic eſt. Coquit enim ſomnus: digerit vigilia. Utroque autem eſt opus illi, qui laborat copiâ crudorum humorum. Alterutrum igitur ſi moderatè fiat, alterum alterius caſtigare poteſt exceſſum, defectumque.

5. Si enim pulſus illius parvus & debilis ſit, ſi præterea valdè inæqualis, ſummum eſt periculum. Et facere oportet, quæ dicta ſunt, nihil præterea machinari. Sin in tono & magnitudine mediocriter ſe habeat, & ſtatim appareat magnus cum æqualitate, conſidera regionem ventriculi, & confidenter clyſterem ſubjice, niſi alvus ſponte eat. Accidit enim ut à melicrato vacuetur rectè hàc omnis abundantia, illa, inquam, quæ colligi ſolet in primis viis, circa hepar & meſenterium. Quod ſi major excrementorum impetus ſit ad ventriculum, debet primùm coqui amplius melicratum, ut fiat quidem minus ſubductorium, magis autem alat. Veluti crudum, minus quidem alit, magis autem ſubducit.

6. Cujus operâ ſi excrementa copioſius eant deorſum, ne heic quidem ſtare oportet, ſed loco melicrati, ptiſſanæ ſuccum dare. Si tamen eò eant, halicæ ſorbitionem præbere, accommodando ſe pulſui. Aliquando enim ſubitò mutatur in debilitatem, & inæqualitatem & parvitatem. Quo tempore panem dare oportet ex vino diluto, ſi modò & ventriculus & hepar ſint immunia ab inflammatione.

7. Si adſit inflammatio (hoc, inquam ſtatu, cum corpus eſt fartum crudis humoribus,) in deſperatione erit æger, pulſibus ſic mutatis. In his ſi prædixeris mortem, liberabis te à calumniâ, ubi non adhibueris ullum generoſum remedium. In quibus autem ſpes aliqua ſalutis, (eſt in omnibus, ſine inflammatione laborantibus, ſi modò maturè vocârint Medicum:) turpiſſimum fuerit admittere ſyncopen, quamvis quotidiè fiat, ob inſcitiam Medicorum. Verùm, hos tales ſinere oportet, neque ſe comparare cum illis. Qui enim verè eſt artifex Medicus, illum pudet, ægrum ſubitò in præſentiâ ſyncope occupari, nec prædicente ipſo, nec præparato ad inhibitionem, nec etiam inhibente.

8. Dictum à me etiam anteà eſt, quod illi met inflammationes cauſantur

cum in talibus diſpoſitionibus ſemper vexant hypochondria cataplasmatis, & perfuſionibus ſuis. Non igitur utendum illis, priusquam maxima pars excrementorum & vacuata & cocta ſit. Tum demum enim illis utendum, non ſimpliciter laxantes, ſed moderatè adhibentes abſ.niſi febris ſit magna.

9. Si verò, ut dictum eſt, primum triduum ita transegeris, neque quid ſequent. acciderit, pergere licet in iisdem, & uſque ad ſeptimum uti ſolo melicrato, cui hyſſopus ſit incoctus. Qui enim ita diſpoſiti ſunt, longiſſimè tolerant inediam, alito interim corpore crudis illis humoribus. Si non ſolum crudi ſint, ſed eouſque corrupti, ut perfici coctione non poſſint, ſic ægrotantes impoſſibile eſt ſervari. Qui verò ſervari poſſunt, ſiquidem nihil peccetur, uſque ad ſeptimum ſolo melicrato ſuſtentandi ſunt, aut ſi neceſſitas ita velit, aut propter alvum fluidiorem, aut quia æger abhorret à melicrato, ad ptiſſanæ ſuccum te convertes.

10. Si etiam hunc faſtidierit, halicam illi dabis, eodem modo conditam. Ita enim diſpoſitos acetum non offendit. Tu verò ſi ſenſeris, craſſos eſſe nimis crudos illos humores, dare oportet oxymeli toto illo tempore, melicrati loco. Si ob aſſiduum uſum tædium obrepſerit, tranſire licebit ad melicratum & ptiſſanam, & reditum facere ad oxymeli. Maximè in iis, qui pulſum habent parvum, rarum & tardum, cujus cauſa ſit frigus humorum. His ſubitò comes erit evidens totius corporis decoloratio, qualis etiam anteà dicta fuit.

11. Fortaſſis videbitur alicui impoſſibile id, quod dixi, cum in nullo febricitanti viſi fuerint pulſus tardiores & rariores. Verum eſt, quod dixi duplici ratione. Unâ: in paroxyſmis evidenter tales ſunt. Alterâ: etiam aliis à paroxyſmo temporibus arteriæ tardius & rarius moventur.

12. Ergò ſi æſtas ſit, & æger frigidæ aquæ aſſuetus, detur illi oxymeli actu frigidum: ſin hyems, omnibus calidum, ſive frigidæ ſint aſueti, ſive calidæ. Ita, ſi æſtatis tempore calor ſit immodicus, etiam calidæ aſſuetis detur frigidum, ſi nullum viſcus ſit debile.

13. His valdè contraria ſunt balnea, & aër, ſive calidior, ſive frigidior. Itaque ut lavandi hi non ſunt: ita cubare debent æſtatis quidem tempore, frigidiuſculo loco, hyemis autem tepido. Læduntur enim non parum ab utroque exceſſu. In balneo, ut & æſtate, omnique caloris augmento, fuſis crudis humoribus, & undiquaque ſe expandentibus, ut periculum immineat & pulmoni & cordi, imò, poſſunt & ſurſum repere ac cerebrum, cum melius ſit longius abeſſe à cerebro, propius autem eſſe hepati & primis viis.

14. In cubiculis, immodicè frigidis, ut & tempore hyemis, & in univer-

ſun

ſum in aëre frigido, frigidi humores difficulter coquuntur, & obſtructiones, ſi parvæ adhuc ſint, augentur, ſi non adſint, gignuntur retenti ob craſſitiem, & quaſi cuneo impacti.

15. Hæc itaque ita peragenda ſunt, ſi primâ die aggrediaris curationem: ſed ſi voceris ſyncope jam laborante ægro, ab inflammatione immunibus locis, quæ dixi, panis dandus illis non in copiâ, ex vino aliquo velocem diſtributionem habituro. Subitò autem accingere ſe frictioni, & uti eo modo, quo dictum eſt nuper.

16. Si igitur ſit æſtas, & regio ſuâ naturâ fervida & ſuffocativa, aut alioqui conſtitutio ſatis calida, dandum eſt vinum, aquâ frigida temperatum. Si nihil horum ſit, calidâ, hoc obſervato, ut ſecundus & tertius hauſtus ſit calidus. Pro ſucceſſu quippe totius curationis, ob quam & frictiones inſtituimus, melius eſt calidum eſſe potum, qui faciat ad coctionem crudorum humorum.

COMMENTARIUS.

17. Niſi valdè me decipio, diſcurſus hic benè longus non eſt firmatus ullâ experientiâ, ſed factus ex ſolâ ratione. Et quanquam prudens ſit: ſat tamen ſcio, qui proponeret, exactum iri à mulieribus cum plauſu manuum. Quibus ſi ſe jungeret Medicaſtrûm aliquis, vellem audire ab ipſo, velletne ſpondere, ſi, uſurpato generoſo aliquo medicamento, ſuperveniret ſyncope, ægrum non moriturum. Hoc accommodo epilepticis plethoricis; & primò quidem ſexagenariis, quorum duos habui his proximis annis, in quorum utroque cum opponeret ſe mihi Chirurgus, & nollet venam ſecare durante paroxyſmo, Unde tu ſcis, inquiebam, illum ſupervicturum, & non potius jam jam exſpiraturum? Exempla enim me terrent. Perſuaſus ille, adhibuit duos fortes viros, qui brachium ægri dextrum immotum tenerent, & feliciter operatus eſt, & ſubitò illi locuti ſunt, nec rediit paroxyſmus. Tale quid auderem: ſi occaſio detur in junioribus 14. annorum, ſiquidem plethoricis illis in dentitione, in variolis, in aliis morbis ſuperveniret Epilepſia. Ratio in promtu eſt, quam experientia confirmat. Ita jungerem me illis, qui contra Maſs., quæſt. de ſcop. mitt. ſang., Venet. in 4. 188. Augen. 2. Epiſt. 8. & alios, contendunt, aph. (ut Gal. appellare vult,) illum, 4. Acut. 19. quà de venæ ſectione puerorum, non eſſe melioris conditionis, quàm alii omnes. Sunt veri ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ. Hâc de re vidi duo ſcripta lectione digna, alterum Joa. Münſteri, Tubingæ in 4. 1604. alterum Valerii Badiglii, Veronæ, in 4. 1606. Ergòne in ſyncope facies idem? Nullo modo.

Eſt enim res diſparima. In plethoricis calidus vapor, tanquam cauſa, ſenſum ſubtrahitur: in ſyncope refrigeratio eſt, quæ mors eſt. Atqui in ſyncope ſanguis vocatur intrò. Venæ igitur ſectio revocabit in habitum? Res valdè dubia, quam meo conſilio nemo periclitabitur.

CAPUT IV.

1. SI qui ſunt, quibus ſyncope oboritur ob flavum bilem, os ventriculi infeſtantem, iis potum frigidum dare oportet, Vinum quidem, naturâ calidum, quod velociter diſtribuatur, dare oportet, (volumus enim aſſumtum alimentum non ſtagnare in ventriculo:) tale autem eſt, flavum quidem colore, conſiſtentiâ autem tenue, ætate vetuſtum. Subitò autem tale & odoratum eſt, at, ſi guſtes, modicâ admiſtâ aquâ, ſenties calorem per totum corpus didi. Neutiquam verò amarum ſit ob ſenium, potiſſimum, cum ægri ſtomachus à flavâ bile afficitur. Tale enim non amplius habet nutribile illud, & guſtabile, ſed inſuave, quo ipſo moleſtum eſt ſtomacho.

2. Inter vina igitur optimum eſt illud, quod naturâ quidem auſterum eſt, ſed non amplius ſenſibilem habet adſtrictionem ob vetuſtatem, contrà manifeſtum calorem. Omnia enim præſtabit, quibus opus eſt iis, qui ſtomachum habent πικρόχολον. Nimirum, & cum voluptate ſumitur, & ſervit tàm coctioni, quàm diſtributioni, malitiam præterea humoris (bilioſi) mitigat, totum habitum calefacit, & ſtomachum roborant.

3. Talia ſunt inter Italica Surrentinum, Signinum, Tiburtinum & Marſicum. Omnia enim adſtringunt, ſed non æqualiter. Surrentinum non mediocriter adſtringit, & reliquis calidius eſt, & dulcius. Quod huic proximum eſt, Tiburtinum nobile eſt. Eſt enim & aliud Tiburtinum, Sabino proximum, exiguæ particeps adſtrictionis. Signinum cæteris auſterius eſt. Et hoc multò magis Marſicum.

4. Omnia talia conferunt ſtomacho πικροχόλῳ, & uti illis oportet, cum in Cauſis læſus ille ſyncopen infert, aut alio modo multâ bile vel influente, vel imbibitâ afficitur. Qui propter crudos humores in periculo ſyncopes ſunt, iis Falernum tantò commodius aliis dictis eſt, quò ſapidius & calidius eſt. Celerius enim in corpus univerſum didetur, & coctionem humorum crudorum promovebit. Idem facient ſinguli dictorum, ſecundùm magis & minus. Falerni genera omnia tonum dant ſtomacho: verùm, quia aliud abundè dulce eſt, quod Fauſtianum vocatur, aliud, cum illo collatum, auſterum, cum Signino & Marſico, dulce. Horum poſterius eſt eligendum præ priori.

5. Si conſuevit æger ſanitatis tempore uti vinis dulcibus, nihil obſtat, quò minus dulciſſimum bibat in genere Falernorum. In Aſiâ verò & Græciâ, viciniſque regionibus, cum aliorum copia non eſt, aliquando inter ea, quæ ibi abundant,

dant, præſtat ad diſtributionem alimenti, & Arviſium & Lesbium. Lesbium quidem ex nomine ſatis notum eſt: Arviſium autem colitur locis quibusdam in Chio. In Lesbo cum tres ſint urbes, minus quidem odoratum & dulce eſt, quod è Mitylenâ venit: odoratius autem & dulcius ab Ereſſo: deinde ex Methymnâ. Oportet autem ſumere τὸν ἀπαράχυτον, h. e. cui aqua marina permiſta non eſt, perſuaſum habentes, magnum damnum exſtiturum ex eo, quod aquam illam habeat. Sed neque moris eſt in Lesbo, generoſis vinis, de quibus nobis eſt ſermo, miſcere marinam, veluti nec in Chio miſcetur Arviſio. Generatur verò in Myſiâ etiam quæ Helleſponto adjacet, vinum, quod æquat Surrentinum, & per excellentiam dicitur Myſium. Omnia hæc vina fulva ſunt & calida, odorata, conſiſtentiâ media inter aquoſa & craſſa. Aquoſa ſimpliciter Adrianum, Sabinum, Albanum, Gaurianum, Thuſcum, & Aminæum Neapolitanum, in confiniis Neapolis natum, unde etiam nomen acquiſivit. In Aſiâ verò & Tibienum, & Titacazenum, & tertium poſt illos Arſyinum.

6. Viciſſim craſſa vina, ad inſtar Siræi, quod apud nos ἕψημα vocatur, ſunt Scybellites, Theræum & Albates. In Aſiâ autem Ægeates & Perperinum. In quibus igitur crudi humores cauſantur ſyncopen, vitanda ſunt craſſa, tanquam nociva: aquoſa, tanquam inefficacia: eligenda autem mediæ conſiſtentiæ, fulva, ut dixi, calidaque. *Non enim invenias ullum ex vinis albis, quod calidum ſit*, quandoquidem & auſtera, & mediocriter alba, poſtquam ſenuerunt, flaviora quodãmodo fiunt. Hunc colorem (κιῤῥὸν) ſi aliter velis vocare, poſſit πυῤῥὸν ἢ ὠχρόν. Quæcunque autem inter illa ſunt calidiſſima, flava ſunt omnia, ut & Cæcubum in Italiâ, quod non certum aliquod genus eſt, & quod ita natum ſit, ut rentur quidam: ſed quodcunq; ob antiquitatem eò pervenit, ut igneum colorem habeat, unde & nomen illi. Non perveniunt autem omnia, ſed craſſeſcunt, antequam acquirant colorem flavum in pellucido. *Vide Notas noſtras in h. l. Gal.*

7. Alia vina auſtera, quæcunque mediocriter alba & craſſa, inepta ſunt diſtributioni. Si ſufficienter veteraſcant, poſſit uſus ipſorum eſſe, ubi aliud non adſit. Omnia hæc vina εὐςόμαχα ſunt, ubi ſenuerunt. Hujus rei exemplum ut habeas, Memento Nicomedienſis illius, omnibus hominibus noti, item, Siculi Amminéi, quod in magnis fictilibus affertur. Quod enim in parvis lagenulis, contrarium eſt illi omnimodis, κακοςόμαχος ſimul & κεφαλαλγής. Conari igitur oportet, ut optimum habeatur: ſi non adſit, ei ſimilimum ſecundùm notas prædictas.

8. Optimum igitur ad diſtributionem eſt Arviſium & Lesbium. Si alterutrum non adſit, degamus autem in Aſiâ, aut Aphrodiſionſe petendum eſt, aut Tmolite auſterum, aut aliud ei ſimile, flavum colore, manifeſtè in potu calefaciens, & ſubitò. Antè autem omnia animadvertendum eſt, qualis ſit ægri natura. Si enim caput habeat debile, quod à potentibus vinis facilè repleatur, potius veniendum eſt ad minus potens. Sin validum ſit caput, & ipſe delectetur talibus vinis,

vinis, feratque benè, audacter illis utendum eſt. Faciunt autem capitis dolores, quantum ex ſe, omnia vina odorata, eademque flava. Ob id & Falernum, & Tmolite, & Lesbium capiti infirmo oneroſa ſunt. Quæ verò dicta eſt diverſitas in Falerno, eadem in Tmoliti eſt. Alter enim valdè dulcis eſt, alter auſterus, ſi comparetur cum illo. Utrumque eſt calidum valdè, & ideò capiti adverſarium: ventriculum auſtera roborant, & capiti minus infeſta ſunt præ aliis: ad diſtributionem pigra ſunt, ut fugiendi ſint in ſyncope, non minus quam aqua.

9. Diſtributioni aptum eſt Hippodamentéum vetuſtum, ex genere Falerni dulcis, Tmolitæque, niſi quod manifeſtè adſtringit, quod neutrum dictorum facit, & propterea ſtomacho amicabilius Tu, ſi deſint vina apta ſcopo tuo in utrâq; ſyncope, (& illâ, inquam, quæ à crudis humoribus, & illâ, quæ à bile:) cogaris autem uti vino: fuge, ut dixi, auſterum, novumque, ut & craſſum; cape autem aquoſum, præcipuè autem vetuſtum. Non enim evidenter calefaciunt talia, facilè autem diduntur. Adeò ut celeritas diſtributionis, quæ in talibus eſt, reſpectu fulvorum, pro differentiâ ſit. Cui accedit illa, fulva magis conducunt concoctioni, quæ in ventriculo & venis fit, quia calidiora: attemperatoria etiam ſunt, & nutritoria, faciuntque bonum habitum, quorum nihil ab aquoſis exſpectandum eſt. Minimum enim quid ex horum ſubſtantiâ fit ſanguis. Interim aquoſa non feriunt caput, quod oppoſita faciunt. Sed & diuretica ſunt aquoſa omnia: ſecundo loco ſunt fulvorum illa, quæ tenuioris ſubſtantiæ, quæ etiam ſyncopis ſunt aptiora. Ex his, quæ flava ſunt & craſſa, tardius permeant: ſed tamen penetrantiora auſteris: nutriunt autem magis tenuibus, & citiùs reliquis cacochymiam emendant, generato bono ſanguine. Redeamus igitur ad principium ſuum.

COMMENTARIUS.

10. Utinam aliquis è noſtris vina Germanica redigat in methodum, quemadmodum Gal. facit heic de Italicis & Aſiaticis! In hoc ego duo deſiderabo: Alterum, ut guſtum habeat benè exercitatum, ut Gal. habuit. Tales dicuntur eſſe οἱ ὑδροπόται. Alterum, ut gnarus ſit τῶν καπηλειῶν. NORIBERGÆ, ut pro exemplo producam, nullum vinum eſt ſincerum. Maxima fraus eſt in cohibito muſto, quo dulcedinem mentiuntur, die Schmier. Altera ſulphur, der Einſchlag. Tertia, miſtura dulcium vinorum, Wann ſie ihm ein Lager laſſen.

CAPUT V.

Vide ſuprà l. 11. c. 3. & 5.

1. QUod igitur ſyncope ſit ſubitus virium caſus, dictum eſt ab antiquioribus. Et quoniam eſſentia virium nos gubernantium eſt in tribus, in ſpiritu, in ſpecie carnoſâ, in temperamento ſolidarum partium, hæc ſervanda ſunt, cum

præ-

præſentia ſunt, & reſuſcitanda cum periére. Quo modo igitur ſervanda ſint tempore ſanitatis, dictum eſt in l. de San. tu. quo modo in morbis? dictum quidem eſt jam in lib. anterioribus, ſed dicetur heic quoque. Nam nondum res tota in unum conſpectum, ut par erat, producta eſt, neque eâ methodo tractata, quâ priora. Quod igitur deeſt, tempus eſt, ut addam.

2. Dicta igitur tria in morbis cuſtodienda nobis ſunt in qualitate, & in quantitate, ut quantum fieri poteſt, in ſtatu ſecundum naturam maneant. Si igitur poſſibile eſſet providere, ut ne quidquam ſubſtantiæ ipſorum deperiret, nec uſpiam alteraretur, hoc erat optimum. At poſtquam in de Sanitate tuenda oſtenſum eſt, impoſſibile eſſe, ut fiat tale quid in corpore genito, tentare oportet reſtitutionem quidem illius, quod diffluxit: alterationem autem illius per contrariam alterationem, quod diſceſſit à ſuâ temperie.

3. Itaque ſi vacuatio & alteratio ſenſim facta eſt, utriusque reparatio eodem modo fiet. Et hoc officium eſt artis tuendæ ſanitatis: at verò ſi & confertim, & in magnis fiant, tàm vacuationes, quàm additiones, & morbus inde confit, & methodo medendi indigemus ad curationem illius. Ut igitur artis tuendæ ſanitatis opus eſt, in parvis mutationem inſtituere eorum, quæ præter naturam ſunt: ita Therapeuticæ in magnis eſt.

4. Ut igitur animalis ſpiritus veluti fontem eſſe Cerebrum perſpicuè oſtendimus, alto & quaſi irrigato illo, partim ex inſpirato aëre, partim ex eo, quod rete mirabile ſuppeditat: vitalis autem non æquè quidem perſpicua fuit probatio, ſed tamen improbabilis non eſt opinio, in corde illum eſſe, & in arteriis ferri, ab iisdemque ali. Quod ſi naturalis quoque ſpiritus aliquis eſt, contineatur ſanè & ille in hepate, venisque.

5. Dictum quoque copioſè eſt de ſubſtantiâ virium in libris de Sent. Hipp. & Plat. Subſtantia quoque corporum ſolidorum opus habet certâ quantitate, ideò alimenta conſervant mortale genus. Interim indigent bonâ temperie componentium illa elementorum. Et dictum jam eſt ſæpius, quibus bona illa temperies conſervetur.

6. Verùmtamen caſus ille facultatis, de quo jam nobis ſermo eſt, qui fit reſolutâ ſubſtantiâ ſolidarum, in morbis longis fit, cum animal atrophiâ attenuatur. Fit etiam in acutis, in quorum numero ſunt febres colliquativæ. In mutato temperamento accidit, cum vel calefiunt immodicè, vel refrigerantur, vel ſiccantur, vel humefiunt, vel per combinationem hujusmodi quid potiuntur. At verò ſpiritus alteratio fit vel ob pravos humores, vel ob malitiam aëris, vel ob alias cauſas huc perducti, veluti deleteria, vel venena animalium veneni-ficorum.

7. Sed excipiantur hæc à materiâ propoſitâ: Spiritus, vel in metu corruptionis poſiti, vel jam corrupti, habent hoc, vel ab affectu aliquo animi, vel à dolore exquiſito, vel à motibus pluribus, quo pertinent vigiliæ. Habent etiam à

nimiâ ſubtilitate, & conjunctâ continentium illos corporum raritate. Ante omnia accidit illis hoc ob cohibitam reſpirationem, defectumque alimenti, ob quem accuratiore indigent curâ.

8. Affectus animi ſunt ſubiti terrores, magnique, quos ἐκπλήξεις vocant, &, quæ his oppoſitæ ſunt, voluptates maximæ, quas περιχαρείας appellant. Novimus enim quoſdam utrâque occaſione mortuos. Quod ſi alii timores exceſſivi cum voluptatibus maximis, non occiderunt: ſpiritus tamen diſſolverunt & debilitârunt. Ita triſtitia, anxietas, ira, cura, in quo genere vigilia eſt, lædunt exſolvendo facultatem.

9. In his omnibus ipſa per ſe ipſam movetur anima: in operationibus autem practicis corpus movet. Diſſolvit autem tonum ipſius utrumque genus propriorum motuum, cum in longius tempus extrahitur. De doloribus autem quid attinet dicere? Certè ſuſtulerunt quoſdam nimis aucti: læſerunt omnes, ſi non interfecerunt. In his omnibus viſum eſt expreſſè, aut animo linqui ægros, aut vires deficere. Quidam verò, ut dictum eſt, etiam mortui ſunt, pereuntibus ſpiritibus, vel alteratis, vel diſſipatis, vel utroque modo.

10. De hac re actum eſt diſtinctè cùm alibi, tum in lib. de Sent. Hipp. & Plat. Quod ad præſens negotium, de modo, quo unumquodque lædere ſolet, nunc non agitur: quod unumquodque lædat, ab experientiâ accipere oportet, & rectè uti ad facultatis cuſtodiam in morbis.

11. Sic, ſi plus æquo attenuetur ſubſtantia ſpirituum regentium nos, utroque modo debilis evadet facultas, & quatenus alteratum eſt temperamentum, & quatenus ſubſtantia eſt diſſipabilis, facilè digeſtibilis, aut quomodocunque lo qui tibi libeat. Eodem modo ſi corpus totum extremè rarum fiat, facilè diſcutietur ſubſtantia ſpirituum, quod & ipſa ſit tenuium partium, corpusque adeo non contineat illam.

12. Non ergò oportet etiam corpus nimis rarefacere, ſiquidem retinere ſpiritus volumus, neque etiam nimis gracile reddere per ea, quæ comeduntur & bibuntur. Quod verò etiam alimentorum & potulentorum ſit habenda ratio ut facultas ſit robuſta, niſi, inquam, & in quantitate & in qualitate ſit ἀκριβεῖ certa, omnibus perſpicuum eſt, quid ſit futurum.

13. Non minus conſpicuum eſt, quod & aëris inſpirati habendus ſit modus ut & temperatiſſimus ſit, & ab omni inquinamento alieniſſimus, neque quiquam miſceatur ex fodinis metallicis, ex caminis domorum, ex barathris, ex putrilagine leguminum, olerum, cadaverum, aliorum, vapore ſtagnorum, paludum, fluviorum.

14. Hæc omnia præmeditari oportet eum, qui facultatem vult indemnem eſſe. Prætereà, ipſorum corporum ſolidorum, in quibus maximè conſiſtit eſſentia virium, integritati potiſſimùm conſulere oportet, ut ne migrent de temperamento ſuo.

15. H c

15. Hoc igitur commune emolumentum eſt omnibus partibus; peculiare :ſt ad robur facultatis, & cautionem, ne fortè inopinatus paroxyſmus ſyncopti-:us incidat, cuſtodia temperamenti naturalis, primùm quidem trium partium principum, deinde & cæterarum, quæ facilè in conſortium principum rapiun-:ur, quale eſt os ventriculi, propter eximium ſenſum, quem habet, ex quo & alia ymptomata plura & ſyncopas infert.

16. Prædicta igitur diſpoſitio crudorum humorum, ſiquidem & copiâ ſint nolesti, & obſtructiones pariant, non tàm craſſitie, quàm copiâ, in poris cutis, :x variis occaſionibus, & pernicioſæ ſunt & ſyncopticæ. Nempè enim nutritio-ıi ſunt impedimento, & ſuffocant calorem, & alterando corrumpunt tempera-nenti ſymmetriam. Quatenus enim crudi, non poſſunt nutrire antequam co-|uantur. Quatenus multi, gravant viſcera. Quatenus transſpirationem tardant, xſtinguunt calorem nativum. Si non obſtruerent, non gravarent. Hoc ipſo ıon ſyncopas inferunt, ſed vocatas λειποψυχίας. Exſolvuntur enim, niſi fre-|uentius cibentur. Non oportet autem ſimul & unâ vice multum dare, neque alia, quæ craſſa & frigida: ſed, ut dictum eſt nuper, quæ ſunt ex genere attenu-ntium ſimul & calefacientium.

17. Eadem ratio medicamentorum eſt, quæ quidem febricitantius deben-ur attenuantia & calefacientia. His vinum tenue ſtatim ab initio dandum eſt, iſi vehementer febricitent, quod rarenter fit in propoſitâ diſpoſitione. Quod ſenex ſit æger, cauſa alia eſt, cur vinum ſit dandum in ſingulis cibationibus, m-imè circa veſperam, & noctu, non manè, & ad meridiem uſque. Et de his qui-lem & hæc ſufficiant.

COMMENTARIUS.

18. Eſt genus quoddam hominum mirificè mihi moleſtum, cum ſubinde ccentat mihi illud, Tu ſæpè repetis tua! Miror autem etiam eos facere, qui oluntinter τοὺς χαρίεντας eſſe. Ne latius vager, ſi pauca legiſſent in libris his Me-hodi, tantum non infinita exempla haberent, & inter alia hoc præceptum ru-rticâ dignum, ſup. libri cap. 13. *Iterum atque iterum reſumendum eſſe, quod utile eſt, ut vulgus Medicorum vel nunc tandem diſcat verum methodum.* Et quid? Annon Gal. jam tertiùm agit de triplici virium ſubſtantiâ, licet ſine παραμυθίᾳ, potius edargutione, admitti non poſſint? Et ne porrò ſibi placeant, inſpiciamus pau-is, quæ heic audet pro triplicitate animæ ſuæ! De animæ illius ſubſtantiâ, quam n cerebro ſomniat, ſcribit, ſe ἐναργῶς id oſtendiſſe, fontem ejus in cerebro eſſe: ed addit, ἀρδομένης (niſi fortè ſcrib. eſt ἀρδευομένης) καὶ τρεφομένης διὰ χορηγίας ἐκ τοῦ δικτυοειδοῦς πλέγματος. Ubi primùm quæro, quæ ſit illa χορηγία, *ſuppedita-io, ſubminiſtratio?* Quia rete illud arterioſum, de propriâ confeſſione, è Corde ſt, Cor etiam erit χορηγὸς ille, ſine cujus munificentiâ cerebrum nihil erogare

 poteſt.

poteſt. Quâ re quia maniſtè accedit ad unionem Ariſt. nec pluribus opus eſt.

19. In vitali ſibi dicto ſpiritu tam audax non eſt, ſed ait, ἀπόδειξιν ipſius non eſſe ὁμοίως ἐναργῆ. Quidni verò? Si arteriæ, quæ pulſant, ἐναργῶς ſunt ex corde? Nihil enim aliud eſt ſpiritus vitalis quàm exhalatio ſanguinis benigni, cujus efficiens eſt *Calidum nativum*, in corde ſtabulans. Quod autem de aëre additur, πλασματῶδες eſt vel Ariſt. judice.

20. Naturalem ſpiritum prorſus aufert dubitatio Gal. Et puer ſit, qui admittat excuſationem, τὸ εἰ eſſe heic ὅτι vel διότι. Clarior enim eſt oratio quam illi volunt. Sed cur dubitat? Ego hactenus aliam cauſam non offendi, quam quod aërem non poſſit adducere ad hepar. Ego verò neceſſitatem Apodicticam affero, Si in hepate eſt peculiaris anima, ſi alia à corde ἑστία: utique opus habet alio accenſo, ut Scal. vocabat ſpiritus.

21. Ego hoc ſuperaddo, Quæ heic ſunt μεγάλα καὶ μικρά, quibus Methodus ὑγιεινὴ diſtinguitur ἀπὸ τῆς θεραπευτικῆς, ſuprà fuerant *Exceſſus* ſeu *Lapſus magni & parvi, Intemperies naturales*, ſeu *Sanitatis* alibi dictæ.

22. Et hoc, Extremo cap. diſtinguitur ſyncope à lipopſychiâ? ſed nihil aliud inde colligi poteſt, quàm hoc, poſterius vocabulum tributum olim fuiſſe affectui per conſenſum oris ventriculi. Vide χρ. παθολογ. c.130.

CAPUT VI.

1. TRanseamus igitur ad habentes contrariam illis diſpoſitionem, ſed tamen æquè ſyncope occupatos, niſi quis ſedulò accuret. Hi ſunt, qui valdè tenues habent humores, ut celerrimè diſſipentur. Unde eſt, quod contrario illis modo curentur. Illos enim continuò & ſenſim vacuando, quod non tolerent confertam vacuationem: ſed qui h.m. ſe habent, continuò nutrimus. Hos ſi in principio acceperimus, validâ adhuc facultate, ne hoc quidem faciemus. Poſſunt enim hi, & ſemel copioſo dato alimento, evadere.

2. Ut enim diximus, eos, qui ex copiâ humorum in periculo ſunt ſyncopes, omnibus modis peſſimè habere, ſi vel hepar, vel ventriculus inflammatione ſit obſeſſum: ita illi quoque, de quibus nunc loquimur, deſperati ſunt, ſi inflammatum ſit viſcus aliquod, facultate jam afflictâ. Neque enim poſſunt continuò ali: ſed in declinatione tantum. Si non poſſunt, neque ſervare illos poſſumus. In his talibus facies morticina ſubitò ſe exſerit, *Naſus acutus, oculi cavi, & quæ ſeq.* Nam ſi vel pluſculum excernant, vel vigilent, vel curis obruantur, niſi ocyus alantur, ſtatim dicta facies ſe exhibet. Cum horum ſymptomatum aliquo, aut etiam pluribus ſi viſatur æger, exiſtima minus mali eſſe, quàm ſi ſine his extenuati eſſent.

3. Hæc facies ſi ſine his pernicioſa, multò magis fuerit ſi initio morbi apparuerit. Neque enim ſufficient ægri ad coctionem illius. Ideò Hipp. ait,

Si quid

Si quid horum conſenſerit, putato minus mali eſſe. Ab initio enim morbi, ut prædixi, ſi ſine his tale accidat, bonum quidem non eſt: ſed minus malum, ſi ſine horum aliquo: quod tam facilè exſolvantur, id non ſine periculo eſt.

4. Hæc exſolutio fit ſæpè, non tantùm, quia ſpiritus & ſanguis ita attenuatür illis; ſed & quia vis expultrix totius corporis immodeſtiùs fertur, quod ferè fit propter nimietatem retentricis. Quidquid horum ſit, nutritio eſt neceſſaria: neceſſaria etiam eſt denſatio cutis, non minus quam rarefactio interiorum. Hæ enim diſpoſitiones ex diametro ſibi oppoſitæ ſunt, & indigent contrariâ auxiliorum ſpecie remotiſſimâ.

5. Parandus igitur pro his aër adſtringens eſt. Dictus eſt verò modus anteà. Unctio autem inſtituenda eſt ex oleis ſimiliter adſtringentibus. Alimenta danda, non protenus diffluentia, neque melicratum, neque ptiſſanæ cremor: ſed panis, halicæque ſorbitiones, & fructus horæos auſteros, difficulter corruptibiles, aut per ſe, aut cum pane & halicâ, in aquâ coctâ. Aliquando danda illis & ova, ſed vitellos ſolos, (albumen enim difficulter coquitur:) dandi & teſtes gallinacei, lacte nutritorum: danda cerebra ſuilla, aut accuratè aſſa, (ſubcruda enim extremè nocent:) aut in albo jure rectè cocta, injecto porro & anetho. Breviter, omnia in ſcopum illum referentes, ut humores gignantur craſſiusculi, & cutis denſetur, inhibeaturque difflatio.

6. His vinum aquoſum debetur, ſtatim cum cibo, & in primâ menſâ. Hæc omnia ſi ritè fiant, dabimus inſuper aliquid carnium, & potiſſimum poſt quartum diem, cum humores febriles coqui incipiunt.

7. Decimo libro juvenis memini, qui ita laborabat, quem, ut dictum, ſingulis diebus nutrivimus, & maximè antè paroxyſmum, qui cum ſyncope incidebat, tum ferè, ſi non nutriiſſem. In omnibus his curationibus cum æger jam ſyncope laborat, obtinet ſcopus, qui ſymptoma hoc reſpicit. Cum eò nondum ventum eſt, de duobus cogitandum eſt, quorum alterum eſt, ne fiat ſyncope: alterum, ut morbus quàm celerrimè ſolvatur. Celerius autem ſolverimus, ſi non nimis expaveſcemus illud. Eum enim qui febricitabat ex crudis humoribus, non niſi ſemel, ni fallor, purgavi, & diſpoſitio ceſſit, quoniam ferre poterat validum medicamentum, neque metus ſyncopes aderat.

8. Illum autem, qui facilè exſolvebatur, cum ante paroxyſmum nutrire nos cogeremur, morbus detinuit diutius. De his dixiſſe hæc ſufficiant.

CAPUT VII.

1. JAm nunc animus eſt recenſere alias cauſas, à quibus ſyncopæ. Sunt illæ quatuor numero, Dolor magnus: Vigiliæ: Vacuatio nimia: in delirantibus aliquando motus eſt perpetuus. Si vis, adde quintum, Intemperiem principum partium, de quibus loquar fine orationis, & hoc præcipuè urgebo, duplicem eſſe, vel quia alterantur ſpiritus ſolis qualitatibus: aut quia cacochymia quædam influit.

2. Deinceps igitur de propoſitis omnibus dicam, orſus à doloribus. Horum cauſas ſi poſſemus exſcindere, ob quas dolent, non iremus ad ſymptoma; ſed curaremus ægrum. Verùm, quia prohibemur ab aliquâ cauſâ, quo minus diſpoſitioni ipſi manum admoveamus, mitigamus tantum doloris vehementiam.

3. Quoniam verò nec auferre cauſas ipſas, nec obtundere acumen ipſarum poſſumus ſine cognitione doloris, qui ægrum vexat, à quâ cauſâ fiat: oportet antè conſiderâſſe cauſas & ſigna, per quæ cognoſcuntur. Utplurimùm enim cum ſenſibus inconſpicuæ ſint, requirit ea res virum exercitatum. De his dictum eſt mihi in aliis operibus fuſè: & puto tempus poſtulare, ut nunc per ſumma capita explicem.

4. Quandoquidem, ex ſententiâ omnium ſectarum, in corpore animato non omnes partes ſentiunt, patet, quod omninò indolentes nec doloris ſint compotes. Cum igitur ſolæ ſenſiles doleant, videndum eſt deinceps, Utrum talia corpora ſemper doleant, an certo tempore, cum diſpoſitio dolorifica in iis eſt? Sed quia φαινόμενα apertè nos convincunt, multum temporis intercedere, quo prorſus vacui ſumus doloris, patet iterum, neceſſariò ita fieri, ut doleamus tantùm eo tempore, quo in partibus ſentientibus exhibet ſe diſpoſitio dolorifica.

5. Si igitur invenerimus, quæ ſit diſpoſitio, in quâ animal dolet: inventum fuerit, quod quærimus. Hinc igitur exorſi à naturalibus notionibus, quas κοινὰς appellamus omnes, methodo progredi oportet ad ſolutionem quæſtionis. Notio hæc naturalis docet nos, πάθος hoc corporis, à quo dolituri ſumus, aut ſolutionem continui eſſe, aut alterationem quandam. Quamobrem rectè dictum eſt ab iis, qui corpus noſtrum componunt ex elementis individuis, inſectibilibus, incompactibilibus, omninò inexplicabilem eſſe diſpoſitionem, à quâ dolor eſt. Certum enim eſt, nihil eorum, quæ ſimpliciter ſe tangunt, dolorem facere: ſimpliciter autem tangunt ſe iſta corpora. Quamobrem ſolus tactus mutuus non ſufficit, ſed oportet ſe collidant invicem in contactu. Quòd ſi non fiat, nec dolor fiet. Supponitur enim inſenſibilia eſſe, niſi fortè & lapides cominuti dolent.

6. Sed de his latius egimus, cum alibi, tùm l. 5. de ſententiis Aſclepiadis: jam principium confeſſum reſumentes, quod eſt, Neceſſariò, vel diviſionem, vel alterationem eſſe diſpoſitionem illam, quæ cauſa doloris futura ſit: cogitemus iterum,

rum, Neque alterationem ſenſim factam poſſe dolorem concitare: ſed oportere illam etiam confertim fieri, & cum violentiâ incidere, ſiquidem dolorem ſit factura. Videmus enim, non ſolum illa corpora, quæ confertim in ſtatum præter naturam aguntur, dolere: ſed & reditum ad ſtatum ſecundum naturam, niſi ſenſim fiat, dolorificum eſſe. Qui enim iter faciunt in intenſo frigore, ſi confertim calefiant, tam graviter dolent circa radices ungium, ut tolerare non poſſint.

7. An igitur vehementer calefieri aut refrigerari continui ſolutionem efficit, longiore indiget conſideratione? At mihi id demonſtratum eſt in opere de Simpl. facc. Nunc quid faciendo id fiat, ad præſens non attinet dicere. Sive enim ſecando continuationem ſubſtantiæ ſenſibilium, ſive alterando confertim fiat, non facit ad inventionem remediorum dolorem tollentium, modò ſciamus, quod ea, quæ violenter calefaciunt & refrigerant, dolorifica fiant partibus ſentientibus.

8. Ergò ſi incipiendum eſt ab evidentibus; illa verò docent, hæc ſola, cũ contingunt ſe dictæ partes, dolorem ciere, valdè, inquam, calefacientia & refrigerantia, ut & ſolventia continuum ſubſtantiæ, quæ ſunt in cenſu frangentium, ſecantium & tendentium: quæramus curationem viâ quâdam progreſſi à naturâ rerum illarum, quod ipſum μέθοδος vocatur.

9. A ſuperioribus itaque initium capientes, dicamus, Quoniam ſcire cupimus, cur in morbis doleamus, etiamſi exterius nihil tale nos afficiat, neceſſe habemus veſtigare intra corpus talem aliquam cauſam, quæ vel valdè calefaciat, refrigeretve, vel dividat ſubſtantiam unius alicujus partis ſenſilis, moleſta nobis ſit?

10. Videamus autem primùm, cujus naturæ ſit, quod continuum ſoluturum ſit? Neceſſum eſt aut rupturam, aut preſſuram, aut roſuram eſſe diſpoſitionem illam, quæ continuum ſolvit. Sed enim ruptura eſt tenſio quædam: preſſura à pondere: roſura ab acri qualitate. Quando igitur forinſecus nihil eſt, quod aut tendat, aut gravet, aut mordeat; ex ſeipſo autem corpus tale quid perpetitur: manifeſtum eſt omnibus, quod tenſio quidem accidit aut à ſubſtantiâ multâ, tendente continens corpus, aut ab immodicâ ſiccitate: compreſſio autem interius, irruente ſubſtantiâ vel durâ, vel gravi, vel ex utroque genere; morſus tantem ab humore acris naturæ.

11. In magnis igitur doloribus circumſpiciendum eſt, utrum cauſa ſit vel multus humor, vel flatus exitum non habens, vel gravis tumor, vel acris humor, vel diſpoſitio ſicca, vel ultra hæc omnia, ut nuper dixi, aliquid fortiter calefaciens, refrigeransve.

12. Horum iterum cauſa conſideranda eſt, utrum à ſpiritu ſit, an à contentis humoribus, an verò à continentibus ſolidis? Quodlibet enim horum fortiter calefactum, refrigeratumve, contactu ſuo fit dolorificum. Quo modo igitur dignôſſe oportet, à quo horum fiat? Neque enim in omnibus certa habemus

ſigna,

ſigna,adeoque,ut alia,ſic dignotio dubiorum ſenſu tàm cauſarum, quàm morborum,oritur ex multo exercitio,& diligenti contemplatione, ut in aliis oſtenſum eſt. Jam autem hoc non agitur,ſed ipſam ſolam medendi methodum perſequimur,quâ per demonſtrationes inventâ,inventa ſimul Medicis & auxilia & commoda,non modò ad copiam & ubertatem remediorum & medelarum: ſed & aliquando ad morbi cognitionem. Hoc vobis ſæpè in clarâ luce oſtendi, & jam oſtendam propoſitis exemplis duobus aut tribus ægrorum, qui non ita diu eſt cum curati ſunt.

13. Quadragenarius igitur ille, qui, ut nôſti, pro Colico habebatur,non modò non nihil commodi ſentiebat à perfuſionibus, fomentis, cataplaſmatis & clyſteribus,quibus familiariter utimur in his diſpoſitionibus: ſed & exacerbabatur malum à plerisque. Nempe enim ab oleo rutaceo, per ſedem immiſſo, pejus habebat,ut & à Caſtorio. Quin cum mel aliquando uſurpâſſet coctum cum pipere,extremè cruciabatur. Etiam ſucco accepto fœnigræci cocti, ſatis graviter tulit. Conjectatus igitur ego,humores acres,inteſtinorum tunicis imbibitos,corrumpere ſecum & inferius immiſſa, & per os data, obtuli illi cibos non facilè corruptibiles,à quibus cum viderem illum minus dolere,ratiocinatus ſum neceſſitatem mihi incumbere purgandæ cacochymiæ. Hanc in rem cum melius medicamentum in promtu non eſſet quàm illud, quod ex aloë fit, quod vulgò vocant ἱερὰν πικρὰν. Neque enim auſus ſum confertim purgare hominem, à dolore & inediâ jam purgatum per duos menſes: ex intervallis autem moderatè id faciens,intra dies,ut ſcis,quindecim perfectè ſanavi,nullo alio uſus medicamento.

14. Et hic quidem tum primùm Colico dolore laborârat, anteà nunquam: juvenis autem quidam, non procul ab illâ ætate, qui non ſemel expertus erat hoc malum,purgatus fuerat ſucco ſcammonii. Sic ſatis purgatus, primæ diei veſperâ lavit,comedit ptiſſanæ ſuccum, cui ſuperaddidit piſces: verum noctu omnia vomuit. Altero igitur die poſt balneum ſumſit aliquid lactucæ,poſteà carnes gallinaceas,in albo jure coctas,& tandem halicam ex aquâ, ſuperbibito vino auſtero.Poſthæc viſus eſt ſibi benè habere,etiam tertio die uſus eſt eodem victu: excrevit autem ventriculus cum morſu pluſculum quàm pro analogiâ ciborum. Quarto die etiam amplius doluit circa ventriculum. Et cum opinaretur ſe poſt balneum refrixiſſe,ol.rut.per clyſterem admiſit.Sed amplius doluit, & paulò poſt liquidorum excrementorum magnam copiam dejecit, manifeſto argumento,quod ex toto corpore ferretur quid ad regiones ventriculi. Deinceps per certas periodos ſimiliter afficiebatur. Audientes autem ſymptomata ipſius,noxam ex ſcammoniâ contigiſſe concluſimus,& conſiſtere maximè in inteſtinis,quæ ante uſum ſcammonii debilia erant, adeoque diſpoſitionem jam eſſe rheumaticam.

15. Tu verò ſcis,quomodo illi ſuccurrere ſoleam,faceſſere ſcil. jubeo remedia

dia Colica, & alo halicâ calidâ, in aquâ coctâ, acinos Punici mali injiciens. Cum dormiiſſet hic totâ nocte absque dolore, miratus eſt utique inopinatum auxilii eventum. Interrogavit autem, quid deberet bibere, dedi ſuccum rhois adaquatum, eo fine, ut ſi qua circa inteſtinum nata eſſet ulcerosa diſpoſitio, eam abſtergeret: ſin affluxiſſet quid ex ſuperioribus, ut ſiſteret. In prandio ita ſeſe gerere mandavi, ut cænare poſſet panem purum intinctum vino auſtero veteri.

16. Conceſſi etiam uteretur ex fructibus auſteris, quibus vellet, pomis, pyris, granatis. Hac ratione nutritus etiam tertio die, quarto Theriacam ſumſit, integrè ſanatus eſt. In poſterum conſueto victu utens, non læſus eſt ab ullo.

17. Non valdè aliter tractavi alium quendam ſic diſpoſitum, tempore æſtivo. Hic cum ſiti urgeretur, præter alia conceſſi hauſtum frigidæ. Noli igitur in omni diſpoſitione quærere talia ſigna, qualia in pleuritide ſunt, & dyſenteriâ. Scientifica enim eſt horum duorum morborum cognitio, fundata certis & definitis ſignis: conjecturalis autem jam dictorum, quamque aſſequuntur illi tantùm, qui accuratè didicerunt propriam cujuscunque morbi curationem.

18. De quâ quia jam propoſitum mihi eſt agere velle, finiat illa in ſeipſâ, nec attingat dignotionem diſpoſitionum, maximè illarum, quæ ex ſignis conjecturalib. pendent quidem, ſed cohærent cum dignotione juvantium & lædentium. Hanc enim methodum & exercitium in morborum dignotione facimus ſeorſim, ut, qui jam incipit exercere artem, in ſingulis ægris inveniat, ut nos quoque, & locos affectos, & diſpoſitiones eorum.

CAPUT VIII.

1. Ergò iterum veniamus ad diſpoſitiones illas, quæ dolores cauſantur. Si enim copia ſanguinis ſit id, quod tenſivum dolorem facit, ut fit in iis, qui inflammatione laborant, confeſtim vena eſt ſecanda, ſi vires conſtent. Si verò reformidet æger, aut debilior ſit, revellendum & derivandum eſt. Dictum autem eſt, quâ ratione utrumque ſit inſtituendum.

2. Hoc facto ſi tamen inſtet dolor, argumento ſit, in parte affectâ impactam eſſe cauſam doloris. Hinc elucet, quid porrò faciendum ſit? Imò, quæ cura ſit adhibenda? Diſcutiendum eſt medicamentis dictis.

3. Eodem modo, qui à flatulento ſpiritu ſunt dolores, ſubſidio venientes diaphoreticis & cibis, potibusque attenuantibus, clyſteribus & cataplasmatis, perfuſionibus & fomentationibus.

4. Si verò tumor gravans aut comprimens dolorem fecerit, tumori debetur curatio.

5. Si humor mordax, maximè contraria illi ſunt attenuantia & calefacientia. Hæc enim diſpoſitio, (ſi curari debet,) opus habet

 vacuan-

vacuantibus ea, quæ moleſta ſunt: quod ſi fieri non poteſt, attemperantibus. Si etiam hoc fieri non poteſt, oblatione narcoticorum. Hæc communis quidem eſt: ſed minimùm nocet talibus diſpoſitionibus præ aliis. Conſiſtentia enim tenuia ſunt, eorumque pleraque facultate calida. Quæ verò & opio & hyaſcyamo parantur frigida, & refrigerant, & ſiccant omninò. Quare, non ſolùm utilia ſunt ad ſtuporem ſenſibus inferendum: ſed & ut cogentia & craſſefacientia humorum tenuitatem, præterea caliditatem nimiam caſtigantia.

6. At verò, ubi quæ ſuperant, craſſa & viſcida ſunt, maximè ſe opponunt narcotica, & eſt operæ pretium prorſus abſtinere ab uſu illorum in talibus diſpoſitionibus. Sed & non valdè magni dolores exſiſtunt inde, ſi ſoli ſint tales humores. Si verò per accidens aliquod copuletur vaporoſus ſpiritus, qui perforare non poſſit corpora continentia, tales experiuntur dolores intenſiſſimos. Hoc fit ob duas cauſas, obſtructionem & calorem. Illam, quia retinet ſpiritum, & prohibet tranſire: hunc, quia calor generat tales ſpiritus.

7. Hæ diſpoſitiones accidunt illis, qui farciunt ſe cibis, frigidis quidem temperamento, craſſis autem & viſcidis conſiſtentiâ, cum in tunicis inteſtinorum concluſus eſt ſpiritus ille. Duæ enim cum ſint, cum in ſpatio intermedio cumulatur talis humor transmutatur in ſpiritum dictum. Hic verò craſſus cum ſit & frigidus, etiam tardiuſculè tranſit. Quando igitur retinetur, & diſtendit tunicas, & humor, ex quo generatus eſt, valdè refrigerat vicinas inteſtinorum partes, duabus de cauſis dolent ita affecti.

8. Eſt quidem ita, ſtatim fiunt prorſus indolentes, ubi narcoticum biberunt: ſed diſpoſitio fit amplior variis modis. Tunicæ quidem inteſtinorum fiunt denſiores, & minus perſpirabiles, ob medicamenti frigiditatem: humor autem craſſior, & difficulter mobilis, ut & longiori tempore indigeat æger ad curationem, & Medico ſummopere exercitato.

9. Si enim, ut non ſemel factum eſt, cogaris iterum curam aggredi, periculum fuerit, ne iterum flatuentur humores, & dolor recrudeſcat. Quo tempore tertium dato narcotico, fortaſſis & quartùm & pluries, eò tandem res perveniet, ut æger fiat incurabilis, factusque toto corpore cachecticus, & longo tempore clinicus tandem moriatur.

10. Quo ergò modo curare oportet dolores, ex humoribus inter tunica collectis? Non validè calefacientes perfuſionibus aut cataplasmatis. A calefacientibus enim, niſi ſimul fortiter diſcutiant, funduntur, ſimulque in flatu aguntur omnes humores viſcidi, craſſi & frigidi. Convenit igitur diſſecare illo & coquere, quod fit ab attenuantibus, præcipuè cum non evidenter calefaciun Notum autem eſt omnibus, ex his eligenda eſſe illa, quæ magis diſcutiunt flatu & ſicciora ſunt. Et à multis ex vulgò audire eſt ſæpè, minus dolere colum cum cataplasmata non applicantur, ut neque perfuſiones ex oleo, neque clyſteribus.

11. Inte

11.Inter hos qui animoſiores ſunt & fortes,in victu modico, ſed longiore tempore citius curantur, quàm illi, qui violenter calefacientibus,ut dictum eſt. Nihil enim magis metuere oportet in talibus humoribus quàm caliditatem fundentem & flatuantem illos,non etiam ſimul diſcutientem.

12. Vidi ruri operarium quendam, qui ut ſenſit dolorem colicum, ſtatim cingebatur, cum anteà cinctus non eſſet, editque cum pane allium, non intermiſſo labore ſuo conſueto. Nihil hic bibebat toto die, veſperi meracius. Inde dormiens totâ nocte,manè ſurrexit omnis doloris expers. Eſt nimirum allium inter flatus diſcutientia & minimè ſiticuloſa eſculenta. Qui ejus rei experientiam non habent,cepis ajunt eſſe ſiticuloſius,falluntur que toto cœlo. Non ſolùm enim non ſiticuloſius eſt, ſed & nullo modo ſiticuloſum, adeoque inter flatus diſcutientia princeps,ſoleoque ego cibum hunc vocare Theriacam ruſticorum. Et ſi quis Thraces,Celtas,omnesque,qui frigidas regiones incolunt, arcuerit ab eſu allii,non leviter læſerit homines illos.

13.Qui igitur cunque abſque febre fortiter dolent inteſtina ob dictam cauſam,iis licet allium comedere,& antidotum ex viperis bibere, magnoperè pugnantem contra dictam diſpoſitionem.In febre ſi contingat,tentandum eſt prius, modò admittant,fomentum ex milio ſicco. A quo ſi non ſedetur dolor, decoquere oportet ſemina flatus diſcutientia in oleo,quod tenuium partium,deinde colato per pannum oleo,ut purum & ſolùm ſit,liquare in eo adipem anſerinum, & per ſedem immittere. Ubi adeps dictus non eſt, gallinaceo uti.Eſto verò ille ſine ſale: ſed etiam non valdè vetuſtus ſit. Licet & recentem vocare in uſum, præcipuè anſerinum. Si neque ſic quieſcat dolor,oportet repetere idem,ſed addito pauco caſtorio & opio. Sit autem utriusq; magnitudo fabæ,ad olei cotylã.

14.Aſſumitur etiam hapſo lanæ purpuræ tinctæ. Debet autem appendi filo forti, & intrudi benè altè in rectum inteſtinum, ut facilè extrahi poſſit, cum opus eſt. Uſum præbet manifeſtè. Eodem modo & oculorum & aurium dolores lenit hoc medicamentum,cum ſpiritus flatulentus in febribus turbat. Poteſt uſui eſſe & fomentum ex milio,cum leviſſimum ſit omnium,& ſicciſſimum,nec graves,acresque halitus emittat. Poteſt & auribus infundi illud ex caſtorio & opio,quo ſæpè utor. Humor autem,in quo lævigantur talia,eſt vocatum apud nos ἕψημα,quod Medicorum plerique σίραιον. Si cataplasmate ſit opus, capita pap.aquæ incoquens cum farinâ fœni Græci,hordei aut ſem.lini,aquæ inſperſis fiat cataplasma.

Vide Not. in Gal. 3. κ. τόπ. 1. ſub lit. φ ph.

15.Sciendum eſt,quod ex Caſt. fit medicamentum,non modò mitigare aurium dolorem,ſed & oculorum & dentium,auribus inſtillatum. Jamque notum eſt omnibus, collyria ex opio ſedare graviſſimos oculorum dolores. Non eſt autem utendum illis, ut dixi, niſi maximâ urgente neceſſitate, præmoniti, quod partes quædam refrigeratæ ab opio lædentur in poſterum vitæ, debilitatæ videlicet. Cæterùm,nos ſaluti hominis in præſens conſulturi, futuram noxam inſuper habemus.

16. Nec fictum eſt, quoſdam eorum, qui uſi ſunt, eouſque periclitatos, ut nihil viderent, quoſdam ut obſurdeſcerent, ut conſtat omnibus. Hinc nos, ſi quando coacti ad uſum illorum deſcendimus, deinceps tempore ſanitatis, calefacimus partes, auribus quidem illo, quod ex ſolo caſt. fit: oculis autem, ſola calefacientia applicamus. Maximè autem laudamus illud, quod ex Cinnamomo fit.

17. Sufficiant autem hæc de dolore, cauſato ab humoribus craſſis viſcidis, & frigidis, ut etiam à ſpiritu flatuoſo: affinis enim cura eſt omnium, abſolvenda dictis medicamentis. Interim, qui à ſpiritu flatulento peculiare habet auxilium, cucurbitulam cum multâ flamma ſæpius affixam. Et videbitur operari quaſi incantamento quodam in his diſpoſitionibus, ſive in inteſtinis ſint, ſive in aliâ aliquâ parte. Statim enim & indolentes fiunt, & perfectè ſani. Si non ſolum flatus ſint, ſed & humor, ex quo flatus, ne ſic quidem fallit. Iterum autem ſi vel nocte, vel die ſeq. aut etiam tertio tale quid fiat, max. ſi error in victu ſit commiſſus, fortiora calida adhibita proderunt.

18. Tibi verò hoc maximum eſto indicium diſpoſitionis: ſequatur verò conveniens curatio, non calorificis quidem, ſed attenuantibus. Tale quid ſi fiat circa ventriculum, mirificè juvantur acribus clyſteribus. Oportet autem primum omnium curare paroxyſmum doloris, appoſitâ cucurbitulâ, ut diffletur ſpiritus flatuoſus. Deinde vacuare humorem, imiſſo per clyſterem dictorum medicamentorum aliquo. Ego ſoleo prædictorum oleorum uni rutam incoquere. Quidam huc perducti, ubi acceperint oleum, vehementiſſimè dolent: ſed paulò poſt excernunt humorem vitreum, quo facto & dolor & diſpoſitio ceſſat. Vacuato enim eo, è quo generabatur ſpiritus ille flatulentus, omnia ſedantur.

19. His humoribus naturam contrariiſſimam habent tenues & acres, quamvis interim cieant, eundem dolorem. Aliquando vehementes convulſiones inferunt, in ore ventriculi collecti, ut nuper is, qui bilem æruginoſam vomebat. Melius autem fuerat vocare, non ærugini ſimilem, ſed exquiſitam æruginem. Talis enim erat, qualis ærugo primæ notæ. Sed huic juveni, poſt convulſionem & ſyncopen, madores quidam frigidi apparebant, cum pulſu extremè parvo. Ex quo etiam conjecturam feci, in ore ventriculi (ϛόμαχον vulgus vocat) mordacem quendam humorem abundare, ideò aquam tepidam bibendam dedi, à cujus uſu ſtatim evomuit tale quid, quale feceris, ſi ſplendidiſſimæ bili aquam miſceas. Talis humor cum in ventriculo collectus eſt, vomitu oportet illum expurgare: cum in inteſtinis hæret, per clyſterem injicere medicamenta, quæ eluere poſſint. Hæc abſterſoria eſſe debent omninò: verùm, quia mordacia ſunt, eligere, quæ minimè mordent. Tale eſt præcipuè ptiſſanæ ſuccus. Cibi autem offerendi ſunt boni ſucci, iidemque non facilè corruptibiles, quorum exempla edita ſunt ſuperius.

20. Et quoniam memini eorum etiam, quæ propter intenſam ſiccitatem tendunt & dolorem faciunt, oportet de his etiam aliquid dicere. Sciendum autem eſt talem diſpoſitionem ſi quis curare velit, indicare humectationem; humectationem autem introductu difficilem eſſe, & tantum non curatu impoſſibilem, quippe factam ratione febris. Fit autem maximè poſt pernicioſas phrenitidas, & neque vidi aliquem, neque narrantem alium audivi, qui convulſum ex hac cauſâ ſervatum viderit.

21. Ut plurimum enim hi ſpasmi fiunt, & propter repletionem partium nervoſarum, (cujus ratione etiam in inflammationibus accidunt:) & præterea propter humorem acrem tenuem, erodentem partes dictas, ut & frigus forte, quod cauſatur quid ſimile congelationi. Hoc igitur tres ſpaſmi ſpecies curantur ſæpè: incurabilis autem eſt, qui à ſiccitate partium dictarum.

22. Et eſt mihi demonſtratum etiam l. de Maraſmo, ſiccitatem hanc partium dictarum prorſus incurabilem eſſe. Ut jam nihil aliud opus ſit dicere de his ſymptomatis: ſed neque de iis, quæ fiunt ob immodicam vacuationem, aut per alvum, aut per vomitum, aut per hæmorrhagian. Dicta enim jam ſunt pauca in ſup. Iterumque mihi dicendum eſt de illis, cum de tumoribus præter naturam agetur. Siſtâ igitur hunc ſermonem, poſteaquam ſatis dictum eſt de ſymptomatis maximè neceſſariis, iis præcipuè, quæ febribus juncta ſunt.

COMMENTARIUS.

23. Mirabilis heic ſtatim ab initio diſtinctio eſt, alibi mihi non lecta. Cum de venæ ſectione conſultatur, indicatio à viribus locum habet tantum in vacuatoriâ, non autem in revulſoriâ aut derivatoriâ. Fit verò mirabilior, quod quò ſe refert, l. 4. c. 6. non fiat ejus rei mentio. Ego heic ſimilis fieri volui ſtulto alicui, qui lapillum in puteum projicit, quem decem ſapientes non poſſunt extrahere. Sufficit enim indicium.

24. Mirabilis etiam ſermo eſt §. 5. Cum enim diſtinguere vellet *ἀνώδυνα* impropriè dicta, quæ Medicis alioqui ſunt *ναρκωτικὰ*, *obſtupefacientia*, dicit ille quidem duplicia eſſe, Calida & frigida: ſed non explicat debito modo. Mirabilior verò & hic fit, quod loco proprio, qui eſt 5. Simpl. 19. in eodem peccat. Res eſt, *ἀνώδυνα* ſunt duplicia, Propriè & impropriè dicta. Propriè dicta, quæ & *παρηγορικὰ* & *θραύϛικὰ*, omnia ſunt calida non ultra primum gradum, ut anethum, chamæmelum. Impropriè dicta eodem modo ſunt duplicia, Calida & frigida. Et calida quidem ex prædominio ſunt talia: ſed habent junctam ſibi humiditatem quandam crudam & inconcoctam, quâ in corpore actuatâ, ſubvolant in cerebrum craſſi vapores, qui ſpiritibus permiſti, & per nervos ad partes ſenſiles delati, ſtuporem quendam & inſenſibilitatem

 illis

illis conciliant. Talia ſunt vinum, cereviſia benè lupulata, aut etiam lupuli loco admiſtâ *Chamæpeute Cordi*, quam ad *Roſmarinos ſylv. Bauh.* refert, crocus, ſtyrax, myrrha, &c. Frigida tàm ſunt heterogenearum partium, ut cum frigiditate prædominante pervenire poſſint ad 3. gr. cal. Hujus rei exemplum eſt in Opio, ut eſt in Off. noſtris. An autem præter humiditatem & frigiditatem habeant δύναμιν quandam ἄῤῥητον, nunc non definio. An Gal. utroque loco παρεσφάλμένει, ut ſuprà? Tu videris: ego explicationem non reſpuo.

25. Mirabilior, & Heraclito digna ſunt illa, eodem §. 5. *Caliditatem nimiam caſtigantia.* Cujus farinæ ſunt illa §. ſeq. *Et calorem: quia calor gignit tales ſpiritus.* Res pertinet ad libri 14. c. 8. ubi videbimus, ſi volet ILLE.

26. Tango hoc etiam obiter, Quam defenſionem parat *Repletioni & Inanitioni Hipp.* 6. Aph. 39. illam dudum è manibus extorſit Adraſtéa 2. Cauſ. ſymp. 2. nec non l. de Palp. ult. Vide Animadv. Mont. cap. 9. §. 5.

Finis Lib. XII.

METHODI MEDENDI LIB. XIII.

CAPUT I.

1. JAm duo morborum genera, quo modo quis curet, expoſuimus, alterum, veteri nomine appellatum, δυσκρασία: alterum novo, & à nobis impoſito, λύσις τῆς συνεχείας, de quâ primo loco ſcripſimus lib. 3. 4. 5. & 6. deinde verò de Intemperie à 6. uſque ad 12. egimus. In hoc verò, qui 13. eſt totius operis, de Tumoribus præter naturam incipimus ſcribere, cum morbus à magnitudine fit, & partes diſcedunt à ſtatu ſecundum naturam ad ſtatum præter naturam. Hâc in re non refert, Sanitatemne dicas, an ſecundum naturam, quod ad præſens.

2. In hoc genere cum multæ ſint ſpecies, primo loco de *Inflammatione* dicetur. Præſtat enim ab hac initium facere, quia *Inflammatio* continua eſt & febribus & aliis ſymptomatis, quæ facit peſſima. Cæterùm, quia veteres ſæpè φλόγωσιν dicant, quæ φλεγμονὴ eſt, ſciendum, non de hac nos loqui, ſed de illâ, quæ utrumque conjunctum habet, Calorem & tenſionem partis, & incurrit, tàm in noſtrum, quàm in ægri ſenſum, συναίσθησις vocata, *alterationis perceptio, quaſi conſcientia.*

3. Nihilominus pars plegmonâ obſeſſa renititur magis minus, niſi quod major eſt renitentia quàm per naturam eſſe poteſt. Dolor etiam ſimul adeſt modò major, modò minor, Quin etiam pulſûs adeſt ſenſus, cum morbus valdè increverit, præcipuè cum jam pus fit. Ita & rubor vocatus major & minor eſt. Semper

per autem apparet rubor in partibus affectis, ut etiamſi ſit affecta vel planta pedis, vel vola manus, tamen ſint rubriora quàm pro naturâ ſuâ.

COMMENTARIUS.

4. Celebris eſt hic locus propter quinque ſymptomata, quæ omnibus inflammationibus accidunt. Non minus celebris eſt controverſia, an, quemadmodum fine §.2. rectè legitur συναίσθησις, ita etiam §.3. legatur? Ego ponderatis verbis accuratè, concluſi, τὸ συναίσθησις non habere locum, leg. autem eſſe αἴσθησις, quod pulſus omninò ſit ſenſibilis in inflammatione. Hoc vel pueri experiuntur in reduviis.

5. Hoc obſcurius eſt, cur extr. cap. dicat, τὸ ἔρευθος eſſe in volâ quoque manus, & in plantâ pedis? Salvo aliorum judicio, refero in tendinem latum muſculi *palmaris*, de quo Ill. Bauh. 4. Thea. 13. Huic in pede proportione reſpondet *Plantaris* ſeu III., cap. 33. ſeq. Utrobique ſubſtantia alba tendinoſa expanditur per totam partem.

CAPUT II.

1. DEmonſtratum enim eſt, inflammationem omnem fieri propter affluxum ſanguinis, vel ſtatim, ſi naturâ calidus eſt: vel poſteà, cum in parte incaluit. Hoc commune eſt omnibus ſectis, ſive cauſam afferant σφλώωσιν in extremitatibus vaſorum: ſive παρέμπτωσιν ex ſolis arteriis: ſive ἔμφραξιν: ſive ἔνστασιν in imaginariis poroſitatibus. Quare etiam medicationis ſcopus in omnibus eſt idem, vacuatio ſanguinis ex parte affectâ. At verò cum inflammatio adhuc in fieri eſt, geminus eſt ſcopus, ut morborum aliorum omnium, quæ generationem ſucceſſivam habent non plenariam. Id enim quod factum eſt, jam ſubjacet parti artis Therapeuticæ: quod demum fit, Prophylacticæ. Ideò diximus, Totam curationem talium morborum non eſſe ſimplicem, ſed compoſitam, ex Prophylacticâ & Therapeuticâ, quaſi ne quidem laborârit inflammatione unquam.

2. Ut videatur dici poſſe, Cauſarum morbificarum genus illud, quod facere poteſt morbum in corpore, ſcopum habere illum unum, προφυλακὴν ſolam. Cum enim nondū ulla cauſa in corpus egit, pars Medicinæ ὑγιεινὴ dicta his opitulatur. Quæcunque igitur cauſæ inflammationem facere ſunt natæ, cum jam quodammodo ſunt actu, ſed parvæ adhuc, & in herbâ, ſi ſic loqui licet, illas prohibere, ne majores fiant; eſt προφυλακὴ inflammationis. Si verò eouſque progreſſa ſit, ut jam faciat inflammationem, exſcindere oportet, quod factum eſt, curare eſt.

COM-

COMMENTARIUS.

3. Heic ſi ſimplicior aliquis quærat, Quæ hæc nova Medicinæ pars, alibi non dicta, προφυλακτική? vel hinc agnoſco ſimplicitatem, ſuo nomine ignorantiam vocandam! Quod enim his ipſis libris toties dictum eſt, id tu habeas pro non dicto? Imò verò hi ſunt *Exceſſus ſeu lapſus parvi*, de quib. ſup. libri cap. 5. Imò verò ut Gal. ipſe diſertè ſe explicat heic, ἡ προφυλακτικὴ eſt ipſiſſima ὑγιεινή? aut, ſi mavis, pars τῆς ὑγιεινῆς, mox cap. 6.

4. Explico. Quemadmodum apud Politicos *Minima non curat prætor*, & inter JC. *de Minimis* ſcripſit Antonius Corſettus: ita Medicus vulgò dictus non curat τὰ μικρά, niſi quatenus opponit μικρά. Ex relatu amicorum Roſtochienſium habeo, Brucæum, vocatum à nobili Holſato, de proſtrato appetitu quærenti, nihil reſpondiſſe, ſed venatum eduxiſſe. E quo cum rediiſſet cum appetitu, & Medicus σῶστρον peteret, negavit gladiator, Quod non uſus eſſet medicamentis. Re ad judicem perlatâ, abſolutus eſt Medicus, & parata nobili multa pecuniaria benè craſſa, ex titulo de temerè litigantibus.

CAPUT III.

1. GEneratio igitur omnium inflammationum communis eſt ex affluxu ſanguinis copioſioris quàm pars alenda deſiderat, ut probatum in libris, partim de Tum. præter naturam, partim de Int. inæq. Affluit autem plus, aliquando quidem unâ, vel pluribus eò amandantibus: recipiente autem illâ, quæ inflammari incipit. Aliquando hac attrahente. Earum, quæ amandant, aliquando quidem perpetrant, quia vel copia illis moleſta eſt, vel quia qualitas, ob quam propellunt humorem: aliquando autem ob utramque. Quæ trahunt vel ob calorem morboſum faciunt, vel ob dolorem. Quod igitur pars calefacta aut trahat vicinos humores, ut nos putamus, aut, quod Aſclepiades putabat, quod ſponte eò ruant, unum ſit ex phænomenis, in quo quidquid pro vero acceptum fuerit, id in ſeq. quoque retineatur ideò, quia φαινόμενον. In partibus dolentibus, quod idem fiat propter dolorem, ſit id quoq; φαινόμενον. Verum quia cauſam vel prorſus reticet, vel, quæ affertur, improbabilis eſt, proferamus nos noſtram. Ea demonſtrata eſt in opere de Fac. nat. Unam eſſe ex illis, quæ ἀποκριτικὴν vocamus, quæ operetur tum, cum ſentit moleſtum quid. Horum unum eſt cauſa dolorifica, quæcunq; ea ſit. Hanc cum aſpellere properat, accidit aliquando, ut inflammatio ſuboriatur. Ubi enim primis conatibus nihil profecit, inſurgit iterum vehementius, ut excutiat onus moleſtum. Quod cum ſuccedit, ſanguinem & ſpiritum deponit ad partem aliquam ſuperincumbentium. Ibi tum illa à dolore in tumorem effertur, pro diverſitate humoris affluentis.

COM-

COMMENTARIUS.

2. Pulcerrimus diſcurſus, ſed qui nonnihil fædatus eſt à ſupinis Scribis, puto. Ego ſcripſi, quod Natura mihi dictavit ex principiis Gal. Græca afferre velle oſtentationis potius ſit, quàm vel diligentiæ vel neceſſitatis. Quid enim? Eſſet τῦ τυχόντος ἔργον.

CAPUT IV.

1. NImirùm, omnium præter naturam tumorum varietas eſt à differentiâ humorum influentium. Flatulenti enim fiunt à copiâ ſubſtantiæ flatulentæ. Ad inflammationis naturam accedunt, qui à ſanguine. Ad Eryſipelatis, cum à flavâ bile. Ad œdematis, cum à pituita. Ita ſcirrhi naturam ſapiunt, cum humor, qui influit, aut craſſus eſt, aut abundè tenax. Craſſus jam melancholicus eſt, magis, minus. Tenax ex tenacibus cibis fit, quales ſunt partes animalium nervoſæ; quæ ipſæ valdè ſunt excrementoſæ.

2. Sed de aliis quidem tumoribus in ſeq.: omnia, quæ ad inflammationes ſpectant, reſumentes, addamus porrò, quæ propria ſunt. Quando igitur pars aliqua inflammari incipit, conſiderandum eſt, numquid propter calorem quendam, in ipſâ præter naturam genitum, an propter dolorem aut ipſius, aut vicinæ, ad hanc diſpoſitionem pervenerit? hoc fine, ut ſcias, an pacato dolore, inflammatio ſit ceſſura? Poſt hanc conſiderationem deinceps vide, An aliqua vicinarum ſubminiſtret plus æquo ſanguinis? Poſt hanc illam quoque adde, Annon totum corpus ſit plethoricum?

COMMENTARIUS.

3. Hæc tumorum diviſio laborat defectu. Veram & naturæ rei reſpondentem cape ab Ill. D. ab Aquap. Præceptore meo, Chirurg. l. 1. c. 3. Et ita eſt in utroque codice, Francoford. anni 1592. & Patav. 1641. Videtur tamen & huic deeſſe, quod quidam contineantur propriis ſuis tunicis quaſi in ſacco, Atheroma, Meliceris, Steatoma; quidam non contineantur. Vide l. Tum. præter naturam, cap 5.

CAPUT V.

1. MEminiſti, puto, illius, quod ſæpè demonſtratum eſt, *Ex partibus robuſtioribus in infirmiores pelli ſuperflua omnia, ſive copiâ peccent, ſive qualitate.* Et hæc cauſa eſt, cur glandulæ, præcipuè rariores naturâ, facilius recipiant

fluxum. Vehementior enim tonus eſt arteriarum, venarum, nervorum & muſculorum: infirmior autem & fortaſſis nullus corporum glandoſorum. Sic propter ulcus in digito obortum aut manus aut pedis, intumeſcunt glandulæ, vel illæ, quæ ad inguina, vel illæ, quæ ad alas, ſimulque inflammationem contrahunt, ſanguine ad extremitatem membris confluente, à quo imbutæ glandulæ circa collum & aures in tumorem attolluntur, qui poſteà exulceratur circa caput, circa collum, aut vicinam aliquam partem. Hoc modo tumefactas glandulas *βαβῶνας* vocant. Si verò inflammatio fit ſcirrho ſimilior, jam difficilis ſanatu fit, & *χοιρὰς* appellatur.

2. Quæ igitur ſit τῶν *χοιράδων* propria curatio, propediem dicetur: nunc repete id de inflammationibus, de quibus propoſitum eſt mihi agere velle, & dico, Si quis prohibere velit, quo minus fiant, auferat cauſam illarum efficientem. Dicamus autem primo loco de iis inflammationibus, quæ ſuccedunt ulceribus. Si enim propè magnam arteriam, venamve ulcus fiat, continuò in bubonem attollitur. Aliquando vas ipſum, per totam longitudinem manus, pedisve, rubra apparet, & fervida, tenſa, & ad tactum dolens.

3 Hoc in ſtatu, ſi corpus totum ſit plethoricum, cacochymumve, cura fit anceps: ſi neutrum adſit, facilis. Oportet enim totum membrum moderatè calefacere & humectare, ut absque dolore ſit. Tu verò jam nôſti materias.

4. Sunt autem hæ. Ipſi ulceri compoſitionem *Tetrapharmaci* impones cum linamento. Solvitur hoc oleo roſ. Si non adſit, oleo alio ex laxantium genere. Totum membrum involves hapſo lanæ, oleo calido imbutæ. Et ſanè, tetrapharmacum ipſum ſit actu calidum, cui ſuperimponatur cataplasma calidum ex farinâ vel hord., vel trit., vel utroque. Hoc catapl. remolleſcat aquâ cum pauco oleo. Ita, ipſi glandulæ, quæ inflammari cœpit, doloris mitigandi gratiâ, imponere oportet, primo ſtatim die, lanam madidam oleo calido, non, ut quidam, ſtatim cum ſale. Hoc autem poſteà utemur, cum membris dolor ſedatus fuerit, & ulcus ipſum indolens. Atque etiam *Macedonico* vocato medicamento perinde ac *Tetrapharmaco*, in ulceribus uti licet. Quodammodo enim vicina ſib ſunt, cum ſolo thure compoſitius ſit *Macedonicum*.

5. At verò ubi plethoræ vel cacochymiæ ſigna ſunt, hæc curandi ratio partem facit rheumaticam: interim aliâ uti non licet. Aliquando igitur cogimu ſanguinem demere, vel ſectâ venâ, vel ſcarificatis extremis, & quidem manu ma lè habentibus cruribus: crure autem alterutro, altero & ſano. Has enim vacua tiones plethora indicat, veluti purgationem cacochymia vitioſi humoris. Ut plurimùm enim his adminiſtratis ceſſat inflammatio glandularum, & ad ſuppu rationem properat.

6. Sed & vocata phymata in glandulis accidunt, propter fluxum, decum bentem illò, absque ulceris occaſione. Si quando igitur valdè diſtenduntu glandulæ, aut ſimpliciter pars quæpiam alia inflammata, cogimur, præmiſſâ va

cua

euatione totius ſcarificare. Vacuamus totum, ut l. de Pleth. diximus, non tantùm cum præſens eſt diſpoſitio plethorica, ſed & ob magnitudinem affectus, in ſymmetriâ ſuâ ſtantibus humoribus in univerſo corpore. Dolor enim & calor partis affectæ fiunt cauſæ fluxionis, licet totum ſit purum. Oportet igitur adimere aliquid de copiâ illâ, adhibentes eam vacuationem, quæ competit maximè & ætati & naturæ ægri, non negligendo tempus anni, regionem, & conſuetudinem ægri, de quibus omnibus ſæpè dixi, ut ſubintelligere oporteat, ſicubi non dicatur.

7. Cum verò illa quaſi ebullitio inflammationis quieverit, omiſſis mitigatoriis cataplaſmatis, ire oportet ad diaphoretica, ſed pedetentim. Et primum quidem miſcere oportet aliquid mellis: deinde autem abigere farinam triticeam, contentum hordeaceâ, cum mellis illo additamento. Mox conjungere digerens quod ex iis, quæ conſiſtentiâ ſuâ ſimilia ſunt τοῖς ἐμμότοις, humida, vel ceratiformia. Contrà, abſtinere à duris, qualia ferè emplaſtra ſunt. Denſant enim, quod reliquum eſt inflammationis, & partem affectam diſponunt ad novam inflammationem.

8. Et licet in parte ſuppurante pus ſeſe exhibeat: non ſubitò tamen ſecare oportet, quod quidam faciunt, ſed diſcuſſionem tentare iis, quæ id præſtare poſſunt, quæque diſpoſitio ſuppeditavit. Quamdiu igitur aliquid inflammatorii in parte ſeſe oſtendit, acria medicamenta irritant magis quam diſcutiunt. Si autem videbitur tibi, reliquias inflammationis factas eſſe ſcirrhoſas, accingere validis medicamentis, & ſingulis dieb. bis inſpice, quid factum ſit, primùm quidem manè, deinde autem veſperi.

9. Si balneo utatur, etiam eo die non negligatur inſpectio. Quo tempore ſi videris partem affectam irritatam eſſe, adeoque rubicundiorem & dolentiorem, mitiga intereà fomento per ſpongiam. Hoc fomentum paretur aliquando ex aquâ potabili: aliquando ammiſto ſale, tu puta, cum ſcirrhus notabiles progreſſus fecerit.

10. Si verò & victa fuerint medicamenta à puris copiâ, & credibile non ſit diſcuſſoria fore ſuperiora, ſecare oportet abſceſſum, quâ parte eminet. Ibi enim etiam tenuiſſimam invenies cutim. Memineris verò & alterius ſcopi, qui eſt ὑπόῤῥυσις, ut ſectio fiat loco declivi, per quem effluvium fiat. Ita ad utrumque reſpiciens ſic incide partem ſuppuratam, & impone medicamentum ex iis, quæ ſine morſu ſiccant.

11. Si putruiſſe videbitur particula aliqua loci ſuppurati, oportet id exſcindere. Sunt ex Chirurgis, qui in omnibus inguinum & alarum inflammationibus exſcindunt cutim ad myrtei folii ſimilitudinem. Laxa enim ibi cutis eſt, & facilè recipit, quod influit, unde etiam inflammatur ex levi occaſione. Sunt alii, qui latiſſimè incidunt, unde & turpiſſimæ cicatrices, & quæ nonnunquam motui officiunt.

12. At nos cautiores, plures tales rectè ſanavimus ſolâ inciſurâ, ſuperdatis

ſiccantibus. Sed & in putridis corporibus ſufficit nobis non valdè magna myrtiformis ſectura, in quâ longitudo ſuperet latitudinem ita, ut latitudo ſit obliqua ſuper bubone, non autem recta, ratione vicini membri. Ita enim cum flectimus illud, cutis ſibi ipſi applicatur. Hoc modo facta inciſio impletur vocatâ thuris-mannâ. Hoc medicamentum fit, cum thuris micæ in veturâ colliſæ colliguntur in acervum, quæ micæ parcius adſtringunt ipſo thure, ideoque in quibusdam prælatæ. Thus enim ſolam fac. pus movendi habet (quia adſtrictionem non habet:) præſertim illud quod pinguius, & colore albidius, veluti contrà illud, quod flavius eſt, ſiccius eſt. Mannæ autem permiſtum eſt corticis aliquid, à quo adſtrictio. Hoc ipſum medicamentum cortex, inquam, thuris, & adſtringit & ſiccat generoſè. Quare etiam illo utimur ad hæmorrhagias minus vehementes, quemadmodum ad vehementes uſto, cribrato, & in tenuiſſimum pulverem redacto.

13. Verùm, antequam inciſio fiat, mitigare oportet partem, ceu dictum eſt, eò uſque, quò opus videbitur, embrochis quidem antè omnia, deinde autem cataplasmatis, poſteà humectante medicamento, certè, non ſiccante, forinſecus impoſito. Ipſi enim parti ulceratæ, & manna, & medicamenta ἔμμοτα ſuppurantia primùm imponenda ſunt, deinde expurgantia. Poſt quæ, ſi cavitas quædam adſit, incarnantia: ſi non adſit, cicatricem molientia, quæ & συνουλωτικὰ vocantur, & ἐπουλωτικά, quale eſt τὸ διὰ καδμείας.

14. Quoniam verò in his quoque negligentia incidit plerorumque Medicorum, meliùs fuerit hanc detegere. Cum enim ad cicatricem properant ulcera, & illi utuntur epuloticis, cum jam exquiſitè repleta ſunt, nec quidquam cavi ſupereſt, accidit, ut oras ulceris faciant eminentiores. Quare, ut æquales fiant, his uti oportet, antequam ulcus cum cute prorſus ſit adæquatum. Ideò ſupra ulceris labra ex apice ſpathæ aſpergere oportet aliquid ex medicamentis ſiccis, quorum facta eſt mentio in curâ ulcerum. Circumcirca autem tegere linamenta, imbuta medicamento aliquo ſarcotico, ſed conſiſtentiâ humido. In progreſſu autem curæ læto & hoc auferre oportet, & uti ſolo ſicco medicamento ſuper toto ulcere, volutato ſuper illo lato ſpecilli mucrone. Exterius ſufficit ſolum linamentum vel ſiccum, vel ex vino, præcipuè factum ex *ellychniis* illis mollibus, quæ *Tarſenſia* vocantur. Nam & hæc habent abſumtivum quid in ulceribus carne luxuriantibus. Et hæc quidem dicta mihi ſunto, communione rerum me ducente.

CAPUT VI.

1. ITerum igitur ad inflammationem reverſi dicamus, quaſi communem omnium illarum ſcopum eſſe vacuationem: quæ autem adhuc in fieri eſt, prior illo ſcopus eſt prohibere ſanguinis affluxum ad locum affectum. Hoc benè ſuc-

ſuccedet, ſi fluxus cauſam invenerimus. Et hæc duplex, aliquando quidem initium capiens ex ipſâ parte affectâ: aliquando ex aliâ, ſeu aliis. Ex ipſâ, cum vel calidior eſt facta, vel dolentior, ut anteà etiam dictum eſt. Non ex ſeipſâ, ſed ex diverſâ ſeu diverſis, aut etiam totius corporis diſpoſitione.

2. Calidior ex ſeipſâ fit, vel ob immodicum motum, vel ob calefactionem, à Sole, igneve factam, vel ob uſum calidi medicamenti. Dolet, vel ob intemperiem, vel ob vulnus, vel ob contuſionem, vel ob contorſionem, vel ob extenſionem, vel denique obſtructionem quandam, ſpiritumque flatulentum.

3. Intemperies fit vel ab externis cauſis, vel ab humoribus internis. Externis quidem vel ab ἰοβόλῳ animali aliquo, vel à medicamento calido, frigidove, aliquando ex aëre: internis autem corporis laborantis, cum pravos colligit humores, facultatibus inter ſe pugnantes.

4. Hæc omnia conſiderans, quæcunque inflammationes ſunt adhuc in fieri, earum cauſas tolle protinus: quæ autem jam factæ ſunt, illas ſolas cura.

5. Quo igitur modo conſulere oportet toti corpori malè diſpoſito? Dicta quidem non pauca ſunt in anterioribus, ut & l. de Plethorâ: nunc etiam attingentur ſumma capita. Cum ſecundùm proportionem æqualiter augentur humores invicem, πλῆθος καὶ πληθώραν vocant: at ſi corpus abundet vel bile flavâ, vel melancholiâ, vel pituitâ, vel ſeroſis humoribus, κακοχυμίαν appellant diſpoſitionem hanc.

6. Plethora igitur curatur ſanguinis detractione, & frequentioribus balneis, vel exercitiis, vel frictionibus, prætereà medicamentis diſcutientibus, amplius inediis de quibus in l. de San. tu. Cacochymia purgatione proprii humoris. Dictum eſt etiam de his in prophylacticâ parte artis tuendæ ſanitatis. Inde igitur tranfer huc, & diſpice, quo ex omnibus tibi ſit utendum. Ubi enim aliquis, qui cacochymiâ laboret, febricitare inceperit, illum vacuare exercitiis non licet, ut nec calidis inunctionibus, nec multâ frictione, nec balneis: ſed ſanguinis detractione, cum inediis & purgatione. Sed ſi nondum febricitet, omnibus iis uti licebit, & præcipuè iis, quæ ad præſens inſtitutum aptiora videbuntur.

7. Nam etiamſi nullus ego dixero, clarum eſt, ſi inflammatio ſit in crure, ut abſurdum eſt ambulationes inſtituere, aut curſus, aut ſtationem, melius autem eſt ſedenti multas frictiones imperare, deinde manuum motiones: ita ſi malum ſit in ſuperioribus partibus utilis eſt motus, qui fit ambulando & currendo. Ita & frictio, his quidem in cruribus inſtituenda eſt: illis autem in manibus. Præceptum enim de revulſione commune eſt his omnibus.

8. Igitur ſi inflammatio acciderit vel circa anum, vel vicinas partes, nullo modo alvum mollies. Non dabis etiam diuretica affectâ vel veſicâ urinaria, vel pudendo, vel renibus, (eadem ratio menſium eſt:) ſed ad longiſſimè diſtantia ducendum eſt, penſiculando & inflammationis magnitudinem, & ſi corpus vel plethoricum ſit, vel cacochymum.

9. Ubi enim plethora inſignis eſt, non eſt tutum vel exercitiis uti vel balneis: ſi modica, licet etiam per loca illa vacuare. Sed, ut dixi, in prophylacticâ Med. parte hæc ſcripta ſunt mihi, ut & in l. de Plethorâ. Etiam in iis, quæ de Venæ ſectione, & de Purg. facultate. Quantum verò memoriâ circumferre fas eſt, ſatis dictum etiam nunc eſt.

10. Veniamus igitur ad ea, quæ inflammationi peculiaria ſunt, quorum illud veriſimiliter ſtatim primum locum occupat, cum ſit propter diſpoſitionem in ipſâ parte affectâ. Indubitatò enim & hæc primò curanda eſt: poſt hæc illud, quod jam factum eſt. Interim iisdem præſidiis tolluntur ambo, v.g. cum dolor à ſpiritu flatulento eſt, & denſatione partis. Ibi enim locum inveniunt, quæ mediocriter calefaciunt, & χαλαςικὰ vocantur, à quorũ uſu & rarefiunt, quæ denſata fuerant, & attenuatur ſpiritus flatulentus, & diſcutitur, quod inflamationis factum eſt. Ita etiam cum frigida ſuperat intemperies. Si enim calefacientia adhibueris, ſic quoque & calorem & inflammationem curabis. Eodem modo, ſi fiat propter caloris copiam, frigidis medicamentis ſiſtes utrumque.

11. Intemperies enim ſemper vult contrariam: vacuatur autem, quod plenum eſt, non ſolum diaphoreticis, ſed & adſtringentibus & refrigerantibus. Id fit potiſſimum in inflamationibus fientibus, cũ adſtringentibus & frigidis utimur potius quàm diſcutientibus. Et rurſus potiſſimum, ſi, quod influit, non ſit craſſum. At verò ubi ſanguis in parte affectâ ſit vehementer impactus, non amplius integrum eſt nobis uti repellentibus, ſed tempus, ut ad diſcutientia eamus. Si autem ab animali pungente ſeu mordente fit dolor, duplex eſt ſcopus indolentiæ, aut vacuare venenum, aut alterare, quod dolorem cauſatur.

12. Vacuatur per validè attrahentia: alteratur per contraria, aut qualitatibus aut totâ ſubſtantiâ. Monſtratum eſt autem in libris de Medicam. quædam ſibi contraria eſſe totis ſubſtantiis: quædam ſolis qualitatibus. Monſtratum pariter eſt, quod methodus quædam ſit eorum contrariorum, quæ in qualitatibus: quæ in ſubſtantiâ, non ſit, ſed omnia experientiâ cognita. Tu igitur inde ſume, quæ ex methodo Therapeuticâ: ſed quæ experientiâ, ex l. Medicamentariis, quorum unus eſt de facultatibus, alter de compoſitione, tertius περὶ εὐποςίςων vocatorum. In his enim oſtenſum eſt, quæ ſint inventa ex ſolâ experientiâ: quæ ex ſolâ ratione: quæ ex utroque.

13. Methodus igitur illa, de quâ dicere nobis heic propoſitum eſt, in omnibus doloribus, qui vel ab animalibus, vel à medicamentis fiunt, geminum habet ſcopum, vacuationem & alterationem illius, quod dolorem facit. Vacuant calida omnia, ut & illa, quæ ſine calore attrahunt, ut cucurbitulæ, & cava quædam cornua, quorum uſus apud quosdam locò cucurbitularum. Quidam etiam ore ſuo extrahunt venenum, partem apprehendentes, & labiis exſugentes. Et cauterium huc pertinet, & quæ inſtar cauterii cruſtam faciunt.

14. Hæc igitur omnia evacuant totam ſubſtantiam illius, quod dolorem creat:

creat: aliud verò genus auxilii eſt, quod alterat qualitatem per contrariam, V.g. ſi æger ſentiat magnum calorem, aut in commorſâ parte tantùm, aut in toto corpore, medicamenta frigida offerre oportet, ſin frigus, calida. Qualia ſint utrinque, didiciſti ex opere de Medicamentis. Hæ itaque curationes ſunt communes omnis inflammationis, quæ mutantur pro ratione mutatarum partium. Hoc doctum fuit in curatione ulcerum, nec aliis indiget verbis, qui meminit dictorum, ſed ſufficit illi paucis indicatum eſſe.

COMMENTARIUS.

15. Heic ſtatim ab initio urget me magna difficultas, quomodo ulla inflammatio poſſit habere cauſam in ipſâ parte affectâ? Cum enim duo ſemper ſint termini, à quo, & ad quem, quo modo incidere poſſunt in unam partem? Quidam facilè ſe expediunt. Alia inflammatio fit per influxionem, in quâ ſunt duo illi termini: alia per congeſtionem. Mihi hæc congeſtio ſemper fuit ſuſpecta: quin puto, omnem inflammationem eſſe ab influxione, hoc diſcrimine, quod quædam influxio ſit inſenſilis. An latet παρερμηνεία quædam?

16. Tale quid ſubolet mihi in t.10. Quæ enim eſt diſpoſitio in ipſâ parte, quæ opponatur illi, quod jam factum eſt? Conſidera etiam ſeq.

CAPUT VII.

1. UNa igitur indicatio oritur ex partibus ſimilaribus: altera ex organicis. Illa definit quouſque ſit calefaciendum, ſiccandum, refrigerandum & humectandum: hæc, per quæ loca ſint educenda excrementa, item modum eductionis, & præterea, magis & minus in ejusdem ſpeciei medicamentis. De illâ dictum eſt jam in ulcerum curatione: de hâc dicetur hoc loco.

COMMENTARIUS.

2. Non poſſum non meminiſſe illius, licet facile ſit viſu, τὸ ποσὸν, ut & τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον eſſe heic Contrarium ſimile, de quo jam toties.

CAPUT VIII.

1. CUm inflammatio dupliciter excedat terminos Naturæ, & quia pars impletur multo ſanguine, & quia calidiore: ſcopus vacuationis ſuperat ſcopum refrigerationis. Contrarium eſt in eryſipelate. In hoc enim refrigeratio urget præ vacuatione, quamvis caput curationis utrobique ſit vacuatio humoris dolorifici. Ideò poſt refrigerationem venimus ad diaphoretica. In inflammatione

tione igitur huc uſque refrigerandum, ut & auferatur, & prohibeatur incrementum ipſius. Cum enim major calor & dolorem cieat, & plus attrahat ad partem affectam, ab utroque inflammatio fit amplior. Quantum igitur inflammationi, quatenus eſt morbus calidus, debetur refrigerationis, hoc totum impugnat auctionem. Eodem modo quatenus repellit, quod influit. Quidquid autem illius, quod jam influxit, repercutit ad vicina, eátenus eſt curatorium inflammationis jam factæ. Sic, quæ calefaciunt modeſtè, aliquando promovent utrumque ſcopum, ſedando dolorem, diſcutiendoque, quod in parte continetur. Dum & ſedat dolorem, prohibet augmentum. Dum diſcutit, medetur inflammationi.

CAPUT IX.

1. QUando igitur in curatione inflammationum principem locum tenet vacuatio ſanguinis ſuperflui in parte affecta; vacuatio autem excogitata heic duplex eſt, aut translato aliò ſanguine, aut è corpore expulſo: melius eſt utroque uti, ſed cum cautione, ne quæ per accidens obrepat læſio.

2. Utraque igitur cum duplex ſit, vacuantia remedia fiunt in univerſum 4. generum. Nam cum ſanguis transfertur aliò, aut fit hoc pellentibus his quidem, trahentibus autem illis. Cum è corpore vacuatur, aut ſenſibiliter fit, aut inſenſibiliter. Cum illud fit, altera perficitur per ipſam partem, altera per propinquas, quæ vaſa habent cum illa communia.

3. Quare & opus eſt ſcientia Anatomica, quæ profitetur rationem communionis. Hæ igitur indicationes proficiſcuntur ab ipſa partium natura, & variant curationem. Præter has aliæ ſunt, quæ ex ſitu & conformatione petuntur, quas præbet pars, ut organum eſt, non ut pars ſimilaris.

CAPUT X.

1. PRæter etiam has ſunt aliæ, & communes tàm organicis, quàm ſimilaribus, cum referimus ad actiones partium. Iterum aliæ, cum conſideramus, ſitne pars raræ aut tenſæ texturæ? Sitne inſenſilis, aut valdè ſenſilis, an ſenſus obtuſi? Hæc enim omnia conſideranda ſunt illi, qui curationem auſit aggredi.

CAPUT XI.

1. QUoniam, ut ſæpè dicimus, non ſatis eſt nôſſe univerſalia, ſed oportet etiam exercitatum eſſe in particularibus: faciamus age id heic quoque, non de omnibus agentes, ſed iis, quæ lecturis neceſſaria videbuntur. Ponatur igitur, hepar incipere inflammari, & inſtituatur quæſtio, Quæ ſit optima ratio curandi illius?

2. Primùm & antè omnia conſidera inde orſus, ubi ego dixi, An vacuationa opus habeat totum corpus? Si concluſeris opus habere, poſteà diſpice, an poſſit ferre confertam ſeu ſimultaneam vacuationem? Heic primum eſto, vires benè habere. Secundo loco intuere ætatem. Si enim puer ſit, non feret vacuationem, quæ per venam ſectam fit, ut nuper oſtenſum eſt. Pueri enim tum demum ferunt, cum circa pubertatem ſunt. Quo tempore revellemus ſimul & vacuabimus ſanguinem, qui ad hepar it, venâ ſectâ in dextro cubito eâ, quæ interior eſt, & è directo venæ cavæ, cum quâ amplâ viâ communicat. Hæc ſi fortè non appareat, media ſecetur. Si neque hæc reliqua & tertia.

3. Quantitas ſanguinis vacuandi erit pro magnitudine plethoræ, aliarumq; eorum quæ dicta ſunt, ætatis videlicet, temperamenti, temporis anni, regionis, & conſuetudinis, præcipuè virium ægri. Hæc enim in omnibus ſunt comunia: non illud etiam, quæ vena ſit ſecanda, interior, media, an humeralis? in malleolis, an in poplite? Hæc enim à parte affectâ pendet indicatio. Et definita res eſt de omnibus in l. de ſectione Venæ: fiet autem heic quoque, quantum neceſſitas volet.

4. Erit autem hoc primum, Non ſatis eſſe, determinatum eſſe, quod ſit vacuandum, quod Methodici falſò dicti ajunt; non curantes ſcil. differentiam locorum affectorum. Non enim ratio ſola, ſed & experientia oſtendit, aliam alii parti vacuationem deberi. Vidiſti enim quoſdam incipientes laborare inflammatione oculorum, ſolâ purgatione per inferiora curatos fuiſſe unâ die. Quod ſi fecerit quis incipiente hepatis inflammatione, maximum excitabit morbum. Eodem modo ſi quis tentabit in inflammatione vel veſicæ urinariæ, vel renum, dare diuretica, vel menſes movere in uteri inflammatione. Longiſſimè enim revellere oportet ſuperflua, cum fluxio definit in partium dictarum aliquam, non trahere ad ipſam.

5. Hanc ob cauſam, nec ventriculo inflammato, nec inteſtinis, licet uti deorſum purgante. Eandem indicationem præbet, in fæminis quidem uterque: in viris autem pudenda cum inſtrumentis urinariis. E contrario, affectis pudendis auxilium revellens eſt vomitus. Eadem ratione, in omnibus capitis affectibus medicamentum deorſum purgans eſt revellens.

6. Ita, quæcunque inflammantur circa fauces, aut palatum, aut linguam, aut in univerſum os, non ferunt apophlegmatiſmos. Simile enim eſſet, ac ſi quis deorſum purgare vellet affectis inteſtinis, aut diuretica præſcribere, renibus aut veſica urinaria malè habentibus, aut denique vomitum mandare affecto ore ventriculi.

7. Melius igitur eſt, cum partes circa os periclitantur inflammari, ad nares derivare. In earundem inflamatione venam licet ſecare, præcipuè humerariam in brachio. Hac non conſpicuâ, mediam. Si hepar, thorax, pulmo, aut cor laborent, interiorem. In angina autem, primas in manibus, deinde autem ſub lingua. Si affectus ſit in occipite, & tunc in cubito, mox in fronte.

Si in renibus & veſicâ, pudendo & utero, illas, quæ in cruribus, præcipuè, quæ in poplite: ſi non, eas, quæ juxta malleolos.

8. Semper autem & in omnibus in eodem latere, (quod Græcis eſt κατ' ἴξιν,) hepate quidem inflammato illas, quæ in dextrâ manu: liene autem, quæ in ſiniſtrâ. Ita fit, ut prima ſtatim differentia venæ ſectionis variet pro varietate partium, adeoque prima illa, eademque communis indicatio non magis utilis ſit quàm noxia. Quod enim vacuandum ſit, commune eſt: unde autem, & quo modo, hoc loca affecta docent. Hoc fine excogitata ſunt vincula artuum, licet non ipſi artus laborent, ſed vel thorax, vel abdomen, vel partes circa collum, caputve. Neque enim quisquam ipſam partem affectam vinciat: ſed cruribus affectis manus, manibus crura.

COMMENTARIUS.

9. Heic §. 5. ferreus eſt obex contra eos, qui in dyſenteriâ purgant. SCHERBIUS ὁ πάνυ tam erat alienus, ut in Epidemicâ anni 1596. nec in me, nec in aliis, mentionem purgationis ferret. Imò audivi poſteà ab eo, In caſu ancipiti malle ſe venam ſecare. Et nitebatur autoritate Gal. & Cæſ. Quod cum dicerem aliquando alicui, deridebar. Et puto loqui illos, qui admittunt, de illâ, quam in Inſtit. pro tertiâ habeo, in quâ hepar eſt pars mandans. Quâ diſtinctione cum uterer adverſus DD. CASP. HORN, qui in obſidione Norib. anni 1632. reſpondit, Imò, oportet in omnibus uti. Video enim quotidiè, & vidi ante hos paucos dies in Principe Anhaltino juvene, qui è caſtris huc delatus fuerat, vacuato ſtimulo illo, qui facit crebras aſſellationes, ſubitò ſanos fieri! Cum dicerem, Quis ille ſtimulus? & quantum abeſt ab occultâ proprietate? Neſcio ſanè, inquit ille, niſi quod ita fieri video, & ſequor. Nihilominus, cum poſt paucos menſes conſuleremur collegialiter à Medico Francofurtenſi, diſceſſi ego tacitè à reliquorum conſenſu. Vide Altimarum in praxi, ubi admittit venæ ſectionem.

CAPUT XII.

1. QUin etiam refrigerare & adſtringere initio inflammationum, ſine indicatione à parte affectâ ſumtâ, non tam utilitatem ullam dat quàm noxam. In artubus enim ſufficit & ſpongiam impoſuiſſe madefactam aquâ frigida, immiſſo pauco aceto, aut aquâ ſola, veluti etiam vino quodam auſtero: in hepatis autem inflammatione incipiente nemo utatur aliquo tali, qui ratiocinari poſſit. Sed neque oleum melinum, aut myrtinum, aut maſtichinum, aut nardinum, aut lentiſcinum, aut horum, aliorumve aliquod, incocto abſinthio ſufficit imbutioni, ſi frigidum ſit oleum. Ita nec cataplasma frigidum ullum. Sed Cydon

donia incoquere oportet vino, maximè ſi cataplaſma pares in incipiente inflammatione. Frigidum autem nullo modo impones, ut neque oleum ita paratum, ut dictum eſt, in incipiente inflammatione oculorum, aut partis alicujus in ore. Auri autem, etiamſi acetum infuderis, cum ol. roſ. non nocebis quidquam: in oculis autem cave facias. Veluti etiam in partibus oris non admittendus uſus ſucci mororum, aut alîus ſtomatici. Omnia enim hæc oculis moleſta ſunt, quamvis inter indicata ſint. Glandulis autem in hoc ſtatu poſitis ſæpè ſatis fuit oleum calidum.

CAPUT XIII.

1. SEd & reliquus victus in inflammationibus glandularum & artuum, hoc unum commune habet, ut talia, & in ea quantitate offerantur, quæ facilè conficiantur. Nihil autem intereſt, ſive halicam des, ſive ptiſſanam, ſive melicratum, ſive grana Punici, ſive aliquid de Cydonio: ſed in hepatis inflammatione, ut & ventriculi, accuratiſſimo opus eſt victu. Munus enim eorum toti animali eſt neceſſarium: quia ſi vel non coquant hæc viſcera, vel non debito modo, omnibus animalis partibus præſtò eſt maximum incommodum. Artus verò tantum accipiunt alimenti, quantum pro nutritione opus eſt illis. Quare non magnoperè refert, quale alimentum adveniat illis, ſive ex halica, ſive ex ptiſſana: in hepate quantum interſit, facile tibi ſcitu.

COMMENTARIUS.

2. Neceſſarium hoc munus intelligatur de mente Ariſt., non Gal. Ut enim alibi probavi, munus hepatis eſt longè inferius in rei veritate: quia nutrit ſanguis, non ille tantum qui in ipſo conficitur, ſed & ille, qui in corde. Hinc proportionaliter intelligitur, quantum etiam decedat dignitati ventriculi, quatenus non minus pro corde laborat quàm pro hepate. Unde & hoc intelligitur, quatenus ἀποτυχίαι ipſius officiant bonitati ſanguinis arterioſi. Quantùm enim chylo decedit, quo minus ſanguis venoſus attingat perfectionem ſuam; tantùm ab altera parte decedit ſanguini arterioſo. Hinc patet, quantus rhetoricandi campus ſe aperiat Peripateticis contra ſophiſtas iſtos! tantò ſpacioſior, quò majus damnum accepimus ob amiſſam arteriotomiam! qua de re ego alibi conqueſtus ſum.

CAPUT XIV.

1. ALiquando enim extrudere oportet ex hepate, tùm, quidquid bilis ibi cumulatum eſt, tùm quidquid ichorum, ex inflammatione ortorum.

Hoc verò fieri non poteſt, antequam & vaſa mundificentur, & porus bilarius in jejunum tendens aperiatur. Halica igitur, quia porum dictum obſtruit, ut & vaſa, maximè fines eorum, prohibet, quo minus & bilis deſcendat, & alimentum in totum didatur, locum habent heic & cibi & medicamenta deſtruentia, tàm hepar, quàm porum illum.

2. Hæc omnia viſcida quidem minimè ſunt, ſed in tenui ſubſtantiâ, cum mordaci qualitate. Rurſus quia ab his irritantur partes inflammatæ: ideò, requiruntur, quæ ſine morſu abſtergunt, quale eſt melicratum. Sed heic iterum obſtat, quod dulcia omnia lienem & hepar inflant valdè. Relinquitur igitur ſola ptiſſana, quæ, ut cibus uſurpata, inculpabilis eſt, (ſine enim morſu abſtergit:) poſt illam oxymeli eſt, ſed ut medicamentum, aquâ miſtum.

3. Sed & malum Punicum & Cydonium, & ſi quæ alia ſunt, quæ adſtringunt, contrahendo os pori, impediunt, quo minus bilis vacuetur, quâ ratione augetur inflammatio, & maximè, cum in ſimis eſt. Ad anguſtias enim, quas ipſa inflammatio facit, accedit vis adſtrictoria & viſciditas talium ciborum. Mordaces autem cibi maximè officiunt inflammationi, quæ in hepatis ſimis. Quæ enim in gibbis, jam alterata ſunt, neque adſtringentia jam tam valida ſunt, neque acria tam exſerunt acrimoniam ſuam, neque viſciditas manet talis, qualis fuit. Mutatio enim ipſorum duplex eſt, & quatenus præcocta ſunt, & quatenus ſanguini, qui præfuit, miſcentur.

4. At cum ſima inflammantur, ſubitò conficiuntur & vaſa meſenterii. A Portis enim omnia propagantur, oſtenduntque vim ſuam proxima hepati vaſa.

COMMENTARIUS.

5. Quæ Galenus hîc commemorat de progreſſu venæ cavæ in hepate deorſum, & viciſſim venæ portæ ſurſum, non minus *ἀνιςόρητα* ſunt quàm illa, quæ Theophraſtus alicubi concedit Botanicis. Ut autem certus ſis de fluctuatione illius, libeat tibi inſpicere loca *παράλληλα*, quæ laudo *χρηςομαθειῶν φυσ.* cap. 11. quà de primo Galeni argumento de ortu venarum ex hepate. Summa, Venarum in hepate *συναναςομώσεις* non ſunt aliæ, quàm quas ex Ill. Aquap. dat non minus Ill. Bauh. 1. Thea. tab. 34.

CAPUT XV.

1. NUnquid igitur parva tibi videtur differentia indicationi communi inflammationum accedere à partibus affectis? Mihi certè maxima videtur eſſe, quamvis ii, qui Theſſalici ſtuporis participes ſunt, putent ſufficere communem indicationem.

2. Volo

2. Volo autem te meminiſſe egregiæ illius curationis, quam adhibuerunt illi Theageni, Philoſopho Cynico. Hunc enim nôrunt, propter celebritatē nominis, ſingulis diebus publicè diſputantis in Gymnaſio Trajani. Hunc qui curabat, unus erat ex diſcipulis Sorani, Attalus nomine. Hic quotidiè emplaſtrum ei applicabat ex artomelite, ignorans, quod hoc viſcus indigeat modicè adſtringentibus, quia principium eſt facultatis nutritoriæ, & à quo genus venoſum enaſcitur. Curabat autem, quomodo etiam bubones ſolent, ſolâ & unicâ ratione laxatoriâ dictâ, cataplasma quidem dictum imponens præmiſſo fomento ex oleo calido, nutriens illum ſorbitione halicæ.

3. Hæc enim tria ſufficiunt ferè omnibus Theſſalicis Methodicis pro curatione acutorum. Viſum autem mihi eſt conſultum eſſe monere Attalum, miſceret adſtringens aliquod, nec ſolis laxatoriis uteretur. De naturâ autem viſceris multa illi loqui velle, idem erat ac ſi aſino fabulam narrâſſem: quod autem ſperabam perſuadere me illi poſſe, id dicebam tantum, quod videam omnes homines ſubitò id credere:

4. Longam experientiam docuiſſe Medicos, Hepar tractandum eſſe miſtâ medicamentorum materiâ, quæ ſcripta ſit in libris illorum Therapeuticis. Si igitur videbitur tibi, inquam, miſce aliquid abſinthii, cataplasmati quidem comam diligenter inciſam, oleo autem herbam totam, ut vides alios modicè incoquere. Cataplasmati etiam miſcere potes myrobalani expreſſæ reliquias, Irin, junci florem, aut radicem herbæ narditiros, aut etiam cyperi.

5. Nihil deterius fuerit & ex vino aliquando parâſſe, & miſcuiſſe aliquid fæcum ipſius, item addidiſſe aliquid adſtringentium pomorum, qualia ſunt Cydonia & Struthia vocata, ut & quæ Romæ vulgaria ſunt, & Ceſtiana appellantur. Oleum autem (video enim & hoc te miſcere:) non eſto quodvis: ſed vel Hiſpanicum, vel Iſtricum, aut lentiſcinum, aut myrtinum, aut melinum, aut deniquè ung. nard. Sed & multa alia ſunt, (dicebam:) in ubere copiâ, quæ incoquere poſſis, lentiſci molles ramulos, myrti, rubi, vitis, ſed præcipuè ſylv., à quâ οἰνάνθην ſumimus.

6. Non aſpernabilis etiam fuerit œſypus Atticus, & cataplasmatis & cerotis miſcendus. Cerota enim quædam etiam propoſui imponenda poſt cataplasma. Hac occaſione tentavi illi exponere œconomiam totius curationis, ut diſceret parare etiam ἐπιθέματα vocata Medicis, quæ fiunt ex materiâ miſtâ.

7. Melius enim eſt, (dicebam,) ablato cataplasmate, aliquid viſceri ſuperjacere. Cum Attalus, interpellato ſermone, meo, Niſi multū, infit, tribuerem tibi, ne hæc quidem hactenus tolerâſſem! In quibus enim majores noſtri, antequā vera medicina ab iis inveniretur, quaſi naufragium fecerunt, ea mihi occentas quaſi ignaro. Concede mihi tres aut quatuor dies, quibus Theagenem tractem

 meo

meo modo, & ſiſtam tibi illum perfectè ſanum! Quid autem dices, ſi ſubitò apparuerint madores pauci, lentique, & moriatur ille? Recordaberisne promiſſi tui,& in poſterum mutaveris? Subridens Attalus abiit,nihil reſponſi dans.

8. Hinc factum eſt,ut neque occaſio fuerit mihi loquendi de halicâ,neque de poſt paulò miſcendis diureticis aquæ,quandoquidem gibba hepatis laborârant. Sic enim habet res, Quemadmodum ſima purganda ſunt per alvum, ut jam dixi: ita gibba per modicè diuretica, quale apium eſt. Progreſſu autem temporis, coctâ jam inflammatione, etiam fortiora uſurpanda ſunt, ut aſarum, nardus Celtica,& vocatum phu,& petroſelinum,& ſmyrnium & mêum.Ita per alvum purgare oportet,ſi ſima ſint affecta,cnicum miſcendo cibis,& urticam,& Mercurialem,epithymũ & polypodium, & omnia, quæ non validè ſubducunt.

9. His ipſis in declinatione univerſali confidentius eſt utendum, quàm anteà, imò & fortioribus, modò in ptiſſanâ coctis, modò in tenuiſſimum pulverem redactis. Hæc ipſa cum ptiſſanâ dari poſſunt,aut in aquâ. Ego aliquando ptiſſanæ incoxi polyp., & cort.rad.hell.nigri.

10. Tales convenit vacuare etiam clyſteribus,principio quidem contentos ſale,nitro,aut aphronitro,admiſtis melicrato: in declinatione autem,præſertim, ſi ſuperſit ſcirrhoſum quid, validioribus utentes, v.g.hyſſopum incoquemus aquæ, & origanum,& Centaurium minus.Duo enim hæc viſcera,hepar & lien, ſcirrhis facilimè capiuntur, ſi quis non tractet diligentiſſimè, & cibos det lentos. Hâc in re peccabat Attalus, cum quotidiè daret illi halicam, neque quidquam ſuperdaret ex deobſtruentibus & abſtergentibus.

11. Sed jam tempus eſt ut dicam,quid Theageni acciderit, aut potius Attalo. Ut enim promiſerat mihi, ſe poſt triduum præſtiturum mihi virum ab inflammatione liberum: ſic amplius quàm anteà perfundebat viſcus oleo calido, & frequentius cataplaſmate fovebat, ſperans ſibi hâc diligentiâ feliciorem fore curam. Quare etiam quærentibus reſpondebat de Theagene jactabundus,Meliora: Sed factum eſt,quod ego dixi,ſubitò exſtinctus eſt. Quodque maximè ridiculum erat, quoſdam ex amicis percontantibus de Theagene, quid fieret, Tam benè,inquit,ut jam lavandus ſit! Lætus igitur cum multis ingreſſus in cubiculum,in quo jacebat, offendit ibi quoſdam, qui, ut moris eſt, Theagenem mortuum lavare volebant. Cynici illi erant,profeſſione Philoſophi. Contigit igitur Attalo ad ipſum uſque mortuum progredi, unà cum choro ſpectatorum, utpote,cum nemo ibi lugeret.Neque enim familiaris illi ullus erat,neque famulus,neque uxor: ſed ſoli Philoſophi aderant amici, qui parabant ſolennia, ſine tamen luctu.

12. Talem igitur laudem adeptus eſt Theſſalicus aſinus, demonſtrare volens in præſentiâ multorum ſpectatorum, hominem ſuum intra quatriduum ab inflammatione liberum futurum. Alii verò Methodici,cum quotidiè infinitos occidant,ne nunc quidem mutare volunt rationem medicandi ſuam: quin,quæ

ab aliis

ab aliis verè ſcripta ſunt, nec attingere audent. Tam ineluibile malum eſt ſuprema inſcitia cum jactantiâ juncta! *Tales in univerſum ſunt omnes Theſſalii* !

COMMENTARIUS.

13. Quod ſup. cap. dicebatur in §. 8. falſam eſſe hypotheſin Gal. de συναναςομώσει venæ cavæ & portæ in ſubſtantiâ hepatis: id repetendum eſt heic, etiam invitis τοῖς ἀκριβοδικαίοις, qui clamant, & pro vitio inſignito objiciunt mihi, quod quædam quibusdam locis repetam. His primùm tacitè in aurem dextram inſtillo, DOMINI, eſt hoc in more poſitum magnis viris! Puto autem vos ultrò mihi conceſſuros, GALENUM merito ſuo eſſe in hoc cenſu. Ideò GALENISTÆ vocari vultis. Galenum autem idipſum feciſſe in his etiam libris tot locis, quot vix numerari poſſunt, ſi convinci vultis, conciliabo vobis ruborem paulò majorem quàm fuit hic Attaléus.

14. Secundo loco dicam palàm, Vos neſcire cauſam hujus facti. Ea verò VERITAS eſt, ut ſuprà Gal. l. 11. c. 13. diſertè dicit. Hunc ego ſubſequar, Si O Gal., hic tuus error etiam in praxi facit umbram, αὖθις καὶ αὖθις repetendus fuerit. Atqui facit. Falſum enim eſt, in inflammatione ſimæ partis tantùm convenire ὑπήλατα: falſum non minus eſt, in inflammatione gibbæ tantum convenire diuretica. Deme quidquid potes, quacunque parte potes, ut prohibeas ſuppurationem! Hujus aſſertionis meæ rationem peto ex 5. Loc. aff. 7. ubi docet, Neque exquiſite in alterutrâ parte eſſe: neque ulla ſigna diſtinctiva nobis ſupereſſe. Horum illud clarè dicit: hoc ego ex ſermone deduco. Nam quo tempore κτ. παθ. condebam, curioſè veſtigavi ſigna apud omnes practicos, ſed NULLA offendi.

15. Heic addere liceat tria verba propter Theſſalos redivivos. Cum enim non magis certi ſint rerum ſuarum, quàm Attalus: viſis tamen ſcriptis meis, vel auditis, ſatis habent RISISSE. Contra hos armat me Galenus heic, τοιοῦτοι ἐν ἅπασιν οἱ Θεσσάλειοι!

CAPUT XVI.

1. NOs verò fas eſt longiſſimè abeſſe à talibus peccatis, &, ſi nihil aliud, tamen experientiæ fidem adhibere, quod ſemper ſuadeo iis, qui circa rationes exercitati non ſunt. Satius enim eſt nunquam iis uti, ſi indocti ſint, & non verſati in methodis rationalibus, quas nunc ſcribimus. Subſtantia enim hepatis apta nata eſt ſcirrhis gignendis. Naturæ enim eſt lutoſæ, ut quidam è noſtris jocabatur Medicis. Lien quidem rarioris eſt ſubſtantiæ quàm hepar: ſed frequentius capitur ſcirrhis propter ſpeciem nutrimenti, quo utitur. Demonſtratum enim eſt ali ſanguine craſſo, qui veluti fex eſt purioris, & ex quo facilè fit atra bilis. Quare & melancholicum vocamus excrementum. 2. Hæc

2.Hæc igitur duo viſcera & experientia probat facilè capi tumoribus ſcirrhoſis. Renes verò quia abſconditi ſunt, ideò tactum effugiunt: interim ratio dictat nobis & hos facilè ſcirrheſcere, & propterea alias quidem nephritidas difficulter ſanabiles eſſe: alias autem omninò inſanabiles. Quæ enim ſingula habent dicta duo viſcera, ea concurrunt in renibus, ſubſtantiæ qualitas, & tranſeuntium excrementorum malitia. Quare etiam, qui veſcuntur talibus, quæ craſſum ſuccum gignunt, facilè corripiuntur calculo.

3. Tantò igitur diligentius proſpicere illis oportet, quò difficiliores curatu ſunt ſcirrhoſæ diſpoſitiones, ne quis afficiatur. Maximè autem, (ut dictum eſt,) accidit illis, qui in inflammationibus illorum cibis utuntur talibus, è quibus craſſi & lenti humores. Quin in confeſſo omnibus eſt, remedia horum affectuum eſſe ea, quæ diſſecant & reſolvunt, & ſunt ex genere deobſtruentium, & abſtergentium illa, quæ potentiora ſunt.

4. Didiciſti autem in opere de Simpl. & facultatem ipſorum & materiam. Quare jam ſermo mihi erit brevis, quique ſufficiat facultatibus univerſalibus, adeoque uni Methodo, cum paucis exemplis. Ubi enim & materia facultatum pro-præparata tibi fuerit, & quæ coindicant curationem prædicta ſunt: relinquitur jam nihil aliud, quam meminiſſe propriarum cujusque morbi indicationum: Voco autem *Coindicantia*, facultatem & naturam, & ætatem, & anni tempus, & regionem, & conſuetudinem, & quæcunque ſunt alia talia.

5. Quare deinceps dicam de indicationibus à partibus, initio facto ab hepate. Indicat enim hoc, hinc quidem, quæ foris imponuntur inflammationibus ipſius, debere eſſe miſtæ facultatis, non tantùm cum inflammatio eſt in fieri, (hoc enim commune eſt omnibus inflammationibus, quandoquidem non peccat etiam ille, qui etiam hoc tempore utitur repellentibus:) ſed & cum nihil amplius influit, nec poſſibile eſt jam, repellere, quod influxit. Nam & hoc fit pluribus de cauſis.

6. In principio igitur & paucum eſt, quod influit, & tenue ut plurimùm. Aliquando & robuſta eſt facultas partis recipientis, nondum ſcilicet defatigata, &, quod incluſum eſt, nondum fortiter adactum eſt. At verò cum ad ſtatum perventum eſt, & contentus ibi ſanguis multus eſt, & ſæpè craſſior, valideque impactus, & facultas partis debilior. Opus eſt autem nobis illâ benè valente, ut propellere à ſe poſſit ſuperfluum, cum adſtringentium vis non ſufficiat ſola perficiendis illis.

7. Nimirum, contrahit quidem illa, & ſtringit, & quaſi denſat, comprimitque corpora, & valet humores tenuiores amandare ad loca vicina: veruntamen non poteſt efficere memorabile quid absque auxilio partis affectæ. Ibi igitur una quidem indicatio faciendorum eſt abs inflammatione: vocant autem *διαφόρησιν*, quæ vacuat humorem per poros rationabiles tantùm partis affectæ. Quæ verò ab ipſâ ſumitur parte in contrarium revellit, & vult ſervari tonum ipſius.

8.Com-

8. Complicatis igitur contrariis inter ſe indicationibus, neceſſariò complicantur etiam medicamenta. At verò in femore inflammato, aut tibiâ, aut cubito aut brachio, aut, quæ ibi ſunt, glandulis, non opus eſt cuſtodiâ toni. Hic tibi ſcopus eſto in omnibus partibus, quarum opus publicum eſt.

COMMENTARIUS.

9. Verè dictum eſt, *Abſurdas locutiones parere abſurdas ſententias.* Et quis acceptet illud, Lienem ali ſanguine, cum ramus ſplenicus non contingat vel hepar vel ſanguinē? quod eſt princeps meum argumentum contra uſum Gal.? Trahit igitur chylum, atque, ut diſtinctè loquar, chyli partem craſſiorem ſeu lutoſiorem, quam melancholicam voces. Hoc quia ali non poteſt, niſi conficiatur, h.e. in ſanguinem mutetur; confectio cum ſit ſimilis deſtillationi chymicæ, quæ ex fæcib. vini, cereviſiæve extrahit *Aquam-vitæ* dictam: quivis videt conſequentiam Nimirum, lien & vicinæ partes quædam, aluntur ſanguine tenui. Lienem ſanguificare docet vel unicum hoc, quod apud Platonem quidem eſt ἐκμαγεῖον τοῦ ἥπατος, apud Ariſt. autem νόθον ἧπαρ.

10. Rurſus, τὸ ἐκμαγεῖον duo ſignificat, principaliter quidem idem quod *Simulacrum*, ut cum Pegaſum meum imprimo ceræ: minus principaliter *Mantile* aut quodvis extérſorium, ab α β. τοῦ ἐκμάττω. Apud Platonem accipi in primâ ſignificatione, ob ſimilitudinem actionis, quæ coctio ſanguinis eſt, dubium non eſt. Apud alios in ſecundâ accipitur quatenus exſtergit à ſordibus, quæ jam *Melancholia* dicitur, & conſtituit ſecundum & craſſum ſecundæ coctionis excrementum.

11. Hoc excrementum quò & per quas vias vacuatur? Liceat enim paululum evagari. Antiqua ſententia, & à me dudum profligata, eſt l. de Uſu lien. cap. 9. per longas ambages ire ad anū, præſtito interim ventriculo inſigni beneficio. Ego verò dixi l. c. vacuari per rami ſplenici propagines in ſubjectum colū.

12. Jamque hoc ſuperaddo, Videri Naturam inſtituiſſe inſignem hanc in homine differentiam, ut colum in dextro latere aſcendat ad ventriculum uſque & lienem, ut per compendium viæ vacuetur hoc noxium excrementum. Dico *Noxium*, propter morbos, quos creat, difficilimos. Hoc docet me Natura ipſa, quæ Hæmorrhoidas fecit duplices, internas & externas. Hæ cum non ſufficiunt, ſuperveniunt epiplois dextra & poſtica apud Bauh.

13. Addo, in §. 4. dari alteram cauſam, cur ſapientiſſimi quique cogantur nonnunquam repetere quædam.

CAPUT XVII.

1. PRopterea nec lienem oportet laxare omnibus modis. Nam & ille purgat ex hepate, quod lutoſum eſt & melancholicum. Quia verò ex eodem alitur, & ideò cum obſtructio aliqua ibi ſe exhibet, inflammatio ve, præcipuè, ſi ſcirrho laboret, indiget validis deobſtruentibus & attenuantibus. Quale enim hepati medicamentum eſt abſinthium: tale eſt lieni cortex radicis capparis. Quale item eſt hepati Eupatorium: tale lieni eſt ſcolopendrium. Nam genere ſimilibus indiget utrumque viſcus. Tantò rurſus lien fortioribus, quò craſſiori utitur alimento, (ex hypotheſi puta.)

2. Cum igitur ſcirrho laborant hæc viſcera, alimento idoneo indigent, genere quidem eodem, ſed differente ſecundùm magis & minus. Hinc ſi capparis ſumatur ex oxymelite, confert quidem utroque viſceri, ſed non in eâdem quantitate, neque in eâdem proportione miſtum debet eſſe oxymeli. Copioſior enim conceditur capparis, & ex oxymelite meraciore, quod efficacius eſt utrobique.

3. Hæc igitur differentia eſt in eo, quod magis & minus: at in ſimilitudine vel generis, vel ſpeciei, vel quomodocunque appelles, ſumitur ex diverſâ efficaciâ, neque non conformatione. A communione autem cum partibus adjacentibus, quod idem eſt ac ſi dicas à ſitu, hæc eſt, quod pars gibba hepatis expurgatur per renes, pars ſima per inferiorem ventrem. In liene alterutra tantùm via patet: in renibus neutra.

4. Quare cum inflammatione laborant, medicamentis, quæ *καθαρτικὰ* dicuntur, ſtimulamus eos, & abſtergimus, ut laxati ſinant excrementa effluere. Duplex autem uſus eſt horum medicamentorum, ſi malum in ſuperioribus inteſtinis ſit, per cibum & potum: ſi in inferioribus per clyſteres. Cibi enim & potu vis exſolvitur, antequam ad inferiora perveniant: clyſteres verò ad jejunum uſque nullatenus pervenire poſſunt. Si per vim adigas, fortaſſis ad tenuia inteſtina penetrârint.

5. Hoc ipſum docuit nos ſitus partium, ſubmittere quidem affectis inferioribus inteſtinis: per os autem dare, ſuperioribus. Hæc ſuperiora ſunt, ventriculus ipſe, lien & ſtomachus. Voco *ſtomachum*, qui alias propriè œſophag dicitur. Aliquando enim vocant ita & os ventriculi, cum dicunt, ſyncopâ que affici *στομαχικῶς*, *ex ſtomacho*, ſeu *ore ventriculi.*

6. Verùm, in gulâ, quæ impropriè vocatur ſtomachus, cataplasmata imponimus ſpinæ, non anterius, quemadmodum cum os ventriculi inflammatum eſt. Stomachus enim ſpinæ ſuperincumbit, delatus per collum & thoracem uſque ad ventriculum.

COMMENTARIUS.

7. Heic iterum caſtiganda eſt ſententia Gal. erronea. Lien ex hepate non trahit ſanguinem, quia ramus ſplenicus non attingit hepar: trahit autem ex meſenterio chylum melancholicum. Lien non nutritur chylo illo; quia nulla pars chylo nutritur. Hujus conſequens eſt, chylus ille non eſt cauſa crebriorum obſtructionum, ſiquidem à naturâ regatur. At ſi contingat error aliquis, ab excremento relicto fit obſtructio. Hinc apparet inſignis ἀκυρολογία, *Lien alitur ſanguine craſſo*. Imò contrarium eſt, alitur tenui, ſed in ſe confecto.

8. Extrema ſunt malitioſè corrupta, & ideò variè tracta ab aliis. Tu vides, poſt ὀνομάζουσι quidem intrudere me, οἰσοφάγον; poſteà autem negativam μὴ; ἀλλ' ἐπί γε τοῦ μὴ κ.ἑ.

CAPUT XVIII.

1. HÆc neque ſciunt Theſſalei, neque diſtinctè curant, neque quod omnis pars inflammata, niſi prætenſa illi cutis ſit denſa, aliquatenus laxatur & tranſmittit foràs tenues quoſdam ichoras. Hinc ex partibus circa os & fauces, & gulam, inteſtina & ventriculum, denique viſcera omnia, effluit aliquid ad exteriora. Ita ex interiori thoracis ſuperficie exit ichor aliquis, cum inflammata illa eſt.

2. Quemadmodum igitur lien quidem & ſima hepatis purgantur per inteſtina; renes autem & gibba hepatis per urinas: ita thorax, ſi interiora ejus inflammentur, transſudat aliquid per ſuccingentem membranam in regionem, quæ intereſt inter ipſam & pulmones. Hoc vacuari per eaſdem vias debet, per quas pulmo. Dabimus igitur ita laborantibus medicamenta tenuatoriæ facultatis, ut viæ quidem pateſcant, ſecentur autem, quæ per illas ferri debent, præſertim, ſi ſint craſſæ conſiſtentiæ, aut viſcidæ, ut accidit in iis, qui ἔμπυοι vocantur.

3. Eligenda autem ſunt ex iis, cum inflammatio in principio eſt, quæ mediocria ſunt, cum in augmento, validiora, ut & cum in exquiſitâ declinatione, aut etiam cum prorſus conquievit quidem, pus autem nondum vacuatum eſt.

4. Mediocre in his eſt, & ſuccus ptiſſanæ, & melicratum. Validius urticæ ſemen, & cum melicrato injicitur herba aliqua acrior, qualis origanum, hyſſopus, calamintha, pulegium, radix iridis Illyricæ. Si pluſculum ex his miſceas, aut etiam ſi irin tundas, cribres, & in tenuiſſimum pulverem redigas, melicratoque aſpergas, medicamentum habebis inſignitè inciſivum.

5. Ita quod ex marrubio paratur, oxymeli, & alia talia ſatis potenter incidunt, quæ in thorace & pulmone ſupervacua ſunt. Horum omnium copiam habes in libris medicamentariis.

CAPUT XIX.

1. NOn dictam tantum auxiliorum differentiam ex locis affectis didicimus: ſed & hoc, Inflammationes ſuperficiales curari propriis inflammationum auxiliis: profundas etiam admiſtis acribus quibusdam. Exſolvitur enim vis eorum, dum penetrant ſe in altum. Ita cucurbitam generoſum eſſe remedium uſu compertum eſt, tàm in evocatione humorum ad cutim, quàm in transpoſitione quaſi vecte factâ eorum, quæ ſcirrhum jam faciunt: veruntamen non eſt utendum illâ in principio. Utendum autem illâ poſtquam totum corpus vacuâris, & tempus ſit vacuare quid ex parte affectâ, aut etiam prorſus foras extrahendum. Ubi verò affectus etiamnum in generatione ſunt, non illis partib. admovenda eſt, quæ laborare incipiunt, ſed continuis, idque revulſionis gratiâ.

2. Sic enim laborante utero profluvio ſanguinis mammis applicamus, ipſis vaſis, communibus thoracis, uterique adadigentes os ipſius. Eodem modo cum hæmorrhagia per nares fit, maximas cucurbitulas hypochondriis affigimus. Ita omnem hæmorrhagiam revellimus ad contraria per communia vaſa, quemadmodum etiam trahimus aliò, ſi opus ſit. Nam ad inguina ponimus cucurbitulam, cum menſes ciere volumus. Eadem occipitio adhibita, fluxiones oculorum compeſcit egregiè. Oportet autem præevacuare totum corpus, ſiquidem plethoricum ſit. Alioquin totum caput replebis, ubi ubi etiam affixeris.

CAPUT XX.

1. HIc igitur ſcopus communis in omni inflammatione non eodem modo perficitur in ſingulis partibus. Accedit autem in ſingulis non exigua portio à naturâ medicamenti exhibendi. Neque enim ſi adſtringendum eſt in principio inflammationis, protenus quidquid adſtringit, per os dabimus: ſed ea tantum, quæ non habent admiſtam ſibi facultatem aliquam corruptivam.

Vide Paralip. Off. 6. 57. 2. Vitriolum enim maximè id habet, ſory, miſy, chalcitis, ut & diphryges, quin & æs uſtum, ſquama ejus, flosque. Omnia hæc medicamenta deglutita ſunt noxia: quare nec ſtomaticis tutò miſcentur. Defluit enim aliquando quid ad ventriculum. Sed neque aloë rectè addi poteſt interioribus, cum inflammatione laborant: habet enim & hæc facultatem purgatoriam. At verò in declinatione inflammationis perfectâ, ſi venter prorſus nihil excernat, nihil oberit, ſi parum quid addideris movendi illius gratiâ. Tamen præſtat in talibus uti vel Mercuriali, vel urticâ, vel cnico, vel ſimili.

3. Ut concludam, ſi quis auferat indicationem à parte affectâ, nihil obſtat, quo minus quis totam diſcat Medicinam, non ſex menſium ſpatio, ſed dierum. Sed nec additâ indicatione illâ habebimus totum id, quod ad curationem requi-

requiritur: opus etiam eſt libris medicamentariis. Ad hos enim diverti oportet illum, qui perfectè velit curare morbos: nunc autem, (ut ſæpè dixi,) ſi produxi unum & alterum medicamentum, exempli gratiâ id factum eſt.

CAPUT XXI.

1. ADdamus igitur inſuper indicationi à parte, quæ hactenus dicta non ſunt, deſtruentes clariſſimè ſectam Theſſaléorum, qui neque in Anatomicis verſati ſunt, neque actiones & uſus partium nôrunt. Et tamen cum vident aliquem floccos legere & feſtucas, audent, imitatione noſtri, caput perfundere oxyrhodino. Et cur non potius thoracem perfundunt, ſiquidem per indicationes inveniunt remedia? & nihil abſurdi eſt phreniticum fieri corde paſſo?

2. Nam Empiricus ait ſe per experientiam habere inventionem remediorum: ille, qui & hanc negligit, & inquiſitionem actionum inſuper habet, unde venit in has cogitationes, ut caput eligeret perfundendum in phreniticis? Hoc ipſum oxyrhodinum, quod capiti adhibemus in phreniticis, ut quidam ex ſodalibus dicebat, manifeſtè refutat, non Theſſaléos tantum, ſed omnes alios etiam, qui volunt τὸ ἡγεμονικὸν in corde ſedem habere.

3. Cum viderem quendam ex Athenæi ſectatoribus caput perfundere roſaceo cum aceto miſto, increpui hominem, & dixi, cenſere me, thoracem eſſe perfundendum. Læſum enim eſſe in ægro τὸ ἡγεμονικὸν. Hoc verò in corde eſſe ſecundùm Athenæum. Quare minus rectè facere illum, qui, relicto thorace, caput fatiget, partem non affectam, jam quidem olei perfuſione, alio autem tempore raſurâ capillorum, alio impoſitione aut ſpondylii, aut ſerpylli, aut, ſi diutius duret malum, uſu caſtorii, aut denique cucurbitulæ applicatione.

4. Æquè enim ſtultum eſſet, ac ſi inflammato femore, ſuræ quis mederetur. Quin, in lethargicis nemo eſt, qui non capiti auxilietur. Eſt enim affectus ſpecie contrarius phrenitidi, & gignitur affecto cerebro, in quo τὸ ἡγεμονικὸν. Cum igitur in cerebro abundârit frigidus aliquis humor, nec ſentit, nec movetur homo: contrà cum calidus, inſtabilis potius eſt, &, ut dixerit quis, delirus. Accidit enim, ut oſtendi cum de his agerem, ſegnities ob frigiditatem: ob calorem autem nimius motus: ob humorum malitiam, dementia.

5. In his talibus affectibus ſtatim ab initio ſecanda eſt vena, ſi facultas tam fortis ſit, ut ſine afflictione ferat venæ ſectionem; neque verò prohibeat ullum eorum, quæ in tractatu de venæ-ſectione dicta ſunt. Tu puta, neque copia crudorum humorum, neque ætas puerilis, neque tempus anni, regioque nimis vel calida ſit, vel frigida.

6. Hoc igitur commune eſt utrique affectui, & illi, qui cum delatione

in ſomnum eſt, & illi, qui cum vigiliis. Commune & hoc eſt, quod utrobique oxyrhodinum uſurpatur. A capite enim repellere oportet humorem, qualiſcunque ille ſit: poſteà, ad contraria ire. Mitigare enim oportet, quæ vigilias parant: excitare autem, quæ immobilitatem cauſantur. Veriſimiliter igitur, cum in ſtatu ſunt dicti affectus, vigilantibus quidem & delirantibus adhibere embrochas ex decocto cap. papaveris par eſt: naribus autem admovere & fronti talia, quæ τὸ ἡγεμονικὸν ſopiant & ſtupefaciant, refrigerando ſupercalefactum cerebrum.

7. In affectibus contrariis ſuſcitare oportet, ſecare & calefacere oportet contriſtantem humorem, qui, absque putredine tamen, delationes in ſomnum graves, ſine febre excitat, apoplexias, & caros, & catochas. Quod ſi putreſcat quandoque, fiunt eadem, ſed cum febre, & vocatur morb. lethargus.

8. Hoc in caſu incoquere oportet aceto thymum, pulegium & origanum, alia talia, & naribus admovere, ut ſublatus ad cerebrum vapor ſecet craſſitiem humoris. Poſt hæc & palatum inungemus validis & acribus medicamentis. Poſt illa & ſternutatoriis utemur, & circa caput ponemus ſimilis facultatis pharmaca, uſque ad ſinapi, ſemper intendentes vim ipſorum, ſi morbus ſit diuturnior.

9. Sed & cucurbitulis utemur in utroque affectu eâdem de cauſâ, & caſtorio. Concoquit enim egregiè, ſi poſt alia uſurpetur. Ut heic iterum in curâ conveniant lethargus & phrenitis. In his morbis iterum convincuntur dilucidè, & Theſſalei, & quotquot τὸ ἡγεμονικὸν in corde collocant. Non ſolùm enim deſtituet illos copia medicamentorum: ſed & neſcient, cui parti applicare debeant. Neque enim ut in ophthalmiâ, aut pleuritide, aut anginâ æger ipſe ſentit, quâ parte doleat, & tàm tactus, quàm viſus in cognitionem illius nos ducit: ita fit in lethargo, epilepſiâ, apoplexiâ, convulſionibus, tetano, & propriè dictâ catoche. In omnibus his ſpecies quidem auxiliorum ex naturâ morbi eruitur: locus autem, cui debentur præcipuè medicamenta, patefit ex præcognitione actionis & uſus partium.

COMMENTARIUS.

10. Mirum non eſt Galenum tantopere gloriari ſuper hoc ἑρμαίῳ ſuo! Mirum magis eſt, noſtros homines piſce magis mutos eſſe! Reverà, pertinet ad dicam, quam Galeno Avicenna ſcripſit, de quâ olim ego extremo χρ. φυσιολογικῶν! & de quâ ſtrictim iterum.

11. Oportet primo loco habere unitatem animæ, quidquid etiam dicant οἱ φιλογάλλωοι! Oportet ſecundo loco indagare, quomodo τὸ ἡγεμονικὸν, quod non niſi remiſſum calorem, qui frigus dici poteſt à Philoſopho, poſtulat, copulari poſſit cum τῷ θρεπτικῷ, quod ignem lucidum, quatenus admittit animalis conſtitutio?

12. Re-

12. Reverà, Philoſophema hoc eſt, non petendum ab ὄχλῳ συρφετώδει, ſed, ut SCHERBIUS diceret, à Philoſopho γνησίῳ, qualis Plato & Ariſt. Hi duo enim docuerunt, τὸ θρεπτικὸν indigere vegeto calore, qui ſanguinem faciat talem & tantum, qualis & quantus debetur corporis augmento, quod extendunt Medici ad annum 45. τὸ ἡγεμονικὸν indiget non niſi moderato calore, quod illud eſt, quod 2. Part. 7. & alibi Ariſt. docet, Cerebrum eſſe factum refrigerandi cordis cauſâ. Quod cum Gal. initio 8. Uſ.p. acerbiſſimè traduxiſſet, auſus ſum ego, ut notum eſt, Diatribam ſcribere, in quâ pertendo, uſum Ariſt. coincidere cum uſu Gal., adeoque *Cerebrum eſſe cauſam ſine quâ non ſapimus.*

13. Hinc mihi jam naſcitur hoc πόρισμα, Si cerebrum eſt cauſa ſine quâ non, cur cerebro læſo non afferamus medicinam? Nec hilum valent incommoda, quæ jactat §. 9.

CAPUT XXII.

1. Quod autem ſimul meminiſſe oporteat omnium ſimul-indicantium, etiamſi non ſemper dicatur, ſæpè jam dictum eſt: nunc abſolvamus oportet ſolam indicationem à partibus. V. g. In iis, quæ ad caput attinent, ſi nihil aliud, hoc animadvertendum eſt, quod cerebro præſtructa eſt craſſa quidem meninx, ſimilis coriis iſtis externis: ſuper ipſam autem cranium eſt.

2. Hinc neceſſarium eſt, facultatem impoſitorum medicamentorum exſolvi ab his quaſi propugnaculis denſis & duris. Et niſi ſuturæ in capite à naturâ factæ eſſent, nihil magnoperè præſtarent forinſecus impoſita. Poſtquam autem ſuturæ, maximè, coronalis dicta, facilè transmittit introrſum, non facultates tantùm medicamentorum, ſed & ſubſtantias ipſas, cum fuerint tenuium partium, veriſimiliter multùm juvatur in affectibus capitis facultas extrinſecus impoſitorum. Ego in me ipſo expertus novi, perfuſum roſ. frigido ſenſiſſe celeriter & manifeſtè penetrationem in ſincipite. Eſt etiam diverſitas plurima hominum in hac ſuturâ, etiam ante anatomiam. Vidi enim in quibusdam raſis, in mandendo motum manifeſtiſſimum ſynarthroſeos oſſium hujus loci. Unde conjeci, compoſitionem in his hominibus horum oſſium laxam eſſe.

3. Veriſimiliter igitur omnes Medici, huic maximè loco accommodant embrochas capitales. Veniunt enim ad hoc opus, quaſi manibus acceptâ ratione agendi à primis inventoribus: ſed & ipſi, niſi negligentes ſint rerum ſuarum, vident, & ſuturam evidenter moveri forinſecus, & ægros ipſos hac in parte celerrimè calefieri, refrigerarive ab extrinſecus occurrentibus. Præter enim alia os heic eſt tenuiſſimum juxtà & rariſſimum.

4. Quoties igitur volueris ut medicamentum aliquod fortiter ſe inſinuet, huic potiſſimum loco impones. Melius etiam ſuccedet, ſi cum frictione id feceris, abſciſſis capillis, & diligenter raſis. Si verò humidum ſit, quo uti vis, ſinas ex al-

ex altiori loco deſcendere,ut ſit fontis ſalientis inſtar. Penetrat enim fortius, pulſum à jactu. Ut autem ibi quò fortior jactus eſt,eò utilius: ſic in oculis inutile eſt. In capite enim os feritur,in oculo autem corpora quædam membranoſa & debilia. Ita,in capite aliud eſt,quod feritur,aliud, quod curatur, & plagam non ſentit,interim ictu pervenientis eò facultatis fruitur. In oculo non eſt aliud,quod percutit,aliud,quod curat,ſed quod curari debet, quod ipſum validè percutitur.

5. Præterea, os quidem capitis inſenſile eſt: pars autem ſenſilis oculus. Qui igitur infundere volet pharmacum, attollat primum quam tenerrimè palpebram ſuperiorem,deinde, non cum impetu,ut in capite,imponat. Eligere ex infundendis oportet etiam illa,quæ naturæ ſunt minimè mordacis. Et videntur mihi veteres multâ cum circumſpectione veniſſe ad albumen ovi, accipientes id,quod & minimè mordax & lentum eſſet. Illo enim, quod non mordet, implebatur illis prædictus ſcopus: hoc, quia lentum, confert non nihil ad leniendum dolorem. Talia enim humida lævigare poſſunt omnes aſperitates,quæ fiunt ab acri deſtillatione. Præterea tenacius hærent illa,quæ mediocriter craſſa & lenta ſunt,præ aqueis & tenuibus.

6. Sanè, quod quæ absque morſione lenta ſunt, ſi ſimul moderatè caleant, ſint potentiſſima ad ſopiendum dolorem,didiciſti fortè ex mordacibus alvi excrementis,in quibus per clyſterem admiſſum ſevum ſtatim lenit morſum. Et eſt notorium,quod manere talia in loco affecto aliquantulum poſſunt. In ventre enim clyſteres continui moleſti ſunt, non minus quàm in oculo extendere palpebram. Partis enim exquiſitus ſenſus poſtulat, ut læve ſit, quod immitti debet, nec aſperum,ſabuloſumve.

7. Quare rectè excogitatum eſt, albumine quidem ovi utendum eſſe,diligentiſſimè autem lævigandа eſſe corpora terreſtria, quæ ammiſcenda ſunt pharmacis ophthalmicis. Quod ſi dolores graves ſuboriantur in ipſis,memento eorum,quæ de generatione omnium dolorum didiciſti,& conſidera,quâ ex cauſâ ſit doloris,qui inflammationis,de quâ agimus,comes ſit? Fiunt enim dolores, aut à morſu,quem acredo affluentium humorum cauſatur: aut quia tenduntur tunicæ impletæ: aut quia alioqui influunt craſſi humores,ſpiritusve flatuoſi.

8. Morſus igitur curare oportet revellendo deorſum purgantibus medicamentis, & ita vacuando, ipſi autem parti infundendo albumen ovi, ut eluatur ſine dolore acris fluxio. Jam verò concoctâ inflammatione, & vacuato toto corpore,balnea ſunt aptiſſima. Nam & ægri ſubitò ſunt expertes doloris,& ſiſtitur humiditas ad oculum tendens,expulſâ maximâ ejus parte ex toto corpore, beneficio balneorum: contemperato reliquo. At quæ à repletione ſuperſunt tenſiones curare oportet, & ſanguinis demtione, & ventris ſubductione, & frictione partium inferiorum,&,ſi neceſſitas poſtulet,ligaturâ artuum. Poſteà fomentationibus ipſius partis inflammatæ ex aquâ potabili mediocriter calente.

9 In-

9. Inflationes verò, præmiſsâ pariter vacuatione totius corporis,& revulſione humorum deorſum, deinceps curare oportet Topicis vocatis medicamentis,non repellentibus & reprimentibus,ſed diſcutientibus. Fomentis igitur utendum, &,ut nuper dictum eſt, infundenda decoctio fœni-Græci, prælotâ herbâ ſolicitè,ne quid inſideat illi aut pulveris,aut arenæ.Eſt enim medicamentum,quod digerit ſine offenſâ,inter omnia, quæ oculis applicantur.

10.Oportet autem meminiſſe communium præceptorum in omnibus particularibus, quorum unum eſt & hoc,quod diaphoretica, adhibita corporibus plethoricis, & partibus quibusdam impoſita, implent potius quàm vacuant. Qui igitur hæc & alia talia curat,ut & inflammationes, de quibus nunc ſermo nobis eſt, nulli fidat diaphoretico, priusquam totum corpus purgârit. Vide etiam in omni morbo,non inflammatione tantum,num aliquando totum quidem corpus mediocriter ſe habeat, & in qualitate, & in ſymmetriâ humorum: una autem ſive duæ partès ex ſuperincumbentibus parti laboranti ſubmittat ſuperfluitates ſuas?

11. Veluti v. g. in oculo, non rarò, ſed profectò ſæpius contingit,ut caput ſubminiſtret illi materiam. Apertum igitur ex his etiam eſt,quod ante alias caput curare oporteat,poſtquam ſcil.inveneris diſpoſitionem,ex quâ excrementorum copia reſultat.

12.Chronicas quidem oculorum affectiones curamus,omiſſis oculis ad capitis providentiam converſi, quæ eſt ex genere intemperierum, & indicat contrariam ſibi curam, ut oſtenſum eſt anteà. Fit autem utplurimum in capite aut frigida intemperies,aut humida: quin utraque congreditur. Rariores autem ſunt calidæ, quæ acrem fluxionem demittunt, in quâ locum non habent, quæ ex Thapſiâ aut ſinapi fiunt, ſed totum contrarium, oleo quidem omphacino,& Hiſpano & roſato: balneis autem frequentibus aq.potabilium.

13.Aliquando igitur cerebrum mittit fluxionem,& oportet hujus quidem temperamentum corrigere epithematis, toti capiti circumpoſitis: aliquando vaſorum eſt affectus,ſive venæ ſint,ſive arteriæ debiliores, ut recipiant aliorum vaſorum redundantiam. Quâ occaſione vel exſcindimus particulam aliquam, aut diſcindimus tota ſatis profundè, & intercipimus exiguâ cicatrice, ſeparantes ſpatium intermedium, ne amplius continua ſint, poſſitque defluere ex illo in hoc.

14. At verò ſi vaſa ſint in profundo, & ex ſuperioribus, unà cum nervis ſit via in oculos, horum nihil fieri poteſt. Ideò tales fluxiones omninò fiunt incurabiles. Quæ verò in ſuperficie ſunt vaſa licet roborare etiam absque chirurgiâ,illinentes medicamentis,quæ τονωτικά vocantur.

15. Aliquando ſanguis calidus & vaporoſus ad caput effertur, & potiſſimum redundat in arteriis, & propterea maximum apud Medicos auxilium eſt arteritomia. Oportet autem caput radere diligenter, & contingere arterias, tàm illas, quæ retrò & poſt aures ſunt, quàm illas, quæ in fronte, & circa tempora. Quæcunque verò illarum calidiores videbuntur ad tactũ, & evidentius pulſare, eas potius incidere: quæ verò parvæ & ſub cute, etiamſi partem excideris, ut in varicoſis cruribus ſolemus, melius fuerit.

16. Inter noſtros ocularius quidam non ignobilis excidit è muſculis temporalibus non minimam illarum portionem. Utplurimum autem ſectæ arteriæ partes ſurſum trahuntur utrinque ad ſuæ partis continuum. Et hoc fit potius in parvis, & minus conſpicuè motis. Si verò dum nudas, videatur tibi magnum eſſe vas ob conſpicuum motum, tutius eſt primùm laqueum injicere & ſic excidere medium.

17. Hi laquei ſunto ex materiâ difficulter putreſcibili, qualis eſt Gaetanorum dictorum, è Celtarum regione advecta, & venditur Romæ potiſſimum in Sacrâ viâ, quæ à templo divæ Romæ ad forum ducit. Horum Romæ magna copia eſt, & vili precio emuntur. Alibi ſi medicinam facias, paretur aliquid è texturâ Sericâ vocatâ. Hanc invenies penes divites mulieres, ubique ſub Romanorum imperio, præcipuè in magnis urbibus, in quibus talium mulierum frequentia. Si nihil tale comparuerit illo loco, in quo verſaris, eligito materiam imputreſcibilem, qualis non eſt minorum chordarum. Cum enim facilè putreſcant citò abſcedunt vaſis. Nos autem volumus tum demum decidere laqueum, cui undique caro circumcrevit. Quæ enim nata eſt caro in partibus vaſorum abſciſis, quaſi operculum evadit, & clauditur oſculum ipſorum. Hoc ubi factum, jam tempus eſt ut diffluant laquei citra periculum.

18. At verò cum venæ partem aliquam excideris, nulla neceſſitas materiæ tàm durabilis: ſed ſufficit quævis alia. In arteriis enim motus continuus aperit orificia ſectorum vaſorum: in venis autem, cum quovis modo coiverint ſemel aut contruſa propter ligaturam, aut adſtricta à medicamentis, permittit carni in vicinis circum naſci, maximè cum is, cui chirurgia fuit adhibita, immotam ſervat partem. Ampliùs, ſi in ſublimi teneat, corpore toto jam vacuefacto.

19. Equidem & varices ita curamus. Vocatur autem ita (κιρσὸς) vena dilatata. Dilatatio autem fit in teſtibus utplurimum & cruribus. Quia verò, ſcriptis jam his libris, non pauci ſodalium exorârunt me, adderem omnia chirurgica in fine totius hujus operis, ideò in aliud tempus rejiciatur ſermo de varicibus. Cumque ſint in oculo plures particulares affectus, qui ſpeciali indigent curatione, neque de his hoc loco diſſerendum eſt. Qui enim diligenter legerit prius dicta, ſi naturâ prudens fuerit, facilè inveniet omnia per conſequentiam quandam. Qui verò tales non ſunt, iis conſultius fuerit ſcribere privatim de morbis oculorum, quoniam plerique ſodalium ita cenſent.

FINIS LIBRI XIII.

METHODI MEDENDI LIB.XIV.

CAPUT I.

TUmorum præter naturam quot ſint & quales, ſcriptum eſt anteà ſeorſim libro uno: quo modo autem quis methodicè curet, cum proprium ſit hujus operis, incœpimus rem lib. 13. Et quia in præcedentibus ſermo fuit de omnibus febribus, melius mihi viſum fuit primum de Inflammatione diſſerere, quod continua vel maximè ſit cum febribus, imò ſæpè febrim ſecum portet.

2. Et dictum quidem aliquid etiam eſt in febribus de inflammationis curatione, ſimul cum aliis illarum cauſis: ſed perfectam de ipſis orationem, & propriam ſup. libro abſolvimus, cum methodum qualis illa ſit, exponentibus nobis, non auxiliorum materiam, niſi exempli locò, ut & in prioribus, tradidimus. Non longè abit ab inflammatione alius quidam morbus, Eryſipelas dictus, conſtans ex humore bilioſo, ut dictum eſt.

3. Fortaſſis autem melius foret prolixiori ſermone diſtinguere ab inflammatione. Communia quidem utriſque ſunt, & tumor præter naturam & calor: differunt autem primùm quidem & potiſſimum colore. Ruber enim color cum eſt, φλεγμονὴν appellant: cum flavus aut fulvus, ſive ex flavo aut fulvo mixtus, ἐρυσίπελας. Enimverò & pulſus eſt proprium ſymptoma magnæ inflammationis. Sentitur autem in profundo potius, cum eryſipelas in cute ſit potius quàm in profundo. Conſiſtentiâ enim tenuis eſt flavæ bilis humor, & facilè penetrat uſque ad cutim, tranſiens promtè carnoſa & rara corpora. Cutis autem denſitas non æquè pervia eſt huic bili, niſi planè tenuis & aquea ſit. Talis eſt, quæ quotidiè cum ſudore abit. Et videre eſt talem colorem in multis, qui in balneis ſtrigili abſtergunt ſudorem. Qualis etiam urina eſt in iis, qui diu jejunârunt. Noſti enim cum diutius fameſcimus, urinam fieri flaviorem, cum anteà aquoſa eſſet. Deinceps etiam fulvam, niſi quis ſqualorem abſtergat humidiore cibo & potu.

4. Cum igitur corpus gubernatur ſecundum naturam, inſenſibiliter exſpirat bilis: cum præter naturam abundat, cùm in aliis morbis, de quibus iterum dicam, tùm in propoſito, quem eryſipelas vocant. Cùm enim vel copioſior quàm pro naturâ individui generatur, vel craſſior fit, confertim ruit ad cutim, quam & adurit, & in tumorem effert.

COMMENTARIUS.

5. Notus eſt conatus Solenandri in Conſ., Eryſipelas eſſe, non à bile, ſed à ſanguinis parte tenuiore, ex quâ pinguedo etiam. Ego paucis me abſolvo, eſt paucis minus quam λογομαχία.

CAPUT II.

1. SEd melius eſt, ut ſemper dicimus & facimus, nos initium facere à rebus, non à nominibus, & aliud principium ſermonis capere, hoc ſcilicet. Si contingat ſanguinem copioſum adeò abſcedere in partem aliquam, ut non poſſit contineri à vaſis ſuis, roris modo exſtillat quid ex vaſis in ſpacia muſculorum illa, quæ conſtituunt partes illorum ſimilares, & fit quidem tumor ob copiam, ſequitur autem tumorem tenſio quædam cutis, dolor autem in profundo cum pulſu, ut &, cum digitum imprimimus, reniſus quidam, rubor & calor, quaſi cutis etiam participaret de illis, quæ carnes ſub illâ patiuntur. Fit & analoga quædam diſpoſitio, ſi viſceribus tale quid eveniat. Et eſt in his etiam ſua quædam caro, quam quidam παρέγχυμα vocant, in quam ſub vaporis ſpecie ex plenis vaſis excretus ſanguis prædicta ſymptomata cauſatur.

2. Hæc igitur una eſt diſpoſitio ſoboles fluxionis ſanguineæ, in carnoſis utplurimùm orta partibus: altera eſt bilioſa, in cute potiſſimum conſiſtens, tam illâ, quæ commune integumentum partium, quàm illâ, quæ membranoſa & tenuis, intus circumtenditur muſculis. Quemadmodum igitur prior comprehendit aliquid cutis: ita poſterior aliquid ſubjectæ carnis. Si craſſus & acer fuerit humor, excoriat cuticulam, & quandoque, cum diutius duravit, in intima cutis progreſſa exulcerat.

3. Hæc igitur diſpoſitio vocetur *Eryſipelas*, cujus, ut dictum eſt, cum duplex ſit differentia, aut cum ulcere, aut ſine eo; illa verò uniusmodi: vocetur *Inflammatio*. Cum igitur bilioſa fluxio ſimplex non fuerit, ſed ſimul ſanguinea, vocetur ex eo, quod ſuperat, aut φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, aut ἐρισύπελας φλεγμονῶδες. At ſi neuter humor ſuperet, nominetur morbus medium quid inter eryſipelas & inflammationem.

COMMENTARIUS.

4. Heic pleraque omnia & obſcura & inquinata ſunt. Primùm quæritur, quæ ſit altera illa cutis, membranoſa & cutis, quæ intus muſculos obtegit? Non eſt panniculus carnoſus Arabibus dictus, qui minus attento ſub mentem venire poſſit: ſed eſt membrana muſculorum propria. Unde intelligitur alterum Galenum velle, in eryſipelate, non affectam tantùm eſſe cutim extimam, ſed & intimam, quæ muſculos tegit, cum in inflammatione muſculi etiam ipſi ſint occupati. Ubi aliquis ſubitò, Ergò carnes à muſculis diſtincti ſunt? Et hoc jam tertium eſt. Non ſunt: ſed, ut ſuprà l.6.c.5. locutus eſt cum Ariſt. muſculos vocando carnes, ita heic quoque loquitur. Adeò frivolum eſt dictu, licet à magnis viris profectum, Ariſt. ignoraſſe muſculos! Vide Inſtit. noſtr. l.2. c.15. & χ φυσιολ. c.32.

5. He

5. Heic ego ſatis demirari non poſſum, induſtrioſiſſimum Foëſ. in voce ἐρυσίπελας habuiſſe pro integro hunc locum! Sed ita eſt: Benè inſtituti non exſpectant omnia ab uno! Ego quoque Notis in Gal. tacui, & nunc hoc tantum, Ut reſpondeat oratio Gal. rerum naturæ, aliisque locis, oportet talis fiat, *Tumores præter naturam ſunt duûm generum, alii ſimplices ſunt & legitimi: alii compoſiti & ſpurii. Inter ſimplices duo ſunt* φλεγμονὴ καὶ ἐρυσίπελας, *qui ita differunt, illa fit à ſanguine, & eſt* μονοειδὴς: *hoc à bile, & eſt duplex, vel cum vel ſine ulcere. Rurſus, eryſipelas ſolam occupat cutim: inflammatio etiam ſubjectos muſculos. Rurſus, ſi fluxio, non tantùm ſanguinea ſit, ſed etiam bilioſa, fiunt duo affectus ſpurii, qui nomina ſortiuntur ab humore prædominante*, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, καὶ ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες. Vide 3. Inſt. noſt. 41. An ſubobrepſit παρεμβολὴ quædam?

CAPUT III.

1. Heic curationis methodus eſt, qualis in aliis compoſitis. Quod ut rectè fiat, initium à ſimplicibus fiat. Communis igitur ſcopus in omnibus præter naturam tumoribus vacuatio eſt. Sic loquor, ut commonefaciam te copiæ humorum efficientium hos tumores. Hanc enim ubi quis vacuaverit, pars tumefacta redibit ad ſtatum ſuum naturalem.

2. Vacuatio hæc ſimiliter duplex eſt. Altera, dum propellimus aliò: altera, dum diſcutimus per inſenſilem transſpirationem. Et quoniam eryſipelas moleſtum eſt, non ſolâ quantitate, ſed & qualitate, quatenus magnum habet incendium, abundantiori indigebit refrigeratione quàm inflammatio.

3. Interim, hæc refrigeratio non caret periculo totius corporis: ſolet enim bilis ferri ad principem aliquam partem, in quâ ſtagnans, etiam ubi refrixit, non poteſt averti à minus principibus fluxio. Quemadmodum igitur ibi, poſt totius corporis vacuationem, utebamur illis, quæ ἀποκρουστικὰ vocamus: ita nunc quoque faciemus, loco venæ ſectionis, purgantes medicamento cholagogo, ſimulque locum affectum refrigerantes.

4. Terminus autem refrigerationis erit coloris mutatio. Eryſipelas enim exquiſitum ſtatim conquieſcit. Non exquiſitum autem, tu puta, quod inflammatorium dici poteſt, lividam oſtentat cutim, cum refrigemus plus quam par eſt. Si ne tum quis deſiſtat à refrigerando, nigreſcit, præcipuè in corpore ſenili, adeò, ut quidam ita refrigerati ne diaphoreticis quidem perfectè potuerint ſanari, ſed relictum ſit ſcirrhoſum quid.

5. Satius igitur eſt à refrigerantibus & adſtringentibus tranſire ad contraria, tum vid. cum obſervâris, colorem partis affectæ mutatum eſſe, antequam vel livida fiat, vel omninò nigra. Dicta eſt autem mihi in libris de medicamentis materia illorum refrigerantium, ſolanum, ſempervivum, portulaca, umbilicus Veneris, pſyllium, hyoſcyamus, lactuca, ſeris, lens paluſtris, Cerata ex aquâ planè frigidâ, & alia talia.

6. Verſo autem in melius incendio partis affectæ, oportet cataplasma facere ex dicta ὠμῇ λύσει. Ita voco farinam hordeaceam. At ſi jam livida ſit, præmiſsâ ſcarificatione perfundere utpl. quidem aquâ calidâ, aliquando autem vel marinâ, vel muriâ. Nonnunquam ſufficiet cataplasmati miſcuiſſe, vel aquam, vel acetum, vel oxalmen.

7. Hoc tempore ſcripſerunt quidam tentandi gratiâ adhibuiſſe coriandrum cum farinis, quaſi bonum pro eryſipelate medicamentum. Sed rurſus alii, qui in principio uſurpârunt, in magno periculo conſtituerunt ægros. Scriptum etiam eſt, Cerotum roſ., quod calcem recipit, eodem modo profuiſſe eryſipelatoſis, & alia talia valdè calida, quæ nequaquam locum habent, antequam mutatum ſit eryſipelas in ſtatum contrarium. Quo modo enim contrarius non ſit morb. calidus frigido? aut quod colore flavum eſt illi, quod lividum, nigrumve?

8. Ac veluti inflammationi ſæpè jungitur eryſipelas: ita aliquando œdemati. Et vocetur jam hoc modo miſtum eryſipelas œdematoſum, quemadmodum cum jam refrigeratum eſt, durumque & difficulter ſolubile factum, vocandum eſt, eryſipelas ſcirrhoſum? Igitur curatio, ut in aliis compoſitis omnibus: ſic heic quoque compoſita ſit, ita ut maximus reſpectus ſit ad eum humorem, qui prædominatur, ſed ne negligatur qui permiſtus eſt.

COMMENTARIUS.

9. Heic illud tantum quærere placet, quo ſcopo Gal. purgationem venæ ſectioni ſubſtituerit? Conſentienter determinationi, quæ eſt 6. Inſtit. 6. Erat plethora biliosa. Poterat & venam ſecare: ſed puto viribus conſultum iviſſe. Incipio enim credere PLATERO Præceptori, nullam eſſe purgationem electivam, ſed expelli, quidquid in primis viis eſt. Hinc verò virium minor jactura. Et hanc excuſationem præbeo τοῖς περιοδευταῖς noſtris, cauſamque do felicioris eventus, cum, contra veterum conſenſum, ſemper utuntur utroque magno remedio, ſemperque præmittunt purgationem.

CAPUT IV.

1. UT enim in bilioſâ fluxione fit eryſipelas: ita in pituitoſâ œdema, tumor laxus & indolens. Scimus etiam alioquin œdemata fieri in diſpoſitioni-

bus

bus hydropicis & phthois, & aliis cachexiis. In his enim œdema eſt ſymptoma morbi affligentis hominem, nullius alîus curæ indigum. Sufficit enim, ſiquidem omninò hoc agendum eſt, ibi crura fricare, quandoque ex oxyrhodino, quandoque ex oleo & ſale, aut etiam oxyrhodino, immiſſo ſale.

2. At in humore pituitoſo, in partem influente, poſtquam fluxio ceſſavit, ſatisfacit aliquando ſolā ſpongia imbuta aquâ cum pauxillo aceto. Temperamentum ſit tale, quale quis biberet, aut etiam paulò plus aceti. Alligare autem oportet ſpongiam, facto initio ſtricturæ à parte inferna ſurſum, ubi etiam finis ſit. Nova autem ſit ſpongia oportet, ſi quid proficere velis. Si non ſit in promtu nova, exterges, quam habes, & purgabis nitro, aphronitroque, nec non vocato lixivio ſtillatitio.

3. Hujus uſu ſi non ſubſidat tumor, alterâ deligaturâ adjice parum aluminis, adhibitâ ſpongiâ novâ. Quâ ſi careas, præſtat uti *Ellychnio* appellato. Sit autem molle antè omnia, quale eſt *Tarſicum*. Et hoc, ſi præ manu ſit, utere audacter. Spongiâ enim melius operabitur. Imbuatur autem oxycrato, cui alumen ſit inſperſum, & ligetur eo modo, quo dictum eſt, ab inferioribus ſurſum.

4. Oportet autem ſtrictura non minus moderata ſit quam in fracturâ oſſis, maximè, cum ab inferioribus ſurſum is. Deinde paululum remittenda eſt, non equidem ut ligatura ſit laxa quibusdam locis. Hoc fine commodum eſt medicamentum, quod *Glaucium* dicitur, & ipſum per ſe in oxycrato ſolutum, & compoſitio noſtra quam habes in opere medicamentario. Feci autem huc uſque tria talia opera, de Simplicibus, de Compoſitis, de Euporiſtis. Viſum fuit & quartum velle ſcribere, quia multi è ſodalibus ita cenſent, in quo de medicamentis communibus & propriis ſingularum partium, morborumque ſermo mihi erit.

5. Verùm, hoc *de Glaucio* medicamentum non tantùm œdemata curat, ſed & (imò multò magis,) eryſipelata, ſed & inflammationes incipientes, maximè calidas. Clarum autem eſt, quod hoc medicamento curabis & inflammationes eryſipelatodas, & eryſipelata phlegmonode, non autem vel inflammationes jam totas ſcirrhoſas, vel eryſipelata refrigerata, vel omninò ullum affectum ſcirrhoſum. De his dictum quidem eſt mihi 5. Simpl. tamen dicetur & nunc aliquid.

L. 3. κ. τόπ. non procul ab initio, fit tantũ mentio. Vide 6. San. tu. 12.

6. Qui hunc morbum creat, humor, aut viſcidus eſt, aut craſſus, aut utrumque habet: curationis autem ſcopus partim communis eſt, ut vacuetur omne id, quod in parte affectâ continetur præter naturam; partim proprius, qui conſiſtit in modo. Abſtergere enim oportet illum, vehementiſſimè impactum. Hinc fit, ut ſi quis curationem inſtituat ex confertim trahentibus & diſcutientibus medicamentis, omiſſis emollientibus & fundentibus, quod faciunt calida & humida, intra paucos quidem dies primos videbitur egregium feciſſe progreſſum: ſed quod reliquum eſt diſpoſitionis, incurabile erit. Diſcuſſo enim omni tenui, quod ſupereſt, concretionem lapideam nanciſcetur.

7. Etenim generatio quoque nodorum arthriticorum talis eſt,ex humore craſſo,lentoque,non paulatim diſcuſſo,ſed confertim exſiccato à violentis medicamentis.Sic etiam in renibus lapides gignuntur,aſſato in illis humore craſſo, lentoque.Hanc ob cauſam in diſpoſitionibus ſcirrhoſis nullum medicamentum validè calefaciens & ſiccans convenit: illa verò ſola,quæ cũ eo,quod emolliunt, diſcutiunt,qualis eſt medulla cervina & vitulina, ſebum quoque caprinum, taurinum & leoninum. Præter hæc etiam thymiama Ammoniacum, & bdellium utrumque,maximè Scythicum,quantò mollius eſt. Eodem modo & ſtyrax humidior ſicco melior eſt. His ſcopis intentus poteris etiam mederi diſpoſitionibus compoſitis,eâ methodo,quæ eſt in omnibus compoſitis morbis.

COMMENTARIUS.

8. De ſolo Glaucii ſucco,& compoſito διαγλαυκίȣ, monebo hoc, In univerſo Gal. de facc.ipſius non eſſe illuſtriorem locum hoc ipſo. Viſe ad Off.noſtrorum l.2.c.145.ſed præmonitus,Nihil ſolidi te inventurum. Tanta eſt rei obſcuritas! De bdellio Scythico quid ſomniârim olim,videre eſt ibidem cap.22.

CAPUT V.

1. Mihi autem videtur tempus inſtare dicendi de differentiâ locorum affectorum,quam ſemper obſervandam eſſe cenſeo in omnibus morbis & ſymptomatis. Dicta quidem non pauca ſunt in ſup.libro,quà de indicatione a illis ſumtâ.Primus enim ſcopus curationis in omnibus præter naturam tumoribus eſt,in quibus nondum ſunt πῶροι, vacuatio, ſed vacuatio partium ſcirrh laborantium fit ab iis medicamentis,quæ *Emollientia* vocantur à Medicis. Quoniam autem aliæ partes naturâ ſuâ rariores ſunt, quædam denſiores: neceſſari aliæ indigent aliis, & ſpecie differentibus.

2. Quamobrem in tendinibus & ligamentis viſum eſt mihi melius eſſe ac miſcere emollientibus aliquid eorum,quæ τμητικὰ vocantur, in quorum cen primum locum habet acetum. Aliquando igitur utimur illis etiam in aliis pa tibus ſcirreſcentibus,ut dicam paulò poſt: in tendinibus autem & ligament hoc modo: In aceto acerrimo exſtinguo lapidem ignitum. Si poſſum habe pyritem,qui rarus non eſt in magnis urbibus,eo utor:ſi non poſſum habere,m larem accipio. Ita appellant,quo utuntur in molis,in quibus molunt. Deind cum perfudero lapidem aceto, in elato inde vapore cogo ægrum verſare pa tem ſcirrhoſam.

3.Poſthæc iterum impono medicamentum emolliens. Intereà,inde uſq à principio curationis quotidiè perfundo partem oleo, non aquâ. Habe oleum nullam adſtrictionem, ſed ſit exquiſitè tenuium partium, quale Sab

nur

num. Aliquando incoquo illi radicem, althææ, & cucumeris ſylv., & quæ alia eas vires habent. Hoc utor quotidiè.

4. Quæ verò per acetum fit medela, inſtituitur poſt alia, cum præparata eſt pars per emollientia. Excogitavi & alia compoſita remedia ex aceto, quæ interpono mollientibus uno aliquando die. Facultas autem aceti, ſi quis modicè utatur & ſuo tempore, prodeſt his diſpoſitionibus incidendo & diſſolvendo craſſos & viſcidos humores. Quod ſi immodicè, & non ſuo tempore utare, conſumit, quod tenuius eſt, quod manet, ſinit lapideſcere. Quin ſi quis longiori tempore utatur, lædit ſubſtantiam nervoſam. Quare, nec ſæpè uſurpanda ſunt, nec longo tempore illa, quæ ex aceto, in ligamentis & tendinibus. At verò in liene & partibus carnoſis ſcirreſcentibus periculo caret uſus ipſius. Rara enim & hæc ſunt naturâ, nec metus ullus eſt nervum ullum percuſſum iri à facultate aceti. Thymiamate igitur Ammoniaco multi etiam alii utuntur, lieni imponentes lutoſum quid ex aceto & Ammo. factum. Sæpeque hoc ſolùm abſolvit totum opus. Equidem in muſculis aliud ego expertus non ſum: expertus verò ſum ſæpè hoc interpoſitum emollientibus.

5. In iis igitur nulla eſt manifeſta utilitas: præmollificato autem tumore ſcirrhoſo, maximum uſum præbet Ammoniacum in aceto ſolutum. Sufficit autem, ubi uno, alterove die uſi fuimus, reditum facere ad emollientia. Ubi per aliquot rurſus dies uſi ſumus, regredi vel ad Ammon., vel aliquod eorum, quæ dicta ſunt paulò antè. Neque enim aliud quidpiam admovendum eſt, qualia ſunt, quæ ὀξηρὰ vocantur. Propterea ſæpè uſus ſum cataplasmate ex althæâ, quæ ἰνδενδρομαλάχη vocatur, vulgo. Hujus igitur radix, ſoluta cum adipe, bonum eſt heic medicamentum. Sit autem adeps, ſi fieri poteſt, anſerinus: ſi non adſit, gallinaceus. Si ne hic quidem, ſuillo utendum. Sed & folia ſylv. malvæ, quæ vulgò creſcit, lævigata cum aliquo dictorum, proderunt. Sunt autem meliora crudis, quæ præcocta ſunt modicè.

6. Hæc igitur talia, ut & variatio medicamentorum, communia ſunt partibus, quæ ſcirrho laborare poſſunt. Eodem modo & œdematum curatio mutatur dictis differentiis ſecundùm partes: v. g. œdematis, quæ in hypochondriis, non impoſuerit aliquis ſpongiam frigidam ex poſcâ, ut neque aliis tumoribus, qui ibi naſcuntur. Quis autem abſinthio, in oleo decocto, unquam perfudit genu? quis item oculum, aut aliam quamcunque in ore partem? At hepati malè habito, lieníve, ſæpè cum magno fructu applicita ſunt.

7. Atteſtatur illis & experientia non minus evidenter quam ratio. Nunc nos ſolam illam decurrimus methodum, qualis ſit, quæ à ratione dependet. Utramque miſcuimus in opere de medicamentis, volentes Medicum hæc omnia ſcire, tàm quæ ab experientiâ ſunt, quam quæ à ratione. Tertiò denique, quæcunque quovis modo ad curationem concurrunt. His omnibus rectè utetur ille ſolus qui in hac methodo verſatus ſit.

CAPUT VI.

1. HÆc igitur ſufficiant dixiſſe de inflammatione, œdemate & ſcirrho, memores, quod ſcirrhum vocamus tumorem durum & indolentem, non tamen prorſus ſine ſenſu. Talis enim incurabilis eſt: alii omnes videntur repræſentare partem quaſi inſenſilem & difficilis ſenſionis, & ſic non prorſus inſenſilem, ſiquidem naturâ ſenſilis ſit. Ligamenta enim ſcimus eſſe inſenſibilia. Si verò quis ſit, qui eos tantùm tumores velit appellare ſcirrhos, qui prorſus ſunt inſenſiles; eos autem, qui non prorſus, tumores ſcirrhoſos: is ſciat ſe litigare de nominibus, & nos cum illo locuturos, quamdiu cum illo diſputamus. Mos nimirum noſter eſt, ut, ſi quis nominibus gaudeat, iis nos quoque uti, quamdiu res nobis cum illo eſt.

COMMENTARIUS.

2. Niſi fallor, pertinet hæc res ad τὸ αἰσθητῶς, quod quidam additum volebant definitioni morbi Gal., quidam nolebant. Quid opus eſt illo, dicebant quidam, cum curemus ſcirrhos quoſdam, qui reverâ ſunt inſenſiles, adeoque pars affecta, ſi propriè loqui velis, ſit cadaveris potius quàm animalis, quod cadaver jam exceſſit limites Medicos. Hô, dicebat Gal., ad ſenſum quidem tuum talis eſt pars, non ad meum. Ita hecticos habemus pro febricitantibus, quamvis illi negent. Sufficit judicium Medici. Sic de alterâ particulâ, μόνιμον. Satis eſt per horam laboràſſe. Talis erat Colica Gal. 1. Loc. aff. 2. Talis eſt mea hernialis.

CAPUT VII.

1. TEmpus igitur jam eſt, ut agam de inflationibus, quatenus non habent eandem cum œdematis curationem. Illa enim (ut dixi) à pituitoſo humore ſunt, ideò cum premimus digitis, fovea fit ſatis profunda immerſis digitis. Hæ inflationes fiunt, cum coacervatur ſpiritus flatuoſus, quandoque ſub cute, quandoque ſub perioſteis, aut etiam iis membranis, quæ muſculos ambiunt, viſcusve aliquod. Cumulatur etiam non exigua ejus copia circa ventriculum & inteſtina, ut etiam in ſpatio, quod eſt inter hæc & peritonæum.

2. Cæterùm, differunt ab œdematis in hoc, quod foveam non faciant impreſſi digiti, nec verò etiam ſonitum edant, tympani modo. Amplius etiam hoc quod contineantur nonnunquam flatus in cavitate, eâque maximâ. Tibi etiam hic ſcopus eſto, omnibus quidem communis, ut vacues, quod præter naturam eſt, ubicunque locorum ſit: peculiaris verò ſub communi eſt, ut fiat medicamentis, ex cenſu quidem calidis, ſed ſimul tenuiſſimarum partium.

3. In ventriculo igitur & viſceribus tale oleum ſit rutaceum incoctis ſeminibus calefacientibus, quale cuminum eſt, apium & petroſelinum. Aliquando magna cucurbitula, ſine ſcarificationibus, bis aut ter impoſita medio ventri. Tanta & ſic poſita certò comprehendet umbilicum. In artubus autem & muſculis ſubcutaneis, ut & perioſteis ſi inflatio fiat, eaque ſine dolore, liquor aliquis facit, quod ſit tenuiſſimarũ partium, qualis eſt lixivium ſtillatitiũ, ſuſceptâ ſpongiâ novâ: ſi cum dolore, inunctio fiat ex oleo aliquo laxatorio. Tales dolores fiunt etiam ex plagâ, cum vel muſculus ipſe rumpitur, vel membrana perioſteos. Affectâ igitur membranâ ſpongia habet locum: muſculis, (dolent enim aliquando,) requiritur medicamentum, quod fortius lenit dolorem. Quare in his non ſolo lixivio utor: ſed miſceo ἕψημα vocatum, cum pauco oleo. Melius autem foret ab initio non addidiſſe lixivium: ſed defruto uti cum vino & pauco aceto, modico ſuperinfuſo oleo. Hæc ubi miſcueris, & moderatè calefeceris, impone, ſis, lanam illotam, quam vocant οἰσυπηρὰν, miſturâ illâ imbutam, Si non ſit in promtu, œſypon ipſum injicies miſto. Quod autem Atticus ſit melior omni alio, cognoſcis ex te ipſo, etiamſi nullus ego dicam.

4. Quam ob rem & *Cerotum ex ipſo* omnibus eſt notum, & utuntur illo plerique in inflammationibus hypochondriorum. Hoc ipſum, œſypo non apparente, facit quod debet, ſi ſubſtituatur œſypo. Oportet igitur contuſorum muſculorum dolorem lenire per medicamentum, quod miſtam habeat facultatem coquendi & digerendi cum modicâ adſtrictione. Nam hujus ſi nihil aſſit, auget aliquando inflammationes, præſertim in corporibus plethoricis.

5. Memor igitur trium dictorum ſcoporum, in iis, qui inflatione laborant ob plagam quandam muſculorum, ſi dolor ſit majuſculus, utere medicamentis paregoricis: ſi non liceat, aliis ſtrenuioribus. Voco autem ἀγωνιστικά, quæ brevioribus ſemitis ad finem ducunt. Breviores ſemitas dico, quæ fiunt per medicamenta, quæ validiores facultates habent. Valida autem facultas eſt, maximè in lixivio & aceto: deinde in vino. Quare horum quidem plus miſcebis, ſi paregoricis non utare: rurſus, ſi voles repellere, injicias plus vini, (tu puta, nigri & auſteri:) at diſcutere ſi tibi ſit animus, plus lixivii: acetum ſi miſcueris, utrumque præſtabit. Ideò miſtam habere facultatem dictum eſt. At verò cum muſculus eſt abſque dolore, licet tibi, ſi lixivium præ manu non eſt, loco illius uti aphronitro.

6. Hoc verò non ſit lapidoſum, ſed ſpumoſum potius. Eſt autem hoc quidem (ſpumoſum) durum & ſiccum, quod difficulter diffunditur, dum miſcetur aliis humidis: hoc autem ſpumoſum, molle & laxum, quin & candidius lapidoſo, & hoc celerrimè miſcetur cum humidis. Tum verò efficacius eſt, cum tenuius eſt.

7. Quæcunque ex his inflationibus diurnant, primùm quidem, ut dixi, utere illo, quod ex lixivio: deinde autem emplaſtico quodam. Hujus exemplum ſit. Strigmenta gymnaſiorum liquefacta trajice per colum, ut pura fiant. Deinde ite-

rum impone cacabo calcem inexſtinctam, farinæ in modum levem, tantum, quantum facere poſſit luti craſſitiem. His talibus convenit etiam medicamentum, quod ex ſycomoro, & quæ alia talia.

8. Nunc enim, ut dictum eſt ſæpè, exempla tantum ſcribo eorum medicamentorum, quorum facultas univerſalis ſub methodo Therapeuticâ eſt. Ut autem ſcribuntur heic exempla medicamentorum propterea, ut & tota methodus facilius cognoſcatur, & materia ſit facilior inventu: ita partium affectarum corporis. Exempli gratiâ. Eſt affectus quidam, πριαπισμὸς vocatus, quia pudendum involuntariè arrigitur illis, qui ita diſpoſiti ſunt, quod conſpicatus quis, in his exercitatus hypomnemaſi, ſtatim agnoſcet, ex genere inflationum eſſe, recordatus quippe eorum, quæ in Anatomiis docentur de naturâ hujus partis, nec minus in Phyſicis, quæ de actionibus ipſius, uſibusque. Hinc enim non difficulter agnoſcet illud, Impletum vaporoſo ſpiritu fiſtuloſum illum nervum, qui conſtituit ſubſtantiam pudendi, efficere hunc affectum.

9. Didicimus autem alibi, ſpiritum flatuoſum gigni in animalium corporib. ex humoribus ſenſim excalefactis. Ubi enim calidum nativum robuſtum eſt, humor autem partis perfectè elaboratus, in vapores tenues ſolutus, per inſenſilem transſpirationem abit. Ubi autem contrà aut debilius eſt calidum nativum, aut humor naturalis ſemicoctus, craſſus & lentus: ibi vapor eſt craſſior, quàm ut difflari poſſit. Hoc potiſſimum tum fit, cum pars fit denſior ſe ipſâ. Sæpè etiam accidit, ut humor in parte contentus, frigidiuſculus fiat, craſſus & lentus: auctus autem calor ſolvit illum in vapores non diſſimiles.

10. Hoc vel inprimis conſiderandum tibi eſt, & definiendum, tanquam tale, quod ad curationes facit. Principium enim commune eſt utriusque affectus, ut præevacuetur totum corpus eâ vacuatione, quæ congruit. Dictum autem ſæpè eſt de præſidiis vacuatoriis, quæ ſunt venæ ſectio & purgatio, quæ (purgatio) fit vel per ὑπήλατα, vel per ἀνωτερικὰ, quæ etiã ἐμετικὰ. Præterea frictio frequens, omnisque motus, ut & balnea, præſertim, quæ διαφορητικὰ (ex thermalibus aquis.) Ita & acria inuncta diſcutiunt, & in univerſum omnia, quæ calefaciunt & ſiccant.

11. Per accidens & inedia dicta fuit vacuare, præcipuè, ſi aër ſit calidus. Quidquid igitur ex omnibus his ægro amicabile ſit, eo utatur. Hoc geſtet, & quidem frigidum, ſi affectus ita calefactus ſit, & ſuper parte, & ſuper totis lumbis, pro menſurâ caliditatis, & hoc quidem in principio tantum. Poſteà enim nihil neceſſum eſt. Victus præſcribendus eſt minimè flatulentus, isque ſiccus.

12. Hic morbus evenit non valdè multis, & quibus evenit, juvenibus, aut non procul hinc egreſſis. Venæ etiam ſectio convenit, vel ideò quia ætas non repugnat. Quendam à me curatum intra triduum, ad opus ſuum redire vidi. Auxilia erant venæ ſectio, & remedium hoc. Cerotum roſ. ſimplex liquefeci in aq. frigidâ, (erat autem æſtas:) & uſus ſum, quomodo in fra-

ſturis oſſium ſolemus,impoſui putendo,& muſculis,quos ψύας vocamus. Et hic quidem ſic curatus eſt.

13. Alius,ut & hic,poſt venæ ſectionem,humido medicamento ex chamæmelo. Soleo etiam dare illis aliquid Nymphææ, inprimis à principio. Deinceps viticis ſemen, & (ſi tamen duret:) rutæ in copiâ comedendum. Eſt enim & hoc ferè præceptum omnibus commune in vitiis, quæ originem habent à pravis humoribus,quemadmodum in declinatione calidis & ſiccis uti. Hæc enim perfectè abſumunt reliquias humorum.

CAPUT VIII.

1. Linguam porrò ita tumefactam vidimus, ut neque ore poſſet contineri, venam ſecuerat nunquam, & jam pervenerat ad annum 60. Erat, cum ego viderem primùm,hora diei quaſi decima. Videbatur mihi purgandus eſſe uſitatis pilulis,quas paramus ex aloë, ſcammonio, & colocynthide, dato medicamento ad veſperam. Loco ipſi imponere ſuaſi frigidum quid,certè primo illo die.In poſterum enim,ajebam,accommodabimus nos eventui. Verùm,uni ex Medicis hoc diſplicuit: quare pilulas quidem ſumſit: rejecta autem eſt conſultatio de topico in diem poſterum.

2. Et ſpes erat,id,quod applicandum eſſet,tanto fore felicius,quod & corpus jam perpurgatum eſſet,& revulſio facta ad inferiora. Sed intervenit noctu ægro ſomnium evidentiſſ. ,quod & meum approbavit conſilium, & definivit materiam auxilii,lactucæ ſucco colluendum eſſe os jubens. Quod cum feciſſet æger,ſolo eo adjutus eſt perfectè,& opus non fuit alio.

3. Cæterùm,in Priapiſmo utendum potius vomitoriis fuiſſe quàm per inferiora purgantibus,fundamentum habet in Hipp. doctrinâ, contrà quàm in linguâ. Et luce omni clarius eſt,indicationem oriri ex ſitu partium curandarum.

COMMENTARIUS.

4. Poſt meditationem longiuſculam prodeo tandem, & doctrinam de Tumoribus præter naturam amplifico novo augmento. Ita loqui mihi liceat: quia Gal.quidem vidit,noſtri autem Practici conniventibus oculis prætereunt, licet ſuprà quoque tale quid fuerit,fine l.12. ubi unguem impreſſi.

5. Primum autem hoc noto,quod Gal.ait princ.cap.ſup., ſe de tum.flatuoſis,quos ἐμφυσήματα vocat,ſeorſim acturum,quatenus non habent eandem curationem cum œdematis. Quam verò illam dicis? Oedemata curantur calidis, quia ex pituitâ: tumores flatuoſi frigidis,ut lactucæ ſucco. Quid? inquis. Portenta hæc verborum ſunt? Imò verò res eſt,ut doceberis in ſeq. Ill. enim Cæſalp. 2.Quæſt.Med.23.in genere demonſtravit,flatus quidem generari à calore: curari autem frigidis.Galenum audis heic ſucco lactucæ feliciter uſum eſſe.

6. Deinde & hoc, Eundem, Priapiſmum cenſere cum tumoribus præter naturam, quem, ne in propriâ quidem edit., attingit Ill. D. ab Aquap. Ego illud in fine laudo, Rectè Gal. per ſuperiora purgâſſe. Si enim aliter feciſſet, traxiſſet ad locum affectum.

7. Alter affectus eſt inflatio linguæ, Practicis tam deſpicabilis, ut non meminerint. Fortaſſis etiam odioſus, propter curationem abſurdam, ut videtur illis. Ego verò rogo etiam illos parcius agant? Medicamentum enim tantùm non nobilitavit oraculum nocturnum. Idem ita confirmavit in ſede ſuâ Cæſ., ut ſilentium ſit paratum illi, qui exturbare voluerit.

8. Sed & latius extenditur à Cæſ. 7. Artis 25. ad hydropem ſc. tympaniten. In hunc liceat paululùm exſpatiari. Quid enim aquæ cum tympano? Imò, ſi verum licet dicere, Tympanites nihil commune habet cum aquâ: Imò eſt tumor flatuoſus, ideò curatur frigidis, & habet Cæſ. experientiam Balnei de Aquis in agro Piſano, quod ferrum habet.

9. Tractavi ſuperioribus annis tympaniticam, quæ ex colicâ facta fuerat talis. In quâ ſi paritum mihi fuiſſet, & admiſſus victus Gal. ex ptiſſanâ & temperatis, fortaſſis res habuiſſet alium eventum. Ac ne tu mihi temperata porrò contemnas, accipe hoc tantùm. Cuidam, ſalſo catarrho laboranti, miſſus fuerat Syr. de betonicâ, cujus uſu quotidiano ita attemperatum eſt cerebrum, ut & ſalſedo evaneſceret, & metus omnis phthiſeos. Sed quo ſcopo? Refrigerando. Hinc in has veni cogitationes, ψυχότροφον dictam fuiſſe olim. Vide χς. παθολογ. c. 142.

10. Hunc ipſum ſcopum commendatum jam eſſe volo omnibus Practicis in Tetani curatione, Emproſthotoni, Opiſthotoni, Spaſmi vulgò dicti, adeoque Epilepſiæ omnis, REFRIGERENT. Hoc Ariſt. hypotheſis vult: hoc Gal. perſuadet hoc loco: hoc Cæſalp. in Quæſt. Med. deduxit: hoc praxis quotidiana corroborat, &c. Huc non perveneram, cum χς. παθ. ſcriberem.

CAPUT IX.

1. IAm tempus eſt transeundi ad alium tumorem, à re potius initium ſumentes quàm ab appellatione. Hæc enim indubitatò eſt & reverà ſcientifica diſciplina. In omnibus his tumoribus affluere humorem quendam, demonſtratum eſt l. de Tumor. præter naturam: quod verò non unus aliquis ſit in omnibus, ex ſenſu manifeſtò apparet. Differunt enim inter ſe, non ſolo dolore, ſed & caliditate, frigiditatéve, duritie, mollitiéve.

2. Tumor igitur ruber manifeſtè indicat ſanguinem, veluti flavus aut pallidus talem bilem. Subalbus verò & flaccidus pituitam. Præter hos & alii fiunt, colore quidem inter album & nigrum, qualis eſt fuſcus color. Vocant plerique Medicorum, cum in parte aliquâ apparet, πελιδνὸν, *lividum*. In his ipſis tumoribus ſatis multum reniſus eſt. Et, ſi pars obtinet venas inſignes, videris illas eminen-

nentiores ex craſſo & quodammodo nigriore ſanguine, qualis ſæpè plerisque hepaticorum per alvum excernitur. Hunc quidam Medicorum non malè videntur mihi aſſimilare fæci in doliis vinariis ſubſidenti. Hic humor plus juſto excalefactus, aut propter putredinem, aut propter febrim inflammatoriam, atram cauſatur bilem, quam neque ullum deguſtat animal, neque muſcæ, ab illâ raditur terra, & quacunque partem contigerit, in tumorem ab illâ attollitur. Et vocatur id quod fit, ut alicubi & Plato loquitur, ζέσις καὶ ζύμωσις. Eſt enim talis humor, quale diximus acetum eſſe, quo ipſo in terram effuſo, idem fit ſymptoma. Ideò appellant veteres talem humorem ὀξὺν, quemadmodum flavæ bilis πικρὸν. Hic ipſe humor non minus in vomitibus ſe oſtentat.

3. Ut enim paulò antè dixi, unum quidem πάθος fieri ſcirrhum exquiſitum, cui cum aliis inſenſibilitas ſocia eſt: alios autem tumores, qui nondum omninò inſenſiles ſunt, vocari à Medicis dupliciter, aut ſcirrhos, (quia ſunt ex genere ſcirrhorum:) aut tumores ſcirrhoſos. Ita etiam in humoribus ſe habet res. Quæ enim indubitatò bilis atra jam eſt, qualem jam dixi, quæ & acida eſt, & fermentat terram, & omni animali ingrata eſt: quæ autem fieri talis poteſt, vocatur dupliciter, aut melancholicus humor, aut flava bilis, dicentibus, qui illam ſic nominant, alteram eſſe ſecundum naturam & gigni quotidie: alteram ex combuſtione, & quaſi aſſatione produci.

4. Quod autem ſemper dico, Negligenda quidem eſſe nomina, accuratam autem rerum ſcientiam eſſe exercendam: ita heic quoque faciendum. Vocabimus igitur tumores præter naturam ita ut τὸ ἐπιχειρητικὸν juſſerit: ſermone autem ita explicabimus, Fieri tumores quosdam ab humore tali, qui ſit vel quaſi fæx vini, vel quaſi amurca olei. Et, quod tales, progreſſu temporis, putreſcente humore in vaſis, in quæ quaſi cuneo adacti ſunt, exulcerentur.

5. Quemadmodum igitur alii morbi omnes multas particulares differentias habent in eo, quod ſecundùm magis & minus eſt: ita & hoc. Inflammatio igitur quædam intenſè rubra eſt: quædam paulò rubrior, quam naturâ ſolet eſſe. Utrique enim idem eſt ſive genus, ſive ſpecies, ſive quo alio nomine appelles. Rubriores enim ſunt quàm pro naturâ, dolor omninò comitatur, & is quoque in differentiâ majoris & minoris. Sic etiam non in omnibus eſt eadem renitentia, ſive tenſio cutis: ſed commune omnibus hoc eſt, tenſius eſſe quàm ſecundum naturam erat, elatius etiam, extenſâ ſimul & attenſâ cute tantùm, quantùm tumor vult.

6. Sic & nunc nobis expoſitus tumor, aliquando quidem exigua & obſcura infert ſymptomata, quæque non animadvertit quivis è vulgo: aliquando verò tam fortia & magna, ut nec puerum lateant.

7. Verum, commune illud, quod in omnibus particularibus eſt, & trahit ad ſe mentem, eſt unus ille morbus, qui unam appellationem cogit nos ponere. Ubi igitur omnia magna ſunt, nemo aberrat à denominatione: ſed concorditer vocant

cant omnes *Cancrum*. At verò cum incipit, veriſimiliter decipit vulgus, non minus quàm plantæ jam-jam terrâ erumpentes. Hæ enim cognoſcuntur à ſolis peritis agricolis.

8. Quæ igitur communis, quæ propria cancri indicatio ſit, jam dicere tempus eſt. Communis eſt, quamprimùm expurgare humorem facientem illum, ſimili expurgationis genere, quo cæteri jam dicti tumores: deinde prohibere, maximè quidem, ſi fieri poteſt, ne cumuletur in venis talis humor: ſi non, tamen vacuare omni ingenio, idque per intervalla, ſimul & roborare partem, ne quid feratur eò humoris ſuperflui.

9. Quemadmodum igitur bilioſum humorem vacuamus medicamento ſolito ducere hunc humorem: ita & melancholicum vacuabimus, aut ſimplici aliquo, quale epithymus eſt, cujus doſis ℥iiij in ſero lactis aut melicrate, aut compoſitum aliquod, quale noſtrum eſt ex 32. rebus factum. Sed horum materiam alibi deſcriptam habes: heic dicantur, quæ pertinent ad methodum.

Actuar. habet Hieram diacoloc. quæ aſcendit ad hunc numerū

10. Poſt purgationem enim de his omnibus dictum eſt anteà, quod vel retrò pellere oportet humorem irruentem, vel diſcutere. Et, quod in principio, ipſoque purgationis actu, & antè ipſam, repellendum eſt factâ purgatione exquiſitâ totius corporis, diſcutiendum. Ubi obſervandum, ſicubi purgatio intra mediocritatem ſteterit, miſtum eſſe debere medicamentum ex facultate diſcuſſoriâ, & repulſoriâ. Utraque harum debilis eſt in hoc humore craſſo. Debilis, quia parùm movent. Nam & validæ* tenuiores quidem humorum partes aggrediuntur: craſſiores autem (quas fæci ſimiles facimus:) relinquunt immotas. Itaque, qui his utitur, in principio quidem manifeſtum decrementum ſentiunt: quod ſupererit, difficilem habebit ſolutionem. Propterea moderatis utendum, quæ nec ſuperentur ob debilitatem, nec ſuperent incraſſando nimis ſanguinem, ob vehementiam actionis. Præterea debent omninò morſus expertia eſſe. Malignitas enim hujus morbi ab acrib. augetur, &, ut loqui ſolent, quaſi in beſtiam mutatur.

11. Quare, quæcunque in facultatibus moderata ſunt, & in qualitatibus morſûs expertia, talibus affectibus competunt. Copia autem materiæ exhibetur in doctrinâ Simpl., metallica ſc. uſta & lota. Quæ enim ex his componuntur medicamenta egregiè curare poſſunt cancros incipientes, non ſine tamen purgationibus: qui autem jam notabiliter excreverunt, eos augeri prohibet: qui jam curati ſunt, ne fiant iterum, eos præſervat ars tuendæ Sanitatis, cujus pars eſt diæta.

12. Cæterùm, ſi per Chirurgiam curare voles, fac initium à vacuatione humoris melancholici: exſcinde autem accuratè, quidquid affectum eſt, ne qua radix relinquatur. Sine autem benè effluere ſanguinem, nec ſubitò ſupprime, quin exprime vicinas venas, ut abeat craſſus ſanguis, & tracta poſteà ut alia ulcera.

COM-

COMMENTARIUS.

13. Principium hujus cap. malè habet. Duo autem præcipuè ſunt, quæ incurrunt in alia Gal loca. Alterum, qui reverà ſint Hepatici veterum? Hos invenies Coll. de Ichoribus, quâ de Ichore miti. Alterum, quæ inter atræ bilis ſpecies ſit fera illa, ut poſteà appellat, quæ præcipuè cancrum facit? Quæ ex flavæ bilis ſpecie aliquâ. Vide Tract. de Humor. cap. prop. An παρεσμλύνει Gal.? Valdè puto.

CAPUT X.

1. PORrò eſt & aliud pathos, ortum ab humore craſſo & ebulliente. Hoc ferè initium capit ex phlyctænâ: aliquando tamen ſine illâ, cum pruritu tamen, ob quam ſcabunt partem, ex quâ ſcalpturâ ſurgit phlyctæna quædam, quâ ruptâ ulcus ſe oſtendit cruſtoſum. Sæpè fit, ut poſt ſcalpturam exſiliat non una phlyctæna, ſed multæ parvæ, milii ſemini non diſſimiles, adeò crebræ in parte ſunt, quibus diruptis (& in ſe apertis,) ſimiliter fit ἐσχάρα, *cruſta*. In peſte Aſiaticâ prodibant carbunculi ſine phlyctænis, exulceratâ ſtatim cute.

2. Summa, omnibus fit ulcus cruſtoſum, modò lividum, modò nigrum: at omnis circumcirca caro extremum concipit incendium, quamvis non ſemper eryſipelatis adſit calor, ſed ſimul inflammationis, adeoque tale eſt, quale fit, cum rubro multo parùm nigri additur. Hi neceſſariò febricitant, & multò magis illi, qui laborant inflammatione eryſipelatodi. In his ordiendum eſſe à venæ ſectione, notum eſt omnibus, ſi modò meminerunt eorum, quæ de febrib. dicta ſunt. Non obſcurum etiam eſt, ſi ad lipothymiam uſque extendatur vacuatio, plus profuturam, niſi alia ſint, quæ prohibeant venæ ſectionem. Super parte affectâ, ratione caloris flammei, opus eſt refrigeratione. Ratione craſſi humoris, in quo malitia, nunquam fluxionem averteris: ſed ſias voti campos, tamen aliquid aliud in profundo excitâris. Interim non oportet ſinere affluxum, ſed inveſtigare medicamenta, quæ diſcutere poſſint cum modicâ repercuſſione. Tale eſt cataplaſma ex plantagine, vel ex lentibus coctis, admiſto panis teſtuacei tanto, ut molle adhuc ſit. Sit verò panis, nec planè purus, nec planè furfuraceus. Ille enim plus quàm par eſt emplaſticus eſt: hic autem craſſiorum partium.

3. Ipſi ulceri imponere oportet medicamentum aliquod validum, quale fuerit paſtillus vel Paſionis, vel Andronis, vel Polyidæ, quem ſolves vino aliquo dulci, ut habeat conſiſtentiam ſtrigmentitiam. Huc faciunt ex vinis Theræum & Scybelite. Quæ ſi non adſint, Siræo eſt utendum, quod nos ἕψημα vocamus.

4. Quæ verò aliis ulceribus imponuntur medicamenta concoquentia & ſuppurantia, ab his ſcopis aliena ſunt. Augebis enim putredinem partis. Quin tales tumores alienum à ratione non ſit ſcarificare, præſertim, ſi phlebotomia anteceſſerit. Sint autem inciſuræ moderatis profundiores, propter craſſitiem humoris peccantis. Ubi incendium fuerit ſedatum, ulcus ſanabis eo modo, quo ſolent alia. Dixiſſe mihi hæc quoque ſufficiat de Carbunculis.

COMMENTARIUS.

5. φλύκλαινα cum ſit ejusdem ſignificati cum τῷ ἐξάνθημα, non libenter muto in *Puſtulam*, quæ *pus* præſuppuit. Ita τὸ καταπυκνῶσαι, quod ſequitur, ad *Numerum* libentius refero quàm ad *Subſtantiæ denſitatem*. At ita activum erit? Non refert.

CAPUT XI.

1. DEinceps meminero aliorum tumorum, & primò quidem eorum, qui χοιμάδες vocantur, & fiunt ſcirrheſcentibus glandulis. Cura eorum, quatenus morbi ſunt, communis eſt cum aliis ſcirrhis: quatenus harum partium, aſſumit duos alios ſcopos.

2. Quo loco præſtiterit diſtinguere nomina, clarioris doctrinæ gratiâ. Quæ enim cunque glandulæ implent ſpatia vaſorum diviſorum, fiuntque fulcra diviſionis illius, harum non eſt magnus uſus in animali, ſed factæ ſunt ab excellenti quâdam providentiâ, ut & alia. Quæcunque autem aut ſalivam præparant, aut lac, aut ſemen, aut pituitoſum quid, ut in Meſenterio fit, faucibus & larynge, earum amplior eſt uſus.

3. Et ſunt inter doctos, qui has ne quidem glandulas vocare volunt: ſed glandoſa corpora, quod multò rariore & ſpongioſiore, ſint ſubſtantiâ. Quin ingrediuntur in has venæ & arteriæ ſenſibiles, & ſi contigerit illis ſcirrheſcere, curantur ut aliæ partes omnes ſcirrheſcentes. Quæ verò vaſis interjacent, iis accedit alius curandi modus, cum morbus tollitur cum ipſâ parte. Eſt verò & hic duplex. Aut enim totum exſcindimus ſcalpello, ut in cancro: aut medicamentis ſepticis putrefacimus. Horum materiam ſcripſimus in doctrinâ Simpl.

CAPUT XII.

1. MIhi verò occaſio hinc naſcitur loquendi de aliis quoque tumoribus, quorum primus eſt *Apoſtema*. Hujus duplex etiam genus eſt, alterum, cum verſâ in pus inflammatione, cumulatur pus quaſi in ſinu quodam: alterum cum ſine prægreſſâ inflammatione, ſtatim ab initio, humor aliquis, modò hujus modi

modò illius generis, ſed qui prorſus cum acrimoniâ, colligitur in parte aliquâ, ubi excoriat quidem vicinas partes, ſpatium autem ſibi parat, aut inter duas tunicas, aut in quibusdam membranis. *Ita corrigo. Tu videris amplius.*

2. Excoriat autem prorſus, vel copiâ diſtendendo, vel cum tempore aſcitâ acrimoniâ putredinali. In his abſceſſibus, ſcalpello apertis, inveniuntur certa quædam, non tantùm ad humores referenda, ſed ad ſolida quoque non pauca. Inventa enim ſunt quædam unguibus ſimilia, quædam crinibus, quædam oſſib., quædam lapidibus: quædam fragmentis teſaceis: inventum eſt & quaſi cœnum, lutumve: quin amurcæ olei, vinive fæci ſimile, tam fætidum, ut omnes abominarentur.

3. Sed hæc rariuſcula: frequentiora ſunt tria, quæ nomen acceperunt à contento proprio, ἀθήρωμα, στεάτωμα, μελικηρὶς, à ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum. Eſt enim quædam, quaſi ſebum, quædam quaſi mel, quædam quaſi puls. Communes curationis ſcopi ſunt, aut diſcutere contentum, aut putrefacere totum, aut denique exſcindere. Quidam igitur tumores omnibus tribus modis curari poſſunt, in quibus ſc. eſt humor tenuior, ut in meliceride. Quidam duobus ſolis, ut atheroma. Exſcindi enim & putrefieri poteſt. Steatoma ſolâ chirurgiâ curari poteſt, non vel digeſtione vel putrefactione.

4. In apoſtematis autem in profundo ſitis, & maximè in viſcerib. utiliſſima medicamenta ex aromatis, quorum facultas eſt, partim digerendi, partim diſcutiendi collectum humorem. Sunt & alia plura, inter celebria autem, cum id, quod ex viperis fit, quod antidotum *Theriacam* vocant, tùm *Athanaſia* vocata & *Ambroſia.* Et hæc quidem pretioſa ſunt: vilium autem optimum eſt noſtrum illud *Diacalaminthes.* Omnia hæc congerimus in operib. medicamentariis, ut paulò ante dictum eſt, & præſtat heic addere tribus illis, ne quid deſit ſermoni.

CAPUT XIII.

1. QUoniam ea, quæ à Chirurgo fiunt, ſcopos habent partim communes, partim proprios: videtur mihi conſultum non diſpeſcere illos, ſed ſimul omnes exponere extremo hujus operis. Nunc autem id tantum ſupereſt dicendum de tumoribus præter naturam, quod, qui ex iis toto genere præter naturam ſunt, indicent ſui ablationem quidem, ſed ſunt ab alio & communiori ſcopo, qui ſe extendit in omnia talia, quæ totâ ſubſtantiâ receſſerunt à naturâ, ut ſe res habet in atheromatis & ſteatomatis.

2. Hujus generis eſt & vocata μυρμηκία, & ἀκροχορδὼν, ut & calculus in veſicâ, & ſuffuſio, & molæ conceptus in fæminis. Vocant autem ita carnem informem. Omnia enim hæc feſtinamus tota exſtirpare, quorum pars affecta eſt una illarum, quæ ſecundum naturam, in quibus primus ſcopus eſt curare morbum: poſt illum ſecundus, cum malum eſt incurabile, ſimul cum morbo auferre partem, ut fit in cancro, & omnibus ulceribus incurabilibus.

3. Viciſſim, ut in ſuffuſione, cum primum ſcopum attingere non licet, traducimus membranam in locum alium ignobilem. Alii etiam hanc eximere tentârunt, ut dicam in Chirurgicis. Nunc tantùm dixiſſe ſufficiat, aquam in hydrocele alienam eſſe à ſubſtantiâ corporis totâ naturâ, ut & eam, quæ in hydrope aſcite colligitur. Vacuatur autem vel per diaphoretica, vel per chirurgiam. In hydrocele quidem immiſſione ſiphonis: in hydrope at per παρακέντησιν.

4. Exſcinditur unà cum morbo pars loci affecti, ut in antè dictis, ſic & in herniosis pars peritonæi. Eodem modo aliquando abſcinditur pars gurgulionis cum ipſo morbo. In cruribus pariter & circa varices venæ quædam, ut & tunica narium in polypo, & dens perforatus cum foramine. Nempè, nihil horum reduci poteſt ad ſtatum naturalem. In gurgulione autem prorſus id faciendum eſt: imò properare oportet ad exciſionem, cum vid. tum gracilis ſit, & lori inſtar, quo tempore prorſus auferre oportet.

5. Talem enim facit tempus longius: quin qualem deſcripſit Hipp. in Progn. ſit intra paucos dies. Sic & alia, quæ ſecundum magnitudinem mutantur in ſtatum præter naturam, in quorum cenſu ſunt ulcera, cum caro in illis luxuriat, encanthis, & circa ſedem vocati thymi.

6. Inter hæc ulcera quædam ambigunt ſpecie, quemadmodum & cicatrices, quæ multùm ſuper cutim eminent, & in oculis vocatum πτερύγιον. Scopus quidem curandi in illis curandis manifeſtus eſt: exſcindere autem omnia oportet. Quâ in re eligere oportet modum, qui optimus ſit. Sunt autem dijudicandi * tres ſcopi, ut & citò abſolvatur curatio, ut ſine dolore fiat, ut tuta ſit, & ſecura.

7. Securitatis rurſus alii tres ſcopi ſunt, unus quidem & primus, ne erret in curâ: ſecundus, ſi error contingat, ne ægro ſit fraudi: tertius, ne facilè redeat malum. Secundùm hanc normam judicandi tibi optimam rationem curandi in omnibus hactenus propoſitis, invenies aliquando quidem præſtare illam, quæ per Chirurgiam ſit: aliquando illam, quæ per medicamenta. Quæ per Chirurgiam, certè in iis, quæ nunc agimus, properat ad ablationem, volens totum id excidere quod præter naturam eſt toto genere. Hoc voto ſi exciderit, alter ſupereſt illi ſcopus, transpoſitio, ut in ſuffuſione ſit. Quæ per medicamenta, primum quidem ſcopum habet vacuandi & diſcutiendi, quod præter naturam: qui ſi impoſſibilis ſit ob partis naturam, aut quod morbus ipſe ſit inſanabilis, & ſuppurandi & putrefaciendi. Et hic alter eſt ſcopus, ut dixi.

8. Sic igitur & in gurgulione facimus, cum primùm quidem in ſtatum ſecundum naturam reponimus: quâ ſpe ſi fruſtremur, perfectè excidimus, aut ope Chirurgicâ, aut medicamentis cauſticis. Sed præſtat medicamenta quidem reſervare operi proprio, (poſtquam viſum fuit tribus jam ſcriptis addendum eſſe quartum;) Chirurgiam autem collocandam in fine hujus operis.

CAPUT

CAPVT XIV.

1. NUnc igitur amplius heic ſtandum non eſt, ſed tranſeundum eſt ad ea, quæ vicinæ ſunt curationis. Sunt autem hæc, quæ vel ſuperant in numero & quantitate, vel in utroque deficiunt. Et jam quidem τοῦ προσήκοντος verbo uſus ſum: alibi ſi τοῦ συμφέροντος, aut ſecundum naturam, aut τοῦ χρησίμου, idem dictum volo. Et dixi de his alibi prolixius; videtur autem mihi rectè me facturum, ſi omnia repetam per capita.

2. Primum, eorum, quæ in corpore, quorum maximè indigemus, eſt actio partium non impedita, quam dum habemus ſecundum naturam, ex longâ conſuetudine dicimus, deſiderare nos operationem ſecundum naturam. Hoc quia copulatum eſt illi, quod ſecundum naturam eſt, rectè putamus, nihil differre, ſive dicamus, ſecundum naturam ſe habere, ſive ſecundum naturam operari. Sed & ſine additamento quandoque dicimus, deſiderare nos id, quod ſecundum naturam, ſubaudientes τὸ ἔχειν, aut ἐνεργεῖν, aut utrumque.

3. Hæc igitur cauſa eſt, cur Medicis rectè uſurpata ſit vox hæc κατὰ φύσιν de omnibus, quæ in corpore eſſe volumus. Sciendum autem eſt, quod non primò, neque per ſe eſt expetendum id, quod ſecundum naturam eſt: ſed ſecundariò & per accidens in quibus Natura cadit fine ſuo. Sextus enim digitus quibusdam à nativitate eſt, quemadmodum quintus ab eodem tempore deficit, & quædam alia talia, in quibus erratum eſt à naturâ, tàm in numero, quàm in magnitudine.

4. Hæc errata ſi ſæpius acciderent, rariora autem eſſent rectè facta, contrarium de naturæ operibus ſtatueremus, non conſervantes illa, ſed tollentes.

5. Hic ſermo ſemper tibi ſit in memoriâ, multum quippe conferens ad rectum nominum uſum, cum minus conſideratos fallere poſſint, & præbere opinionem diſſenſus, ſi quis dicat, quodcunque præter naturam eſt, exſcindendum eſt: alius verò, exſcindendum eſſe id, quod lædit, quod nullum uſum dat, quod officit.

CAPVT XV.

1. ITerum igitur ad principia reverſi, dicamus de reb., poſtquam definiimus, quæ ſpectant ad nomina, hinc orſi. Morbis, qui dicti ſunt, adjacent morbi, qui in numero aberrant, aut magnitudine decenti. Ab his demere quidem oportet, quod ſuperat vel in numero, vel in magnitudine: adoleſcere autem facere & producere, quod deeſt, ſi per rerum naturam fieri poteſt. Quintum igitur digitum aut tale quid facere, in Medici poteſtate non eſt: ſed opera ſolius Naturæ ſunt omnia iſta. Quod enim numero excedit, aut in totum auferre, aut tollere, quod præter modum auctum eſt, impoſſibile nobis eſt.

2. Unum igitur naturæ opus eſt non minimũ, cum corpus excreſcit in tantam carnis molem, ut neque ingredi ſine moleſtiâ poſſit, neque ſedere præ tumore

abdominis,neque reſpirare liberè,id colliquefacere,& quovis modo conſumere. Æquè nimirum,ut,cum corpus eſt atrophon,quod ii experiuntur,qui phthoë laborant,oportet reficere, (ſeu,ut illi loquebantur,recorporare.)

3. Sæpè verò fit,ut laboret atrophiâ non totum corpus, ſed pars aliqua,ob prægreſſam vel paralyſin,vel intemperiem partis.

4. Tibi verò hoc negotii nunc datur, ut cogites de curatione, initio facto ab iis,qui in corpulentiam inciderunt. Demonſtratum eſt l.de Temp.quod temperies calidior & ſiccior corpus facit gracile. Talem igitur parare te oportet in propoſito affectu,ut ad mediocritatem redigatur. Didiciſti autem non ſolum ex dictis libris, ſed & ex iis, quæ de San. tu., quod ſtrenua exercitia cum victu attenuante,nec non medicamentis talibus, curisque, arguunt intemperiem calidam & ſiccam, & propter hanc corpus gracile. In exercitiis quidem curſus concitatiſſimi maximè locum inveniunt: de victu attenuante ſeorſim ſcriptus eſt mihi liber ſingularis. Si verò opus ſit medicamentis etiam attenuantibus, locutus ſum de iis quoque in libris medicamentariis: dicam tamen & nunc, quæ efficaciſſima ſunt in hoc genere,quibus cenſeo utendum tibi in caſtigandâ corpulentiâ nimiâ.

5. Quibus igitur utuntur quidam, in affectibus arthriticis, medicamentis valdè inciſoriis: iis utere tu quoque, cum tentabis exceſſum carnis curare. Sunt autem hæc, rutæ ſemen, & præſertim ſylv. cum ipſis corymbis, Ariſtolochia rotunda, Centaurium minus, Gentiana,polium, & quæcunque valdè diuretica,ut & petroſelinon. Singula enim hæc,ſive per ſe uſurpes,ſive cum aliis,& attenuare poſſunt humores,& vacuare vel per urinas ſenſibiliter, vel per inſenſibilem dictam vacuationem. Sed & ſales theriacales ſatis ſtrenuè attenuant.

6. (Ubi obſervandum tibi eſt.) Multos graciles,ut & mediocriter carnoſos,talium medicamentorum uſu periiſſe, aſſato in illis ſanguine. Pervenerunt autem eò, quod viderent, quoſdam defungi arthriticis moleſtiis, non animadvertentes, eos,qui adjuti ſunt, temperamenti humidioris & pituitoſioris fuiſſe, quale etiam craſſorum eſt, in quibus horum medicamentorum uſus periculo vacat.

7. Ego curavi juvenem quendam annorum circiter 40. ſic ſatis craſſefactum,antidoto contra arthritida,& ſale Theriacali,quin ipſâ Theriacâ,inſtituto etiam victu attenuante,indictoque exercitio celeris curſus. Præparavi autem illum ad curſum,fricans primum crudis & aſperis linteaminibus,uſque dum cutis ruberet,deinde oleo,cui incoctum eſſet diaphoreticum aliquod,quo etiam poſt curſum utebar iterum. Erant talia radix cucumeris ſylv.althæa, Gentiana, Ariſtolochia,rad.panacis,polium & Cent. minus. Hyeme autem & poſt balneum confert inunxiſſe oleo dicto. Verùm,non ſtatim à balneo cibare oportet, ſed prius dormire,&, ſi velit,iterum balneum ingredi antè cibum.

8. Melius autem eſſet,ſi thermalis eſſet aqua,qualis in Lesbo, 40. ſtadiis diſtans

ſtans Mitylenâ: ſi non poteſt haberi, præparato talem. Eſt autem illa in Lesbo & colore & facultate talis, qualis fieret, ſi quis halos-anthos miſceret marinæ. Hæc enim hydropicis & omnibus tumidis apta eſt, validè ſiccans.

9. Eodem modo prodeſt hæc aqua iis, qui plus ſatis carnoſi ſunt, præcipuè, ſi cogamus illos natare in illâ celerrimè motos. His ipſis, ubi diutius laverint, permittere non oportet, ut in veſtigio bibant aut edant: dormiant, aut omninò quieſcant.

10. Prædicere etiam ſic curato oportet, fore, ut propter citatiorem motum febricitet: ſed febrim non fore incommodam, ſiquidem Medicus omnia ritè faciat. Manifeſtum enim eſt, quod ſi febris ex laſſitudine ſit, ſopitâ febre, ad eandem curationis ſpeciem redibimus.

11. In his etiam fugere oportet valdè alimentoſa vina, qualia ſunt craſſa: uti autem aquoſis, h.e. albis quidem colore, conſiſtentiâ autem tenuibus, aut aquâ marinâ perfuſis.

COMMENTARIUS.

11. Magnoperè miror, cur Gal. conjungat morbos in numero & magnitudine! Eſt quidam ita, quantitas alia eſt continua, alia diſcreta: ſed in Medicinâ dudum hæc fuêre diſtincta, & ſunt diſtincta apud Gal. quoque. An loquitur Gal. ex alienâ ſententiâ? Sed res eſt exigui momenti.

12. Majoris eſt, cur Gal. victum attenuantem concedat τοῖς παχέσι, quos eosdem eſſe puto cum πολυσάρκοις? Univerſalis quidem regula eſt, victum dictum attenuantem non convenire niſi frigidis & humidis, in calidis quovis modo aſſari ſanguinem, h.e. ut ego intelligo, non diſponi tantum ad colliquationem, ſed & colliquari: ſed & hoc verum eſt, in πολυσάρκοις jam adeſſe calorem. Victâ igitur humiditate, qualitate tàm ignavâ, quàm facilis lapſus eſt ad aſſationem? Dico igitur iterum, Victus attenuans frigidis tantùm & humidis prodeſt: calidis omnibus eſt noxium. Et hoc eſt, quod SCHERBIUS toties inculcabat nobis, *Videte, ne victus attenuans vos decipiat*! Et hoc iterum eſt, Victus attenuans iis tantùm podagricis utilis eſt, qui frigidi & humidi ſunt, qualis profectò ipſe non erat. Sed fuiſſe nodoſam podagram audivi? Fuit: ſed ille referebat in cauſam externam, in ſuccum lapideſcentem thermarum Badenſium. Hinc, cum de tofis loqueremur, jocans dicebat, *Credo, poſt mortem meam, omnia mea viſcera fore lapidea*!

CAPUT XVI.

1. QUos extenuatos refocillatos volumus, vinum quidem dabimus craſſum, cibos item craſſi ſucci, imperabimus exercitia tarda, frictiones modera-

tas,

tas,& (ut ſimpliciter dicam,) omnia contraria ſuperioribus inſtituemus. Commodum enim illis eſt & picari tertio aut quarto quoque die. Hoc enim remedium eſt ad carnis generationem. Quamobrem, ſi quæ pars ſola ita afficiatur, hoc auxilio renutrienda eſt. Et hoc ſolũ ferè in omnibus ſucceſſum apud me habuit.

2. Nam & calefacit & humectat, attractâ ſanguinis copiâ. Verùm enimverò non oportet ſemper applicare corporibus ægris, neque quoties opus eſt, ſæpiùs renovare: ſed ſufficit per hyemem bis admovere, per æſtatem ſemel. Qui verò naturâ habent partes quaſdam graciliores, iis mangones ſuccurrunt hoc ipſo remedio, cum vocatâ percuſſione, quam ἐπίκρουσιν appellant.

3. Eſt autem & heic certa quædam menſura, ne vel ſæpius, vel parciùs adhibeatur, cum talis eſſe debeat. Ferulæ leves mediocriter litæ partibus tenuibus impinguntur, donec mediocriter intumeant. In hoc enim conſiſtit totum, ut Hipp. dixit de perfuſione aquæ calidæ, *Primum quidem attollitur: deinde autem ſubſidit.*

4. Quaſcunque igitur partes benè carnoſas eſſe volumus, eas etiam fricare debemus, & perfundere, & percutere, & picare, donec intumeſcant. Ubi id factum eſt, ſtatim ceſſare, antequam diſcutiatur ſanguis, qui tumorẽ fecit. Omnia enim calefacientia ut nota ſunt trahere: ita digeri. Si igitur exſpectâris digeſtionem illius, quod attractum eſt, nihil tibi ſupererit. Ita mango quidam nuper nates pueri fame enecti fecit prominentiores exiguo tempore, moderatâ quidem percuſſione uſus quotidiè, moderatâ etiam picatione. Illis, qui toto corpore tenues ſunt, poſt cibum balneum etiam ingredi par eſt.

5. Et quemadmodum attenuatoriis auxiliis periculum ſubeſt febris, corpore immodicè excalefacto: ita balneo utentibus poſt cibum metus inſtat obſtructionum hepatis, & maximè, ſi cibus huc tendat. Nam & aliàs obſtruunt, quæ craſſi ſunt ſucci, ſi modus abſit. Si igitur aliàs quoque fit, multò magis fiet poſt balneum. Fiunt etiam lapidum generationes in renibus, ſi quis diu id faciat: cur autem non fiat in omnibus, notorium eſt. Quoſdam enim aut habere renes denſos veriſimile eſt, aut anaſtomoſes venarum in hepate valdè anguſtas: quoſdam contrà eſſe conſtitutos.

6. Horum notitia certa non eſt: interrogare autem oportet ita cibatum, Utrum gravitatem aliquam ſenſerit in dextro hypochondrio, aut circa muſculos lumbares, qui ψόαι dicuntur? Si ſenſit, ſtatim edendam dare oportet capparin ex oxymelite in principio menſæ, tamdiu, quamdiu gravitatem ſentiet.

7. In difficulter ſe recolligentibus partibus, & valdè refrigeratis, uſus etiam aliquando eſt Thapſiæ, quandoque melle inunctâ parte, quandoque ceroto impoſito. Nam illa quoque attrahit partibus, quibus imponitur, copiam ſanguinis.

8. In (λιποδέρμοις) iis, quibus exiguum quid præputii deeſt, quo minus naturale ſit, in iis ſæpè ſolâ tenſione, & absque Thapſiâ perfeci rem, h. m. Membranam chartæ mollem, ſed tamen firmam, circumvolvi cuti præputii, gummi

(Ara-

(Arabico) illitæ. Clarum autem eſt unicuique, chartæ partem illam, quæ ſuperiori regioni ſubjecta eſt, agglutinandam eſſe inferiori per gummi. Celeriter enim ſiccatur, ſtringitque ſine moleſtiá Subterponere autem cuti præputii, ex interioribus partibus rotundum quid aptum, quod poſt glutinationem membranæ facilè eximas. Eorum verò, qui Thapſiâ præputium adducunt, rotundum illud ex plumbo fecerunt, quaſi canaliculum. Mox extrinſecus circumtendunt illi cutim præputii, ligantque loro molli. Et poteſt hoc aliquando neceſſitas poſtulare, ubi multa eſt diſtantia cutis: at ubi pauca eſt, ſufficit hoc tantùm, chartula circulo circumvoluta. Oportet autem, dum circumjicis & glutinas, ſubſternatur canaliculus. Ego autem ſoleo, etiamſi nihil horum præ manu ſit, chartæ, quantum opus eſt, intrudere pro firmamento præputii, ut poſteà, cum coaluit totum, quod circumvolutum fuit, ablato extrinſecus firmamento, expeditè poſſit mingere, qui curatur.

9. Apertum autem eſt, hoc quoque pathos ex numero eorum eſſe, quæ magnitudine peccant, aliquando quidem putredine abſumto præputio, aliquando autem à nativitate tam exiguo. Et eſt duplex heic Chirurgiæ ratio. Aliquando enim ſecamus cutim circulariter in ſuperiori pudendi parte, ut, ſolutâ unitate ipſius, deorſum trahi poſſit ad tegendām totam dictam glandem: aliquando ſcalpro ab internâ parte, quâ glandis initium eſt, excoriatâ, mox deorſum tractâ, deinde (ut ſuprà comprehenſum eſt,) molli quopiam deligatâ.

10. Dicemus autem in ſequentibus quoque de his modis, quemadmodum etiam de mutilatis. Ita enim vocant cum deeſt aliquid, aut in labiis, aut in pinnis narium, auriumve. Sub methodi enim legem, & hæc coguntur, primò quidem excoriantibus nobis cutim utrinq;: deinde autem adducentibus & invicē unientib⁹ labia deniq; auferentib⁹ utriusq; partis callos: mox ſuentib⁹ & glutinātib⁹.

11. Ejusdem ſortis ſunt & ῥοιάδες circa magnum oculi angulum, aut nimis abſumto illo, aut toto perdito. Hoc ſi acciderit, morbus eſt incurabilis: ſi illud, modicè adſtringentibus curatur, præmiſsâ purgatione tàm totius, quàm capitis. Sunt autem modicè adſtringentia & compoſitio διὰ γλαυκίυ, διὰ κρόκυ, ut & nardina vocata, & potiſſimum cum parantur cum vino.

12. Atque ut breviter dicam de omnibus, In quibus periit ſubſtantia quædam, oportet ſtudere ſimilimæ alteri. Hoc ſi impoſſibile ſit, conjectandum de tali, cujus idem uſus. Illa verò erit etiam eatenus ſimilis. Ita, ex tibiæ oſſe cum cogamur nonnunquam ſat magnam portionem exſcindere, id agimus, ut Natura in locum ejus ſubſtituat os quàm ſimilimum, ope medicamentorum ſarcoticorum. Hoc ab initio erit qualis caro dura, quæ poſtea tofi durioris conſiſtentiam capit, & tandem confirmata loco oſſis eſt in ingreſſu.

13. Ita, cū digitorū internodia exſcindimus, videm⁹ loco exſciſſorū aliā ſubſtātiā genitā, qualē dixi. Quod etiā venas ſenſibiles regeneratas viderim⁹, anteà diximus. Has nō ſimiles deperditis, ſed ipſiſſimas dixerit quis, ut in cavis ulcerib. caro eſt. Hæc n. dū callus ſit, cicatrix ſit, cuti quidē ſimilis, nequaquā a. cutis. Dēſior

enim illâ eſt, judicantibus & oculis, & manibus, & ratione, quod pili ex eâ non naſcantur. Hæc ante oculos habens, nihil ad curationes tibi deerit.

COMMENTARIUS.

14. Scire vis, quid ſit §. 2. ἡ καλυμένη ἐπίκρυσις? Hoc ſcito antè alia, τὸ ἐπικρύειν paulò poſt eſſe *παίειν, ferire, pulſare.* Erat pars τῆς ἀναλήψεως, cum partem atrophia laborantem, νάρθηκι, *ferulâ* (quæ planta eſt annua, Thapſiæ aſſimilis, & utebantur illa pædagogi ad feriendas puerorum manus:) percutiebant. Huic ſimile quid erat in ἀναγκαιοφαγίᾳ gladiatorum, cum Rhododendri virgis cæderentur, ut alimentum ſubiret, pro fortitudine illorum, ut eſt apud Gal. in Exhort. ubi vide loca autorum à me citata. Oportet autem plagæ fuerint moderatæ, alioquin μώλωπας facturæ ἢ ἐκχυμώματα.

15. Jam ſcis ex ſuperioribus, quid ſit ſentiendum de anaſtomoſeſi venarum in hepate, de quib. §. 5. ut aliis non ſit opus.

16. Jam etiam ſcis ex l. de Gen. hom., nullam partem ſolidam verè renaſci poſſe. Opus eſt alia fornace. At Gal. vidit venas ipſiſſimas, ut ego loquor. Multa alia dicit ſe vidiſſe, quæ nunquam vidit, ſectariorum ſcil. more. Hos imitantur & pſittaci noſtri.

CAPUT XVII.

1. TEmpus meum poſtulat jam progredi ad alios morbos. *Herpes* igitur ex eodem genere eſt ulceratorum eryſipelatum: ſarcocele autem ex ſcirrhorum. Ophiaſis, alopecia & ptiloſis ex eorum morborum genere ſunt, in quib. perit aliquid ſecundum naturam: at myrmecia ex eorum, quæ toto genere præter naturam. Triplex autem omnium horum differentia eſt. Quidam enim exſiſtunt ex mutatione corporum ſolidorum, ut myrmecia, leuce, alphus, elephas, pſora & lepra: quidam, cum anteà non eſſent, poſtea facti ſunt, ut meliceris, atheroma & ſteatoma: & alio modo, lumbrici, aſcarides, & tæniæ, (vocant ita longum latumque lumbricum:) & omnia, quæ ut dixi, in quibusdam apoſtematis reperiuntur, tofi, lapides, oſſa, pili, aliis ſimilia.

2. Semper igitur animum advertere oportet, & in omnibus, quæ præter naturam ſunt, conſiderare, ex quo genere ſint, ſi modò rectè à nobis definitum eſt, primam indicationem, quaſi carceres futuram omnium, quæ poſteà agenda ſunt, ex genere ſumi.

3. Herpetem igitur gignit humor bilioſus, ut, hoc reſpectu, ejusdem ſit generis cum eryſipelate, & hujus etiam magis cum eo, quod exulceratum eſt. Differt autem tenuitate humoris. Qui enim herpetem facit, prorſus tenuis eſt, ut non modò penetret omnes internas partes carnoſas: ſed & cutim uſque ad epidermida, quam ſolam corrodit & comedit, quod obſtaculo ſit illi. Quod ſi hanc quoque tranſiret, ut ſudor illam tranſit, ulcus non faceret. Commune enim hoc eſt ulceribus, quæ ex mordentibus humoribus fiunt, quæ ſpontanea vocant, humorem illa facturum cohibere & morari in tranſitu. Porrò, quod alius alio humore ſit craſſior, tenuiorve, facit differentiam hanc, ut aliud ulcus alio ſit profundius.

4. Hujus

4. Hujus ſortis eſt *Phagedæna* & *Cancri exulcerati*, in quibus communis hæc curatio eſt, prohibere humoris affluxum, curare ulcus: propria & ſingularis petitur, partim ex naturâ loci affecti, partim ex ſpecie & quantitate humoris. Tenuiſſimus eſt ille in hoc genere, qui *herpetem ulceratum* cauſatur: craſſiſſimus, qui *Cancrum*. Proximum ab his locum occupat, ratione affectûs ipſius, qui vocatas phagedænas, quarum ſpecies ſunt & *Chironia* & *Telephia* appellata ulcera, & ſi quæ alia heic ſunt nomina inutilia & ambitioſa. Ad curationem enim ſufficit ſcire & copiam humoris, & qualitatem, & modum ſubſtantiæ.

5. Exempli gratiâ, in herpete quia tenuis eſt humor, ex genere flavæ bilis eſt, qui, poſtquam epidermida exulceravit, exhalat, & ſinit ulcus coire. Si quis igitur anticipet purgando totum corpus, uſus ſimul ſiſtentibus & repercutientibus medicamentis, is curavit herpetem. Qui verò neutrum fecerit, applicando tantùm ulceratæ epidermidi epulotica: is quidem curârit illam, contiguam autem illi non liberârit metu exulcerationis. Hâc enim ſolidatâ, proxima illi excoriatur. Hoc ſubinde fit, quaſi ſerpente malo, uſque dum vacuetur humor, qui facit.

6. Erat Romæ inter nobiles fæminas, quæ herpete laborabat in malleolo. Hæc primùm uſa eſt *medicamento ex phyco*. Ex quo cum ſubitò cicatricem duxiſſet herpes, cutis vicina excoriata eſt ſuperficieteus, quale fit, cum cutis pars magna dependet. Quo iterum ab eodem medicamento ſanato, contigua cutis iterum exulcerata fuit. Hoc continuavit, uſque dum ad genu ſerpſit, cum illa quidvis potius tolerare vellet, quàm uti purgante cholagogo. Tum illa (quod fieri aſſolet in talibus, ut accuſemus, quæ accuſari non debent: neglecto τῷ διὰ φύκυς, aliud medicamentum ſibi applicari juſſit. Applicuimus igitur τὸ διὰ σάνδυκος. Poſtquam verò & hoc ſanavit quidem quod ulceratum fuit: ſed non prohibuit, quò minus ulceratio pergeret, & jam ad inguen uſque perveniſſet; neceſſitate compulſa ſerum promiſit lactis ſe bibituram. Nos igitur cum clam injeciſſemus pauxillum ſcammonii, invitam illam & purgavimus & curavimus.

7. Cujus igitur cauſâ hæc diximus, iterum dicam, Communem indicationem in omnibus ejuſdem generis morbis ubi ſumſeris, non negliges quidem illam in particularibus: ſed reduces ſemper ad differentiam illam, quam & diſpoſitiones, & cauſæ efficientes volunt, ut in ſpontaneis ulceribus dictum eſt. Vacuabis enim redundantem humorem, aliquando quidem medicamento bilem flavam purgante: interim etiam atram: quandoque miſto, bilem flavam & pituitam, quemadmodum in alterutro herpete, quem, à ſimilitudine cum granis milii, κεγχρίαν vocant. Hic enim non ſtatim ulcus parat, velut alter, ſed phlyctænas planè exiguas, veluti milium, quæ ipſæ, cum temporis progreſſu, in ulcus deſinunt.

8. Nec abſimile vero eſt, quod quibusdam videtur, miſceri bili aliquid pituitæ in hoc affectu. Fiunt autē aliquando in parte aliquâ ulcera, ſine forti cacochymiâ, quæ facilè curamus medicamentis, miſtā facultatem habentibus, repulſoriam ſcil. & diſcuſſoriam. Repellunt enim & adſtringentia, & absque adſtrictione refrigerantia: diſcutiunt calefacientia,

9. Et alioqui notum eſt, quod, dum ulcera in generatione ſunt, repellentia præpollere debent: at cum non amplius influit humor malignus parti, diſcutientia. Cacochymiam enim exiguã etiamſi quis repulerit, tam ad viſcera, quàm ad majores venas, nullũ ſenſibile damnum fecerit. At ſi ſatis copioſa ſit, in princeps aliquod membrum procumbit, niſi à robore naturæ, corpus expurgantis, vacuetur antè vel per alvum, vel per urinas, vel per cutim, totũ corpus continentẽ.

10. Vacuationes igitur bilis flavæ ſunt faciliores: pituitæ autem, præſertim, cum craſſior & viſcidior eſt, difficiliores. Idem dicendum eſt de atrâ bile. Ideoque opus eſt nobis purgante medicamento.

11. In herpete autem, quia humor eſt tenuis, qui malum facit, ſufficit lenire ventrem quovis obvio, aut urinas ciere mediocri aliquo diuretico.

12. At quia de methodo medicamentorum ſcripta etiam quædam ſunt in anterioribus; non pauca etiam in propriis libris allata: melius fuerit non amplius heic morari. Sufficiunt enim hæc illi, qui attentus eſſe volet. Nam neque nos à Muſis didicimus: ſed ipſa rerum Natura dictat homini prudenti, laborioſo, & in his exercito, quid ſit faciendum.

13. Si quis verò etiam vias ab alio doctas didicerit, ei facilimum fuerit illas perſequi. Hujus rei teſtimonium ſit evidens hoc, *Tales viros operibus maximis exornare artem*. Qui verò imprudentes ſunt, nihil addere inventis, etiamſi per totam vitam ſpectatores ſint infinitorum artis operum. Plurima enim hodieque excogitantur, antiquioribus non viſæ. Quemadmodũ nuper Romæ excogitavit medicinam, quæ ore fit, verrucarum tàm ſimpliciter dictarum, quàm penſilium.

14. Verùm, ut in penſilibus è cute exſtantibus nihil mirifici eſt: ita in verrucis, & maximè in iis, quæ cum ſuperficie cutis planè exæquatæ ſunt, admiratione dignum erat. Primùm enim eo modo ori appoſitis, quo ſugentes ſolent, & attrahebat, & quaſi vecte emoliebatur: poſteà, impreſſis prioribus dentibus apprehendens, totas emovebat.

15. Quin poſſit quis etiam ſcalpro myrtaceo, ut & vocato σκολοπομαχαιρίῳ ſi manibus exercitatus ſit, exſcindere illas, cum propriam habeant circumſcriptionem, quâ diſpeſcuntur à cute. Eodem modo pennâ forti, circulo circumpoſitâ verrucæ, molimur ablationem ipſius. Debet autem fiſtula pennæ craſſitie æqualis eſſe verrucæ, ut undique ſtringat illam exactè, deinde invertere, ſimulque deorſum impellere. Celerrimè enim adeoq; cum ipſâ radice, totam evellis. Clarum & hoc eſt, quod finis præciſæ pennæ tenuis ſimul & acutus & validus habet eſſe. Ideò veterum gallorum pennæ huic rei aptæ ſunt, ſed aptiores aquilarum. Abſcindere verò oportet initii radicis tantum, ut comprehendere verrucam poſſit. Statim autem poſt abſciſſionem, ſi ſcitè fiat, aderit tibi & acumẽ. Et hæc ratio invenit, non fortuitus caſus, quem περίπτωσιν Empirici vocant.

16. Quod verò etiam validè attrahentibus medicamentis attrahatur verruca, & quod putrefacientibus mortificabitur: ratione quidem invenit aliquis ſed quia non eſt auſus uti, experientiam tanquam teſtem adhibuit. Quædam

enim

enim, etiam ante habitam experientiam, fida ſunt, veluti (ſi ita contingat) ſi palus jam jam impactꝰ, ſit extrahendus, aut telum, & quæ oculis incidere ſolent, arenulæ. Quædam excogitat ratio: confirmantur ab experientiâ.

17. Atque ut facilè invenias, & per te ipſum, vias tales, quæ copiam remediorum, non gravatim apponam exemplum in hoc genere morbi. Vocamus autem in numero partium. Quia enim quædam deficiunt, ut dens, digitus, ala narium, auris particula, aut præputium: quædam ſuperſunt, ut ſextus digitus, ἐξοςώσεις vocatæ, & cum dentibus ad latera alii adnaſcuntur: difficile quidem non eſt demere ſupervacuum, ſed generare aliud ſimile exemto, in quibusdam quidem facile, in quibusdam contrà impoſſibile eſt. Nam, ſiquidem carnoſum eſt, quod deeſt, non difficulter quis produxerit, & dixi anteà in cavis ulceribus: ſed ſi os ſit, ipſum quidem inter illa eſt, quæ fieri non poſſunt, loco autem ejus durum quid efficere, non eſt difficile. Hac de re dictum eſt paulò antè, cum de venarum regeneratione ageretur, quòd aliquando viderimus ſenſibiles tales venas, aliquando omnia machinantibus ſuccedere noluerit.

COMMENTARIUS.

18. Quamvis res ſit non magni momenti; tamen unguem imprimo verbis illis t.4. *Inutilia & ambitioſa eſſe nomina Chironiorum & Telephiorum ulcerum.* Quam enim indicationem præbent? Quin ergò relinquimus Oratoribus & Poëtis, & ita deoneramus artem noſtram? Contrà maximi momenti præceptum eſſe, tria eſſe conſideranda in omnibus dyſepulotis, humorem peccantem; qualis ille ſit? qui modus ſubſtantiæ ipſius? Ita enim medeor obſcuritati Linacri.

19. Ultima verba ſerviunt nobis excutiendæ inani quæſtioni de partium regeneratione. Dico enim, Non minus difficile eſt regenerari os quàm venam. Opus enim aliâ eſt fornace. Propterea ita ſtringo Galen., Simpliciter impoſſibile eſt regenerari os. Ergò etiam venam. Utrumque enim eſt æquè ſpermaticum. Et quò pertinet dubia illa aſſertio ſuprà, Vidi regeneratas venas: non vidi? Summa, Adraſtéa exſerit caput, & tantùm non conſpuit claro cum ſonitu illud, Partes ſpermaticas eſſe ex corporaturâ ſeminis maſculi. Nullæ ſunt ſpermaticæ, omnes ſunt ſanguineæ, omnes fiunt in utero, &c.

20. Non poſſum non meminiſſe heic morbi illius in numero, cum dens è latere gingivæ excreſcit, quia alibi non legi, ſed vidi domi meæ. Filiæ meæ MARIÆ-SUSANNÆ jam nubili, in utrâque maxillâ ſuperiori, excreverat talis dens, qui jam incipiebat lædere maſticationem, ut conſultarem cum chirurgo de decerpendo illo. Sed mors prævenit.

CAPUT XVIII.

1. SI verò, quod deeſt, digitus ſit, aut tale quid, prorſus impoſſibilis eſt generatio ipſius, quæ verò deficiunt in naribus, auribus aut labiis, refici quidem non poſſunt, ſed decor aliquis conciliari illis poteſt. De præputio dictum eſt anteà quo modo aliquis tractet. Decor ille conſiſtit in eo, ut utrinque abſolvatur cutis, quæ contracta glutinetur deinde.

2. Alio modo ex hoc genere morborum ſunt atheromata, ſteatomata & meliceridcs, aſcarides item, & tæniæ & lumbrici, & tofi in articulis, nec non in pulmone, lapidesque in renibus & veſicâ. Commune enim hoc omnibus eſt, generari aliquid, quod prius non erat. Viciſſim in alopeciâ, & ophiaſi, & ptiloſi, ut & calvitie eſt deperditio partis alicujus utilis.

3. Quemadmodum igitur in omnibus, ubi generare aliquid volumus, motus eò pertinentes præſtamus expeditos: eodem modo in perditis capillis. Opus enim Naturæ eſt, ut carnis generatio in cavis ulceribus: ſic & capillorum in capite & palpebris. Recordatus igitur eorum, quæ didiciſti in Phyſicis de pilorum generatione, invenies cauſas perditionis eorum. Demonſtratum enim eſt, in humoribus transſpirantibus quidquid fuliginoſum eſt, principio quidem deſtinatum eſſe pilis generandis, deinceps autem augeri καθ' ὑπόφυσιν. Hoc igitur ubi vel omninò diſperit, aut malum fit, neceſſe eſt corrumpi ab eo pilos.

4. Nam & plantæ duabus de cauſis pereunt, aliquando quidem ob defectum materiæ alibilis: aliquando autem, cum familiaris non eſt ipſis. Omninò igitur depereunte alimento pilorum, calvities fit: ad malam qualitatem redacto, vocatæ ophiaſes accidunt, aut alopeciæ. Primùm igitur invenies ex naturali ipſorum regimine cauſam præter naturam. Deinde occurrent tibi, quæ ad curationem neceſſaria erunt, per indicationes communes omnibus jam dictis ductum, cum ob cacochymiam, aut ulcus fit, aut aliquid aliud.

5. Prohibere enim oportet, quod influit: abſumere autem & diſcutere, quod relinquitur in parte. Ut igitur in ulceribus illis purgationes peccantis humoris ante omnia inſtituebantur, eodem modo in pilis. Ab his igitur curationem ordieris, diligenter conſiderans, qualis ſit color cutis, unde defluxerunt pili. Si enim albidior quàm pro naturâ ſuâ, accede ad purgationem humoris pituitoſi: ſi verò flavior aliquantò, veni ad hujus coloris bilem: ſi tandem atrior, melanogogis utere. Ad dignotionem autem accuratiorem cacochymiæ non parùm tibi proderit prægreſſus victus, utpote qui didiceris, quæ alimenta cumulent ſuccum melancholicum: quæ bilioſum: quæ pituitam.

6. Ubi igitur certus fueris, benè purgatum eſſe corpus, diaphoreticis diſſipabis humorem in cute contentum, cavendo, ne tantoperè calidis & acribus utare, quæ exulcerent cutim. Sed & valdè ſicca fugienda tibi fuerint, ne ſimul cum vitioſo ſucco diſcutias etiam bonum, quod in calvitie fieri ſolet.

7. Hæc igitur meditatus ego, primus miſcui iis, quæ alopeciis opponuntur, parùm quid Thapſiæ. Deinde obſervavi ſingulis diebus, quo modo natura ægri ſe haberet ad illam. Poſteà, ubi videro vel tumefactam plus æquo, vel aliquatenus excoriatam, à medicamento abſtineo eo die, ungo autem partem liquefacto adipe aut gallinaceo, aut anſerino, quia tenuiorum partium ſunt, & faciliùs in profundum ſe penetrant. Seq. die, ſi quid ſuperſit eorum, quæ dixi, eodem modo inungo: ſi nihil ſuperſit, utor medicamento, ſed frictâ ſindone prius cute, uſque dum manifeſtè rubeſcat, ob penetrationem.

8. Tum

8. Tu verò ſi à balneo uti voles medicamento hoc, jam tibi paratum habebis à balneo, quod anteà à frictione. In iis, quibus pili palpebrarum perierunt, (πτίλως vocant) eodem genere medicamenti uteris.

COMMENTARIUS.

9. Cum Gal. quidem de materiâ nutritionis pilorum non erit mihi res, quia alibi fuit: erit autem cum cæleſti Fernelio, (ita Vall. per jocum alicubi vocat:) qui pilos negat eſſe partum? Eccur, ô vir divine? cum Galenus tam expreſsè? Argumentorum quidem non meminero: quia fulmina ſunt? Ah pudeat tentâſſe?

CAPUT XIX.

1. PRo curâ palpebrarum eliges tibi materiam aptam, cum feriâ providentiâ, ne præterfluat medicamentum, & tunicas lædat oculorum. Hinc meliora ſunt ſicca, de quibus, ut & aliis, dictum eſt in libris noſtris medicamentariis. Hic ſufficit enumerâſſe ſola medicamentorum genera, abſque materiis partialibus, ne cogar ſæpiùs de iisdem loqui.

2. Quæ igitur aliena ſunt à regimine Naturæ, illa auferre oportet: quæ verò familiaria quidem, corrupta autem aliquatenus, reſtituere, quantum fieri poteſt. Dictum eſt autem, quod quædam alternant. Alienorum enim quædam totis ſubſtantiis ſunt talia, ideò non indigent rationali inquiſitione, quo modo curanda ſint. Pterygium v. g. (in oculo) quod ad ſanitatem redire non poſſit, nimis apertum eſſe puto omnibus: tamen non eſt alienum totâ ſubſtantiâ, ut atheroma & meliceris. Curatio tamen & hujus eſt, dum parvum quidem eſt & molle per abſtergentia, in quorum numero ſunt & τραχωματικὰ vocata: magnũ verò cum evaſit & durum, per chirurgiam. Ita τῶν ὑδατίδων vocatarum quæ jam magnæ ſunt, curandæ ſunt: parvas ſicca juvant. Χαλάζιον verò (nam & hoc affectus oculi, qui toto genere præter naturam eſt:) exſcindere oportet. Ita & pus in purulentis vocatis oculis.

3. Sed pus utplurimùm digerentibus diſſipatur: Suffuſio autem & ipſa incipiens quidem iisdem curatur: ſed poſtquam mediocriter induruit, non amplius. Quidam ex noſtris Ophthalmicis, Juſtus nomine, multos purulentos ſolâ concuſſione ſanavit capitis. Collocabat illos erectos in ſellâ. Apprehenſo deinde utrinque capite in lateribus, concutiebat illos, ut nos adſtantes maniſtè videremus deſcendere pus. Et manſit inferius pus, ob gravitatem, licet ſuffuſiones non ſemper maneant. Levior enim, & (ſi per ſimilitudinem explicari res poteſt:) nebuloſior eſt ſuffuſio pure, præterquam quod in quibusdam (ſuffuſionibus) humor eſt ſeroſior, quibus etiam compunctis, diſſolvitur quidem in inſtanti: ſed poſt tempus modicum, ut fex vini, deſcendit deorſum.

4. Pus

4. Pus in oculis cum diſcutere volumus, utendum eſt potiſſimum collyriis, quæ *διὰ σμυρνα* vocantur propriè. His minus efficacia ſunt, ſed felicius operantur *τὰ διὰ λιβάνυ*. Quæ valdè ſiccant, ſtatim quidem ſenſibiliter vacuant: ſed quod reliquum eſt condenſant ita, ut ſcirrhoſum fiat, ceu dixi.

5. Sæpius pus confertim vacuavimus, diviſâ tunicâ corneâ, paululùm ſupra eum locum, in quo ſibi invicem connaſcuntur omnes tunicæ, *Irin* vocant, alii autem *στεφάνην, coronam*. Ut & hoc pathos tripliciter poſſit vacuari, & per chirurgiam, confertim: & per medicamenta ſenſim: & quæ ad ignobiliorem transfert locum, in concuſſionibus.

6. Et *Aſcarides*, & *lumbrici*, ſive *rotundi* ii ſint, ſive *lati*, ſunt ex eo genere, quod totâ ſubſtantiâ præter naturam ſunt. Quamobrem omninò è corpore exigendi ſunt. Exiges autem, ubi occideris. Occides autem amaris medicamentis. Quamdiu enim vivunt, adhærent inteſtinis: interemti cum ſtercore vacuantur. Expelluntur etiam vivi, ſtupefacti, & (ut quis dixerit) ſemimortui. Rotundos occidere poteſt abſinthium: lati indigent fortioribus medicamentis, quale *filix* eſt. Præterea & vocata *Aſcaris*. Sed de medicamentorum abundantiâ heic mihi ſermo non eſt. Heic igitur finem habeat & hic ſermo.

COMMENTARIUS.

7. Heic ab omnibus Anatomicis exſpecto, quatenus in iride oculi *συμφύωνται ἀλλήλοις* omnes tunicæ? Intelligo de propriis. Harum intima, quamvis reverà tunica non ſit, definit quidem, quà eſt principium pupillæ, quæ eſt in chorioide ſeu uveâ, ubi etiam ſupertenditur utriq; cornea: ſed quis *συμφυσιν* dicat?

8. *Filicem* poſſe occidere latum vermem, omnes negant, inclamando locum vitioſum. Ego etiam accuſo immediatè ſeq. & lego, *ἔτι δὲ καὶ τὸ καλούμενον ἄσαρον*. *Aſarum* enim 6. Simpl. confertur cum *Acoro vero*, & eſt utrumque valdè amarum.

F I N I S.

INDEX,

INDEX,

IN QUO PRIOR NUMERUS LIBRI, ALTER CAPITIS EST, TERTIUS PARAGRAPHI.

A.

Abſinthium eſt heterogenearum partium. 11.61.1.
totũ & abſinthii coma differunt. 13.15.4
& cortex rad. capparis cõparata. 13.17.1.
Ponticum eſt adſtringentius. 11.16.1.
Abſurdæ locutiones pariunt abſurdas ſententias. 13.16.9.
Acetum habet aliquid caloris. 10.9.4.
in terram effuſum quid faciat. 14.9.2.
Actio diſſimilarium partium quomodo debeat ſimilaribus. 7.2.2.
ἀδιαπνευστεία. 11.12.4.
Adraſtea Gal. inimica eſt. 11.9.13.
Aër ambiens fit ex tribus. 9.13.1.
modo auxilium eſt, modo cauſa morbifica. 5.7.
etiam in vulneribus externis indicat 3.8.5
pro qualitatibus ſuis accommodanda eſt morbo. 10.8.1.
præcludit ſibi viam. 10.8.3.7.
Agere & pati quid. 1.6.2.
ἀγωνιστικὸν *vide* παρηγορικόν.
ἀγωνιστικὰ *medicamenta quæ?* 14.2.5.
τὸ αἰσθητῶς *num pertineat ad definitionem morbi.* 14.6.2.
ἀκροχορδών. 14.23.2.
Aliud eſt curatio, aliud præſervatio, aliud miſtum ex utroque. 11.2.3.
Allium Theriaca ruſticorum. 12.8.12.
in Aloë lota & illota pro purgatione ventriculi. 7.11.7.
Alopeciæ curatio. 14.18.5.
ἀλφιτηδόν. 6.5.27.
ἀναγκαιοφαγία *gladiatorum.* 14.16.14.
ἀναδενδρομαλάχη. 14.5.5.
Anatomia κατὰ περίπτωσιν *Empiricorum.* 2.4.9.
ἀνεύρυσμα. 5.4.1.
Anima Gal. triplex. 9.10.1.
Gal. triplex refutatur. 2.5.18.
triplex Gal. difficultates parit in Meth. med. 11.5.4.5.
contra illã argumentũ inſolubile. 9.10.12
Animalis gubernatio apud Ariſtotel. eſt monarchica. 9.10.14.
Anodyna duplicia, calida & frigida. 12.8.24
ἀντίτασις *in directione oſſis fracti.* 6.5.8.11. 25.28.
Antonius Fuchs *dictus in Italia il frate del cancro.* 8.9.15.
ἄπαγμα. 6.5.1.
ἁπαλόσαρκοι, καὶ σκληρόσαρκοι. 6.2.11.
Apellicontes Tejus corrupit opera Ariſtotelis. 1.2.14.
Aphoriſmi ſunt veri ut plurimum. 12 3.17.
ἀποκρουστικὰ φάρμακα. 11.15.10.
ἀπόμελι. 8.4.5.
Apoſtema duplex. 14.12.1.
Apoſtemata propr. tunicis contẽta. 14.11.12.3
Aquæ calidæ uſus qualis in extẽuatis. 7.6.11
Aquæ frigidæ uſus in febribus periculoſus 9.5.6. & *ſeq. Ib.* 16. 10.
hecticis. 10 6.8.10.10 24. *Ib.* 11. 4. & *ſeq.*
ephemeris. 8.3.7.

ἄραδος

ἄγαδος vox Hipp. 7.6.35.
Ariſtoteles eſt interpres rationum Hipp. 1.2. 9. & 13.
non ignoravit muſculos. 14.2.4.
Arteria inciſa ſolidari poteſt. 5.7.2.3.
Arteriotomia. 13.22.15.
Artificem quid faciat. 6.2.5.
Aſcarides & lumbrici rotũdi, latiq́; 14.19.6
ἀτονίαν dicere nugari. 4.4.26.
Atra bilis peſſima ſpecies. 14.9.2.
Atrophia vel totius vel partis. 14.15.23
Atrophiæ cura. 14.15.1.
Auxilia fiunt aliquando cauſæ morbificæ. 11. 1.4.5.
ἀφέλεια vox eſt non Græca. 4.4.26.
ἀφρογάλα. 7.4.2.

B.

Balneum juvat & per ſe & per accidens. 10. 10.4.
Balnei partes diverſa agunt. 10.10.5.12.
in Balneo qui horreant. 10.10.8.
Balnei poſt cibum incommoda. 14.16.5.
Balnea affectis oculis. 13.22.8.
Balnei uſus in ephemeris. 8.4.6.
in Balneo eodem abſtergentium catalogus. Ibid.7.
Balneum in hecticis. 10.10.1.
Balneum in hectica marasmodi. 10.10.13
Balnei uſus in putridis. 11.20.4.
Bdellium Scythicum. 14.4.8.
Bethonica cur ψυχότροφον. 14.8.9.
Bibendumne ſit inter paſtus. 7.6.36.
Braſſica incommoda in ægris. 7.6.35.

C.

Cacochymia duplex. 9.10.16.13.6.5.6.
Cæcubum vinum quid ſit. 12.4.6.
Calidi & humidi hircorum naturam habent. 8.7.1.
ſunt σηπεδονώδεις. Ib.2.
Callus loco cutis. 14.16.13.
Calli generati in cura fracti oſſis. 6.5.19.
Cancer morbus. 14.9.7. in illo indicationes. Ib.8.
Cancroſa ulcera cauſticis curata. 8.9.15.
Carbunculi initium eſt φλύκλαινα. 14.10.1. Ib.3.
Carnis materia. 3.3.1.
Carnis ſpecies. 10.11.7.
Cataplaſmata χαλαστικὰ & balnea quo tempore febris locum habeant. 11.20.6.
Cataplaſmatum uſus legitimus in febribus. 11.15.14.
Catarrhus ſalſus ſyr. de beton. curat. 14.8.9
Cauſæ morborum duplices. 1.8.5.
Sine Cauſa nihil fit. 1.7.1.
Cephalicum compoſitum ſiccum. 3.2.5.
Cera alba Pontica, aut Attica. 10.9.4.
Ceratum humidum ut fiat. 10.9.4.
Cerotum ex œſypo. 14.7.4.
Cerebrum quatenus cor refrigeret. 13.21.12.
à cauſa ſine qua non ſapimus. Ib.
& hæc eſt cauſa, cur in delirio cerebro medeamur. Ib.
in Cerebri affectu cur medicamenta debent eſſe acriora. 13.22.1.
ob Cerebri calorem nimius motus eſt, ob frigiditatem ſegnities. 13.21.4.6.7.
Chordæ non ſunt aptæ laqueis, cum arteriæ exſcindendæ ſunt. 13.22.17.
Cicatrix ne fiat eminentior. 13.17.4.
in Cibatione febricitantium an verum ſit, ſemper quam longiſs. recedendum eſſe à paroxyſmis. 10.4.4.
Cibi γαλακτώδεις καὶ κριθώδεις. 7.8.1.
Clyſteres quouſque perveniant. 13.17.4.
Coalitus oſſium κατὰ πρῶτον καὶ δεύτερον σκοπόν. 6.5.28.
Cœna prandio liberalior eſſe debet. 7.6.35.
Coin-

Coindicantia. 13.16.4.
Coindicantia & contraindicantia. 9.5.14. 18.
Colica à ſpiritu flatulento. 12.8.3.
is à calore eſt. Ib.
ab acribus humoribus. Ib.& 19.
in iis abſtinet Gal. à narcoticis. Ib.5.
multo magis in frigidis. Ib.6.
Colica exacerbata à calidis. 12.7.12.
Colicus ruſticus allio ſe curat. 12.8.12.
Colum in homine cur aſcendat ad lienem. 13.16.12.
Collyria διὰ σμύρνης καὶ λιβάνου. 14.19.4.
Communitas Methodicorum. 1.4.12.
Compoſitio διὰ σπερμάτων, καὶ διακαστίας. 5 9.9.13.
Conſuetudinis vis in victu ægrorum. 7.6.28.
de Conſuetudine ubi ſit agendum. 7.6.37.
Continui ſolutio, ejusque differentiæ. 4.1.1.
Continui ſolutio habet varia nomina pro varietate partium. 6.1.3.
Contrarium eſt duplex, ſimpliciter & contrarium ſimile. 3.3.18. Ib. 6.5. & 8.9. 15. & 9.15.7. & 11.12.6.
Contrarium & contrarium ſimile. 5.1.6.
Contrarium ſimile. 5.10.12 Ib.11. & 5.6.2. 23. & 11.1.8. Ib.2.2. & 13.7.2.
Contrarium ſimile quam late pateat, quam late ſc. ἰδιοσυγκρασία. 3.7. & 8.
& hujus ratione tranſit à medicamento ad medicamentum. Ib.9.
in Contuſione non oportet ſiccare, ſed ſtatim putreſcere, Hipp. præceptum. 4.5.4. 10.
in Conviviis veterum circumferebantur inſtrumenta Muſica. 1.1.3.
Convulſiones vulgo dictæ frigidis curandæ. 14.8.11.
CORNELII MARTINI *ſcriptum de analyſi Logica.* 2.5.15.
Corpora quæ putredini oportuna. 11.4.3.
Cruditas alia eſt acida, alia nidoroſa. 8.5.1. Ibid.11.
Cruditatibus ſuperveniens febris aliter curatur, cum alvus fluida eſt, aliter cum ſtat. 8.5.6.
Cucurbitulæ uſus in inflamm. 13.19.1.
Cucurbitula cum multa flamma in Colica flatulenta incantamenti inſtar operatur. 12.8.17.
Cura palliativa. 4.5.12.

D.

Decocta Rom. ut fiat. 7.4.2.
Demonſtratio quid ſit. 1.3.10.
Diabolus cognomine Pennalis. 1.3.12.
Diæta in fracturis oſſium.
Diaphragmatis vulnera. 5.9.1.
Diaſpermaton narcoticum Gal. 5.14.5.
Διὰ σπερμάτων *ſoporiferum.* 12.1.6.
Διάτριτος *Methodicorum.* 8.2.5.8.
Διάτριτος *refutatus.* 8.3.9.14.
Διατριῶν πεπέρεων *duplex.* 8.5.6.
Diſcutientibus validis miſcere oportet emollientia. 14.4.7.
Diſpoſitiones præter naturam quot. 2.3.3. & 10.
Doctrina elementorum. 3.4.19.
Doloris cauſæ. 12.7.5.
in Dyſenteria purgatio locum non habet. 13.11.8.
Δυσελκεῖς. 6.2.21.

E.

ἐγγίσωμα καὶ καμάρωσις, *genus fracturæ cranii.* 6.6.5.
ἐκκοπεὺς *culter.* 6.6.3.

ἔλαιον ὠμότριβές. 8.3.2. *quomodo refrigerandum.* Ib.
Ellychnia Tarſenſia. 13.5.4.& 14.4.3.
Emplaſtra ceratiformia. 10.9.7.
Emplaſtrum διὰ πομφόλυγος. 6.3.1.
διὰ μέλιτος. Ib.2.
διὰ χαλκίτεως. 6.3.7.
ex Euphorbio. 6.2.16. *ejusq; cõpoſitio* Ib.
ἔμπυοι *qui vocentur.* 13.8.2.
Empyicorum medicamenta. Ib.3.
ἐμφυσήματα *frigidis curanda.* 14.8.5.
Ephemera quãdo tranſeat in putridã. 8.4.10
Ephemeris πολυημέροις *an aliud nomen debeatur.* 9.1.6. Ib. 2.1.& 11.7.4.
ἐφήμεροι καὶ πολυήμεροι πυρετοί. 8.8.1.
ἐξοςώσεις. 14.17.17.
ἐπίκρισις. 14.16.7.14.
In Epilepticis quibusdam ſecanda eſt vena in ipſo paroxyſmo. 12.3.17.
Epilogismus & ratio Epilogiſtica. 3.2.6.
τὸ ἐπίμονον ἢ μόνιμον *in morbis.* 1.9.6.7.
ἐπιθέματα. 13.15.6.
Epithemata veterum. 7.4.1.
Epithymi doſis. 14.10.5.
Equorum cura in certaminibus circi. 7.6.9.
Eryſipelas ex quo humore ſit. 14.1.5.
duplex. 14.2.3.
φλεγμονῶδες. 14.2.3.
œdematoſum & ſcirrhoſum. 14.3.8.
Eryſipelatis curatio. 14.3 1.
in Eryſipelate crurum omnino præcedere oportet vel venæſectio vel purgatio. 4.4.34
ἰσχαρωτικὰ *in hæmorrhagiis.* 5.4.7.
εὐδιαφόρητοι, καὶ δυσδιαφόρητοι. 9.5.13.14.
εὐτελκεῖς καὶ δυτελκεῖς *qui.* 6.2.21.
Eupatorium & ſcolopendria comparata. 13.17.1.
Exceſſus ſeu morbi parvi & magni. 12.5.20. 13.2.3.
Excrementum duplex in omni ulcere. 3.3 2.
ἐφελκὶς *è pulmone.* 5.12.1.
ἐφεςός. 2.7.28
ἔψημα *vocatum.* 14.7.3. Ib.10.4.

Z.

Ζέσις καὶ ζύμωσις *Plat. ab atra bile.* 14.9.2.

H.

τὸ ἡγεμονικὸν *quatenus ſit in cerebro ſecundum Gal. quatenus in corde ſecundum Ariſt.* 13.21.2.11.

Θ.

Θέατρον κωφόν. 1.2.4.
τὸ θρεπτικὸν *quatenus copuletur cum* ἡγεμονικῷ. 13.22.

F.

Facultas ἀποκριτική. 13.3.1
Febrium curatio. 8.11
Febres quando ſit. Ib.3
Febres aut ſunt etiamnum cum cauſa ſua aut abiit illa. 8.1.4
aut hectica aut ſchetica. Ib
manasmodes. 10.11.9
ex ςεγνώσει {*ſunt frequentes.* 8.2.19 / *ut curentur.* 8.4.1}
in Febribus revocandus erat uſus balneorum ſi à ςεγνώσει. 4.4.36
Febris non eſt intemperies calida tantum, ſed ſicca ſimul. 9.13.3
ſanguinea Arabum & Synochus Græcorum. 11.4.8
in Febribus quando contrariis ſit opus, quando ſimilibus. 8.9.2
in Febre ephemera quid ſit agendum, tam cum cauſa ſupereſt, quam cum abiit. 10.2.1
Poſt Febres cur quidam conquerantur diu de reliquiis. 9.12.3. Ib.15.7
Figura recta in oſſibus fractis. 6.5.14
Flatus ſunt à calore. 12.8.25.14.8.4.14.7.
Fluxionum de parte in partem cauſæ. 13.5.1
duæ. Ib.6.1
Fœnumgræcum digerit ſine offenſa. 13.22.9
in affect. oculorum præluc[e]re oportet. Ib
Fomentum ex pyrite in ſcirrhis. 14.5.1

Foreſtus

Foreſtus *in ſe ipſo decipitur.* 8.2.19.
Fracturarum *in oſſibus* { *differētia.* 6.5.2.3. *curatio.* 6.5.4.
Frixiones in ſyncope ab ore ventriculi. 12.3.2.
Frixionum modus in extenuatis. 7.6.12.
Frigidæ uſus in colica. 12.7.12.

G.

Galenus *cur libros ſcripſerit.* 7.1.1.
eſt contemtor gloriæ vulgi. Ib.2.
ſui obliviſcitur. 8.1.7.
ſe ipſum cadit. 10.8.8.
quid præſtiterit in explicando Hipp. 6.5.3.
dexteritas in tranſitu ad aliud medicamentum. 3.2.16.
neminem reprehendit ad ſolœciſmū. 9.2.4
à quibusdam παραδοξοποιὸς *vocatus, à quibusdam* παραδοξόλογος. 10.4.10.
ratiocinium de viribus improbatur. 11.3.5
παρερμηνεύει. 11.12.11. Ib.13.6. Ib.12.8. 24. Ib.14.9.13.
abhorret ab uſu ſoporiferorum. 12.1.15. Ib.8.9.
accuſatur in diſtributione ſanguinis ex hepate. 13.14.5.
labaſcit in triplicitate animæ. 9.8.4. *Vid. Anima.*
Galeni *locus ſuſpectus.* 6.4.20. Ib.5.31.
mancus. 9.3.6.
corruptus. Ib.17.
perturbatus. 11.2.5.
fœdatus. 13.3.2.
confuſaneus. 14.2.4.5. *alius.* 14.9.13.
correctus. 2.3.15.5.2.7.8.3.13.7.3.6.13. 17.8.14.2.5.14.19.7.
libri de demonſtratione. 1.5.7.
lib. de Inæq. int. non eſt Gal. 3.9.13.
lib. de temp. non cohærent cum l. de Elem. 8.1.8.
γαστροῤῥαφία. 6.4.4.10.14.
Glandulæ duplices. 14.11.2.
Glandulæ omnium infirmiſſ. 13.5.1.
Glandularum tumores ſunt ſtrumæ. 13.5.5.
phymata. Ib.
Glaucium & διὰ γλαυκίου. 14.4.3.5.
Γλωσσομεῖον. 6.5.8.25.

H.

Hæmorrhagia quot de cauſis fiat. 5.2.4. & (ſeq.
curatio in partibus externis. Ib.3.
internis. Ib.5.1.
per ἀναστόμωσιν. 5.5.1.
per διαπήδησιν. 5.6.5.
per eroſionem. 5.6.1.
ex ſecta vena. 5.6.6.
arteria. 5.7.1.
Hecticæ quibus morbis ſuccedant. 10.8.5.
Hecticorum victus. 10.11.1.
Hecticis med. externa quæ conveniant. 10.8.5. Ib.9.1.
Hectici quando cibandi. 10.6.1.
quibus remediis opus habeant. 10.7.1.
qualem reſpirationem habeant. 10.8.5.
Hepar indiget adſtringentibus. 13.15.2.
Hepati ab inſpirato aëre nihil commodi. 10.8.9.
Hepatis & lienis comparatio in ſubſtantia. 13.16.1. *quo ſanguine alatur viſcus utrumque.* Ib.
Hepatis officium apud Ariſt. & Gal. 13.13.2.
in Hepate ſunt ἀναστομώσεις *venarum, quales Gal. fingit.* 13.15.4.
Herpes, eryſipelas ulceratum. 14.17.3.
Hiſtoria. Ib.
κεγχρίας. 14.17.7.
eſt à bile. 4.6.6.
Heſiodi contentio ſalutaris. 1.1.5.
Hiera picra ex aloë lota & illeta. 7.11.7.
Hieræ uſus in colica. 12.7.12.
Hipp. *laus.* 6.5.3.
cū Trajano Imp. cōparatur. 9.8.1. & ſeq.
aphor. noviter explicatus. 3.7.9.
aph.31. ſect.3. explicatus. 3.2.17. & 18. Ib.7.9.

liber 1. de Nat. hum. quem habemus, non eſt Hipp. magni. 1.2.13.7.3.5.8.1.7.
Hiſtoria curatæ ſiccitatis. 7.6.3.10.
mulieris catarrhoſæ Rom. 5.13.2.5.
ventriculo laborantis. 7.8.2 alia. Ib.3.
Hiſtoria duorum adoleſcentum ſynocho laborantium. 9.4.1.
Hofmannus excuſat ſe de quibuſdam. 9.10. 10. Ib. 10.12.
Horror quomodo præveniendus in quibuſdam. 10.4.6.
Horſtius in ſe ipſo decipitur. 8.2.19.
Hydrops tympanites nullus eſt. 14.8.8.
affectus qui ita dicitur, ἐμφύσημα eſt. Ib.
Hypochondriorum perfuſiones & cataplaſmata in febribus improbantur. 11.15.1.

I.

Ἰδιοσυγκρασία Methodicorum. 3.2.15. Ib.7.7.
Jejuni diutius qualem animã habeant. 14.1.3.
Incipere à levioribus in quib. liceat. 5.15.3.12
Indicationum ordo. 11.2.12.2.7.3.
Indicationum ordinem cum aliquid interrumpit. 11.11.3.
Indicationes unde oriantur. 3.1.1. & 8.
Indicationis definitio. 2.7.1.
Indicatio prima & principaliſſima. 9.9.1.
Indicatio à magnitudine morbi. 4.6.1.
ab humorum curatione. Ib.7.1.
à ſitu & conformatione partium. Ib.3.
à ſenſu partis. Ib.2.
Indicatio à viribus. 11.3.1.
in quibus conſiſtant, & quid debeatur ſingulis. 11.3.3.
judicium ea de re. Ib.5.
in Indicationibus { contrariis quomodo gerere ſe debeat Medicus. 10.1.1. & ſeq.
in Indicationibus { complicatis qui proceſſus. 7.12.2.
Indicationes contrariæ. 8.9.8.11.12.4.
in febribus. 8.1.5. Ib.3.1.
in febribus putridis. 11.1.1.3. & 11.7.3. Ib. 12.1.
in hepate affecto. 13.16.5. in omnibus quorum opus publicum eſt. Ib.8.
Inediæ calidis & ſiccis res adverſiſſima. 10.5.1
Inflammationis ſigna propria. 1.8.6.
Inflammatio cum & ſine febri eſt. 13.1.2.
& eryſipelas quæ communia habeant. 14.1.3.
Inflammationis ſymptomata quinq;. 13.1.3.
cauſſa. 13.2.1. Ib.3.1.
curatio compoſita eſt. Ib.13.5.2. Ib.6.
inter Inflammationes profundas & ſuperficiales quæ differentia medicamentorum. 13.18.2. Ib.19.1.
Inflationum curatio quomodo differat ab œdematum. 14.7.1.
affectus ipſi quomodo dignoſcantur. Ib.2.
Inſtitutiones Hofmanni ſunt offendiculum. 1.3.13.
Inſtit. Med. argumentum duplex. 7.3.6.
Intemperies nudæ ap. Galenum ſunt duplices. 7.11.9.
partis affectæ corrigere in ulceribus quanti ſunt momenti. 3.8.1.
Intemperiei ſiccæ gradus. 7.6.3.31.
quantum lædant illas adſtringentia. ib.2.
difficultas curæ. Ib.30.
in Intemperiebus compoſitis monitum ſingulare. 7.8.6.
Inteſtini jejuni vulnera incurabilia ſunt. 6.4.15.
IO. DINKELII ſcriptum de uſu Dialecticæ. 2.5.15.
Iris in oculo. 14.19.5.

K.

Κακοχυμία. 13.6.5.6.
Τὸ καλούμενον ἐγγώνιον. 6.5.14.
Καμάρωσις. 6.6.5.
Κάταγμα ἢ ἄπαγμα. 6.5.1.27.
Καλωτερικά. 13.17.4.
Καυληδὸν frangi, σχιδακηδὸν, ῥαφανηδὸν, id eſt, πολυειδῶς. 6.5.2.3.27.

Κιῤῥὸς,

Κιρρὸς, πυῤῥὸς, ὠχρὸς eundem colorem ſignant. 12.4.6.
Κνίσσα καὶ ἐρυχὴ κνισσώδης. 8.5.11.
κρατῶσθαι. 4.4.2.
Κραῦρος, quid. 11.13.2.
Κυκλίσκος cultri genus. 6.6.1.3.
Κωφὸν θέατρον. 1.2.4.

L.

Lac ut & ſemen, celerrime alteratur in aëre. 7.6.6.
Lac Stabianum. 5.12.1.2. ejus uſus Ib. 4.5.
Lactis aſinini dotes in phthoe. 7.6.7.8.9.
uſus in becticis. 10.11.2.3.
Laqueus ἐκ δυοῖν διαυλέων. 6.5.25.
Lenticula paluſtris in externis. 10.9.6.
Lië quatenus ſit ἐκμαγεῖον hepatis. 13.16.10
quo ſanguine vere alatur. 13.16.9.
Lienem ſanguificare. 13.16.9.
Lienis excrementū per quas vias eat. 13.16.11
Ligamentorum vulneratorum curatio. 6.4.1.2.
Ligaturæ quales eſſe debeant in fractis oſſibus. 6.5.9.
Lingua ita inflata ut ore contineri non poſſet. 14.8.1.
Lactucæ ſucco curanda. Ib. 2.
Λιπόδερμοι. 14.16.8.
Λογιατροὶ. 8.6.3.
Logici quæ repræſtent Empiricos. 5.1.6.
Λογομαχία in appellationibus curandi & præſervandi. 4.3.10.

M.

Macedonicum. 13.5.7.
Manna thuris. 13.5.12.
ut differat à thure. Ib.
Μαρασμὸς περιφρυγὴς καὶ συγκοπώδης. 8.2.7.
Meatus auditorius ap. Gal. tangit cerebrum. 6.6.10.12.
Medicamenta ἀφλέγμαντα. 6.5.12.
ἀποκρουστικά. 11.15.10.
ἔμμοτα. 13.5.13.
hepatica & lienica in quibus conveniant. 13.17.1.
κεφαλικά. 6.6.2.
ſarcotica quæ ſint. 3.3.4.
Medicamenta ἔναιμα quæ. 6.2.2. Ibid. 5. 20.22.
In Medicina demonſtrationes Mathematicis ſunt ſimiles. 1.4.7. & ſeq.
Medicus quis ſit. 6.2.6.
eſt naturæ imitator. 4.6.10.
miniſter. 3.7.9.
incipit à ſimpliciſſimis. 3.2.1.
Medicum Naturæ miniſterium quibus in rebus conſiſtat. 7.7.9.
Medici diatritarii. 8.6.3.
quid ad curationem ulcerum afferant præ vulgo. 5.1.2.
Medicorum veterum nationes. 1.1.5.
diſputationes Romæ in templo Pacis. 2.5.15.
Mel optimum in phthoe. 7.6.8.
Mellis incommoda in becticis. 10.11.3.
Melicratum becticis adverſiſſimum. Ib. & 13
Melancholia hypochondriaca fit ex duplici cruditate. 8.5.11.
Melea. 7.4.2.
Methodo invenire quid ſit. 1.2.12. Ib. 4.2.3.
Methodica doctrina quæ. 5.5.6.
Methodi definitio. 4.4.21. Ib. 38.
Methodus qualibet quomodo conſtituatur. 1.5.1. Ib. 8.8.
Methodū medendi cur Gal. ſcripſerit tam ſero. 1.1.1.
Methodicorum duo morborum genera. 1.3.8.
Μεθοδικῶς & λογικῶς curare eſt idem. 4.4.38.
Methodus practica Gal. & Friſimelica promiſſa. 11.17.10.

thera-

therapeutica ut diſtinguatur ab Hygienâ. 12.5.21.
μεταϰόσμησις. 3.3.17.
μετασυγϰρίνειν, *ſeu recorporare Methodicorum.* 4.4.1.24.
μετασύγϰρισις *eſt* ποροποιΐα. 4.4.25.26.27
μιϰρολογία. 2.7.28.
Moles nimia corporis. 14.15.2. *curatio.* Ib. 4.
Μολιβδοχρῶτες. 12.3.1.
τὸ μόνιμον. 1.9.7.
τὸ μόνιμον *non pertinet ad definitionem morbi.* 14.5.2.
Morbi definitio. 2.6.14.
quomodo indaganda. 1.5.2.
Gal. eſt ὀνοματώδης. 1.5.9.
Morborum differentia. 2.6.2.
Morbi genus Logicum. 1.7.12.2.5.1. *& ſeq.*
quod in eo conſiderandum. Ib. 8.12.1. Ib. 6.2.
Morborum nomina unde ſint deſumpta. 2.2.1.
Morbus magnus quadruplex. 4.6.5. *&* 9.
cum virium conſtantia & ætate conſtanti an æqualiter indicent venæſectionem & purgationem. 4.6.11.
Mores Rom. tempore Gal. 1.1.2. Ib. 2.12.
literatorum noſtrorum. 1.3.12.
ſtudioſorum noſtrorum. 1.1.6.
ſectariorum. 1.7.12.2.5.1. *& ſeq.*
Motus eſt duplex. 2.3.5.
εὐθύπορος ϰαὶ ἀντιληπτιϰός. 6.5.25.
Muſculos Gal. etiam carnes vocat. 14.2.4.
Muſculorum abdominis ſitus. 6.4.4.
Mutilati qui dicantur. 14.16.10.
Μυρμήϰια *&* ἀϰροχορδών. 14.13.2.

N.

Narcotica in oculorum affectibus quid præſtent. 3.2.16.19.
Ne quid nimis. 12.1.14.
Nervi contuſi cum cute curatio. 6.3.10.
ſine cute. Ib. 11.
præciſi in totum. Ib. 12.
cæſim læſi curatio. 6.3.1
oblique. Ibid. 9.
in Nervi punctura, quid debeat facere Medicus. 6.2.8.
vulnere, quæ medicamenta locum habeant. 6.2.11. *&* 18
Nitri boni notæ. 8.4.7.14.7.6
ſpecies ex natalibus. 8.4.10
Nitrum Berenicum. 8.4.10
Nome genus ulceris. 5.4.9
Nomina ſemel poſita non mutanda. 1.8.6 Ib. 9.5.

Ξ.

Ξηροτριβία. 8.2.27.

O.

Obſtructionum lienis vera cauſa. 13.17.7.
Oculi actio quæ ſit. 1.6.2.
in Oculi aff. cur albumine ovi utimur. 13.22. 5.7.
in Oculorum aff. caput præcipue curamus, purgato toto. 13.22.10. *& ſeq.*
Oeſophago affecto cur ſpinæ imponantur medicamenta. 13.17.6.
Omentum, cum exit per vulnus, an abſcindendum ſit. 6.4.18.
τὸ ὄν, τὸ ὑπάρχον, τὸ ἐφεστὸς *ſunt idem.* 2.7.28
Ophiaſis & alopecia. 14.17.1.
ὀπῶραι *ſeu fructus* ὡραῖοι. 7.4.3.
Oſſium alimentum quale revera. 6.5.28.
ὀστάγρα, *inſtrumentum Chirurgicum.* 6.6.5
Oxalidis ſeu oxylapati ſuccus in externis. 10.9.6.
ὀξὺς *humor veterum quis.* 14.9.2.
ὀψιμαθεῖς. 8.3.15.

P.

Palmulæ παλάθαι. 10.9.6.
Panes ὀξυλιπεῖς. 8.5.5.
τὸ παρηγοριϰὸν *an ſit pars Medicinæ.* 4.5. 6.12.
huic opponitur τὸ ἀγωνιστιϰόν. Ib.
Paroxyſmi initio quando cibare liceat, quando

quando non. 11.21.6.
Pars eſt vocabulum ab uno. 1.6.5.
Pars nulla renaſcitur. 14.16.16.18.
Partes ὁμοιομερεῖς ex 4. elemētis ſunt. 8.1.1
in his ſunt intemperies ſimplices & compoſitæ. Ib.2.
Partes ſolidæ non fiunt ex ſemine maſculo. 10.10.36.
Pathos quid ſit. 1.9.1.2.3.8.
ut differat à ſymptomate. 1.9.1.
Pennaliſmus devovetur. 8.3.15.
in Periculo ſunt, qui nimis fortiter in doloribus ſe gerunt. 12.1.11.
Περίπλωσις Empiricorum. 14.17.15.
Περιστολὴ καὶ τρίψις ventriculi. 2.4.9.
Peritonei deſcriptio. 6.4.4.
Peſtis Rom. tempore Gal. 5.12.9.
Phrænitis & lethargus contrarii affectus. 13. 21.4.9.
Philoſophiæ definitio. 1.1.2.
πικρόχολοι Hipp. dicti. 8.2.9.
ſtomacho. 12.4.2.4.
vina qualia talibus conveniant. Ibid.
Pili cum plantis comparati. 14.18.4
Pilarum nutritionis materia. 14.18.9.
πιλοποιοὶ, ἢ πηλοποιοί. 6.2.15.
πλῆθος καὶ πληθώρα. 13 6.5.6.
Plethora non eſt ſcopus venæſectionis. 4.6.2.
Pleuritis & dyſenteria habent ſcientificam cognitionem. 12.7.16.
Podagra nodoſa à cauſa externa. 14.15.12.
πολυειδῶς. 6.5.2.3.27.
Poma Cydonia, Struthia & Caſtiana. 13. 15.4.
πῶρος ſive callus. 6.5.28.
Prator non curat minima. 13.2.4.
Priapiſmus qualis affectus. 14.7.8.
Προφυλακτικὴ Medicinæ pars. 13.2.3.
Πίλωσις. 14.17.4
Ptiſſanæ laudes. 8.2.12.
Pueris quibuſdam ſecanda eſt vena. 12.3.17.
Pulmonis ulcera. 5.8.1.11.
Pulſus inæqualitas συστηματικὴ. 12.3.1.
Purgationis ſcopi. 4.6.3.
ſubſtitiva ejus. Ib.
Purgatio electica an detur. 14.3.9.
Purgare ante omnia oportet. 4.4.29.
Purgatio ad lipothymiam non conceditur. 9.4.9.
Putredinis definitio Gal. 11.8.2.
quæ ab illa indicationes. Ib.3.
an eadem ſit cum Ariſt. Ib.6.
Putredo febrilis, quibus in vaſis ſit. 11.4.3.
Putridarum febrium curatio. 11.9.1. Ib. 11.1.
Πυῤῥός. 12.4.6.

R.

ῥαφανηδόν. 6.5.27.
à Rebus, non à nominibus eſt ordiendum. 14. 2.1.
Renum ſubſtantia cum hepatis & lienis. 13.16.2.
Repellentium uſus in capite deſitus. 11.18.3.
Repetere licet ſæpius quæ late utilia ſunt. 7. 6.34.
Repetere quædam non eſt inhoneſtū. 13.16.13.
ῥοιάς, oculi morbus. 14.16.11.
Rubor in vola manus & planta pedis. 13.1.5.
Ruſticus Colicus allio ſe curat. 12.8.12.

S.

Sanguis in thorace collectus quomodo per aſperam arteriam vacuetur. 5.8.2.
eodem modo pus. Ibid.
Sanguinis ſputum quod curatur. 5.14.1.
in Sanguinis ſputo ubi ſupervenit inflammatio, deſperatio. 5.15.2.
Sathene, quaſi εἰς Athene. 5.12.7.
Scammonii uſus in colicis ſuſpectis. 12.7.13.
Scopus à conſuetudine quanti. 9.16.3.
Scopi curativi unde ſumantur. 9.13.1.
Sectariorum mores. 1.7.12.2.5.1. & ſeq.
Sectarii nolunt dediſcere. 8.3.9.15.

Ddd *Semi-*

Semidogmatici qui. 3.2.16.
Seniū ex morbo Philippi. 7.6.30.10.10.29.
Sevi uſus in dyſenteria. 13.22.6.
Sincipiti cur medicamenta imponimus in aff. capitis. 13.22.2.3.
Siraum ἕψημα *vocatur in Aſia.* 6.3.6.12.4. 6.Ib.8.14.
σκληρόσαρκοι. 6.2.11.
σκολοπομαχαίριον. 14.17.15.
Soporifera differunt inter ſe. 12.1.16. *quo antiquiora, eo ſecuriora.* Ib 16.
σπάσμα *&* σπασμὸς *quid differunt.* 3.1.9.
Splenia σκεπαρνηδὸν *adhibenda.* 6.5.21.
σπλῆνες *in fractis oſſibus.* 6.5.25.
Stambolin, quaſi εἰς τὰν πόλιν. 5.12.7.
στέγνωσις *& inde febris in quibus fiat.* 8.2.1.
in quibus vaſis fiat, & à quibus cauſis. 11. 4.5.
ejusdem curatio. Ib.6.
Stomachus & Oeſophagus ſunt ἰσοδυναμοῦντα. 13.17.5.
Suffuſionis curatio. 14.13.3.
Σύμβασις *quid Methodicis.* 3.2.5.
Σύμπτωμα καὶ συμβεβηκὸς *ut differant.* 1. 9.14.
Symptomata in febribus variant. 12.1.1.
eorum differentiæ tres. Ib.3.
nullum ex his indicat. Ib.5.
in periculo ſunt, qui nimis fortiter in doloribus ſe gerunt. Ib.11.
quatenus curentur. 12.2.2.
Συναίσθησις *quid.* 13.1.2.4.
Syncopes definitio. 12.5.1.
Syncope ob flavam bilem in ore ventriculi redundantem. 12.4.1.
à tenuitate humorum. 12.6.1.
cum inflammatione viſceris ſi id fiat, peſſimum eſt. Ib 1.
ex dolore. 12.7.2.
Συνδρομὴ *Empiricorum.* 2.4.9.
plethorica Empiricorum. 4.6.1.
Σύνοχος, (*ſub* πυρετὸς) *non eſt Græcum.* 9.21.1.
Synochus duplex eſt, putris & imputris. 9.2.1
imo triplex. Ib.3.1.
in quibus fiat. Ib.3.
χιδακηδόν. 6.5.27.

T.

Tænia, lumbricus qualis. 14.17.1.
Tapſiæ uſus in extenuatis. 14.16.7.
Temperamentum aſcititium. 9.15.6.
Temperamenta aſcititia quei fiant. 8.7.4.
quæ Temperamenta, quibus febribus afficiantur. 8.8.1.Ib.9.1
Tendinum curatio. 6.4.1
Tetrapharmacum. 13.5.4
THESSALI *Trall. Methodicorum poſt Themiſonem patris mores.* 1.1.4.1.2.1.1.4.1
Theagenis Cynici mors. 13.15.2
Thucyditis dictum Medicinæ accommodatum. 10.10.25
Thuris facc. 3.3.5
Thus quale præſtet in hæmorrhagiis. 5.4.7
Ἰονώτικά. 13.22.14
Tranſitus à med. ad med. 3.2.16
Tremores p.n. quei fiant. 14.2.
Ἰριψυχία ἀνθρωπίνη. 1.3.1.
de Tumor. p.n. morbo in magnitudine. 13.1.
Tumores p.n differunt ratione influentis humoris. 13.4.
Tumorum p.n. differentia. 14.9.
diviſio. 13.3.

V.

Vacuatio per ἐπίκρασιν. 9.10.
aliqua ſpontanea quatenus impediat venæſectionem. 9.5.1

Vai

Varicum curatio. 13.22.19.
Venas regeneratas vidit Gal. 14.16.13.16.
Venæſectionis ſcopi. 4.6.1.9.11.11.11.14.1. *Ib.*14.8.12.2.1.13.11.2.
Venæſectio ſuccedanea. 4.6.5.
in Colica ab inflammatione. 12.8.1.
ad lipothymiam in quibus permiſſa ſit. 9.4.8.
non ſemper eſt ſocia purgationis. 14.3.9.
Venæſectioni ſubſtituit Gal. purgationem. 14.3.9.
Ventriculi intemperies ſicca curata. 7.4.5.
ut curentur. 7.5.1.
calida & ſicca. 7.8.1.
modo cum ſicca modo cum hum. 7.9.1.
humida. 7.9.2.
cum humore pauco. 7.11.2.
Ventriculi cacochymia. 7.11.7.
Veritas vult nos quædam repetere 13.15.14.
*Veritatis contemtus ſeculo Gal.*1.1 2.3.2.18.
Verrucarum curatio quæ fit per ſuctionem. 14.17.13.
extractio, quæ fit penna. 14.17.15.
Veterum conſuetudo in docendo. 4.4.32.
Veteres erant breves. *Ib.*
non ſinebant quenquam exercere artem, niſi probatum 1.2.4.
Viæ excrementis dicatæ. 11.19.1.*& ſeq.*
Victus attenuatorum. 7.6.20.*& ſeq.*
noſtrorum deteſtabilis. 8.3.17.
in Victu attenuante cautela. 14.15.12.
Vires quibus conſerventur. 11.5.1.*ſed tu vide Com.cap.3.*
Vinum ἀπαράχυτον. 12.4.5.
Cacubum quid ſit. 12.4.6.
in quibus febribus dederit Hipp. 8.3.6.
quale velint extenuati. 7.6.17.
Vina quot modis adulterentur Noribergæ. 12.4.10.
Viſcerum caro proprium nomen habet, παρέγχυμα. 14.2.1.
Ulcus ἔναιμον quod. 5.1.2.
ſordidum. 5.1.3.
intemperatum. 5.1.4.
supercreſcens. 3.6.1.
vel eſt ſimplex vel compoſitum. 3.0.1.4. 1.3.
quâ ulcus quid deſideret. 5.1.2.
Ulcera κακοήθη quæ vocentur. 4.5.1.
quæ cauſa ejus rei. 4.5.2.
incurabilia quæ. 4.1.7.
Chironia & Telephia. 14.17.4.18.
Ulcerum intemperies quo modo curanda. 4.2.1.
tumor. 4.5.4.
affluxus. *Ib.*5.
alia quædam. *Ib.*7.*& ſeq.*
propriæ differentiæ. 3.10.10. 4.1.4.
Ulceris cavi curatio Hipp. 3.3.1.
ſimplicis curatio. 3.4.1.
quâ ulcus indicatio. 4.5.3.7.
in Ulcer. curando quis ordo indicantium. 3.7.1.*& ſeq.*
Unguenta foliata & ſpicata. 8.5.5.
Unitas ſeu glutinatio oſſium an ſit ſperabilis. 6.5.4.
Unitatis ſeu continuitatis ſolutio quas indicationes præbeat. 5.2.1.
Unum non niſi unum indicat. 9.12.1.
Unus morbus unam fert indicationem. 10.10.2.
Utilia licet repetere. 10.5.12.
Vulnus recens quod ſit. 3.10.8.
Vulneri addita quæ differentias faciant, quæ non? 3.10.6.
Vulnerati aut facile ſanant, aut difficulter. 6.2.1.
qui inflammationem ſpectant. *Ib.*

Υ.

ὑδατίδες. 14.19.2.
ὑπάρχον. 2.7.28.
ὑπόῤῥυσις. 13.5.10.

Φ.

φαινόμενα ſunt duplicia, alia ſenſui, alia intellectui. 1.4.13. Ib.5.1.
φερονίκη, non βερονίκη. 8.4.10.
φλεγμονὴ & φλόγωσις differunt. 13.1.2.
φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης. 14.2.3.
φλύκταινα. 14.10.5.
φοινιγμός. 7.4.2.
φυμάτων curatio. 13.5.7.

Χ.

χαλάζιον. 14.15.2.
χοῖνιξ inſtrumentum pro fracturis cranii. 6.6.5.
χοιράδες fiunt ſcirrhiſcentibus glandulis. 14.11.1.

Ψ.

ψόας. 14.16.5.
ψύξις ἰσόῤῥοποι. 8.1.8.
ψῶρα ſcabies fera. 5.12.3.

Ω.

Ὠμήλυσις, ἢ ὠμὴ λύσις. 4.5.10. 14.3.6.
ὠχρός. 12.4.6.
ὡραῖοι. 7.4.3.
ὡσαύτως.

FINIS.

VITA MEDICA.
HOC EST,
GALENI ΥΓΙΕΙΝΩ͂Ν, SIVE, METHODI SANITATIS TUENDÆ LIBRI VI.

Novâ, eâque omnium accuratiſſima Verſione, & perpetuis

COMMENTARIIS ET CASTIGATIONIBUS PRUDENTISSIMIS,

Illuſtrati

A

CASPARO HOFMANNO,

Philoſopho ac Medico abſolutiſſimo, in Academiâ Altorphinâ quondam *Profeſſore Publico.*

Curante

SEBASTIANO SCHEFFERO, D. M.

FRANCOFURTI,

Impenſis JOANNIS JUSTI ERYTHROPILI. Bibliop.

Typis JOANNIS ANDREÆ.

CIↃ IↃC XXC.

VIRO PER-ILLUSTRI ATQUE MAGNIFICO,

DOMINO

ERICO MAURITIO,

CAMERÆ IMPERIALIS CONSILIARIO ET ASSESSORI EMINENTISSIMO,

DOMINO, FAUTORI, AC AMICO magno, veteri, plurimumque colendo.

NOn eſt, quod multis exponam cauſſas erudito orbi, quur hoc Sanitatis opuſculum præ ſe ferre voluerit Illuſtre Nomen Tuum, idque Tibi potiſſimum inſcribendum eſſe duxerim. Quis enim neſcit, quòd rerum omnium natura atque rationes à Te penitus perſpectæ ſint, & quantum Tibi debeat

omnigenarum ſcientiarum cumulus? Qui non in hoc tantùm perſtitiſti, quod uti reliqui omnes Sanitatis ſuæ rationem habentes, generaliora ejuſmodi præcepta cognitione Tua comprehenderis, ſed quum Aſtræa, cui à teneris annis nomen Tuum dediſti, Te inter primarios Sacerdotes ſuos cooptaverit, Ὑγίεια quaſi æmula ejus tantum ingenium in ſuas etiam partes quodammodo trahere, & per rei Medicæ, rerumque naturalium ſtudia, quaſi per πάρεργον quoddam, in penetralia ſua inſpicere atq; arcana ſua communicare Tecum inſtituit; ſicut ferè audeam affirmare, quòd quantum infirmitatis indefeſſa Tua, quam in graviſſimis Tuis muneribus hactenus Reipublicæ ſimul atque privatim abundè omnibus præſtitiſti, opera Tibi attraxit, tantum valetudinis nunquam ſatis admiranda etiam in hoc ſtudio eruditio, & crebra cum peritis facta communicatio reportavit, adeo ut cùm alii Viri ſatis excellentes & litteratiſſimi, harum tamen rerum ſcientiâ nudati, in medio vitæ curſu ſæpiſſime frangātur, & ante ſubmergantur, quàm portū conſpicere poſſint, Te cui nihil à natura denegatum, neque à doctrina non delatum eſt, felicem præ iis aſſerere & deprædicare non erubeſcam. Sed & me propterea felicem cur nominem non hæreo, quod Tanti Viri gratia & benevolentia me compluribus abhinc annis ita complexa eſt, ut crebrioribus litteris amicitiam Tuam colere, & de Sanitate diſſerere nunquam non licuerit; à qui-

à quibus initiis amor Tuus in me profectus, radios ſuos erga me hactenus explicare non deſtitit. Quare & hoc Sanitatis exemplar, non meum, ſed CASPARI HOFMANNI, Germanorum Galeni, ut ab exteris vocari ſolet, ſerena atque innatæ benevolentiæ plena fronte ab animo Tibi deditiſſimo accipe, utpote quod poſt varia ejus Viri edita Manuſcripta, quæ partim ex hæreditate paterna, partim beneficio Magni illius Pariſienſium Profeſſoris GUIDONIS PATINI, in ſcriniis meis aſſervata jacuerunt, publicationi amplius non eſſe denegandum duxi. Vale & priſtino amore ac favore proſequere

Perilluſtr. atque Magnif. Amplitud. T.

Francofurti ad Mœnum
Calend. Martii. CIↃ IↃC XXC.

Omni cultu, ſtudio & officio devotiſſimum

SEBASTIANUM SCHEFFERUM, D.

AUTORIS
PRÆFATIO IN Ὑγιεινὰ GALENI

DUm in hoc ſtudiorum genere verſor, Lecto non rarò duplex me opprimit calamitas. A tera, cum video, homines noſtros, qua æſtu marino abreptos, tantoperè aberrare ſcopo, ut putent, quaſi ex ſeſe natis, deſpic. tui ſibi eſſe habendam antiquitatem, & ſ. tis eſſe, ſi ſcribant id, quod ſibi imagina. tur Altera, & huic vicina, quod iidem, ſpretâ prorſus antiquit. te, Barbaris ſe applicant, lauream ex hoc muſtaceo quærentes.

Utraque præter modum moleſta mihi fuit anno ſup. 1638. q ad mentem Gal. 7. Meth. 3. extremo, Inſtitutiones abſolvebar. Offendebam enim ibi quaſi alterum Herculis bivium, in quo alte in Parnaſſo ſemita duceret me in apicem illum, cui ἡ θεραπευτικὴ *in ſtebat, altera in illum, cui* ὑγιεινή.

Videor tibi fortaſſis ænigmaticè loqui? Loquar igitur clari. Cum in libris Methodi XIV. *ad vertiginem usque laborâſſem, r jam in eo eſſem, ut, quod Inſtitutiones à me poſtulabant, ſente tiam Galeni breviter exponerem, accidit ſæpiculè, ut quaſi ad co ſpectum capitis Meduſei, inhorruerim, & dixerim intra me, C.*

cu.e

cuſne an amens es, ô Hofmanne, qui ſcribere cogeris longè diverſa ab aliis?

Ut igitur conſtantiam meam, fidemque probarem doctis & ſapientibus, cum aliud conſilium præ manu non eſſet, cœpi totum opus denuò vertere in Latinum, ut propius viderem genuinum Galeni ſenſum. Quo facto cum non prodiret, quod mutationem ſuaderet, acquieſcendum fuit, & res transmittenda ad alios.

Qui labor cum, veluti Cæcias trahit nubes, ut in proverbio eſt, traheret ſecum alium laborem nec minus facilem, nec magis felicem, vertendi ſcilicet de novo τὰ ὑγιεινὰ *etiam Galeni, amplius fluctuavi. Nam Græca quidem in utroque Codice Gal. & corrupta ſunt, & adeò obſcura, ut laborioſiſſimus* CAIVS *ex MS. Anglicis opera precium fecerit parando novam editionem operis per* FROBENIOS *Baſ. in 8. anno 1558. Latina autem barbarico cœno ita obvoluta ſunt ſub titulo* de Conſervandâ valetudine Scholæ Salernitanæ, *uti nulla ſpongia ſatis ſit.*

Qui mihi non credit, credat oculis ſuis, inſpectâ vel veteri editione Francofurtenſi apud Egenolphos anno 1554. & iterum 69. in 8. vel recentiori Pariſienſi anno 1625. Quod verò miraculo dignum videri poſſit, verſus iſtos leoninos auſi ſunt commentariis ornare I. JACOBVS SORGE, *Medicus Erfordienſis,* II. RENATVS MOREAV, *ſive* MORÆVS, *Doctor Lutetianus. Sed reverà in neutro eſt* οὐδὲν ὑγιὲς, *quod Græci dicunt, quia, ut verbo me abſolvam,* ſine methodo eſt, ſine animâ. *Ita in verbis ſunt* φλυαρίαι. *Quo enim modo cohæret hoc,* Somnum fuge meridianum, *cum illo,* Sit brevis, aut nullus,

nullus, &c. *Verùm de hoc* in Poſt-curis. *Quin etiam ambiguitates ſunt, an unquam Academia fuerit Salerni? quis ille Anglorum Rex? Sed faceſſant fabulæ. Similis argumenti libellus eſt Eobani Heſſi, cum verſibus Joach. Cam. illius, qui Phœnix Germaniæ eſt dictus, ſed tenuis. Eſt etiam H. Rantzovii Eq. Holſati, militaris potius, Lipſiæ in* 8. *anno* 1580. *Ex horum neutro quidquam utile hauſeris? Et quei poſſis, cum Galenica illa, nec legerint, nec intellexerint? Neque officii mei nunc eſt examinare illa.*

Perſcriptum Altorfii, quod in veteri Norico eſt, ineunte Majo, anni 1647.

GA

GALENI

Τῶν ὑγιεινῶν, ſive

METHODI SANITATIS TUENDÆ

LIB. I.

CAPUT I.

I.

ARs circa corpus humanum licet una ſit, duæ tamen conſtituantur partes ejus, quæ diverſas inter ſe actiones habeant, quarum altera vocatur ἡ ὑγιεινὴ, altera ἡ θεραπευτικὴ, ſiquidem illi propoſitum eſt cuſtodire corporis conſtitutionem, huic alterare. Sed quia ſanitas morbo prior eſt & dignitate & tempore, fas eſt nos prius inquirere, quomodo illam quis cuſtodierit: deinceps, quomodo quis optime curarit morbos. Communis autem inventionis via eſt, ſi ſciverimus, qualis diſpoſitio ſit corporis quam *Sanitatem* appellamus. Neque enim vel præſentem ſervare nobis licet, vel perditam recuperare, ſi omninò ignoremus qualis ſit?

2. Hac de re & peculiariter ſcriptum eſt à nobis alibi, & oſtenſum, quod partium ſimilarium quidē vocatarum ſanitas ſit ſymmetria calidi, frigidi, ſicci & humidi: organicarum autem, quæ ex compoſitione, & quantitate, & numero, & conformatione fit. Ut qui hæc cuſtodire poſſit, ſanitatis cuſtos bonus ſit futurus. Cuſtodiet autem, ubi prius invenerit modos omnes, quibus corrumpi poteſt.

3. Ut enim ſi contigiſſet nobis corpus omninò impatibile, arte præſide opus nobis non eſſet: ita nunc, poſtquam multiplicibus obnoxium eſt paſſionibus, neceſſe eſt præficere illi artem, quæ poſſit cognoſcere, & avertere omnes illius noxas.

COMMENTARIUS.

4. Immenſa eſt obſcuritas in verbis illis, ἔμπαλιν ἔχοντα πρὸς ἄλληλα τὰς

ἐνεργείας: Quæ enim eſt *diverſitas illa actionum utriusque partis inter ſe*, ut ego verto? Conatus ſum protrahere in lucem Com. in 8. Meth. ult. §. 15. ſed breviter res ita habet: Sanitatis latitudo quædam eſt, & pauciſſimi ſunt in ſummo illo gradu, quæ εὐεξία dicitur, ſed declinamus plerique ad deterius, h. e. habemus actiones, modo plures, modo pauciores, magis minus culpabiles. Εὐεξία ut ſimpliciter ſervanda ſimilibus eſt: ita καχεξία, (ut ſic dicam) quamdiu ὀρθοστάδιοι ſumus, contrariis ſimpliciter dictis; cum decumbimus, contrariis ſimilibus. Quid hoc rei eſt? inquis. Qui extra εὐεξίαν ſunt, & declinant verſus caliditatem, verbi gratia, in primo, ſecundo, tertio, quarto gradu, ad eundem gradum aſpirare debent in omnibus ſex rebus non naturalibus. Non enim cupio melior eſſe. Cum decumbo, non cogito εὐεξίαν, ſed primum gradum, illi me reſtituas volo. Quod ſi ulterius progreſſus eſt calor, ut lædat actionem, de illo conſultabis alio tempore. In partibus eſt analogum quid. v. g. in cavo ulcere partis calidæ niſi offenderis ſarcoticum ejuſdem gradus, nihil efficies. Jam ergo diverſitas actionis in eo eſt: Therapeutica in eo eſt, ut magnum exceſſum, v. g. magnam intemperiem redigat ad ſtatum naturalem: Hygiena, ut parvum. Si enim parvum aggredietur validiori contrario, contrariam intemperiem inducet.

CAPUT II.

1. SUnt autem noxæ ſeu corruptelæ corporis noſtri genere duplices: Illarum enim quædam neceſſario nobis inſunt & connatæ, quaſi radicem quandam habentes principia generationis noſtræ: quædam non neceſſariæ quidem, neque è nobis initium habentes, nihilo minus tamen quam illæ corrumpunt corpus: utraſque ſeorſim ponemus jam.

2. Semen & ſanguis ſunt principia illa generationis noſtræ. Sanguis quidem quaſi materia concinna & morigera artifici per omnia: ſemen autem rationem opificis habet. Horum utrumque miſtum eſt ex elementis generiisdem, humido & ſicco, frigido & calido, aut ſi denominare malis, non à qualitatibus, ſed à ſubſtantiis, terrâ & aquâ, aere & igne. Sic enim à nobis demonſtratum eſt in libris de Elementis ſecundum Hipp.

3. Differunt duo illa principia quantitate miſtorum. Semen enim plus habet ſubſtantiæ igneæ & aeriæ: ſanguis terreæ & aqueæ. Nam & in hoc calidum ſuperat frigidum, veluti humidum vincit ſiccum. Propter hanc utrinque victoriam, non ſiccum eſt, ut os & pilus: ſed humidum. Semen autem ſiccius quidem eſt, quam naturæ ſanguinis conveniat: fluxile tamen etiamnum & humidum.

4. Et ſic quidem utrinque principium noſtrum eſt ſubſtantiæ humidæ quod tamen humidum manere non debebat, ſiquidem nervi inde fieri debebant, venæ, arteriæ, oſſa, cartilagines, membranæ, & alia talia. Hinc fit, ut neceſſa

ceſſariò ſtatim initio generationis ſimul adeſſe oportuerit elementum ſiccum, & quidem validius. Tale eſt naturâ præcipue quidem ignis: minus autem terra. Nam & hæc ſiccum quid eſt: veruntamen miſceri illa in majori copia non debebat, quod ſuperent humida elementa. Ignis autem plus admiſceri nihil prohibet, adeoque jam plus illius habet, ſed ita, ut neque torrefaciat, neque urat, ſed ſiccet, quantum ſatis eſt. Nam & hic calor, quantillus alias ſit, tam veloces motus præſtare poteſt, ut ab illo, primùm quidem cogatur ſanguis, & τὸ κύημα mediocrem conſiſtentiam acquirat: poſt autem amplius ſiccatum, quaſi lineamenta quædam habet, & typos obſcuros futuri animalis, in quo partes ſingulæ ſint manifeſtæ.

5. Sanè, poſt partum etiam, ſemper magis, magisque & ſiccius & robuſtius evadit animal, uſque dum ad ἀκμὴν pervenerit. Quo tempore augmentum etiam finem habet, cum videlicet oſſa non amplius extenduntur ob duritiem, vaſaque non jam porrò fiſtulant, quin omnes partes ita confirmantur, ad extremum deductæ robur.

6. Poſthæc, cum ſingula inſtrumenta ultra quam par eſt ſiccata fuerint, & actiones deterius fiunt, & totum animal corpus amittit, graciléſcitque. Rurſus exſiccatum ulterius, & rugoſum & excarne fit, artusque debilitantur, ad motum omnem ignaviores. Hæc diſpoſitio jam ſenectus vocatur, & eſt analogum ejus, quod in plantis eſt αὔανσις. Nimirum eſt hæc ſenectus plantæ, quæ accidit ei ob ſiccitatem nimiam.

7. Una igitur eſt hæc nata nobiſcum neceſſitas corruptionis omni corpori generato communis: altera animalibus ſupervenit maxime, & eſt fluor ſubſtantiæ ipſius, profectus à calido connato.

8. Has igitur noxas nullum genitum effugere poteſt: cæteras, quæ has conſequuntur, cavere poteſt Prometheus aliquis. Exſiſtunt autem inde, ſi quis tentet corrigere neceſſarias. Nam quia fluit omnis omnium animalium conſiſtentia, niſi diffluenti opponat contrarias alias cauſas, diſcutietur & diſſipabitur ita totum corpus. Propterea, puto, Non animalibus duntaxat, ſed plantis quoque Natura tales vires dedit connatas, quibus appetunt, quæ defectum ſuppleant. Neque enim à quoquam diſcimus edere, bibere, reſpirare: ſed ab initio habemus omnium horum facultates, absque inſtitutione omnia perficiendi. Cibo igitur reddimus, quidquid diffluit ſiccioris ſubſtantiæ: potu autem reponimus, quidquid humidioris, utrumque in priſtinam reducentes ſymmetriam. Eodem modo aeriæ & igneæ ſubſtantiæ ſymmetriam conſervamus reſpiratione & pulſu. Demonſtrata verò & hæc ſunt ſeorſim in aliis libris. Quare perſequi oportet nunc ſermonem de methodo Sanitatis tuendæ, cætera verò, quæ ibi demonſtrata ſunt, hypotheſeon loco habere.

9. Non poſſum non hoc loco quaſi è ſomno diurno exſuſcitare Galeniſtas noſtros, & rogare cauſam, cur malint ſequi avia, cum Galenus h. l. tam clare profiteatur ſententiam Peripateticam de principiis generationis noſtræ? Stet igitur hoc in poſterum quoque, de Galeni mente, Semen maſculum tantum habet rationem efficientis, quæ ipſa in re degenerat in formam: ſemen fœmineum, h.e. ſanguis menſtruus, habet tantum materiæ. Quare τῶν φιλαλήθων nemo in Natura rerum quærat partes ſpermaticas dictas: multo minus ſolicitus ſit de regeneratione illarum. Idem met non exſpectet à me citationem locorum in ſcriptis meis, cum in luce verſentur publica, neque ullum lateant φιλαλήθη.

10. De fine t.2. hoc te moneo, Verum eſt, quod Galenus ait principio librorum Meth. medic. Phyſiologiam Hipp. eſſe eandẽ, cum phyſiologia Ariſt. Sed falſum eſt, ſententiam Hipp. venandam eſſe ex l.1. de Nat. hum. Non enim magis legitimus eſt quam duo ſequentes, quos claſſium Galen. autor, Montanus Veronenſis, jamdudum pro ſpuriis declaravit.

11. De t.4 hoc quoque moneo, ſententiam Galeni de prædominio ignis in ſemine maſculo opus habere παραμυθίᾳ. Ignis enim, quà ignis, h.e. quà ſiccus, nihil conſtituit: conſtituit autem aer, qui humidus. Hypotheſis enim noſtra eſt, principia noſtra eſſe humida. Interim hoc tenendum eſt, calorem aeris eo uſque exaltatum eſſe, ut poſſit dici igneus. Quia habet ignis proprietatem, mover ſurſum & deorſum, quo duplici motu, inſtar ignis, deponit excrementa ſua. Ab hac ipſa exaltatione pendet & fluor ſubſtantiæ, & mors naturalis, quæ nihil aliuc eſt quam frigiditas & ſiccitas.

12. De t.7. cupiat quis ſcire, quæ ſit θερμότης illa ἔμφυτος? Cum enim duplicem in corpore agnoſcamus calorem, alterum *formalem*, qui in corde ſolc eſt, & ex corde diditur in reliquas partes; alterum *materialem*, qui in omnibu partibus eſt, calor, inquam, conſtitutivus: de utro loquitur Galenus? Non de *priori*. Libro enim de Maraſmo liberat calorem noſtrum hoc crimine, adeoque ne gat Hipp. eſſe vulgatum illud, *Calor qui nos fecit, nos perimit*. Et eſt alioquin firmur principium illud: *Nihil patitur à ſe ipſo: nihil agit in ſe ipſum*. Ergo de *poſteriori*.

13. Longe obſcurius eſt, quod t.8. ſequitur de cauſis, quæ has conſequuntur. Profecto eſt ἀκυρολογία. Contextus enim arguit, quod loquatur de *Rebus no naturalibus dictis*, quippe in quarum dextro uſu ſanitas conſiſtit, ut in ſiniſtro mor bus & mors. Ubi proteſtor de vi, quam adhibui τῷ προμηθέμενον, accommodan do fabulam Promethei & Epimethei.

14. Quod ſequitur de cibo, quo ſolida recuperentur, & potu, quo humid è medio vulgo petitum eſt. Revera ex ſolo cibo fit ſanguis, qui eſt τροφή: potu autem, quà potus, eſt ὄχημα τῆς τροφῆς, quod non nutrit, ſed excernitur apud Hipp juxta & Ariſt.

15. No

15. Non melioris conditionis eſt, quod tandem ait de reſpiratione & pulſu. Attingit enim communem ſententiam de generatione ſpirituum ex ſanguine & aere. Aer eſt πλασματώδης apud Ariſt.

CAPUT III.

1. QUoniam enim quotidie ex animalium corpore diffluit magna ſubſtantiæ portio, ob calorem nativum, ad conſervandam ſymmetriam indigemus cibo & potu, reſpiratione & pulſu, quæ neceſſario ſequitur excrementorum generatio. Si enim quale erat diſſipatum, exquiſitè tale reponere poſſemus, optimum hoc erat, & ſaluberrimum. At vero, quia quod deeſt ſingulis partibus tale eſt naturâ ſuâ, qualis pars ipſa; nihil autem eorum, quæ edimus & bibimus, exquiſitè eſt tale: neceſſariò incumbit Naturæ onus transmutandi & coquendi illa, ut quam ſimilima fiant nutriendis partibus.

2. In quo opere ſi quid ſit non accurate elaboratum, non exquiſitè aſſimilatum, neque adnaſcitur corpori, ſed tanquam ſuperfluum oberrat in interioribus ſpatiis, unde & nomen habet, ut περίττωμα vocetur recte ab antiquioribus.

3. Quia igitur edunt & bibunt animalia neceſſario, neceſſario etiam excrementa exſiſtunt, & propterea inſtrumenta ſunt facta, quæ mota, alia quidem trahunt, alia autem tramittunt, alia denique expellunt excrementa: oportet certe & illa neque obſtrui, neque debilitari in actionibus ſuis, ut corpus totum purum ſit liberum ab excrementis.

4. Hac ratione expliciti ſunt gemini ſcopi in doctrina victus ſalubris, alter quidem repletio vacuatorum, alter autem expulſio ſuperfluorum. Tertius enim, qui eſt, ne animal cito ſeneſcat, neceſſario ſequitur ad ea, quæ dicta ſunt. Si enim nihil peccetur, neque in replendo vacuato, neque in excernendis ſuperfluis, bene quidem valuerit animal, & diu floruerit: dicetur autem iterum de eadem re in progreſſu ſermonis.

COMMENTARIUS.

5. Durant etiamnum locutiones indiſtinctæ, & ideo obſcuræ, præſertim illa de calore nativo. Profecto, niſi de materiali dicto intelligas, jam parata Galeno eſt dica confuſionis, & in ſpecie, quod calorem formalem conſtituat reum corruptionis noſtræ.

6. In ſequentibus quia ἐκ παραλλήλε ponit neceſſitatē deponendi excrementa, & actionem privatam ſingularum partium, nutritionem, faciam οὐδὲ πάρεργον, ut Philoſophi diſcant uti perſpecillis Naturæ, nec amplius morentur in tenebris phantaſiæ popularis, paucisque exponam ſapientiam illius hac in parte fere inenarrabilem.

7. Principio, in abdomine, quod eſt cloaca excrementorum tam communium omnium viſcerum, quam privatorum uniuscujusque illorum, primum fecit

cit miraculum, quod alia paravit organa pro exportando ſicco excremento: alia pro humido, ut diſtinguit Ariſt. Hoc uno nomine *οὖρον, urina* vocatur, cui *renes* & *veſica urinaria* famulantur: illud *ἀνώνυμον* eſt, & habet pro ſe *craſſa inteſtina*, in quibus conveniunt, tàm utrumque primæ concoctionis, quæ in ventriculo fit, quàm utrumque ſecundæ, quæ in hepate & liene. Tu vide mihi compendium!

8. Deinde in thorace ſeu corde, ubi jam eſt liberatus ſanguis excrementis illis craſſioribus, tamen ſuperſunt duo alia, craſſum reverà, quod *Fuligo* vocatur, & tenue ſeu aqueum. Illa per rarum pulmonis corpus in aſperam arteriam translata, mediante reſpiratione, per os & nares evolat: hoc per arterias Emulgentes ad renes it, & ſub nomine *Contenti urinarum* excidit. Ubi tu vide mihi ſolertiam!

9. In tertia ab omnibus dicta concoctione, ſeu in habitu, duo analoga fiunt, quæ in balneo ſimul abſtergimus ſub nomine *Sordium cutis*.

10. Præter hæc univerſalia ſunt tria particularia, Aurium, Oculorum, Cerebri. De duobus prioribus cur dicam cauſæ non eſt: Cerebri res intricatior eſt. Duo cum ſint *Fuliginoſa* & *Mucoſa*, illa unâ viâ exeunt, per ſuturas cranii, & ipſa oſſa *συριγγώδη*, ut Hipp. appellat: hæc duplici, per palatum & nares. Quæ per palatum, ſunt ex ventriculis cerebri: quæ per nares, ex corpore cerebri. Quà enim cerebrum duplex eſt, & canalem facit declivem ad nares, in illo canali corrivantur excrementa pituitoſa, quæ gyri & circũvolutiones piæ matris generant. Cum enim ex certo Naturæ conſilio, Cerebrum indigeat multo ſanguine, multum eti[am] colligit pituitæ, unde metropolis pituitæ Hippocrati dicitur: Ideo profecto opu[s] etiã illi fuit cavitate, in qua colligeretur. Et hæc conſtituit unum illum Hipp. ventriculũ. Ex hac oratione intelligitur uſus ille ventriculorum, ut noſtri loquuntur tàm deſpicabilis, qui reverà magnificus eſſet, ſi oculis Naturæ uti vellent. Eg[o] verò hùc attuli occaſione comparationis Gal.

CAPUT IV.

1. SUbjungamus vero, quod reliquum eſt ex iis, quæ ab initio diſtingui fas e[ſt] quales, & quot ſint ſcopi in arte Sanitatis tuendæ. Diximus enim, quod, [ſi] corpus contigiſſet nobis impatibile, ut adamanti, aliisve talibus, non opus er[at] ulla arte, præfecta illi. Sed quia geminæ ſunt corruptionis cauſæ, illæ quidem in[ternæ], & à ſe ipſo; iſtæ autem ab extrinſeco accidentibus: neceſſum eſt illi prov[i]dentia non exigua.

2. Ex ſe ipſo dictum eſt periclitari duobus modis, primò quidem aut ob ſ[e]nectutem eundo ad mortem, aut ob fluorem continuum ſubſtantiæ ipſius: ſ[e]cundò autem ex conſequenti, ob ea, quæ comedit & bibit, potius propter gen[e]rationem excrementorum, quæ in confectione alimenti exſiſtunt. Ex ſe ipſo nu[n]quam perit hoc modo: ex iis verò, quæ ab externo eveniunt, unum quidem inſ[e]parabile eſt, quod omni tempore circumſtat illud, &, ut dixerit quis, connatu[m]

ipſi eſt, aër ambiens; alia verò omnia non neceſſariò, ſed certis temporibus, citra ordinem cum illo agunt.

3. Aer enim, aut calefacit illum immodicè, aut refrigerat, aut ſiccat, aut humectat, unde noxa: quædam verò contundendo lædunt, quædam lacerando, quædam vulnerando, quædam luxando.

4. Heic quæſtio quædam Logica verſatur, quæ in utramque partem ventilari poteſt, dicentibus quibusdam, artem homini præfectam poſſe omnia avertere: quibusdam ea ſola, quæ calefaciunt, refrigerant, ſiccant & humectant. Si enim, dicunt, in non naturalem ſtatum nos collocent ea, quæ frangunt, vulnerant, aut tale quid perpetrant, nullius artis eſt, vel cognoſcere, vel prohibere. Mihi verò propoſitum non eſt de ullo tali problemate velle agere: ſed, quod utraque pars concedit, ſine tergiverſatione recipere, & ſic ad propoſitum reditum facere. Omnibus enim nota ſunt, quæ lædunt ſanitatem frangendo, vulnerando, aut tale quid committendo: non omnibus nota ſunt, quæ calefaciendo, refrigerando, ſiccando, & humectando.

5. Nec nos igitur videbimur illis abſurdi quid facere, ſi ſaltu ſuperemus, quæ cognita ſunt, properantes ad illa, quæ cognita non ſunt. Non enim hoc tempore libet mihi tractare quæſtiones Sophiſticas: ſed declarare, quomodo quis minimum ægrotet.

6. Iterum igitur ad propria hujus loci reduces, commendemus diligentius lectoribus hypotheſes noſtras, quarum una hæc eſt, Sanitatem non ſimpliciter eſſe bonam temperiem, aut ſymmetriam elementorum, è quibus facti ſumus, quemadmodum omnes antiqui, paucis exceptis, putarunt: ſed tantum partium ſimilarium. Hoc alibi demonſtratum, nunc eſto nobis hypotheſis. Altera eſt, Sanitatem partium organicarum in conformatione conſiſtere; & numero, & quantitate, & ſitu ſimilarium. Et hæc pariter eſto hypotheſis, alibi demonſtrata.

7. Inſuper, quod conſtitutio ſanitatis judicetur ex actionibus naturalibus: Et, quod ſanitas quædam ſit optima, ſeu, ut dixerit quis, perfecta & ſumma: quædam veluti deficiens à ſumma, non exquiſita, nec perfecta, quam etiam dicimus magnam habere latitudinem. Hoc ſit heic quoque hypotheſis alibi oſtenſa, quamvis iterum heic etiam demonſtranda.

8. Volo autem eum, qui hæc lecturus eſt, verſatum eſſe in ſcripto illo meo, cujus titulus *Thraſybulus*, in quo anquiro illud, Cujus artis pars ſit τὸ ὑγιεινόν? Sed & in illo, Quæ ſit optima conſtitutio corporis noſtri? Amplius in illo, quod de εὐεξίᾳ eſt. Utrumque conſtat parvo libello, quo præcognito ſi quis hùc venerit, facile aſſequetur mentem meam. Quod verò hùc pertineat etiam ille, qui eſt de Elementis ſecundum Hipp., anteà dictum eſt. Nam ſequitur duos illos de optima conſtitutione, & de evexia.

COM-

COMMENTARIUS.

9. Diligentius intuenti t.6. hiatus apparebit ἀξιόλογ☉, omittit enim tertiam corporis noſtri conſtitutionem. Hac de re pauca legeris I.Inſt.4.§.1. multa χρ.παθολογ. cap.17.

CAPUT V.

1. HIs habitis hypotheſibus, hinc fortaſſis ordienda fuerit doctrina de Santuendâ. Eſt enim συμμετρία quædam. Symmetria autē omnis cum fiat & dicatur dupliciter, aliquando quidem de ſummo gradu, cum revera eſt ſymmetria, aliquando autem de inferiori quodam, cum deficit aliquid ab accurata menſura: utique & hæc duplex fuerit. Hinc quidem una accurata, optima, perfecta & ſumma eſt: illinc autem altera, deficiens ab hac, ſed non eouſque, ut lædat animal.

2 Et eſt heic quoque Logica potius quam ad uſum artis utilis quæſtio, qua quidam concedere nolunt, alium alio melius valere, neque eſſe latitudinem ſanitatis magnam in diſpoſitione corporis illa, quam *Sanitatem* vocamus, eſſe autem aliquid, quod indiviſibile ſit in magis & minus. Mihi vero videtur, quemadmodum corpus album aliis quidem videtur minus album, aliis magis: ita ſanum aliud alio magis, aut minus tale eſt.

3. Hujus ſermonis duplex eſt demonſtratio. Una quidem eſt ex ætatum transmutatione. Quamprimum enim editum eſt animal in lucem, neceſſario ſemper mutatur temperamentum ipſius, ut antea demonſtratum eſt. Quare, ſi in qualitate temperamenti *Sanitas* eſt; qualitas autem non manet eadem: neque *Sanitatem* eandem tuebimur. Altera autem eſt ex diverſitate actionum. Neque enim omnes ſani eodem modo oculis utuntur: ſed hi quidem acutius vident, illi autem debilius. Neque auribus eodem modo audimus: ſed & heic multum differimus ſecundum magis & minus. Sed neque cruribus eodem modo currimus, neque manibus apprehendimus, neque ullis aliis organis eodem modo operamur: ſed hic quidem melius, ille autem pejus.

4. Igitur, ſi differentiæ actionum ſequuntur differentias temperamentorū, oportet tot ſint temperamentorum differentiæ, quot ſunt actionum. Quod ſi quis nolit uti τῷ κράσεων, ſed malit τὸ κατασκευῶν, ut oratio extendat ſe ad omnes ſectas, ita demum concludet, Sanitas eſt συμμετρία ſecundum omnes ſectas; ſecundum noſtram autem, calidi & ſicci, frigidi & humidi; ſecundum alias autem, τῶν ὄγκων καὶ τῶν πόρων; ſecundum alias iterum, τῶν ἀτόπων, ſive ἄναρμα ſint, ſive ἀμερῆ, ſive ὁμοιομερῆ, ſive quovis modo prima ſint elementa. Breviter, ſecundum omnes agimus id, quod agimus, per ſymmetriam. Si igitur diverſimode agimus, diverſa utique ſymmetria eſt, quæ ipſa eſt ſanitas.

5. Quinetiam, non facta *Elementi* mentione, ſic inſtituatur quæſtio, Si partium

tium conſtitutionem ſequuntur ἐνέργειαι, quot ſunt in actionibus differentiæ, tot erunt conſtitutiones. Sed eſt ita, ſequuntur actiones quamplurimæ, Ergò conſtitutiones etiam quamplurimæ erunt.

6. Si igitur in omnibus ſanis conſtitutiones partium ſunt moderatæ, differunt autem conſtitutiones, quia actiones differunt: plurimæ etiam erunt ſymmetriæ conſtitutiònum, quia etiam ſunt plurimæ ſanitates. Atqui ſi differunt inter ſe ſanitates particulares, aut differunt ſecundum communem omnibus ſpeciem, (à qua ſanitates dicuntur,) aut ſecundum magis & minus. (Non differunt illo modo. Ergò hoc.) Veluti itaque albedo in nive, quà albedo, non differt ab albedine lactis niſi ſecundum magis & minus: eodem modo ſanitas Achillis (ponamus ita) cum ſanitate Theoſitæ eſt eadem, quatenus ſanitas eſt, ſed differt alio quodam modo. Hoc verò nihil aliud eſt quam magis & minus. Neque enim dicere licet actiones non differre, nec inæqualitatem aliunde eſſe quam à conſtitutione, ex qua agimus.

Hæc παρενθετικὰ ſunt ex Cajo, Ricco, Trell, & Coſt.

7. Quo loco ſi quis dixerit, ſolos eos valere, qui omnibus ſuis partibus bene & excellenter operantur; nos cæteros, qui pejuſcule, non valere: is ſciat, ſe fundamentum totius hujus methodi evertere. Si enim ſcopus ipſius eſt, cuſtodire ſanitatem eam, quam accepimus, nemo autem noſtrûm valet: luce meridiana clarius eſt, inutilem usquequaque fore artem, quam nunc ſtruimus. Nullatenus igitur ſolicitum de illa eſſe oportet, ſed ſilendum, & ita abſtinere ab hoc labore.

8. Veritatis igitur cognitio aufert omnia illa dubia. Non enim perfecta tantum ſanitas, quæ indiviſibilis, dicitur & eſt ſanitas: ſed illa etiam, cui deeſt aliquid, ſed ita, ut uſum expleat tamen. Omnes enim homines indigemus ſanitate, & ab obeundas unicuique res ſuas in vita, quas impediunt, & intercîdunt, & ſiſtunt morbi. Sed & quietis gratia indigemus. Non leviter enim angimur in doloribus. Vocamus autem *ſanitatem ſtatum illum, in quo neque dolemus, neque à rebus noſtris arcemur.* Qui aliter appellare volunt, nihil propterea lucrantur, quemadmodum & illi, qui ἀειπάθειαν introducunt.

9. Si enim propterea introducerent, quia ut corpus omne eſt generabile & generationis cauſas affert, ita connatas corruptionis à principio habet, ut nos anteà demonſtravimus: laudaremus eos, tamquam vera & antiqua dogmata profitentes. Nunc, poſtquam volunt & benè habentium & ægrotantium corporum eandem ſpecie conſtitutionem habere, nec laudamus, nec amplectimur dogma illorum. Multò enim ſatius fuerat, præſuppoſuiſſe, ſanitatem habere ſatis magnam latitudinem, quam aſſerere nos omnes perpetuis morbis conflictari.

10. Dicunt enim omnium morborum ſeminia nos in ſinu geſtare; verum tam exilia eſſe fatentur, ut propter parvitatem lateant ſenſum noſtrum. Sit igitur, ſi omninò ita volunt, dolorifica quædam in nobis diſpoſitio tam modica & inſenſibilis, ut non feriat ſenſum ægrorum: Sint etiam, ſi commodum illis, ſi-

mul febriculæ, ſed tam tenues, ut neutiquam ipſi deprehendamus, ſed domo exeamus, politica negotia obeamus, balneis utamur, edamus, bibamus, & alia faciamus, quæ in more nobis.

11. Nimirum, cum uti partibus corporis ſine impedimento poſſumus, maxime definit ſanitatem: Neque enim debilitas actionum morbi ſignum eſt, cum abſolute ita loquimur: ſed quæ ad individuorum naturam. Omnes enim male videmus, ſi comparatio inſtituatur inter aquilam & lyncem. Et ſane etiam audimus, ſi cum Melampode. Etiam pedibus laboramus, ſi cum Iphiclo, ut & manibus, ſi cum Milone. Imò, in ſingulis partibus paulò minus quam mutili videbimur, ſi componamus nos cum iis, qui primas tenent in illa actione.

12. Et quis noſtrûm putat ſe oculis laborare, ſi non videat formicas procul hinc duobus ſtadiis? aut auribus, ſi non exaudiat illum, qui ſexaginta ſtadiis à nobis abſit? An ille quoque conqueretur de oculis, qui literas heic ſcriptas non poſſit legere? Quin, ne ille quidem, ſi remotæ ſint quatuor cubitis, jure accuſabit oculos, niſi forte quis è nobis tam acuti viſus ſit, ut & has agnoſcat? Sic enim reor, & accuſabit, & jure accuſabit, quod omnes homines dicunt, qui tempore quodam hoc potuit, & jam non amplius poteſt, is jam laborat morbo, niſi ſi ſenectutis ratione acciderit, quamvis & ſenectutem quidam vocent morbum.

13. Cæteros omnes, quibus negatum eſt à natura aut acute videre, audire ve, aut velociter currere, aut tale quid fortiter obire, judicabimus, ve non ægros eſſe, vel omninò præter naturam diſpoſitos eſſe. Omnes enim morbi præter naturam. Hi verò nihil præter naturam habent, veluti etiam ſenes. Non igitur ſimpliciter res æſtimanda eſt virium vel robore, vel debilitate qui valeant, ægreſcantve: verum τὸ κατὰ φύσιν addendum eſt ſanis, τὸ παρὰ φύσ ægris, ut hæc oratio fiat, *Sanitatem quidem eſſe diſpoſitionem, à qua prodeant actiones; morbum autem eſſe diſpoſitionem præter naturam, qua actiones lædat.*

14. Neque enim, ſi ſecundum naturam eſt diſpoſitio, propterà ſanitas eſt Diſpoſitio enim quædam eſt ſecundum naturam, v.g. nigredo Ægyptiorum albedo Celtarum, ruffedo Scytharum: ſed nihil horum ſanitas eſt, quia in totum in coloribus neque ſanitas eſt, neque ſi præter naturam, jam eſt morbus. Ita enim fieret, ut nigredo à Sole contracta, ut & albedo longâ morâ in umbra (morbus eſſet.) Quin addere oportet, Sanitati quidem, diſpoſitionem illam habere rationem efficientis actionem: Morbo autem, diſpoſitionem illam lædere actionem.

15. Sed de his plura ſunt dicta alibi: ad præſens negotium illo tantum opus eſt nobis, Sanitatis latitudinem ſat amplam eſſe, neque omnibus eandem exact. Quod ſi cui violentum videbitur, εὐκρασίαν vocari, quæ non exactè ſit, quod dicitur, is ſciat, de aliis nominibus idem fieri: εὔκρατον enim vocamus & poculenta quendem, & balneum, non ſolum quia alii aliud videbitur, ſed etiam, quod uni homini in latitudine tale eſt. Contingat igitur, minus cauto alicui affundi poculo parum vel calidi, vel frigidi, neſcius εὔκρατον feceris. Tu verò ſi imaginatus t i

fue ſ

fueris, εὔκρατον tuum uſque adeò exquiſitè tale eſſe, ut ſit in puncto, non videbitur tibi εὔκρατον factum, immiſſo tantillo calidæ, frigidæve. Eodē modo, ſi quis perparum frigidæ miſcuerit Oceano, ſtatim corruperit uſum ipſius. Ita aerem ambientem appellamus temperatum, quamvis leviter declinet, verſus extrema. *Vide ſig. Mercur.*

16. Et quid miri, ſi omnes τὴν εὐκρασίαν cum latitudine quadam intelligunt? ſi, quæ in lyra dicitur, ἐναρμοςία viſa fuit exquiſita, una & individua, in uſu tamen latitudinem habet. Sæpe enim viſam inculpabilem ſuperveniens Muſicus alius correxit denuò. *1. Gymnaſt. f. 145.*

17. Ubique enim ſenſus nobis eſt κριτήριον in actionibus hujus vitæ: quare illo etiam judice ſtabit εὐκρασία καὶ δυσκρασία. Eodem modo & actionis læſionem in eo, quod præter naturam eſt, examinabimus, ut pro morbo habeamus tum demum, cum ad magnitudinem ſenſibilem pervenit. Nam neque heic intererit quidquam, utrum ipſas actiones læſas morbum appellet quis? an diſpoſitiones, à quibus læſio fit? Ita, διαθέσεις ne an κατασκευὰς?

18. Actum de his eſt alibi diſtincte, demonſtratumque, conſtare ſanitatem & morbum, non vel in actionibus, vel in læſionibus illarum, ſed ἐν διαθέσεσιν ἢ κατασκευαῖς: neque quidquam nos lucrari ex accurata harum rerum diſtinctione, aut in cuſtodia ſanitatis, aut in curatione morborum. Satis enim eſt dignoviſſe, conſtitutionem corporis illam, quæ habet rationem cauſæ ad actiones, ſcopum eſſe utriusque methodi. Et hanc conſtitutionem tueri nobis propoſitum eſt, cum adeſt: reddere cum perdidimus. Sed actiones ex neceſſitate ſequuntur, inculpatæ quidem, ſi bona ſit conſtitutio: pravæ, in contrario ſtatu.

19. Quare, quia quod cuſtodimus & fabricamus ipſi, diſpoſitio quædam eſt, & conſtitutio corporis; ſequitur autem neceſſariò actionum rectitudo: nihil jam opus habemus, quod ad rem præſentem, illo, An in genere actionum vel conſtitutionum ponenda ſit conſideratio ſanitatis & morbi? Nos potius, ex hypotheſi dicamus primùm, in corporis conſtitutione nobis ſervanda eſſe illa, per quæ agimus: deinde in memoriam nobis iterum revocemus id, Quod ſimilarium quidem εὐκρασία, diſſimilarium autem εὐκρασία juxta & conformatio, & ſitus, & numerus, & quantitas, ſint actionum cauſæ: item, quod omnia hæc in latitudine quadam ſint: item, quod in omnibus hominibus proprium quid habeant, (his, inquam, habitis,) properemus ad ea, quæ his vicina ſunt. *Heic Linacer ditior eſt aliquot verſibus, qui deſunt in utroque codice Gr. Videriut, qui MS. habent.*

20. In his magnum uſum præbet cognitio latitudinis ſingulorum. Cum enim εὐκρασία duplex ſit, altera quidem, quam in corpore animato cogitatione potius uſurpamus, quam quod reverà ſit; altera autem, quæ & eſt, & incurrit in oculos omnium ſanorum: hanc poſteriorem ſubdividere oportet, occurret enim in illa non exigua differentia.

21. Obſervabis autem, verum eſſe, quod dico, in ætatibus maxime. Optima enim cum ſit adoleſcentum ætas in voluntariis actionibus, infantum, ob humiditatem debilior eſt, ſenum contrà ob ſiccitatem & frigiditatem: interim in aliis actionibus, quæ naturales dici ſolēt, qualis eſt auctio, coctio, diſtributio, nutritio,

infantes in omnibus excellunt: neque tamen obſtat quidquam, quò minus omnes hæ ætates ſint ſanæ.

22. Ut igitur in ætatibus ſe habet: eodem modo in naturis ipſis invenies, immenſa quanta ſit differentia in temperamentis! Ut, ſi ita contingat, inter duos ejusdem ætatis pueros hanc eſſe differentiam, ut alter altero multò ſit humidior, aut etiam ſiccior. Ita, ut alter ſit calidior, alter frigidior. In quibus igitur corporibus evenit, ut multò quam par eſt, vel calidiora, frigidioráve ſint, vel humidiora, ſiccioráve; in his temperamentum non eſt extra culpam: in quibus verò differentia eſt, ut ſit defectus ab optimo, non tamen ſenſibilis ob exiguitatem, hoc, quoad uſum, eodem loco habemus cum optimo. Ut in latitudine ſanitatis alia ſit temperata & inculpabilis quoad ſenſum, alia quaſi intemperata & culpabilis.

23. Hujus rei clariſſima indicia præbent differentiæ corporum gracilium & craſſorum. Neceſſum enim eſt contrarios corporum habitus à contrariis eſſe temperamentis. Quemadmodum igitur non laudamus corpus nimis gracile: ita nec nimis craſſum. Eodē modo nec temperamenta ipſorum laudabimus, quamvis utrumque ſaniſſimum eſſe conſpicimus. Quæ verò in medio conſiſtunt, (εὐσάρκους vocamus,) veluti habitus ipſorum ſymmetri ſunt, & in quibus nihil deſideres: ita temperamenta inſequuntur ſymmetra & inculpabilia.

24. Tales igitur naturas, in veritate exactiſſima, ut nemo dixerit εὐκράτους, ſecundum ſimplicem & perfectam εὐκρασίαν: ſic, ſenſu judice & ad uſum ſatis eſt, ponere in cenſu inculpatorum atque optimorum. Signum verò evidentiſſimum ejus, quod non habeant εὐκρασίαν exactiſſimam, eſt, quod tales non maneant perpetuò: ſed primum quidem mutentur pro ratione ætatis, verum ita, ut nullibi ſtent, ſed ſubinde properent ad ſenectutem; deinde eam, quæ ſomni & vigiliarum eſt, quietis & motus, & rurſus, quæ diverſorum motuum eſt; præterea eam, quæ in fame & ſiti eſt, in edendo & bibendo, in copia & inopia cibi potusque; & amplius, in balneis, in iracundiâ, curis, mæroribus & aliis talibus, quæ tantum non in ſingula momenta mutant temperamentum.

25. In talibus igitur non oportet quærere exactum temperamentum. Si enim aliquando incidit in optima aliqua natura: tamen non manſit vel momentum. Ut mirari mihi ſubeat opinionem illorum, qui putant, ſanitatem, bonumque temperamentum eſſe citra latitudinem, unamque, ſi quid verò præter illam ſit, ne eſſe quidem ſanitatem. Quare cum ἀπάθειαν introducunt, non animadvertunt, loqui ſe de re, quæ nunquam in corpore animato fuit, neque vel tantillo tempore duret, ſi fiat.

COMMENTARIUS.

26. Venuſta, eademque lucida heic eſt explicatio doctrinæ de Sanitatis latitudine. Tantò autem carior nobis eſſe debet, quò obſcurior eſt *Neuter ſtatus* Herophili. Quo magis miror tot eſſe Artis panac. Interpretes, quorum nullus hucusque

usque uſum ſtatus hujus monſtravit! Pudeat igitur vel tandem nugarum, & hoc agamus, ut Galeno heic conſtet honos ſuus.

27. Memorabile etiam hoc caput eſt, propter confragoſam diſputationem de particula αἰσθητῶς in definitione morbi, de qua ego χρ. παθολογ. cap. 10. & 11. Quemadmodum, vult dicere Galenus heic, Sanitas habet πλάτος ἱκανὸν, ita ut morbus ſit morbus, eò progreſſus eſſe debet, ut ſit αἰσθητὸς, *ſenſibilis*.

28. Meminero etiam obſervatiunculæ, quam olim ex hoc capite, quà de εὐκρασίᾳ, exſtruxi. In omnibus prædicamentis vocabula ſunt πολύσημα, præterquam in ſubſtantia. Hæc enim non recipit magis & minus. Huic jam oppono illud, Cerebrum eſt vocabulum ſubſtantiæ, & tamen in palma quoque eſt cerebrum. Ita cor. Ita hepar. Fortaſſis dici hoc poterat, ſi ſapientes imponerent nomina.

29. Heic amphitheatralium quidam, Hem tibi *venuſtam lucem! In εὐκρασίᾳ eſt δυσκρασία!* Hoc enim monſtri parit latitudo tua? Nôram hoc, antequam tu naſcereris, ô puer! Tu verò nondum didiciſti, quid artibus liceat præ ſcientiis. Quod quò minus repetam heic, convicium facit ſapientum, *Omnia omnibus locis inculcare*, τῶν ὀψιμαθῶν ἐστι. Sufficiat autem tibi nunc ἡ ὑγιεινὴ δυσκρασία, de qua initio capitis ſequentis.

CAPUT VI.

1. HIs igitur, quam ſomniant *Sanitatem*, relinquamus illis cuſtodiendam: nos verò ad φαινόμενα regreſſi, duplicem ponamus ſanitatem, ἄμεμπτόν τε καὶ μεμπτὴν, de quarum utraque quia dixi, proprium utriusque ſcopum edamus. Is eſt ἀμέμπτου quidem exacta cuſtodia, quod ad ſenſum: μεμπτῆς autem non ita exacta. Tentare enim oportet correctionem intemperierum ſanarum, ſtudentes ſicciores facere, quæ ſunt humidiores æquo: humidiores contrà. Ita calidioribus demere exceſſum: frigidiorum caſtigare ametriam.

2. Quo autem victu ſano quis efficiat hoc, oſtendit ſermo ſequens. Oportet enim me prius diſcurrere de modo, quo quis ſervet ſanitatem optimæ naturæ: ante etiam explicare, quæ ſit optima illa conſtitutio corporis. Eſt autem, ſi quis ex propria rei natura loquatur, temperatiſſima juxta & habens conformationem actionibus edendis aptiſſimam. Præterea, ut partium ſimilarium numerus conſtet, ut & magnitudo, quarum conſtructio undiquaque ſit naturalis ad actiones ſuas.

3. Quod ad notas, Corpus totum ſit bene habitum. Tale eſt, quod medium obtinet inter gracile & carnoſum. Carnoſum verò an craſſum dicas nihil intererit. Ita & in aliis exceſſibus exquiſite ſit medium, ut non hirſutum dicere poſſis, non glabrum pilis: ſed neque molle, durumve; neque album, nigrumve; neque latis venis, nullisve, quæ conſpicuæ ſint. Ita neque iracundum ſit hoc ſubjectum, neque timidum, neque ſomnolentum, neque vigil, neque hebes, neque malitioſum, neque libidinoſum, aut contrario modo diſpoſitum.

4. Quod ſi omnibus partibus ſit bene proportionatum, tale quandoque eſt viſu pulcerrimum, ſymmetrum quippe, omnibus, laboribus aptum. Habebit verò & alias notas in ſingulis partibus bonæ temperiei, in 2. de Temp. deſcriptas. Pleraque enim corpora temperata quidem ſunt, capitibus videlicet: intemperata autem thorace, abdomine, aut partibus genitalibus. Quorundam intemperies in artubus eſt inſpicua, multis in uno aut pluribus viſceribus, aut una alia parte.

5. In multis obſervavi duplex temperamentum, v. g. in ventriculo aliud eſſe totius viſceris, bonum, malumve, aliud oris ventriculi. Et hæc quidem de pravis corporum conſtitutionibus alibi perſequar.

COMMENTARIUS.

6. Obſervo, Galenum in externa corporis ſymmetria tacite ſe referre ad *Canona Polycleti*, cujus mentio 1. *Temp. ult.* Erat ſtatua *Δορυφόρος*, ad cujus commenſurationem reliqui ſtatuarii reſpiciebant.

CAPUT VII.

1. DE optima jam dicam, in qua ſingulæ partes inculpatam habent totam ſuam ſubſtantiam. Talis homo, ſubditus arti Sanitatis tuendæ, felicem ſe prædicet, ſi à prima nativitate gubernetur ab illa. Sic enim & animæ ſuccurretur, bono victu bonos mores ingenerante illi. Sed & maxime juvabitur anima, ſi in ſubſequentium ætatum aliquâ fruatur illo.

2. Dicam autem primo loco, quo modo Medicus, qui talem ſub tutela habeat ſtatim ab initio, ſanum illum præſtare totâ ſuâ vitâ poſſit, hoc excepto, ſi quid violentum extrinſecus incidat. Hoc enim cuſtos ille ſanitatis avertere non poteſt.

3. Secundo loco, quo modo, ſi omninò non ſit recens natus puer, ſed qui jam regi ſe patiatur, tractandus ille ſit. Et ſic toto vitæ ſuæ decurſu. Hic igitur recens natus, quem inculpatum præſupponimus toto corpore, primum faſciis involvatur, aſperſo modice ſale, hoc fine, ut cutis ipſius denſior fiat, firmiorque internis partibus. Quam diu enim in utero eſt, omnia, quæ illi occurrunt, mollia ſunt, nec ullum alicubi durum corpus contingit, nec aërem frigidum ſentit, à quibus cutis cogatur, denſeturq;, ut fiat ſeipſâ, aliisq; partibus durior & denſior.

4. Poſtquam editus in lucem eſt, neceſſariò occurrunt illi & frigus & calor, & multa ipſâ cute duriora corpora. Propterea cutis, quæ eſt nativum corporis tegumentum, ita debet à nobis præparari, ut ſit aptiſſima ad reſiſtendum. Hæc præparatio ſolo fit ſale, certe in pueris ſecundum naturam conſtitutis. Qui enim indigent pulvere fol. myrti, aut alîus talis, horum ſtatus jam in vitio eſt. Nobis vero, nunc quidem, de optime conſtitutis ſermo eſt.

5. Tale igitur corpus faſciatum lacte utatur pro alimento, & balneo aquæ dulcis.

dulcis. Humido enim in univerſum opus habet nutrimento, quandoquidem & temperamento eſt humidius præ aliis ætatibus.

6. Offert ſe autem hoc primum conſideratu neceſſarium ad ſanum victum. Sunt enim, qui putant, ſiccandas ſemper eſſe naturas humidas, quemadmodum etiam calefaciendas frigidas, humectandas ſiccas, refrigerandas calidas. A ſimilibus enim augeri omnem ametriam, veluti à contrariis refringi & domari. Uno verbo, *Contraria eſſe contrariorum remedia.*

7. Debebant autem legiſſe non hoc tantum Hipp. axioma, ſed & illud, cum inquit, *Humidus victus omnibus convenit febricitantibus, præcipuè pueris, iuque, qui aſſueti ſunt ſic vivere.* Videtur enim in his tria ſibi invicem compoſuiſſe, morbum, ætatem & conſuetudinem. A morbo enim indicationem ſumit contrarii: ab ætate & conſuetudine ſimilium. Febri enim (quæ morbus eſt calidus & ſqualidus) debetur contrarium, victus humidus: pueris (quibus humiditas non eſt morboſa, ſed ſecundum naturam, aut ætatem,) quod ſimilimum, & utiliſſimum eſt: ſic & conſuetudinibus (quippe quæ naturas quaſdam aſcititias operantur,) contrariorum oblatio eſt adverſiſſima.

8. Et merito. Quæ enim ſecundum naturam ſe habent corpora, illis ſervari debet habitus familiaris: ægros autem alterare oportet, & in contrarium ſtatum transponere. Servatur igitur unumquodque à ſimilibus: alteratur à contrariis. Non itaque debent ſiccari pueri, niſi cum humiditas præter naturam illis eſt, ut in raucedine, gravedine & catarrhis: ſed alendi pro ratione naturæ ſuæ, humectantes balneis aquæ potabilis; (quæcunque enim medicamentoſi quid habent, ſiccant omnia, ut ſulphurea, bituminoſa & aluminoſa:) atque ita alimentum præbere, potumque quà pote, maxime humectantem.

9. Hæc providentia eſt ipſius naturæ, cum humidum alimentum paravit illis, lac maternum. Hoc igitur omnibus pueris eſt convenientiſſimum, niſi cum morboſum eſt. Non minus verò illi etiam, qui optimi ſit temperamenti, de quo nobis nunc ſermo. Veriſimile enim eſt, matrem hujus filii, non ſolum toto corpore inculpabilem eſſe: ſed & lac ipſius. Quam diu enim in utero moramur, alimentum nobis ſuppeditatur ex ſanguine: ex ſanguine autem lac fit, exiguam mutationem experto in mammis. Quicunque igitur infantes materno lacte fruuntur, alimentum habent conſuetum & familiare. Videtur autem Natura non ſolum præparaſſe infantibus tale alimentum, ſed & facultates ſtatim ab initio tribuiſſe illis connatas, ut uti illo poſſit. Recens enim natorum ori ſi quis impoſuerit papillam mammæ, ſugit & deglutit promtiſſime. Si verò doleant & plorent, non minimum remedium eſt, papilla ori ipſius impoſita.

10. Tria igitur hæc nutrices repererunt puerorum remedia, ab experientia edoctæ. Unum quidem jam dictum: reliqua autem duo, motus moderatus & cantilena, quibus uſæ illæ non mitigant tantum, ſed & ſomnum inducunt, ſignificante Natura hoc ipſo, quod ad Muſicam & Gymnaſticam inclinemus, & quod quicunque aptus natus eſt his artibus, is & corpori & animæ optime proſpiciet.

COM-

11. Nota dignum cenſuit Pontanus 1. Bellar. Att. 217. ſalituram infantum apud Ebræos quoque uſurpatam fuiſſe. Probat autem ex Ezech. 16. & Com. D. Hieronymi in eum locum, nec non ex hoc Galeni loco. Nec dubito eſſe adhuc in conſuetudine apud noſtros Judæos. Verum quod addit Pontanus, Molliſſimam hanc ætatem noſtram ne levem quidem ſalis aſperſionem admittere, tàm verum eſſe puto quam illud, Cœlum nobis eſſe propinquius quàm olim erat. Hoc tantò libentius accepto, quò longius à conſuetudine ſiccandi receſſimus. Obſtetrices enim noſtræ poſt balneum nos inungunt unguento humectante & refrigerante, usque dum epidermis tota abſceſſerit.

12. Cæterum in hoc capite fundatur quoque ſententia illorum, qui matribus ſuadent, alant ex ſe natos lacte proprio. Hac de re Phavorinus diſputat apud Gell. 12. *Noct.* 1.

CAPUT VIII.

1. NUtricibus igitur triplex eſt inventus motus infantum, in cunis, grabato & propriis ulnis. Ubi hoc alterum venit nobis conſiderandum, (an, & quatenus pueris exercitia conveniant?) cum reverà maxime faciant ad ſanitatis conſervationem. Aſclepiades enim diſerte & manifeſtò contemnit exercitia: Eraſiſtratus timidus eſt, ſed reapſe ad Aſclepiadis mentem accedit: alii omnes Medici laudant, non tantum ad comparandam εὐεξίαν, ſed & ad ſanitatem.

2. Sunt autem tria prima exercitiorum genera, quot nimirum motus ipſius differentiæ. Aut enim à nobis eſt motus: aut ab alio: aut à medicamento. Et hoc tertium nequaquam ſanis aptum eſt: alterum fit navigando, equitando, vehendo, atque adeò, ut jam dictum eſt, in cunis, in grabatulis, in ulnis. Recens nati nondum egent tanto motu, quantus eſt in curru, nave, aut equo: qui verò ad tertium, quartumve ætatis annum pervenerunt, iis licet moderatè moveri vel in curru, vel in navigio.

3. Ubi verò pueri ſeptennium contigére, fortiora tolerant exercitia, & jam equis aſſuefieri poſſunt. A ſeipſis moventur pueri, cum ſerpere jam poſſunt, potiſſimum cum ambulare. Sed enim cogere non oportet, ne crura iis diſtorqueantur. Certe, vel in hac ætate palam fit, quam familiaria nobis ſint exercitia. Non enim quamvis incluſeris pueros, poſſis prohibere, quo minus diſcurrant & ſaliant pullorum equorum & vitulorum ad inſtar.

4. Sufficit enim ſibi ipſi Natura in omnibus animalibus ad moliendos impetus familiares ad ſanitatem & ſalutem.

5. At verò Aſclepiadéi nihil horum intelligentes, per multum otium ſophismata texentes, probare conantur, exercitia ad ſanitatem haudquaquam conferre. Contra hos iterum dicentur, quæ videbuntur, cum nugæ illorum in infinitum creverint.

6. Jam

6. Jam enim non propoſitum eſt mihi confutare ſophiſtarum garrulitatem, ſed docere, quod utile eſt ad ſanitatem. Redeo ad pueros optime conſtitutos corpore: hos verò & mente bene håbere veriſimile eſt, quemadmodum contra, quæ æquo animoſiores ſunt, aut timidiores, acutiores aut hebetiores, guloſiores, & ſic de cæteris. Hos enim neceſſe eſt non bene temperatos eſſe partibus iis, quibus ea, quæ dicta ſunt, obimus. Pluribus actum eſt ſuper illis *in opere de Sent. Hipp. & Plat.*

7. Qui nunc propoſitus eſt nobis puer, antecellit in omnibus. In hoc non eſt opus ulla correctione morum: potius hoc agendum, ne corrumpatur. Cuſtoditur autem omne iisdem genere, à quibus & corrumpitur. Corrumpuntur autem mores animi à pravis conſuetudinibus, in cibo & potu, in exercitiis & ſpectaculis, in auditionibus & omni Muſica.

8. Hæc omnia comperta habere debet is, qui artem tuendæ ſanitatis practicare velit, nec putare, ſolius Philoſophi eſſe de moribus conformandis præcipere. Illi igitur, propter aliud quid majus commendata fuerit ſanitas animi: Medico autem, ne corpus in morbos pronum ſit. Ira enim & ejulåtus, mæror, cura immodica, vigilia continua febres accendit, & magnorum morborum cauſæ fiunt. Veluti è contrario remiſſio mentis, ſtultitia, animusque undequaque piger, decolorationes facit & atrophias multas, propter debilitatem caloris nativi.

9. Hunc omnimodis conſervare oportet in terminis ſanitatis, continendo intra moderata exercitia, non corporis ſolum, ſed & animi. Immoderati motus ſunt varia concupiſci, diſputare intra ſe, iraſci. Nimii, bilioſum reddunt corpus. In defectu pituitoſum & frigidius. In bilioſis febres, morbique alii calidi ſe oſtendunt. In pituitoſis obſtructiones oriuntur circa hepar & alia viſcera, epilepſiæ, apoplexiæ, & in ſumma, catarrhi, defluxionesque aliæ.

10. Nos non paucos homines, multis annis ægrotantes ob morbos animi, ſanos exhibuimus corrigentes affectuum vehementiam. Hujus rei non contemnendus teſtis ſit Deus patrius Æſculapius, qui ſcribi voluit cantilenas non paucas, verſuſque ſcenicos ridiculos, carmina item pro iis, quibus facultas iraſcibilis vehementius incitata temperamentum corporis effecerat calidius æquo. Aliis non paucis imperavit venari, equitare, armatos ſe exercere: quin & definivit quibusdam genus tàm motus, quam armorum, quibus utendum eſſet. Non enim excitare tantum voluit facultatem iraſcibilem, cum eſſet debilior: ſed & modum præſcripſit generi ipſi exercitiorum. Non enim eodem modo excitatur animus in pugna aprorum, urſorum, taurorum, aliorumq; robuſtorum animalium, ac in leporum, damarum, aliorumque timidorum. Neque eodem modo in levi armatura, ac in gravi. Ut etiam in curſu celeri & mediocri, & in contentione cum aliis, & ſecum ipſo. Ita ſi quis hortetur modò, alius etiam inclamet, & exſtimulet ad laborem, plus promovebit eo, qui taceat.

11. Sed de his quidem in ſequent. plura dicentur. In parvis pueris, optimam

conſtitutionem habentibus(de his enim ſermo eſt)non mediocris diligentiæ eſt, cavere, ne fiat motus aliquis immoderatus. Cum enim ratione deſtituantur, cum plorant,clamant,diſcurrunt,moleſtum ſibi aliquid eſſe ſignificant. Nos igitur divinantes quid velint,damus illis,antequam creſcat indignatio,&anima cum corpore vehementius cieatur. Sive enim dentiant,ſive alicubi doleant ab externâ causâ, ſive cacare,ſive mingere, ſive edere, ſive bibere velint, ſæpè errabunde moventur quaſi diſcruciati.

12. Fit ut calorem deſiderent, cum frigent: fit ut frigus, cum calent: fit u ſtragulis onerentur. Nam & hæc gravia ſunt, maxime,cum vertere ſe volunt de latere in latus, aut artuum aliquod transferre. Sed & quies ipſa non leviter onerosa eſt. Nullum enim animal gaudet ullo nimio,ſed moderato indiget. Hoc verò non eſt unum omnibus,ſed in relatione eſt omnis ſymmetria. Quare oporte illum,qui nutritioni puerorum præfectus eſt, conjectorem eſſe accuratum illius quod moderatū eſt & familiare, ut ſemper præbeat illud, priusquam moleſtur turbet animum & corpus. Quod ſi obſcurum ſit,quid velint,& interim augeatu corrigatur ſtatim præbendo deſideratum,& ita avertatur tædium.

13. Interim & jactatione ſuper ulnis, & cantiunculis, quibus callidiore nutrices utuntur,quæri poteſt ſolatium.Ego verò, inveni aliquando remedium cum infans toto die ejularet & indignaretur, & valdè, inordinateque ſe jectigaret, dubitabunda nutrice, nihilque proficiente appoſitione ad mammas, ut & impoſitione vaſis ſellularii,ſi fortè neceſſarium quid naturæ deſideraret,ut qui ſceret. Non quievit etiam, cum in ulnis immotum teneret. Animadverti aute ſtratum ipſius,& involucra omnia ſordidiora eſſe,ipſumque infantem ſordidu & illotum,& juſſi balneare quidem ipſum, linteamina autem mutare in mundiora.Quibus factis,deſiit infans calcitrare,&ſuperveniente ſomno longiſſime quievit. Hac in re non prudentia tantum opus eſt,ſed diuturno etiam uſu.

COMMENTARIUS.

14. An indignum eſt Galeno,quod ait, *Si neſcias quid puer velit,tamen illi dandum*? Eſt, ſed non indignum πολυλογία illa Aſiaticâ. Addam aliam cauſam à SCHERBIO obſervatam, in qua deſipiunt omnes noſtræ matres.Poſtquam conſtitutum eſt, tantum pultis debet devorare Titius, quantum forte non poteſt. Tamen illæ digito inſtant,ut,niſi ſuffocari velit, cogatur deglutire. Hinc excandeſcit,nec ſubitò dormit. Fortaſſis ventriculus, copiâ gravatus, non admittit ſomnum. Hinc immediate ſubſequitur aliud incommodum, ita concutiunt cunas, ut capita ſubſiliant. A quo motu annon epilepſia, aut forte quid gravius? Absque hoc ſi ſit, annon ventriculi diſtenduntur, & voraces fiunt homines? Unde quæ incommoda, in totam vitam redundantia? dic tu, qui non planè ſtupidus es?

CAPUT IX.

1. HÆc omnia circa puerum ad tertium uſque annum fieri volo. Inprimis autem non negligendam eſſe cenſeo nutricem in cibo & potu, in Venere & exercitiis, ut optimi temperamenti lac ſit. Fiet autem tale, ſi ſanguis ſit optimus, Optimus eſt, ſi neque bilioſus ſit, neque melancholicus, neque pituitoſus, neque ſeroſus. Talis iterum fit, ſi & moderata ſint exercitia, & cibi boni ſucci, convenienti tempore dati, & in debita quantitate. Eadem eſt potus ratio. De his omnibus differetur in ſequent. diligenter.

2. A Venere omninò abſtinere jubeo lactantes fæminas. Menſurnæ enim purgationes cientur illis, quæ cum viris rem habent, & lac fit viroſum. Quædam etiam concipiunt, quo nihil nocentius puero, qui lacte ſit nutriendus. Nam ſanguinis pars optima in fœtum abſumitur. Nimirum, principium vitæ in ſe continet, ab hoc regitur, hoc undiquaque attrahit proprium alimentum, quaſi radicatum in utero, à quo inſeparabile eſt noctu, diuque.

3. Inde fit, ut ſit & in minori copia, & pejor, atque adeò lac ipſum in mammis deterius, parciusque. Propterea conſuluerim, ut, ſi omninò fœta ſit hæc nutrix, quæratur altera, probe inſpicientes & probantes lac ipſius guſtu, viſu, odoratu. Guſtu enim dulce eſſe debet, viſu album & æquale, medium quid habens inter tenue & craſſum: Et hoc videbitur optimum eſſe. Pravum autem aut craſſum, & caſeoſum, aut ſeroſum, lividumque, inæquale etiam & conſiſtentia & colore. Pravum etiam eſt amarum & ſalſum, aut aliûs cujusdam qualitatis particeps. Tale neque odore eſt dulce.

4. Et hæ quidem notæ tibi ſunto boni & mali lactis, quibus niſus aut imprægnationem agnoſcos, aut morbum matris, ob quem cogaris ad aliam nutricem ire, & cum judicio eligere.

COMMENTARIUS.

5. Heic rudior aliquis quærat, quod ſit principium illud *vitæ*, quod ſanguis maternus dat? Nullum aliud quam *Materiale*. Quod quia hactenus Galeniſtæ non negârunt, non ero longior.

6. Idem quærat, Cur Galenus, ſecutus Ariſt. 3. Hiſt. 21. probet lac πελιδνὸν, *lividum*? Dixi alibi. Eſt hoc de naturæ arcanis. Noluit illa hominem nutriri ſanguine, & conſequenter lacte, tam craſſo, qualis bovillus, ne intellectus exſiſteret bovillus. Sed & aliud eſt, Videmus ægreſcere infantes, ſi lacte nutriantur bovillo toto. Propterea matres noſtræ volunt eine blaue Milch.

CAPUT X.

1. HÆc nutriet puerum ſolo lacte. At verò cum anteriores dentes emiſerit, aſſuefacere oportet ſolidiore cibo, quod ipſum faciunt

mulieres, experientia doctæ. Præmandunt enim panem primum, deinde carnes cum leguminibus & quæ ſimilia alia, imponuntque ori puerorum.

2. Oportet etiam fricare corpus illius oleo dulci, quemadmodum etiam pleræque nutricum, quæ dirigunt ſimul & conformant corpuſculum, ſtudioſe faciunt. Veruntamen ſi bene ſit conformatus puer, non opus eſt ſuperflua cura nutricis in concilianda partium concinnitate. Sufficit enim frictio moderata cum balneo quotidiano, cavendo quantum fieri poteſt, ne crudo lacte ventriculus ſit plenus. Periculum enim ſubeſt, ne ante coctionem didatur in habitum. Hac cautione opus eſt vel maxime, cum frictio incumbit ventriculo lactis pleno. Rapitur enim, ut dixi, in habitum, & præcipuè caput petit.

3. Ideò diligenter attendendum eſt, ne puer cibum capiat ante vel balneum, vel frictionem. Hoc fiet, ſi nutrix obſervet tempora, quibus diutius dormit. Tunc enim maxime ventriculus, aut omninò vacuus eſt, aut coctum alimentum continet. Quæ autem nutrices hodie, vel certo diei tempore faciunt, vel cum vacat ipſis, utræque peccant. Quia neceſſariò fit, ut lædantur potius quam juventur. Quod enim à nobis præſcriptum eſt tempus, in aliam atque aliam incidit horam vel diei, vel noctis.

4. In adultioribus enim, qui jam corrigi poſſunt vel plagis, vel minis, vel increpationibus vel admonitionibus, duplex eſt tam frictionis quam balnei tempus: Primum & optimum, cum à ſomno matutino evigilant, luſerunt aliquandiu, & jam cibum petunt. Tunc enim maxime imperandum illis, ut corpus quidem exerceant ſanitatis, bonique habitus ergò: animum autem ad obedientiam & temperantiam componant. Secus ſi faxint, fore ut eſuriant.

5. Hoc igitur tempus optimum. Quod ſi negotium aliquod avocet Præſidem, modico exhibito pane, ludere ſinet, quamdiu volet, puerum. Cum iterum popoſcerit, tum fricare & lavare. Verùm, non concedet illi potum poſt cibum: fieret enim ſubitanea ex ventriculò diſtributio, quod non admittendum in exacte ſano. In vitio enim ſunt illæ corporum diſpoſitiones, quæ ante balneum comedunt. Hæc controverſia decidetur in ſequentib. Heic revocanda nobis in memoriam hypotheſis noſtra, agere nos de diæta pueri excellenter ſani, quomodo talis maneat, in quo balnea inſtituuntur ante cibum.

6. Quod ſi puer hic ſit, in loco, in quo balneum publicum non ſit, in horum manus forte ne incidet quidem liber hic. Nutrices enim ibi lavant pueros in alveis, donec ſecundum tertiumve annum attigerint. Ulterius progreſſos, etſi non quotidie, tertio certe, quartove ungunt, fricantque. Si tempus anni non obſtet, ſtagna & fluvii ſunt illis lavacra. Nos verò iſta ſcribimus, neque Germanis, neque aliis agreſtibus, barbariſve populis, non magis quam urſis, apris, leonibus aliisve beſtiis: ſed Græcis, aliiſque, qui licet genere barbari non ſint, imitantur tamen Græcorum inſtituta. Quis enim è noſtris toleret, ſtatim à nativitate, calentem adhuc puerum, ad fluvios rapi, ibique (quod de Germanis dicitur) ſimul

proba

probare legitimos ipſius natales, ſimul durare velle corpora, dum mergunt aquæ frigidæ, ac ſi ferrum ignefactum eſſet. Ut enim ſi perferat puer, nec lædatur, probavit integritatem ſuam, ſimulque robur majus ſibi acquiſivit ex frigida, clarum eſt omnibus: ſic, ſi vincatur calidum nativum ab externo frigore, neceſſariò ſtatim morietur.

7. Et hoc nemo non intelligit. Quis igitur prudens, & non prorſus ferus Scytha, in hoc periculum conjicere velit filiolum ſuum, in quo infelicis eventus præmium mors ſit? non præclarũ aliquod lucrum? Fortaſſis aſini, aut animalis alicujus irrationalis magnum bonum ſit, corium habuiſſe tam denſum, ut frigus illi moleſtum non ſit: homini rationali quid proſit hoc magnopere? Neque enim abſolute verum eſt, neque ſimpliciter ad ſanitatem eſſe utile cutim denſiſſimam habere & ſicciſſimam, recte dixerit quis. Cum enim duplex ſit animalibus noxa, altera ab externis cauſis, altera ab internis: externis obnoxia ſunt, quæ cutim habent mollem, raramque; internis, quæ denſam, duramque.

8. Quare Hippocrates, inſtruens nos de iis, quæ ab alimento nobis accedunt commoda & incommoda, ita ſcripſit: *Raritas corporis ad perſpiratum, quibus plurimum abſcedit, ii ſanius degunt: denſitas autem corporis ad perſpiratum, quibus minus, ii pejus habent.* Melius itaque eſt utrumque abeſſe extremum, atque ut tàm denſa ſit hominis cutis, ne perſpiratum prohibeat, nec tàm rara viciſſim, ut à quavis externa facile lædatur perſpiratus. Tale eſt corpus pueri nunc nobis propoſiti naturâ, medium in omnibus exceſſibus. Igitur talis inſtituendus eſt victus, ut ſervetur naturalis conſtitutio.

9. Servabitur autem, ſi in prima hac ætate nutriatur lacte, & balneis utatur ex aqua dulci calida, ut, quantum fieri poteſt, molle maneat, & plurimum augeatur. Poſt hoc tempus, cum ad præceptores itandum illi eſt, non eſt neceſſe, ut ſingulis diebus lavetur: ſed ſatis eſt, cum palæſtram frequentat, ſi mediocriter ſe exerceat ante cibum, omiſſo fere ſemper balneo.

10. At ſupra modum exercere, quod faciunt pædotribarum illi, qui cogunt pueros, minime bonum eſt. Non enim augentur corpora, ſicciora facta, quamvis ſponte properent ad augmentum.

COMMENTARIUS.

11. Heic primùm controverſia movetur noſtris matribus, quæ τοὺς ἀρτιγενεῖς non nutriunt ſolo lacte, ſed pultibus. Reverà eſt contra naturæ inſtitutum, quæ dentes habuit inter μέρια ὑστερογενῆ. Regerunt: Sed neque pultes indigent dentibus? Nihil eſt. Urgeo enim illud, Natura noluit. Sed ita eſt. Pultes ſunt medium quid inter ſolidum & liquidum, præſertim, ſi concinnentur cum lacte aquoſo, & diſtinguatur inter matres, quæ lac habent & laudabile, & copioſum; interque illas, quæ ſecus. Sed & ita, ut vitetur exceſſus, de quo ſuprà.

12. Cæterum. §. 6. eſt locus Galeni contra Germanorum educationem, quem

quem multi faſtidiunt,& de quo Anno 1625. in promotione PETRI HEIGII, Medici poſteà Elect. Sax., habita mihi eſt oratiuncula, de qua nunc paucis. Loquitur Galenus *de Germanis*, qui olim *Celti* ſeu *Celtæ* dicebantur, ut eſt colligere ex Ariſt. 7. *Polit.* 17. ubi Int. *Gallos* vocat. Hi ſunt apud Plin. *l.* 3. *c.* 20. ex Gallis Transalpinis illi, qui Brenni ſeu Brenneri ibi (ſic enim lego) vocantur & conſequenter illi, qui Romam primi ceperunt, atque à Furio Camillo pene ad internecionem deleti ſunt. Horum reliquiæ in Aſia Galatæ vocati ſunt, & Gallo-Græci. Hos Rheni accolas fuiſſe, ubi nunc Alſatia eſt, fere conſtat ex hoc facto. Hoc Oratoriè magis quam vere exagitat Galenus. Quem ut mitigarent, φιλοπατρίδες quidam, literam, (ſic enim loquuntur) mutare auſi ſunt. Sed non neceſſe eſt. Deſcendo enim in magni Ortelii ſententiam, *in opella de moribus veteris Germ. Antverpiæ*, 1596. NUGAS eſſe, ab hujus gentis genio alieniſſimas. Quid iſtud verò eſt? Ingens librorum helluo, Cluverius noſter, 1. *Antiquæ Germ.* 21. *f.* 150. *edit.* 1631. qui iisdem verbis utitur, quæ ego non affero, ne NUGAS perſequi velle videar. Tribus verbis, *Omnes gentes olim, ut hodieque Americani, ita probarunt ingenuitatem liberorum ſuorum.*

CAPUT XI.

1. SIc natum puerum vinum deguſtare nefas ſit quam diutiſſime. Vinum enim bibitum valde humectat & calefacit, ne dicam, valde implere caput vaporibus in temperamentis calidis & humidis, qualis eſt puer, de quo agimus. Sed neque convenit illis impleri caput, neque calefieri, humefierive ultra debitum. Eousque enim progreditur caliditas, ut ſi parumper augeatur, alterutra ſit in ἀμετρίᾳ. At verò cum omnis ἀμετρία ſit fugienda, potiſſima hæc, eſt, cum non corpus tantum contingat, ſed & animum. Quamobrem nec in perfecta ætate laudari poteſt, niſi debita menſura bibatur. Ad iram enim pronos facit, & injuriam partemque animæ rationalem obſcurat, turbatque.

2. Sed his ſimul utile eſt, ad contemperationem & vacuationem humorum bilioſorum: nec minus ad ſiccitatem, in partibus ſolidis obortam propter nimium exercitium: aliquando ipſius ætatis ratione commodum eſt, humectando & reficiendo, quæ nimium exſiccata ſunt. Præterea, mitificando acrimoniam bilis, educendoque per ſudorem & urinas. Pueri autem, qui cæteroquin non cumulant hunc humorem, & contra habent copiam naturalis humiditatis commoditatibus ex vino præſtitis non indigent: noxæ tantum, quæ à vino participes fiunt.

3. Quare nemo prudens permittet pueros uti hoc potu, qui, præterquam quod nihil boni habet, noxam etiam gravem à tergo imminentem habet. Non

tame

tamen hujuſmodi puerum à frigidæ potione prorſus arceo, ut quidam faciunt: ſed utplurimum poſt cibos, & calidis anni temporibus, cum ipſi ultrò appetiverint, ſino uti: maximè, ſi in promtu ſit fontana recens, expers pravæ qualitatis: talem cum habere non poſſumus, alia utendũ. Cavendum autẽ ab aquis lacuſtribus, turbidis, fætidis, ſalſis, atque (ut ſimpliciter dicam) quæ qualitatem alienam adjunctam habent in guſtu. Optima enim aqua carere debet omni qualitate, non in guſtu tantum, ſed & in odoratu. Talis fuerit, quæ bibenti dulciſſima apparuerit, & exquiſite pura. Si etiam ſubitò deſcenderit per hypochondria, non oportet ſolicitum eſſe de alia meliori. Quare, ſi quæ ſit pura quidem, & ſplendida, nec inſuavis bibenti, ſed diutius moretur in hypochondriis: illa jam ſemimala eſt cenſenda.

4. Jubeo autem abſtinere his talibus, quæ in extremo gradu frigidæ ſunt: non tamen impedio, quo minus calefactarum uſus ſit. Tutiſſimum igitur eſt ab experientia petere judicium de his. Si verò per notas velit quis facultatem illarum prænôſſe, quicunque fontes verſus Septentrionem fluunt, ſaxis expreſſi, atque item Solem averſum habentes: hos omnes inconcoctiles eſſe putandum eſt, & tardi tranſitus. His ſtatim & hoc accidit, ut tardius calefiant & refrigerentur.

5. Quare, quicunque verſus Orientem fluunt fontes, & colantur per tofum aut terram puram, celeriter calefiunt & refrigeſcunt: illi ætatibus omnibus ſalubres ſunt. Non enim ut aliis vinis cibisque aliæ ætates gaudent, (eadem ratio eſt vigiliæ & ſomni, Veneris, exercitiorum, &c.) ita aquis. Sed, quod optimum heic dicitur, hoc uti poteſt & puer, & adoleſcens, & ſenex. Sic aerẽ inſpirare optimum, de omnibus pariter dicitur. Optimum aerem dico, qui exquiſite purus eſt. Talis fuerit, qui non inquinatus ſit vel vaporibus ſtagni, paludisve alicujus; aut etiã barathri, quale circa Sardes, Hieranpolin, & alibi viſitur; canalis expurgantis ſordes magnæ urbis, exercitusve numeroſi. His enim locis malignus aer eſt. Malignus quoque, ubi putreſcunt vel animalia, vel oleracea, vel legumina, vel ſtercora. Et ſanè, ubicunque nebuloſus eſt ob fluvium aut ſtagnum vicinum. Veluti etiam, qui in loco quodam cavo, & undiquaque montibus clauſo excelſis, ventum nullum admittentibus. Suffocativus enim eſt talis aer, & putredinoſus, qualis in ædibus quibusdam clauſis, in quibus ſitus eſt multus, ob putredinem & defectum perſpirationis.

Vide Strab. Cas. f.

6. Hujuſmodi ergò aer ut omnibus ætatibus eſt noxius: ita purus bonus eſt. At verò differentia in caliditate, & frigiditate, ut etiam in humiditate & ſiccitate, non eodẽ modo ſe habet in omnibus, ſed moderatus moderatis eſt optimus: ubi autem excellens quædam qualitas prædominatur, heic optimus eſt ille, qui maxime contrarius eſt prædominanti illi, frigidus quidem calido, calidus autem frigido, & ſic de cæteris.

7. Hæc

7. Hæc ſufficiant in præſenti: quo modo autem quis emendet vitia aëris & aquæ, alibi dicetur: nunc propoſui mihi loqui velle de ſcopo victus in optima corporis conſtitutione. Quæ verò declinant corpora, unà cum victus mutationibus omnibus, deſcribentur in ſequentibus libris.

COMMENTARIUS.

8. Initialibus hujus capitis verbis confirmatur ſententia mea, quatenus vinum humectet? Quatenus alimentum. Alia ſomni eſt ratio, quatenus vaporoſum eſt, & accedit ad naturam narcoticorum cal. Non negligendus etiam διορισμὸς Galeni de frigidæ potione in hac ætate.

CAPUT XII.

1. RUrſus igitur ſermo redeat ad optime conſtitutum puerum, & explicet primum ætatis ſeptenarium uſque ad ſecundum, cujus tum ſit temperamenti & qualis, quove victu indigeat. Temperamentum, ut probatum eſt in lib. de Tempor. calidum quidem eſt, ut in primo: ſed non perinde humidum. Omne enim animal à prima generatione fit ſe ipſo ſiccius: non autem calidius, frigidiusve eodem modo in omnibus ætatibus. Nam quæ optimè conſtituta ſunt corpora in propinquo calore permanent uſque ad ἀκμὴν: quæ verò degenerant ab optimo ad humidius & frigidius, horum calor augetur. Verum de his ſermo nobis nunc non eſt.

2. At optime conſtitutus homo, uſque ad annum ætatis 14. habeatur ſub hoc victu, exercitus, neque plurimum, neque violenter, ne augmentum ipſius impediatur, lotus calidis potius quam frigidis, nondum enim frigida tolerat. Formetur & anima in hoc ætatis, ut ſit inſtructa bonis moribus, honeſtisque diſciplinis, præſertim iis, quæ animum exornare poſſint. Ad ea enim, quæ ſequenti in ætate inſtituentur circa corpus, maximum adjumentum dant, ſi puer cum gravitate quâdam agat, quæ debet.

3. Poſt alterum ſeptenarium uſque ad tertium, ſi ad ſummum evexias gradum ducere voles, ut ſit aut generoſus miles, aut palæſtrita, aut talis aliquis, minus ſolicitus eſto de animi bonis, illis, dico, quæ ad ſcientiam, & philoſophiam ducunt. Quæ enim ad mores ſpectant, hac potiſſimum ætate accurabis. Sive enim corpus ſpectes, ut robur habeat præclarum cum ſanitate habituali, ſive rationem adoleſcentis tui comere & exornare voles: non poteris id aſſequi uno eodemque victûs genere.

4. Multò minus poteris, ſi tertium & quartum quoddam genus vitæ inveniatur, tu puta, aut illorum, qui manuarium opificium exercent, ſive opus ſit in illo corporis exercitio, ſive non ſit, aut qui agriculturæ dediti ſunt, aut qui mercaturæ, aut alii operi.

5. Quin difficile fuerit numerare omnia vitæ genera, Ars enim hæc promit

til

tit, velle ſe omnibus hominibus conſilia ſuppeditare ad ſanitatem , aut ſingulorum in ſpecie, aut omnium in genere, aut quædam huc pertinentia, quædam illuc. Verum, tamen non licet de omnibus ſimul agere: ſed primum quidem, ut quis quam longiſſime vivat, valeat ſemper. Oportet autem hanc vitam omninò abeſſe ab omni coactione, ut ſoli ſtudere poſſit corpori.

6. Secundo loco autem cum ſuppoſitione aut artis alicujus, aut operis, aut certæ vivendi rationis, aut miniſterii, ſive publici, ſive privati, aut omninò negotii neceſſarii. Alioquin non eſſet perſpicuus ſermo, nec memoriâ perceptibilis, nec methodice ſcriptus, ſine dicto jam ordine.

7. Ad priorem autem digreſſi hypotheſin demonſtremus, quomodo is, qui optimam nactus ſit conſtitutionem, ſubducere ſe poſſit omnibus negotiis publicis, ſibique ſoli vivere: neque laboret, quantum humanitus fieri poteſt, unquam ullo morbo, neque moriatur, niſi poſt longiſſimum vitæ ſpatium. Incorruptibile enim fieri non poteſt, quod genitum eſt, quamvis noſtro tempore Philoſophus quidam demonſtrare id voluerit, admirabili edito ſcripto, in quo tradit methodum conſequendæ immortalitatis.

8. Id quidem fieri poteſt, ut corpus aliquod ad multam ſenectutem perveniat, præſertim illius, qui optime natus ſit. Quædam enim ſtatim ab initio tam male habita ſunt, ut nec ad ſexageſimum annum pervenire poſſint, quamvis ipſis præfeceris ipſum Æſculapium.

9. Sed de talibus jam nos non loquimur: redeundum autem nobis eſt ad optime conſtitutum, repetentes ea, quæ diximus, Edendi & bibendi neceſſitatem nobis incumbere dixi, quod ſemper aliquid diffluat corporis. Et quia edimus & bibimus alia neceſſitas ſupervenit, ut ſoliciti ſimus de evacuatione excrementorum.

10. Horum quia multa ſunt, alia quidem ejus alimenti, quod in ventriculo conficitur; alia autem illius, quod in hepate, venis & arteriis; alia denique, quæ in ſingulis partibus: oportet ſane & ſingulorum ſingulas eſſe vacuationes, veluti & Natura ab initio condidit. Paravit enim animalibus inſtrumenta plura, quæ purgent & ſeparent illa, quæ deducant, quæ colligant, quæ exportent.

11. Dictum quidem fuſè de omnibus eſt *in libris de Facc. natur.* ut & in lib. de Uſu part. nunc autem hypotheſeos loco iſta ſunto. Primum enim excrementum ſeparatur, ſimul & præmittitur pedetentim per omnia inteſtina, uſque ad vocatum Rectum, quod magnam habet cavitatem, cujus fini adjacent muſculi, qui cohibent & continent illud introrſum, & prohibent intempeſtivum effluvium. Poſtquam autem ſatis multum collectum, ut moleſtum ſit animali, tum ſinunt extra ferri, conferentibus ad digreſſum muſculis, qui in abdomine, unà cum diaphragmate.

12. Quod verò in hepate fit excrementum, alterum ceu flos vini dictus eſt, alterum velut fæx. Trahitur autem illud à ſubjecta hepati veſica, hoc à liene. In utroque coacervata cum fuerint, excernuntur, prius quidem in principium tenuium

nuium inteſtinorum: poſterius autem in ventriculum. Ab his per omnia inteſtina, una cum ſicciore alimenti excremento tranſit.

13. Quod verò in venis & arteriis eſt excrementum, tale eſt, quale ſerum in lacte concreto, quod ubi expurgarunt renes, veſicæ urinariæ transmittunt. Hæc verò colligit eodem prorſus modo, quo dictum eſt de excremento ſicco. Inſtratus enim huic muſculus eſt obliquus, qua parte effluvium eſt, tam arcte claudens orificium, ut nihil prorſus extra deerrare poſſit.

14. Poſtquam & hoc affatim factum eſt, ut moleſtiam ſentiat animal, deſerit muſculus cuſtodiam ſuam, remittenſque & laxans ſe ipſum, excernit veſica ſuperfluum omne, adjuvantibus & heic muſculis abdominis, quemadmodum ibi, expulſionem ſiccorum excrementorum.

15. Quod reliquum eſt genus (excrementorum tertiæ coctionis) fit quidem in ſingulis partibus ex nutriente ipſas ſanguine, ſed hoc quidem tanquam ſemicoctæ reliquiæ, quæ aſſimilari non poſſunt parti alendæ: illud autem, quod antea erat vehiculum alimenti, jam functum officio ſuo, cum humidum ſit, & tenue, quomodo prædictum ſerum, ex vaſis in veſicam defluit.

16. Huic quidem excremento meatus nullus à natura deſtinatus eſt: excernitur autem, partim quidem, per mollia corpora delatum, cedentibus impetuoſo motui ipſius, maximè, cum à cõfertiori ſpiritu incurſante pellitur; partim autem per omnes exiguos meatus, quibus plenum eſt totum corpus, totaque cutis. Agitur autem de generatione ipſorum in de Temp.

17. Hoc excrementum cum ſit tenuiſſimum, facile excernitur, cùm à calore nativo in vaporem ſolutum, tùm à violento motu valide impulſum. Vocatur autem hoc modo expulſum, *Sudor*: altera ejus pars, nec nomen habet, nec à pleriſque agnoſcitur, quod præ tenuitate oculos fugiat, ἄδηλος αἰσθήσει διαπνοὴ vocatur ab illis, qui rationem ſenſui addunt.

18. Hac ſenſui obſcura vacuatione exit etiam quid humoris craſſioris. Validiore autem hoc indiget calore: qui niſi ſit, periculum eſt ne ſubſiſtat in via, antequam ſuperficiem contingat.

19. Ex hoc excremento pilos generari oſtenſum eſt, ut & quæ in cute colliguntur *Sordes*.

20. Hac ratione expreſſi capita omnia doctrinæ de excrementis, quatenus & fiunt & vacuantur, demonſtrata quidem in aliis meis operibus, quorum paulò ante memini: ſed quæ ſervitura ſunt, tanquam neceſſariæ hypotheſes, præſentibus rebus noſtris.

21. Nam quoniam vacuari debent, quod ſint pravâ qualitate prædita, repugnante licet Aſclepiade, oportet ſcire cauſas cohibitionis illorum: deinde tentare, ne incidamus in illas. Sin contigerit incidiſſe, celeriter mutare errorem. Ne incidamus, pendet ex cognitione ejus, utrum ſufficiens ſit vacuatio illorum, an non? ut corrigamus, opus eſt alia methodo.

COM

COMMENTARIUS.

22. Pervicacia Cenſorum meorum privatorum facit, ut heic iterum moneam, Magnos viros, & inter hos Galenum, ſolere nonnunquam, & quidem loco alieno, repetere quædam, & aliquando cauſam facti dare, aliquando non dare. Cur heic inculcet doctrinam de excrementis, cauſam dat, *Quia eſt fundamentum eorum, quæ heic traduntur.*

23. Quærunt boni viri, cur Galenus non meminerit bilis, in tertia coctione vacuandæ. Videmus enim in quibuſdam calidioribus, cum ſudore aliquid croceum abire, quod manifeſte tingit induſia? Reſpondeo, diſerte meminit 10. *Simpl. c. de Sudore*: ſed cur heic non? Meminit: ſed locus tam eſt corruptus, ut, cum *Notas in Galenum* conderem, nemo apparuerit, qui unguem impreſſerit. Quid enim eſt illud capite extr. κατὰ τὴν ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοὴν ἐκκρίνεταί τε καὶ τοῦ παχυτέρου περιττώματος. Quod illud verò? Certè craſſitiei obſtat ratio heic allata, Craſſum quod eſt, non poteſt ἐξικνεῖσθαι πρὸς τὸ πέρας. Sine ambagibus, leg. eſt τοῦ πικροχόλου περιττώματος. Hoc enim eſt, quod in de Simpl. dicitur, Sudorem ſæpe præ ſe ferre non obſcurum amarorem. Item, Colorem eſſe modice pallidum, ut in urina, Utrobique enim à permiſta bile eſt.

CAPUT XIII.

1. AGedum dicamus primum, à quibus cauſis ſit mora uniuscujusque excrementi? Deinde, quomodo quis moram illam emendet? Cohibita vel circa ventriculum excrementa ſunt, propter aſſumtos cibos & potus: vel circa ventriculum & inteſtina ſimul. Illud fit propter vel qualitatem vel quantitatem aſſumtorum, prætereaque, propter ordinem, modumque uſûs. Propter qualitatem, cum quis utitur vel acerbis, vel auſteris, vel conſiſtentiâ ſiccis. Propter quantitatem, cum comedit, bibitque plura, paucioraque quam debet. Propter ordinem, ſi ſicca & adſtringentia præmittat: ſi humida, pinguia & dulcia poſteà ſumat. Propter modum uſûs, ſi quis ſemel ingerat, quæ bis ſolebat.

2. Hoc (cum ventriculus & inteſtina ſimul laborant) accidit, vel ob naturam dictarum partium, vel ob acquiſititiam diſpoſitionem. Propter naturam, ſi corpora male ſint diſpoſita, ut dicetur in libris propriis: propter acquiſititium quid, ut jam dicetur. Octo ſunt differentiæ recentium ventriculi diſpoſitionum, omnes intemperies genere exſiſtentes, quatuor quidem ſimplices, calida, frigida, ſicca, humida: quatuor autem aliæ compoſitæ, calida & ſicca, calida & humida, frigida & ſicca, frigida & humida. Oportet autem unamquamque harum intemperierum ad eam pervenire magnitudinem, ut debilem faciat facultatem expultricem aut ſolius ventriculi, aut tenuium ſimul inteſtinorum, craſſorumve, aut omnium ſimul dictorum, aut quorundam ex iis.

3. Fiunt autem hæ intemperies aliquando ab iis, quæ intra corpus ſumuntur: eſt cum fiunt ab extrinſecus incidentibus. Illud fit, ſi in cibis, potibusque lateat vis quædam medicamentoſa, aut calefactoria, aut refrigeratoria, aut humectatoria, aut ſiccatoria, aut per combinationem operans. Hoc, vel ab aëre nimis vel calefaciente, vel refrigerante, & ſic de cæteris qualitatibus vel ſimplicibus, vel compoſitis: Vel ab aqua, in qua quis forte laverit: vel ab uſu unguenti alicujus: vel ſimpliciter à quocunque extrinſeco, ventriculum calefaciente nimium, & ſic de cæteris.

4. Propter has cauſas alvus aliquando ſiſtitur. Id ipſum fit ob defectum bilioſi excrementi, cum facultas vel attractrix, vel expultrix debilior eſt, item propter anguſtiam vaſorum deportantium, expellentiumve. Verum debilitas veſicæ, quæ ſub hepate, & pororum choledochorum, ut & illorum, qui bilem in inteſtinum evomunt, fiat ſane ab intemperie recenti, à qua expultrix inteſtinorum, ventriculique dicta fuit lædi. Anguſtia fit vel ob inflammationem, vel ob ſcirrhum, vel ob obſtructionem, aut quandam continentium partium compreſſionem, & conniventiam orificiorum.

5. Hæ compreſſiones iterum accidunt à continentibus, aut propter nimiam contentorum copiam, aut propter inflammationem, ſcirrhumve, velut & conniventia, aut propter horum aliquid, aut etiam propter ſiccitatem. Siccitatis verò ipſius cauſæ ſunt, & valde aſtringentia, & cum caliditate ſiccantia. Illa quidem (adſtringentia) exprimendo humiditatem, & contrahendo partes ſimilares: hæc autem diſcutiendo humiditates, unde ſiccitas fit.

6. Inflammatio certe & ſcirrhus jam manifeſtè morbi ſunt, ut jam ſit extra terminos ſanitatis tuendæ, & jam commodiori loco de illa dicetur. Eodem modo, nec excrementum melancholicum expurgabitur, cum lien analogum quid habeat cum veſica fellea, & vena ex portis hepatis egreſſa, cum vaſis bilem ducentibus, itemque vena illa, quæ ex liene in ventriculum abit, cum vaſe, quod bilem in inteſtinum eructat. Illud verò excrementum, quod in ſingulas partes nutriendas fertur, propter & copiam & craſſitiem ipſius, nec non viſciditatem ipſius, aut propter debilitatem alterantis ipſum caliditatis, & anguſtiam exitus impedietur.

7. Copia quidem, craſſities & viſciditas, aut ex natura cibi potusque emergit, aut ex recenti alteratricis debilitate in parte nutrienda: debilitas autem alterantis caloris à defectu exercitii originem habet: ſic anguſtia exitus ob inflammationem eſt, ſcirrhum, obſtructionem, compreſſionem & conniventiam. Horum omnium generationem paulò antè diximus.

8. Partes quædam, præter obſcuros illos poros, manifeſtos quoſdam habent & ſenſibiles, inter quas cerebrum eſt, & oculus. Hoc fit à natura vel ob principatum partis, vel ob actionis præſtantiam, vel ob denſitatem circumſtantium corporum. Cerebrum enim domicilium quoddam eſt animæ rationalis, ſolicitè

concl

concluſum eſſe, ideoque multis & magnis foraminibus vacuatur, primum illa, quæ per nares & palatum: deinde, quæ per aurem utramque: & tertio, quæ per ſuturas cranii.

9. Non abhorret à vero per oculos etiam defluere quid cerebrale. Oculus, non ſolum, quia pars princeps, ſed etiam quia exquiſite purus eſſe debet, ob actionis nobilitatem, ſenſibilibus expurgatur viis, quidquid ibi gignitur excrementi, per nares, inquam, & palpebras.

COMMENTARIUS.

10. Diu quæſivi, quæ ſit hæc oppoſitio inter naturam & diſpoſitiones aſcititias ſeu recentes? Concluſi autem tandem, Galenum locutum eſſe cum aliis, cum iis, inquam, qui latitudinem ſanitatis impugnabant, adeoque *Intemperies ſanitatis* habebant pro monſtro in Philoſophia. Revera, eſt inter craſſas ſubtilitates, præſertim in arte. In illa latitudine actionum immenſa, Medicus debet conſtituere certi quid, quamdiu homo dici debeat ſanus? In toto quidem corpore eſt τὸ ὀρθοςάδην: in partibus autem analogum quid. Quamobrem illud quoque, *Octo ſunt intemperies*, eſt ex aliena ſententiâ. Reverà ſunt ſedecim, & hinc quidem octo nudæ ſeu ſimplices & ſine materia: illinc autem octo cum materia. Differunt, quod priores carent nominibus propriis, poſteriores habent.

CAPUT XIV.

1. ET ſic quidem excrementorum tam cauſas, quam inſtrumenta exſecuti ſumus: deinceps autem dicendum fuerit, quomodo cohibita illa expulerit quis, initio iterum facto à ventriculo. Commune igitur in omnibus præceptum cum ſit, introducere cauſam contrariam illi, quæ cohibitionis cauſa fuit; proprium autem ſeu ſpeciale, ut ſingulatim inquiratur in illam, quæ potuerit illa eſſe: v.g. ſi alvus ſtetit propter cibum paucum, eumque ſiccum, oportet jam plus dare, idque humidum. Sin ob ſiccitatem id factum ſit, non quidem in majori copia ingerere oportet, ſed in forma liquidiore: ſi auſtera & acerba fuerunt, ſatiare oportet dulcibus & pinguibus. Si in ordine erratum ſit, oportet redire in ordinem. Si ſemel cibum ſumſit, cum bis deberet, non ſemel tantum, ſed & ſæpius cibare oportet.

2. Eodem modo recenter obortas intemperies curare fas eſt contrariis, humectantes alvum, ſi ſicca fuerit; calefacientes, ſi refrigerata; analogice, in aliis qualitatibus. Materia horum dicta eſt in opere Simplicium.

3. Retenta bile flava propter obſtructionem, attenuante victu utendum eſt. Hujus materia dicta eſt alibi libro ſingulari. Compreſſiones, quæ fiunt à viciniis poris choledochis, cum immodice replentur, aut craſſis humoribus tument, idem victus attenuans juvat: ſi fiat ob plethoram, vacuatio inſtituenda eſt. Si propter inflammationem aut ſcirrhum, jam eſt extra conſiderationem ὑγιεινῆς.

Si propter intemperiem nuper inductam, reducere oportet evictam qualitatem. Eodem modo procurare oportet conniventiam oſculorum, ſiquidem facta ſit ab auſteris, oportet præcipere pinguia & dulcia: ſin à calidis & ſiccis, quæcunque refrigerant & humectant. Horum materia ſcribetur libris ſequentibus.

4. Eadem ratio purgationis eſt, cum retentum eſt tertiæ coctionis excrementum, quod dictum eſt conſiſtere in ſingulis animalis partibus. Si enim à purgatione etiamnum meatus, corrigere oportet per ea, quæ ſunt contraria lædentibus, calefaciendo obturationes, quæ à frigore tanquam causâ factæ ſunt, quemadmodum denſatis nobis à frigore accidit: refrigerando viciſſim & humectando, quæ ab ambuſtione Solis.

5. Ita, quæ ab adſtringentibus contigére, quales ſunt aquæ aluminoſæ, pinguibus & mollibus frictionibus, unà cum balneis aquarum dulcium. Si verò obſtruantur pori ob craſſitiem, aut copiam & viſciditatem excrementorum, victus attenuans accommodabitur, ut & medicamenta, quæ ſiccant & calefaciunt, partim intra corpus ſumta, partim extra impoſita, & ante omnia, exercitia. Nam & hæc ſolvere nata ſunt excrementa, & per poros cutis diſſipare, & tantò præſtantiora eſſe cibis & potibus attenuantibus, quantò potius eſt nullâ cum noxâ habitus corporis vacuari excrementa illa, cum & carnes colliquefiunt, & ſolidæ partes gracileſcunt. Hæ enim noxæ quaſi à tergo hærent calidorum & attenuantium uſibus. In exercitiis tam non fit tale quid, ut etiam robuſtiores evadant partes, calore ipſo quaſi reaccenſo, & ex colliſione corporum concilietur illis ſoliditas quædam & dyſpatheia.

6. Quo autem modo tempeſtive inſtituantur exercitia, & debitus modus adhibeatur, & ordo, & qualitas conveniens inducatur particularibus actionibus, nunc quidem dicendi locus non eſt; veluti nec de alimenti juſto tempore, quantitate, qualitate & ordine; pariter veluti nec de attenuantibus cibis & potibus, nec de qualitate alterantium medicamentorum. Nullius enim unquam uſum particularem attingimus: ſed ſatis nobis eſt ſummatim diſſeruiſſe. In libris autem ſequentibus de omnibus plenius agetur.

CAPUT XV.

1. NUnc ego quaſi ſub unum aſpectum contrahere volui totum negotium, ut ne tutorem ſanitatis lateat ulla materia, quam ſcire illum fas ſit. Nihil enim obſtiterit, quo minus ὑγιεινὸν vocemus illum, qui gnarus ſit totius artis, ut illum nuncupamus γυμναστὴν, qui callet ſola exercitia. Sane appellavit ita quoque Eraſiſtratus.

2. In ſequentibus libris ſingulas materias conſiderabimus, ut & tempus, & qualitatem, & modum utendi, ut non amplius materia ſola ſit, ſed cauſa ſanitatis. In his enim tribus conſiſtit Methodus de ſanitate, ut & Methodus medendi,

di, in Corporibus, Cauſis & Signis. Corporibus quidem, quamdiu valent: quæ oportet etiam ſervare talia: ſignis autem, quæ accidunt corporibus, ex quibus dignoſcitur ſanitas: cauſis tandem, à quibus cuſtodia ſanitatis proficiſcitur.

3. Harum quatuor differentias poſuerunt recentiorum celeberrimi, *προσφερόμενα, ποιούμενα, κινούμενα, καὶ ἔξωθεν προσπίπτοντα.* *Oblata* quidem, cibos & potus, cum medicamentis intrò ſumtis, & aere inſpirato: *facta* autem, frictiones, obambulationes, vectationes, equitationem, adeoque motum omnem. Quod ſi non omnis motus eſt exercitium, ſed vehementior tantum, addatur his *Exercitium.* Annumerantur huic generi cauſarum & vigiliæ, & ſomnus, & Veneria.

4. Inter verò *extrinſecus incidentia* primus quidem eſt *aer* nos ambiens: deinde, quæ cutim contingunt balneantibus nobis, aut unctis, aut ſi quod aliud medicamentum adhibetur, quod fines τοῦ ὑγιεινοῦ non excedit, aut ſales, aut myrta, aut nitrum, aut aphronitrum, aut ſponte natarum thermarum aliqua.

5. Materia verò *vacuatorum* dicta eſt anteà. An verò ex adverſo rectè dividantur tria dicta cauſarum genera, non facile eſt dictu. Fortaſſis enim melius eſſet dicere, ab oblatis, & faciendis, & extrinſecus incidentibus quædam circa corpus alterari, & mutari. Mutationem autem fieri, tàm ſecundum quantitatem, quam ſecundum qualitatem: ſecundum hanc quidem in calore & frigore, in ſiccitate & humiditate: ſecundum illam autem, dum nutritur, aut vacuatur. Ipſam etiam vacuationem eſſe duplicem, alteram quidem excrementorum, de quibus paulò antè diximus: alteram autem ipſius ſubſtantiæ nobis familiaris, quæ ſemper diffluit, & nutritioni opponitur.

6. Heic indicâſſe ſatis ſit homonymiam, de quâ Hipp. l. de Alim. ſic loquitur: *Alimentum dicitur, & quod jam nutrit, & quod mox nutriet, & quod eſt quaſi alimentum.* Primo enim ſignificato opponitur fluxui ſubſtantiæ noſtræ: ſecundo hæmorrhagiæ, ſeu (ſimpliciter dicendo) omni profluvio ſanguinis: tertio, vomitui & lienteriæ. De talibus diviſionibus ſtatuat quisque, quod volet.

7. Oportet enim eum, qui perſequitur hanc doctrinam, ſcire facultates omnes materiarum omnium, quæ huc pertinent, dexter enim uſus illarum hinc ſumit initium, ut ſciamus, quo ſingulæ tempore ſint applicandæ, quaque menſurâ: & huic rei potius ſtudere, quam refutare pravas ſectas. Sed quia primus hic liber in ſatis magnam excrevit molem, heic quidem interquieſcam: reliqua verò in ſequentibus libris exequar.

COMMENTARIUS.

1. Quæ heic de materiebus τοῦ ὑγιεινοῦ ſcribuntur, ſunt nobis hodie illa, quæ neceſ-

neceſſariò nos alterant, & vocantur *Res-non-naturales*. Quia dextro uſu naturam conſervant, ſiniſtro corrumpunt. De his agitur in prima parte Lib. 5. Iuſtit., quæ de victu ſeu diæta.

FINIS LIB. I. τῶν ὑγιεινῶν.

GALENI τῶν ὑγιεινῶν LIB. II.

CAPUT I.

1. QUi hunc præceſſit liber complexus quidem eſt ſumma capita, ſcoposque artis, quæ ſanitatem tuetur: oportet autem particularia quoque omnia expedire, incipiendo iterum ab illis, in quibus deſiit ille. Sit pro hypotheſi nobis puer naturâ ſaniſſimus, ingrediens tertium annorum ſeptenarium, in quo formabimus & ornabimus corpus quam belliſſime.

2. Primum autem hoc definiatur, quid ſibi velit adjectum in oratione τὸ κάλλιςα? Vult hoc. Quemadmodum oſtenſum eſt, magnam eſſe in corporibus differentiam: ita in vitæ generibus, in quibus verſamur, multæ ſunt ſpecies. Itaque optimam corporis curam non oportet collocare in quovis genere, ſed in eo, quod unicuique optimum, in eo ſcilicet quod fieri poteſt. At verò ſimpliciter optimum non licet conſtituere in omnibus.

3. Plerique enim hominum genus vitæ habent actuoſum, & neceſſariò læduntur ab iis, quæ agunt. Sed neque mutare licet. Quidam enim paupertate coacti tale genus vitæ ingrediuntur: quidam ſervitute, aut à parentibus acceptâ, aut in bello capti, aut furtim ſubducti, quas vulgus hominum ſolas ſervitutes vocat. Mihi videntur ſervire & illi, qui ob ambitionem, aut quamcunque aliam libidinem, elegerunt ſibi vitam negotioſam, ut quam minimum ſtudere poſſint curæ corporis, atque ita ſerviunt illi de induſtria dominabus haud ſatis honeſtis.

4. Quare his quidem præſcribere non licet ſimpliciter optimum vitæ genus. At qui verè liber eſt & fortunâ, & libera voluntate, huic præcepta dare licet, ut quaſi ſemper bene valeat, raroque ægreſcat, nec non ſenex fiat ſine incommodo.

5. Quin methodus tuendæ ſanitatis, ut alia omnis, tale quærit ſibi principium. Simplex enim & inculpatum in quovis genere, quaſi canon ſeu regula debet præponi omnibus non ſimplicibus, nec inculpatis. Simplex autem & inculpatum in corporibus eſt id, quod optime natum ſit, ut & in genere vitæ liberum.

6. Hæc igitur duo hac in oratione copulentur. Poſteà omni malæ conſtitutioni jungatur genus vitæ liberum. Deinceps optimæ corporis conſtitutioni ſingula ſervilis vitæ genera. Inſuper & poſt omnia permutabimus malas corporis conſtitutiones cum malis.

CAPUT

CAPUT II.

1. QUod igitur principium facere oportet artis tuendæ ſanitatis, in illo, qui & optime ſit natus, & ſit initio tertii ſeptenarii, & ſoli vacet corpori, omnia alia pro parergis habens? Mihi quidem videtur Hippocrat. prodidiſſe, & in Aphor. ubi ſcribit, *Labores præcedant cibos*: & in 6. Epid. his verbis, *Labores, cibi, potus, Veneria, omnia moderata*. Etenim & quantitatem definivit omnibus, addendo in fine τὸ *Moderata*.

2. Sed & tempus docuit ordine orationis. Ut enim conſtet ſanitas, principium occupent oportet *Labores*: ſequi *Cibos & potus*: poſt hos *Somni*: tandem *Veneria*, ſiquidem uti illis velit noſter. Omnia enim alia omnis ætatis communia ſunt: Veneria autem competunt ſolis iis, qui in ἀκμῇ ſunt, in quibus etiam uſus ipſorum eſt. Ut contra in ætatibus vel præcedentibus & ſequentibus, vel prorſus non effundunt ſemen, vel certe non fæcundum, quod pravum eſt. Sed hâc de re ſermo in aliud rejiciatur tempus:

3. A laboribus autem fiat initium, ubi primum diſtinguere oportet, Idemne ſit *labor, motus & exercitium*? an duo quidem priora idem, aliud autem exercitium? an motus quidem aliud, labor autem ab exercitio non differt? Mihi quidem videtur, non omnẽ motum eſſe exercitium, ſed eum ſolum, qui vehementiſſimus eſt. Quia verò τὸ σφοδρὸν eſt in numero relatorum, fit, ut idem motus alicui ſit exercitium, alicui non ſit. Terminus autem vehementiæ eſt mutatio reſpirationis, ut, quicunque motus non mutant reſpirationem, non ſint etiam exercitium.

4. Quod ſi quis in motu aliquo cogatur aut magis reſpirare aut celerius, denſiusve, hic motus erit illi exercitium. Hoc verò communiter dicitur exercitium: proprie autem, à quo etiam Gymnaſia appellant omnes in loco aliquo publico exſtructam domum, in quam conveniant illi, qui vel fricari volunt, vel ungi, vel luctari, vel diſcum jactare, vel tale aliquid facere.

5. Laboris autem appellatio videtur mihi idem velle cum voce Gymnaſii, nempe communi illo, de quo diximus. Nam & foſſores, & meſſores, & equites laborant & exercentur, ſecundum commune Gymnaſii vocabulum.

6. Mihi quidem de nominibus ita definitum eſto, & ſecundum hæc ſignificata omnis deinceps ſermo mihi audiatur. Si quis verò aliter loqui velit, cum hoc ego non pugno. Non enim heic ſum, ut diſceptem de rectâ nominum ſignificatione: ſed quo modo quis melius valeat, & hoc fine coactus ſum definire ſignificata verborum, γυμνάσιον, πόνος, & ſi quæ alia ad motum pertinent nomina.

7. De utilitate exercitiorum & primo libro dictum eſt mihi: melius autem fuerit redire ad illa, & paucis complecti, quandoquidem ſcopus ſimul ſunt, & norma judicandi de omnibus particularibus, quæ in arte Gymnaſticâ fiunt.

8. Erant autem, ut puto, geminæ utilitates in genere, altera quidem ad vacuatio-

cuationem excrementorum, altera autem ad bonum habitum partium ſolida rum. Quia enim exercitium eſt motus validus, neceſſe eſt tria tantum accider circa corpus exercitum, 1. duritiem inſtrumentorum, ſibi invicem colliſorum 2. augmentum caloris nativi. 3. motum reſpirationis violentiorem. Hæc ſequi o mnia particularia corporis bona, ab exercitiis provenientia, mediante quider inſtrumentorum duritie, nimirum, δυσπάθειαν illorum, & bonum in actionibu tonum: calore autem, validum tractum alimenti diditi, promtiorem ejusdem al terationem, nutritionem etiam feliciorem, denique fuſionē omnium corporun à qua fuſione ſolidæ quidem partes emolliuntur, humidæ autem attenuantur, & pori dilatantur. At verò, propter vehementiam reſpirationis neceſſarium eſt ex purgari poros, & vacuari excrementa.

9. Hoc quia facit exercitium, difficile non eſt inventu tempus, quo adhibe debeat. Quia enim diſtributionem promovet, in inteſtinis eſſe non debent, u & in ventriculo, copioſi humores crudi & inconcocti, ſive à cibis reliqui, ſive a humoribus. Periculum enim eſt ne trahantur in univerſas corporis partes, priu quam boni aliquid gignatur. Quia verò expurgat corpus, & vacuat excrement melius eſt ante cibos exerceri.

10. Impura enim corpora quò magis nutrias, eò magis læſeris. Ut hinc pa teat id tempus exercitii eſſe optimum, cum heſternus cibus perfecte concoctu eſt, & binas ſuperavit coctiones, illam in ventriculo, & hanc in vaſis, & jam ſu peringeri debet alius cibus. Tu verò ſive citius, ſive tardius ederis, aut implebi animal crudis humoribus, aut ſines augeri bilem flavam.

11. Hujus rei indicia ſunt in colore urinæ. Aquea enim ſignificat, humorer è ventriculo in vaſa diditum, nondum eſſe coctum: fulva autem & bilioſa, pe longum tempus elaborata: ſed mediocriter tincta, alterius jam fientis coction ſignum eſt. Cum enim urina nondum eſt tincta bile, aquea & alba apparet: cur autem plus acceperit, quam debebat, flava. Cum enim moderate flava eſt, au pallida, eo tempore exercitium eſt imperandam, poſtquam exiit, quod & in veſi ca & alvo bilis fuit. Periculum enim & tum eſt, ne in habitum rapiatur, vi im petûs, qui in exercitio eſt.

12. Si quis igitur ſubitò depoſitis veſtibus, veniat ad validius exercitium antequam corpus emolliverit, & excrementa attenuarit, porosque dilatarit, peri culum eſt utique, ne rumpatur quid ſolidarum partium. Periculum etiam am plius eſt, ne excrementa, vi ſpiritûs delata, obſtructiones pariant.

13. Si verò paulatim præcalefeceris, emollieris ſolida, humores attenuâri porosque dilatâris: jam periculum nullum eſt, vel ruptionis, vel obſtructioni Ut igitur hæc fiant, opus eſt præcalefactione moderata, quam excipiat frictio totius corporis, quæ prius fiat ſola ſindone, deinde etiam oleo adhibito. Non e nim conſulo, ut ſtatim utare pingui, priusquam & calefiat cutis, & pori dilaten tur, & (ut ſemel dicam) diſponatur corpus ad recipiendum oleum. Huic oper

pauc

paucæ omninò manuum circumductiones, ſine violentia, & celeriter factæ, ſcopum habentes, ut calefiat corpus, ſine compreſſione. Etenim his factis, apparebit tibi rubor floridus, totam occupans cutim.

14. Tum verò tempus eſt adhibendi olei, & nudis fricandi manibus, medio quodam modo inter duritiem & mollitiem, ne corpus vel contrahatur, ſtringaturve, vel remittatur, laxiusve fiat ultrà quam par eſt, ſed relinquatur in ſuâ naturâ.

14. Oportet frictionem inſtituere primis manuum injectionibus ſenſim: inde leviter jam augere, & eatenus frictionem intendere, ut prematur quidem caro, ſed non contundatur. Sed neque continuare oportet hanc validiuſculā frictionem: ſemel atque iterum in unaquaque parte attrectaſſe ſufficiat. Sic enim fricamus, non ut duremus pueri corpus, cum ad labores ſenſim aſſuefacimus: ſed ut quaſi invitemus ad actiones, tonumque in ſe colligamus, & ex molli frictione raram faciamus. Debet enim corpus hoc pueri in ſymmetriâ conſervari, nequaquam ſiccum, durumque effici, ne quoquo modo augmentum moremur. Progreſſu autem temporis, cum jam factus eſt juvenis, tunc & duriori frictione utemur, & frigidis balneis poſt exercitium.

COMMENTARIUS.

15. Quod alibi conqueſtus ſum, Galenum videri nimis accuratum eſſe velle in numerandis alterationibus, præcedentibus unam illam ſubſtantialium, quam ſolam invenire volumus: ita heic, in recenſendis uſibus particularibus exercitii tam ſubtilis eſt, ut res ipſæ ſub verbis tantum non evaneſcant. Idem dixero de frictionibus pueri ſui temperati. *Chi troppo ſottiglia, ſcavezza*, dicunt Itali.

CAPUT III.

1. IN frictione illa, quæ parat ad palæſtram, & ſcopum habet mollire corpora, ſuperare oportet mediam inter duram & mollem qualitatem, & ſecundum illam modificare omnia. Hæ frictiones fiant variâ manum injectione, circumductioneque: non tantum à ſuperioribus deorſum, aut contra latis illis, ſed modò in ſubrectum & obliquum, modò in transverſum, & ſubtransverſum.

2. Ἐγκάρσιον voco, quod recto contrarium eſt: *σιμὸν*, quod parum declinat ab hoc ad alterutrum latus: *πλάγιον*, quod à rectitudine utrinque parum recedit: *λοξὸν*, quod exquiſite medium eſt inter lationem rectam & contrariam. Nihil autem refert, *τρῖψιν*, an *ἀνάτριψιν* voces, ſcientes, quod vox *ἀνάτριψις* ſit familiarior veteribus: *τρῖψις* recentioribus.

3. Volo manuum injectiones & circumactiones non eſſe unius generis, ut omnes muſculorum fibræ undiquaque contingantur. Putare enim frictionem *ἐγκάρσιον* dictam, quam *στρογγύλην* vocant quidam, durare & denſare, & ſtringere & colligare corpora; rectam autem rarefacere, & laxare, & mollire &

 ſolve-

ſolvere, ab eadem ignorantiâ eſt, à quâ alia, quæ de frictione dicunt Gymnaſtarum plerique. Plus enim nemo illorum dicere poteſt de facultatibus frictionum, quàm Hipp. dixit in Off. Med., à dura frictione ligari corpus aſſerens: à molli ſolvi. Verba ſunt hujusmodi: *Frictio poteſt corpus ſolvere, ligare, carnem gignere & abſumere. Dura ligat, mollis ſolvit: multa minuit, modica auget.* Quatuor enim hæ differentiæ ſunt genere in omnibus frictionum facultatibus & uſibus. Si verò & medias annumeremus, quæ inſunt in dictis, ſex fient omnes.

4. Unde enim habent plerique Gymnaſtarum neotericorum, ut tot ſcribant differentias, quas vix numerare poſſunt? Unde ſcilicet, quam quia Logices ignari ſunt? nec vident, quod propriis frictionis differentiis aliquando admiſcent alienas: aliquando addunt cauſas efficientes ſingularum. Fit etiam ut copulent legitimas earum differentias cum aſſutitiis.

5. Cum enim dicunt, frictiones differre inter ſe illo, quod quædam ſub dio fiant, quædam ſub tecto, quædam in umbra permiſta. Rurſus, quædã in region ventoſa: quædam in quieta. Ita, quædã in loco calido: quædam in frigido: quæd in Sole, quædam in balneo, quædam in palæſtra. Talem facientes catalogum, afferunt differentias non proprias, ſed eas, ſine quarum aliqua non fiunt. Omnino enim neceſſum eſt in loco aliquo terræ habitabilis, adhæc vel æſtate, vel hyeme vel alio anni tempore fieri illas.

6. Cum verò ita diſſidere inter ſe dicant frictiones, quod aliæ fiant cum multo oleo, aliæ cum pauco, aliæ prorſus ſine illo, aliæ manibus ſolis, aliæ adhibit pulvere, aliæ linteis duris, mollibusve: differre inter ſe dicunt frictiones, enumerando cauſas, quæ faciunt frictionem duram, mollemve. Ex quibus cauſis & i la eſt, fricantium manus aut duras aut molles eſſe, item, vel gravem impreſſionem facere, vel levem.

7. Tertia ſpecies penes illos eſt, qui putant, omnes frictiones fieri per conjugationes quasdam. Quicunque igitur aut externas rerum circumſtantias, au cauſas propriarum differentiarum inter ſe miſcent, proprio indicio pereun quod rem non intelligant. Qui verò ſecundum proprias differentias conſtituun combinationes, hi minus in errore deprehenduntur. Hi ſunt ex eorum numer qui ſapientes cenſentur, & videntur ſibi plura inveniſſe quam Hippocrates.

8. Ex his Theon eſt gymnaſta, qui videtur accuratior fuiſſe Hippoc. Cu enim hic definierit in propoſita dictione etiam moderatam frictionem, Theo ne meminit quidem, neque qualitatis, neque quantitatis, ſeorſim ſcribens, cu alibi, tum 3. Gymnaſt. hoc modo: *Sufficere debebat iis, qui de frictione ſcripſerunt, co gruere debere ſemper qualitates quantitatibus. Ex ſe ipſis enim imperfectas eſſe ad per ctionem in operibus. Mollem igitur frictionẽ conſtare tribus actionibus in quantitate: Pau enim relaxare carnem quodammodo, & tactu mollẽ efficere: Multam diſcutere & lique cere. Sufficientem carne adimplere, ſed fluidâ & molli. Eodem modo & duram frictionem quantitate numero æquales actiones parere. Multam enim adhibitam ſtringere corpora,*

ligar

ligare, & inflammationi quid ſimile operari. Sufficientem præbere quidem carnis modicum, ſed bene formatum. Paucam, modice rubentem ad breve tempus efficere.

9. Non cenſet operæ precium omne, ſeorſim quidquam præcipere gymnaſtæ de dura frictione, ſed jungit illi quantitatem, ſi exſpectet ex arte paulò feliciorem ſucceſſum. Eodem modo neque de molli quidquam ſeorſim tradit. Fieri enim mollem frictionem negat, ſi ipſa ſola ſit, nec in conjugio cum multa, aut pauca, aut moderata.

10. Tum deinceps per combinationem explicat ea, quæ corporibus bona præſtent ſingulæ. Paucam nimirum ſimul, mollemque, quodammodo remittere carnem, & molliculam facere, nihil explicans quam τὸ λῦσαι Hipp., quod aliis verbis exponit. Nam τὸ ἀνιέναι τὴν σάρκα καὶ ὑγρὰν ποιεῖν quid aliud ſit quam ſolvere conſtricta & coaptata? Adjecit autem orationi τὸ ποσῶς, non mutans genus orationis, ſed τὸ ποσὸν in ipſa limitans. Talis enim frictio mollit paululum, ut, ſi contentior ſit, molliat etiamnum, ſed amplius, quam antea. Igitur, non quidem inſigniter, neque ſufficienter, ſed leviter pauca & mollis frictio remittit & mollit corpora, quod per appoſitionem τοῦ ποσῶς ſignificavit, nihil amplius, quod ad hoc, docens poſt Hipp. Ut neque dum inquit, τὴν αὐτάρκη καὶ μαλακὴν σαρκοῦν τὸ σῶμα πλ. καὶ κ. 6. Cur enim αὐτάρκης carnem facit? cur μαλακὴ ſolvit? hoc eſt, molliet, quod idem eſt, ac ſi dicas, πλ. καὶ καὶ κεχ. ἐξ. τὴν. 6. Debebat enim, ut recte locutus eſt de his, ita quoties diſſerit de multa ſimul & molli, non hoc tantum dicere, quod diſcutit, & liquat, velut ignis: ſed & illud, qualem facit carnem, quæ reliqua eſt. Non enim totam ſubſtantiam diſcutit, ſed aliquid relinquit.

11. Omninò igitur id, quod relinquit, quale eſt ſpecie, h. e. debebat ſermoni addere, & dicere quid faciat multa frictio, relinquere, quid mollis? Quod multa diſſipet, dictum quoque ab Hipp. eſt antea: ſed Theon non ſimpliciter ſermonem inſtituit de multâ frictione, ſed de multâ per conjugationem, incipiendo à prima, & pauca ſimul, mollique, & progrediendo ad alteram, quæ mollis ſimul & multa. Sic deinceps tertiæ meminiſſe, mollis ſimul & moderatæ. Quemadmodum igitur de prima & tertia agens non diſſimulavit, quod ſit opus qualitatis: ita neque de ſecunda tacere debuit, ſed ibi quoque dicere, Multam ſimul, mollemque frictionem diſcutere ſimul, & molliculam præſtare carnem, niſi cum τὸ τήκειν ponitur ἀντὶ τοῦ μαλάττειν, & ſic verum manet, quod dictum eſt.

12. Hac ratione non modò non calumniatur Hippoc. ſed & accedit in ſententiam ipſius. Si enim frictio mollis ſemper molle facit corpus, etiamſi pauca, etiamſi multa, etiamſi moderata ſit; accedit autem illi aliquid aliud à qualitate, indiviſibile à molli frictione erit remollire, ut etiam τὸ durare à durâ, quod eſt cogere, ſtringere, ligare, denſare, & aſperiuſculam facere carnem, aut quomodolibet quis appellet hanc rem.

13. Primum enim & princeps ita diſpoſitæ carnis erat nomen τὸ σκληρὸν, ut & contrariæ τὸ μαλακὸν, quamquam etiam reliquorum omnium, quæ dixi, ita

vocare liceat. Et, quæ cauſa ſit, cur tam multis nominibus appellare liceat rem, paulò poſt dicetur: nunc (in confeſſo enim eſt) cauſam ipſius dicere, quod ad rem præſentem, noluimus. Quod verò mollis frictionis neceſſarium conſequens ſit, mollia facere corpora, ex dictis manifeſtum eſt. Si enim neque multam, neque paucam, neque moderatam frictionem quis elegerit, tamen durum fecerit corpus: clarum fit, quod mollis inſeparabile ſit mollire, quemadmodum duræ, ligare & durare.

14. Nam & hanc, ſive paucam, ſi ve multam, ſive moderatam quis adhibeat, nunquam corpus molliet in ulla quantitate: omninò autem durum efficit potius, quam minus, præſertim, ſi inſtet fricando. Si verò paucis omninò injectionibus factis deſtiterit, pro harum paucitate & durities ſuccedet. Velut & qui igni appropinquat, ſemper calefit, quamvis parcius: ſed potius fit, cum diu perſeverat: minus, cum parumper: minimum, qui tangit tantum.

15. Ita in frictionibus quoque corpus plane fit ſimile, à molli mollefit, à durâ dureſit: veruntamen non æque in omnibus, ſed à multa multum, à pauca parum, quemadmodum à plurima plurimum, à paucíſſima paumper. Theon igitur cum diſſerit de molli & multa, diſcutere & liquefacere ait illam, ſi τὸ κενῦν ſignificat idem, quod τὸ τήκειν nihil amplius dicit quam diſcutere. Ut idem bis quidem dixerit, omiſerit autem additamentum neceſſarium, diſpoſitionis ſcilicet, quæ fit in corpore, cui frictio mollis adhibetur. Sin mollire, aut ſolvere, aut laxare, aut ſi quo alio modo loqui volet, nihil quidem omittet: at verò cum Hippoc. tribuit, erit in crimine vitioſæ doctrinæ. Quod verò hic modus docendi pejor ſit illo, quo Hippocr. utitur, paulò poſt probabo: quod autem τὸ τήκειν uſurpavit ἀντὶ τῦ μαλάττειν, nihilo ſapientior ſit Hippoc., nimis manifeſtum eſt. Ille enim cum dicat, mollem ſolvere, multam attenuare, manifeſtum eſt omnibus, qui ſciunt ſyllogiſmo uti, quod de compoſita ex molli & multa loquitur, attenuare illam & mollire. Sed Theon non videtur hoc ſpectaſſe, ſed quod in 1. Gymnaſt. dixit, ἰσχναίνειν uno verbo eſſe id, quod in 3. duobus, διαφορεῖν καὶ τήκειν. Dictio enim & in 1. ita habet: Ex contrariis mollem frictionem, ſi diu duret, attenuare corpora: ſufficientem autem implere carne delicatâ & fuſa. Apertò enim heic dicit, Mollem & multam frictionem attenuare corpora. Quod vero neceſſarium erat, &c.

* * * *

COMMENTARIUS.

16. Quid ſibi volunt cruces iſtæ? inquis, quid Vacuum immenſum? Ne te morer, quæ ſequuntur, ut &, quæ toto

CAP. IV.

ſunt ἀυτοκίϐδηλα, ut lego vocem degenerem Lexicographorum, etiam H. Stephani in Theſ. ἀυτοκάϐδαλον. Nimirum ita omnes ſcribunt, & varie exponunt, alii quidem de perſona, alii autem de re. Ad perſonam qu

qui referunt, dicunt, *αυτοκαϐδάλυς* dici, qui aliàs *φλύακες*, & in ſpecie *φαλλοφόροι*, ἢ *ὀλισϐοφόροι*, genus hominum abjectiſſimum & ſordidiſſimum, item *περιψήματα, καθάρματα* ἢ *βδελύγματα*, *Scelera, Piacula, Adami*, de quibus actum eſt App. Poſt-cur. cap. 120. Ad rem qui dicunt, Quemadmodum *τὸ χ.* ἢ *χρηςὸν* eſt *bonum*; *τὸ κ.* ἢ *κίϐδηλον*, aut *χίϐδηλον*, *adulterinum*: ita *αὐτοκίϐδηλον*, *ipſiſſimum eſt vitium*: ut oppoſitum *τὸ αὐταληθὲς*, *ipſiſſima veritas*. Quando igitur, quæ heic ſcribuntur contra Theonem oratione tàm prolixa, eaque omnia inutilia, & *αὐτοκίϐδηλα*, meritò æternis damno tenebris, toto ejecta agro Medico. Vide Caſ. in Laërt. fine.

17. Quæro in t. 2. quid dixerat *τρίψις, καὶ ἀνάτριψις*? *τὸ ἀνὰ* auget. Vide 2. Inſt. 22.

CAPUT V.

1. SUpereſt ex iis, quæ in hunc locum diſtulimus, de nominibus dicere, ne quis deceptus copia illorum, putet, diſpoſitiones excreſcere in eum numerum, in quem appellationes. Nomen igitur *σκληρὸν* proprie effertur de una corporis diſpoſitione, quam explicare pluribus qualis ſit, non habemus opus, cum omnes ab ipſa voce ducti ad rem perveniant. Eodem modo contrarium ejus, *τὸ μαλακὸν*. At *τὸ ἀραιὸν καὶ τὸ πυκνὸν* non æque evidenter ſignificant diſpoſitiones corporis, quia duplex eſt nominũ uſus, alter eorũ, qui proprie loquuntur, alter eorũ, qui abuſive.

2. Proprie *τὸ ἀραιὸν* eſt, quod magnis eſt interceptum poris, velut *τὸ πυκνὸν*, quod exiguis: ex metaphora autẽ ſeu abuſu, aut quomodocunque appellare quis velit, dicitur etiam de confuſo ſeu coacto. Hoc modo fit aliquando, ut aerem vel ignem vocemus *ἀραιά*: aquam autem, terramque *πυκνά*, transferentes appellationẽ ad ipſa elementa, quæ ſunt unita & naturâ ſimilaria, nec ullis intercepta poris.

3. His multò amplius à propria ſignificatione receſſit *τὸ ἐσφιγμένον καὶ τὸ δεδεμένον*, utrumque metaphorice dictum, *τὸ ἐσφιγμένον* quidem de denſo & duro, aliquando quidem alterutro ſolo conſiſtente, aliquando autem utroque juncto. Viciſſim, *τὸ δεδεμένον* de iiſdem quidem, ſed non ex eâdem metaphora. Quia enim omnia colligata difficulter mobilia ſunt, nominantur ita etiam illa, propter ſiccitatem quandam, & refrigerationem, aut inflammationem, aut ſcirrhum, aut tenſionem, aut impletionem, aut pondus difficulter mobilia ſunt. Propter hanc cauſam & contrariis utuntur nominibus in contrariis diſpoſitionibus, remitti dicentes & exſolvi, & laxari.

4. Non oportet autem immorari copiæ nominum, ſed ſcire duo eſſe genera in univerſum diſpoſitionum, alterum quidem in partibus ſimilaribus, quod vel durum vel molle eſt: alterum autem in *πορoποιΐαις* inſtrumentorum conſiſtens, quod vel denſum, vel rarum. Hæ enim propriæ ſunt corporum diſpoſitiones: aſcititiæ autem, ac, ut quis ita dixerit, temporariæ, quandoque impletis poris ſuperflua humiditate: quandoque vacuis, & iterum quandoque dilatatis, quandoque occluſis.

CAPUT

CAPUT VI.

1. SEd de his diſpoſitionibus in ſequentibus libris; nunc redire par eſt ad propoſitum, & primum de frictione paulò luculentius agere. Aliquando enim in corporibus noſtris operatur boni quid, aliquando operantibus ancillatur, ut Hipp. de deligatura loquitur, quod deligatura ipſa aliquando curat: aliquando curantibus ſubſervit.

2. Frictio ergò ipſa facit, ut denſa evadant, quæ rara erant, & quæ mollia, denſa. Hoc verò fit à dura frictione. Præterea, dura emollit, & denſa dilatat Hæc verò eſt frictio mollis. Sic, quæ inſtituitur frictio carnis augendæ gratia aut minuendæ, per ſe operatur boni aliquid in corporibus, altera quidem præparando ad palæſtram: altera autem excipiens illam, palæſtræ inſervit, calefaciendo moderate, aperiendo poros, & quæ in carnibus ſunt excrementa fundendo, & ſolidas partes molliendo.

3. Vocatur autem frictio hæc præparatoria, veluti altera apotherapeutica Quæ cum fiat oleo copioſo, & imbuit pinguedine, & ſolidas partes emollit, & diſcutit contenta in poris excrementa. Sed de hac iterum dicendum fuerit poſt exercitium: præparatoria verò frictio in optimâ naturâ, propter calefactionem corporis inſtituta, fiat eo modo, quo dictum eſt paulò ante, Mollis, inquam, ab initio, dura autem, cum jamjam exercitium initurus eſt.

4. Sic enim vel maxime emollit, & ad actiones invitat, & conſervat naturam corporis eam, quam accepit. Qua in re ſi quid erratum ſit, ad duritiem potius inclinatio ſit. Exceſſus enim modici à moderatione finiuntur in cute, interiora non contingentes. Minus autem nocuerint cuti, cum itum fuerit ad duritiem & denſitatem. Ita enim non erit obnoxia noxis. Talis cutis ſi ad tranſpirationem facilis eſſet, duriſſimam & denſiſſimam pararemus: nunc quoniam ad utrumque reſpicere debemus, tam ad interiorum tranſpiratum, quam ad violentiam exteriorum, optimum fuerit conſectari medium alterutrius exceſſus.

5. Quod ipſum ſi aſſequi non liceat, aſpiremus ad durius & denſius potius quam ad mollius, ad rarius. Quod enim deficit in tranſpiratu, id reſarcire licet in exercitio: contrà alterius diſpoſitionis defectus calumniis obnoxius eſt ob cauſas externas. Sed neque facile corrigi poteſt, & in propinquo eſt noxa non exigua, diſcuſſis ſæpe non excrementis ſolis, ſed ipſo etiam alimento.

6. Sane in differentiis qualitativis, ut ſic dicam, ſatius eſt aberrare ad durius quam ad mollius: quemadmodum in quantitativis ad minus, in propoſita nempe natura & ætate. Semper enim in hac oratione illius meminiſſe oportet. Augeri enim corpus hoc volumus, non ſiccari. Quas verò naturas, & in quibus diſpoſitionibus, uberius ſiccare oporteat, iterum dicetur.

COMMENTARIUS.

7. Miror equidem, Lex. noſtros tam eſſe ſecuros rerum ſuarum, ut neſat

ſatis ſe explicent, quid ſit frictio ἀποθεραπευτικὴ? Nam *Recuratoria* Linacri nauci eſt. Puto autem τὸ ἀπὸ privare, & eſſe *Abſolutoriam*. Quid igitur ἡ ἀποθεραπεία erit? Miror heic ampliùs Foëſium, qui ſilentio ſibi conſulit. Mihi libet ridere cum SCHERBIO, qui ultimam ſolutionem debitorum, quam ſtudioſi præſtant cauponibus pro exercitio illo ignobili, cum interim nihil didicerunt, ἀποθεραπείαν vocabat. Ego, prioribus inſiſtens veſtigiis, *Abſolutionem* voco, den Laugenguß/ in balneis publicis. Eraſmus in Ep. obſ. vir., obſtrigilatoribus ſuis dat titulum *Abſolutiſſimi*, ut ſignificet, ſe abſolvere illos ab omni eruditione. Idem dicam, ſi quis laudare velit opus magnum Gal. περὶ δογμ. ἱππ. Dico paucis: Nihil valet, niſi ad communem uſum.

CAPUT VII.

1. NUnc autem ad materiam propoſitam reduces, de menſurâ frictionum commentemur eodem modo, quo nuper fecimus de qualitate. Videtur autem mihi conſultum heic quoque, ut, antequam definiam menſuram, meminerim alterius cujusdam ſpeculationis, absque qua menſura neque recte deſcribi poteſt, neque omnino agnoſci.

2. Hæc conſideratio eſt aëris, in quo fricandus verſatur, temperamentum, quod in ipſo quidem opere oſtendere eſt: ita autem ſermone explicare, ut nihil deſideretur lucis, impoſſibile eſt omninò. Sed ita, eſt, ſufficit, ſi non multum deſit. Præcedit autem & aliquid aliud, quo anni tempore ſit inſtituenda frictio? & qua in regione ſit ille exercendus? Duo enim ſola determinata ſunt, diſpoſitio corporis & ætas. Neque enim qua parte terræ habitatæ, ſit altus, neque in qua exerceri nunc debet, neque verò, qua anni parte, qua diei, jam definitum eſt, quamvis, pro diverſitate harum rerum, menſura frictionis mutetur.

3. Jam igitur addantur reliquæ diſtinctiones, poteſtate quidem dictæ initio hujus libri, non autem recte elaboratæ. Cum enim dixi, quaſi canonem quendam me expoſuiſſe omnium eorum, quæ poſtea dicenda ſunt, hominem, qui inculpatæ ſit conſtitutionis corporis, ſubito etiam poteſtate definii ſimul regionem, quam incolit. Neque enim in regione intemperata gigni poteſt corpus conſtitutione moderatum & irreprehenſibile, cui ſententiæ & ratio conſentit & experientia.

4. Sicut enim graciles, & quaſi fumo indurati ſunt homines in calidis regionibus: Iidem inæquali temperamento ſunt prædití, quod partes externæ quidem ſunt frigidæ, internæ autem, quà ſunt viſcera, calidiores ſunt incolæ regionum frigidarum. Corpus autem optimum, de quo nunc nobis ſermo eſt, quaſi *Polycleti canon* eſt, cui etiam in noſtra regione, ut quæ temperata eſt, vicina viſa ſunt multa corpora. Apud Celtas autem, Scythaſque veluti contra apud Ægyptios, aut Arabas neque per ſomnium videre eſt hujusmodi corpus. Noſtra regio quia ſatis magnam latitudinem habet, media ſui parte temperatiſſima eſt,

ut & Hippoc. patria. Eſt enim temperata tàm æſtate quam hyeme, magis etiam vere & autumno.

5. Talem igitur regionem eſſe noſtri hominis præſupponamus, anni tempus eſſe ſimul ſinamus exquiſite medium ver. Eſto etiam dies illa, in quâ vel initium capere exercendi ſe, exquiſite in meridie, ne ullatenus mutetur natu[illegible] ipſius ab aeris temperamento. Propter eandem cauſam & domus, in qua exerceri vult, neque calidior ſit, neque frigidior, quam oportet eſſe in ea urbe. Hæc domus hyeme quidem tantò plus caloris habeat, quantum æſtate frigoris, ut efficiatur totum corpus exquiſite temperatum tum, cum fricari debet. Si enim vel calidior, vel frigidior ſit æquo, in calidiore quidem ſudor præveniet emollitionem: in frigidiore autem ne excalefiet quidem, nec rubor floridus ſe exſeret, nec corpus intumeſcet.

6. Hæc enim ſigna ſunt frictionis moderatæ in aere moderato, in habitu corporis moderato, rubor & tumor. Ut enim dum effunditur aqua calida, primum quidē corpus intumeſcit; ſi continuetur, contrahitur; (& propterea Hippoc. de illo dixit, *Primum quidem attollitur, deinde autem gracileſcit:*) ſic & frictio, primum quidem extollit; deinde autem contrahit & ſubſidere facit corpus.

7. Qui igitur augendæ carnis ergò fricantur, tum oportet quiêſſe, cum corpus tumidum incipit deſidere. Qui verò præparatoriâ frictione utuntur, h[illegible] tempus exſpectare fas non eſt, ſed longè anteà ceſſare, præſertim, ſi temperamenti ſint optimi, & in ætate puerili. Horum enim corpora debent eſſe humida [illegible] mollia, paucisque emolliri frictionibus. Scopus autem, finisque hujus frictionis eſſe debet, Molliri quidem partes ſolidas: reſolvi autem humores, porosque dilatari.

8. Quot autem numero debeant eſſe frictiones, ſermone explicari non po[illegible] eſt. Oportet enim præſidem in his exercitatum eſſe, & primò ſtatim die non [illegible]ſtituere accuratam conjecturam: altero autem; cum jam experientiam quandam habet corporis ſubjecti, ad exquiſitam notitiam ſemper propius accedere.

9. Quin etiam in exercitatione ipſa, primo die certum quid ſtatuere non [illegible]cet de menſura: poſteà, licet omninò. Sint & heic indicia, cum juſſus & para[illegible]s ad exercitium non perinde obſequitur, h. e. cum neque colluctatoris ſui app[illegible]henſus, neque motus ipſius accommodant ſe motibus illius: ſed tardiores, [illegible]riores, minuſque decentes, debilioreſque præſtat.

10. Oportet autem exercentem ſe cum alio, neque agiliorem eſſe, ut, [illegible]cultate jam proſtratâ, amplius quid velit: neque ignaviorē, ut detrectet labor[illegible], cum poſſit. Erit autem talis, non ſolum corpore, ſed & anima, qui nobis h[illegible]c propoſitus eſt homo, ut qui frigidioribus abundant humoribus, in ventric[illegible] cōtentis, vel in toto habitu acervatis, ignaviores ſint ad motus: eodem modo [illegible] plethora laborant, aut qui frigore nuper conflictati ſint, ſegniores fuerint [illegible] tardiores ad motus.

11. t

11. Etamplius, qui frigidiores ſunt, & hi quidem magis, cum frigiditati humiditas acceſſerit. Hi enim non habent legitimas notas exercitiorum in menſura, veluti & qui temperamento calidiores ſunt, aut propter naturam propriam, aut propter diſpoſitionem aliquam acquiſitam, animoſi ſunt, aut contentioſi, aut ad motus æquo promtiores.

12. Qui verò litigioſi ſunt, aut ambitioſi, aut animoſi, in his ſunt exquiſitæ notæ quantitatis exercitiorum, & ſtatim primo die. Verum multò magis in ſequenti tempore. Si quid enim latuit ab initio, manifeſtum erit, experientia cognitum.

13. Sic igitur & quantitas cibi exquiſite noſcitur, cum ab initio ſciri non poſſit. Sed experientia ſingularis, & memoria quantitatis exercitii, cibique, nihil otioſi videns, & quod in propinquo eſt, & memor quomodo concoxit, quibus exercitiis, quos cibos adducit prope ad exquiſitam ſcientiam dignotionis cum tempore.

14. Hæc igitur communia ſunt & praviſſ. conſtitutionibus, de quibus dictum eſto: optima autem natura nunc nobis propoſita, habet menſuras omnes manifeſtas, & animi, & corporis, nihil eorum, quæ dicta ſunt, obſcurans, aut adulterans: ſed & frictionum, & exercitiorum, & ciborum & ſomni accurate oſtendens menſuras. Et tunc primum ſignificat unicuique, cum non amplius indiget, ut & hoc ſit non mediocre indicium corpori propoſito, quantum ſit, quod proportionatum eſt.

15. Dico, in ſingulis quò inclinet Natura, quantitatem inventura in ſingulis conſtitutionibus. Frictionem enim admiſſuri hinc primum exeunt ad exercitium ii, qui optime nati ſunt, cum in toto corpore ſatis caloris collegerunt & mollitiei. In exercitio tum primum gravabuntur, cum ſatis exerciti ſunt. Ita à cibo & potu tum abſtinebunt primum, cum primum expleti fuerint. Neque ullus metus eſt, ut vel cogitari poſſit infartus, vel exſaturatus; quamdiu à Naturâ gubernatur.

16. Quare hic talis non indiget extreme perito Præſtite, quemadmodum qui poſteà dicentur, qui male conſtituti ſunt. *Hoc enim ipſum ſanum corpus invenit ſibi, Naturæ motibus conforme, & maxime, cum animo bene conformatum fuerit. Multi enim, malis moribus innutriti, ſimulque laſcivius & in otio viventes, corrumpunt bonas naturas.*

17. Ut contra quidam malè nati, vita temperanti, & tempeſtivis exercitiis correxerunt multos defectus. Sed horum, quà exercitiorum, quà operum plenus eſt ſequens liber. De optime autem conſtitutis corporibus, quæque ſimul mentem gubernatricem habent, in hoc libro agitur. Præcedens autem liber cum exercitiis finem habet. Deinceps de ſpeciebus ſermo eſt.

COMMENTARIUS.

18. Hîc ego ſub finem, quaſi quod in ſterquilinio gallus gall., inveni unionem.

Eſt enim principium illud, quod ex *5.Epid.* t.1. in Therapeuticis jactamus, *α φύσιες* &c. Heic enim proruit ſequens *ἀνευρίσκει*, & docet, Quemadmodum in morborum curatrice *Natura eſt curatrix*: ita in *ὑγιεινῇ* quoque. Vide *Inſtit.2.t.1.* Ubi hoc noto, Galenus ſententiam deſinere in ſenarium Menandréum apud D. Paulum,

φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί.

CAPUT VIII.

1. Exercitiorum ſpecies voco, luctam, pancratium, pugillatum, curſum, & quæcunque talia. Horum quædam per ſe nihil aliud ſunt, quam quod dicuntur, exercitia: quædam, non exercitia tantum, ſed & opera. Sunt & alia exercitia, tum verò & *τὸ πιτυλίζειν*, & *τὸ ἐκπλεθρίζειν*, & *τὸ σκιαμαχεῖν*, & *τὸ ἀκροχειρίζειν*, & *τὸ ἅλλεσθαι, καὶ τὸ δισκοβαλεῖν*, & coryco, parvâque pilâ ludere, tandem halteribus ſe exercere.

2. Exercitia ſimul & opera ſunt, fodere, remigare, arare, vites putare, onera portare, metere, equitare, ex equo pugnare, iter facere, venari, piſcari, & quæ alioquin particulatim faciunt homines, artifices, & ſine artificio, hoc illo fine, domos ædificantes, in ære laborantes, navem ædificantes, arantes, aut tale quid civile, aut bellicum molientes.

3. Plerique horum in ſolis exercitiis occupantur. Omnibus enim his triplex datur negotium, aut hoc ſolum agentibus, aut ad hoc paratis ſolum, ut his ſui ſerviant, aut ut ſe exerceant. Nos igitur cum forte ruri eſſemus tempore hyberno, aut ligna fidimus, loco exercitii, aut hordeum in pila deglubimus, & tudimus, quæ ſingulis diebus ruſtici in agro faciunt, ut opera.

4. De operibus quidem in ſequentibus: in præſenti autem de exercitiis; omnia enim hæc fiunt à nobis, neque per totum diem, neque alio tempore, quam ante cibum. Cavere verò etiam aliquando oportet, quod nimium eſt, ſic vocatam *ἀποθεραπείαν*. Sed & ſi quis anteà ſit frictione uſus, & ulterius pergit, jam ille omnes numeros exercitii habet.

5. De omnibus igitur his ſcire fas eſt, quæ exercitiorum nomine comprehendimus, agere de his *τὸν ὑγιεινόν*. Ita autem vocare oportet, aut Gymnaſtam, aut Medicum, quamvis propriiſſima ſit futura *τοῦ ὑγιεινοῦ* appellatio, reliquæ metaphorica. Hujus rei cauſa eſt, Si omnes artifices nomen trahunt ab artibus ſuis, quas exercent, aptum hinc eſt, rectè *ὑγιεινὸν* dici, quod *τὴν ὑγιεινὴν* profitetur, veluti & exercitia ſola, *γυμναστής*, & qui curationes, *ἰατρός*.

6. Si quis verò hunc appellare velit à particulari opere, impropriè id fecerit, & per ambiguitatem, aut quomodo quis vocare velit. Cauſa eſt, cum circa corpus non niſi una ſit ars, unum illi nomen impoſitum non eſt, de qua re fuſius egi in libro, cui titulus, *Thraſybulus*.

7. Hæ igitur ſpecies ſunt exercitiorum: eorundem qualitas ſeu differentia

tia (nihil enim refert utro modo dicas:) eſt motus vel celeritas, vel tarditas, vel intermittentia. Et, ſi vel continuus, vel æquabilis ſit, vel æqualis. Eodem modo ſi intermittens, aut ordinatus, aut inordinatus.

8. Et hi modi uſus ab ipsâ rei diverſitate ſunt: ab extrinſecus autem advenientibus hi petuntur. Fit exercitium aut in loco ſubdiali, aut ſub tecto, aut ſub interveniente umbra. Eodem modo aut calida eſt regio, aut frigida, aut temperata. Ita, aut exquiſite ſicca eſt, aut humida, aut moderata. Ita, hoc cum pulvere eſt, aut pluri, aut pauco. Ita cum oleo aut copioſiori, aut pauciori. Ita uſus eſt exercitii, vel cum utroque, vel cum alterutro.

COMMENTARIUS.

9. Rideo! adeóne vicinus mihi ſit Galenus, ut de ἀποθεραπείᾳ loquens ſine §.4. etiam parœmiâ de numeris utatur! Aut igitur utamur *Abſolutione*, aut fingamus aliud.

CAPUT IX.

1. QUia igitur jam definita ſunt omnia, quæ ſcire oportet τὸν ὑγιεινὸν, tempus jam ſit eundi ad ſpecies exercitiorum. Primùm autem diſtinctè dicere oportet, quod ſit illud commune omnibus exercitiis? & quod ſingulis proprium? Poſt hæc tempora ſingulorum tradere oportet.

2. Commune illud omnibus eſt, caloris augmentum conciliare animalibus ex ipſo animali. Calefiunt enim corpora noſtra, & in balneis, & in aquis thermalibus, & in calidis anni conſtitutionibus in Sole, & ab igne, & fricti calidis medicamentis. Verum calores illi omnes ab externis cauſis, non ab internis, neque accenſi à proprio principio, ut & aucti. At verò in exercitiis caloris nativi augmentum eſt, factum ex propriis corporibus. Et hoc eſt commune omnibus exercitiis: illud certe non eſt, cum iratis accidit, cum ante certamen trepidantibus, cum pudibundis augetur calor nativus.

3. Ira enim ſimpliciter augmentum non eſt, ſed caloris circa cor ebullitio. Quare etiam ſubſtantiam ipſius eſſe dicunt Philoſophorum nobiliſſimi talem. Accidens enim eſt, non ſubſtantia animæ, cupiditas vindictæ.

4. Et pudibundis augetur calor nativus, introrſum quidem properantis omnis calidi, poſteà autem acervati in profundo, & mox collecti, tam propter congregationem, quam propter motum continuum. Quos enim pudet, illorum ſpiritus non quieſcit, ſed intus in totâ maſsâ ſanguineâ fervet multifariam, quemadmodum trepidantium. De omnibus his affectibus fuſius dicetur ſequenti oratione: jam enim coactus ſum meminiſſe illorum propter commune ſymptoma horum exercitiorum, oſtendens, quod in omnibus exercitiis hoc accidat; non tamen ſolis, ſed & dictis affectibus.

5. Nunc vero convertere eſt animus ad illa, quæ propria ſunt, docens ab

initio, quod plures in his quoque ſunt differentiæ. Horum enim quædam alia exercent membra magis: alia fiunt quieſcentibus illis: alia viciſſim celerrime motis. Et horum quædam valide, quædam debiliter. Et præterea quædam vehementer, quædam parce. Validum exercitium voco, quod violentum, ſed non celer: vehemens, quod cum violentia celer. Dicere autem vel *βιαίως*, vel *ῥωμαλέως*, nihil referat. Fodere igitur *εὔτονόν τε καὶ ῥωμαλέον* opus eſt. Ita, quatuor equos cohibere ſimul habenis, ſatis validum eſt exercitium, tamen non celer. Ita, ſi quis ſublato quo onere graviſſimo aut perſtet in loco, aut procedat parum. Ambulationes acclives hujus generis ſunt; ſurſum enim feruntur & quaſi attolluntur per ipſos dictos curſus omnia cætera membra corporis, per prima motûs inſtrumenta, non ſecus ac ſi quis per funem arrepat, quomodo pueros in palæſtra exercent, parantes ad robur. Eodem modo ſi quis arrepto fune, aut ſurrecto ligno diu ab illo pendet, exercitium obit validum, ſed non celer.

6. Quisquis etiam vel protendit manum, vel extendit, pugnum faciens, in eodem genere eſt. Si verò aſſiſtens jubet aliquem manus deorſum trahere, ipſe interim nihil remittens, is potiori ratione ad robur præparat muſculos & nervos. His enim propria magis ſunt hæc exercitia omnia.

7. Multò magis autem, ſi quis comprehendat ſummis manibus pondus aliquod grave, & mox alterutra ſeorſim, quale fit in palæſtrâ, cum halteras ſenſim protendunt & retrahunt. Ita ſi quis juſſerit ſe, qui immobilis ſit, & inflexilis, deorſum trahere & flectere violenter, non manibus tantum, ſed & cruribus & dorſo renitens, non modicum habebit exercitium ad robur inſtrumentorum.

8. Hinc orta eſt fabula de Milone ita ſe exercente, nonnunquam permittente ſe alteri, qui loco ſe pelleret. Sed hoc fuerit crurum maxime exercitium. Quemadmodum cum manus exercere vellet, pugnum ſibi aperiri volebat. Iterum, ut ajunt, manibus habens, aut pomum granatum, aut tale quid, volenti auferre permittebat.

9. Hæc igitur exercitia maximi roboris demonſtrationem habent: tonum autem partium exercent & roborant, ubi alter alterum prehenderit medium, aut ipſe comprehenſus, manibus digitisque junctis jubeat alterum ſe abſolvere, aut ipſe ſe abſolvat ab altero. Ita, ſi, altero accommodante ſe, alius accedat à latere, & injectis circulatim ſuper ilia manibus, ſublatum tollat ſimul, & in anteriora promoveat, tanquam onus aliquod, & maxime, ſi, qui portat, nutu, renutuque corporis utatur. Sic enim quis exacte totam ſpinam præpararit ad robur. Eodem modo, qui ſternis contra nituntur, violenterque ſe invicem repellunt. Et qui à collo ſibi dependent, cætera recti ſtantes, deorſum vergunt, ii quoque ad robur ſe præparant.

10. Sed

10. Sed hæc fieri poſſunt ſine etiam palæſtra, altoque pulvere, in quovis loco pavito, inter recte ſtantes. Quæ verò palæſtritæ inter ſe faciunt, robur invicem experientes, aut profundo pulvere indigent, aut palæſtra. Sunt autem hæc: Utroque crure circumplexi alterutrum crus illius, quî cum luctantur, deinde conjungentes manus, alteram in collo fortiter firmant, illam, quæ eſt è regione intercepti cruris, alteram in brachio.

11. Poſſit & in ſummo capite nodum facere, & poſteà vi adhibita ad poſteriora revocare. Hæc lucta exercet robur utriusque luctatoris, quemadmodum & illa: Utraque enim roborat. Sunt in palæſtra alia multa robuſtiora exercitia, quæ tam novit pædotriba, alius à Gymnaſta, ac quoque ea, quæ ſunt Medici. Quod ipſum etiam conſiderandum eſt. Atqui jam factum eſt in libro, qui Thraſybulus inſcribitur: dicemus autem & nunc, quantum ad præſens inſtitutum, ſed ſi prius abſolvero exercitia robuſta, de quibus jam dictum eſt.

CAPUT X.

1. JAm deſcendere nos æquum eſt ad exercitia velocia, quæ fiunt ſine robore & vi. Hæc ſunt curſus & pugnæ umbratiles & ἀκροχειρισμοὶ, & luſus follis, parvæque ſphæræ, cum fit ab iis, qui diſtant & diſcurrunt inter ſe.

2. Tale quid eſt & τὸ ἐκπλεθρίζειν, & τὸ πιτυλίζειν. Ἐκπλεθρίζειν eſt, cum quis in ſexta parte ſtadii, prorſum & retrorſum curſitat, idque ſæpe, & ſine flexurâ, ſemper demit parum de ſpatio, & deſinit tandem in uno veſtigio.

3. At πιτυλίζειν, cum ſummis pedibus quis ingrediens, protenſis manibus, celerrime movet, hanc quidem in poſteriora, illam autem in priora. Hoc exercitium frequentant, maxime ad parietem ſtantes, ut, ſi quando aberrent, facile ſe iterum erigere poſſint, Hoc modo exercitorum latent errores, & exercitium ipſum fit debilius.

4. Velocia quidem fiunt, ſed non violenta, quæcunque in palæſtra obeuntur, circumvolutis nobis vel cum aliis, vel ſolis: licet etiam rectis nobis volutis & mutatis, vicinum exercere velociter. Licet etiam ſolis cruribus rectà ſtantem in uno loco exercere velociter, ſæpe quidem in poſteriora ſubſilientem: ſæpè etiam in anteriora proferentem alterutrum pedem.

5. Quin & per manus licet ejusdem generis exercitium inſtituere, & ſine halteribus, tum præcipue, cum ſtudes denſitati juxtà & celeritati, ſive pugnis agas, ſive explicatis manibus.

7. Tale

7. Tale certe eſt exercitium velox in iis, in quibus dictum eſt: igitur transeundum eſt jam ad vehemens exercitium. Hoc verò eſt compoſitum ex valido & celeri: Quæ enim exercitia εὔτονα dicuntur, omnibus iis utatur quis ut vehementibus, addendo motus celeres. Non minus talia ſunt & vehementia illa exercitia, fodere, diſcum jacere, moveri & ſaltare continuò, & ſine intermiſſione.

8. Ita etiam jaculari uſum gravibus telis, actionesque continuantem aut gravibus armis tectum, aut contentè agentem. Nam & qui taliter exercentur paulatim interquieſcunt.

9. Et tibi quidem hinc differentia innoteſcat inter exercitium continuum & intermiſſum: Jam enim dicta omnia pene in uſum veniunt per certas vices, & maxime, quæ labores potius ſunt & opera, quam exercitia, ceu remigare & fodere. Quæcunque verò debilia ſunt exercitia, absque interpoſita quiete fiunt, ut δόλιχος & itinera.

CAPUT XI.

1. HÆc igitur ſunt exercitiorum ſpecies, & has habent differentias. Præterea, horum quædam lumbos defatigant, quædam manus, quædam crura, quædam ſpinam totam, quædam ſolum thoracem, aut pulmonem ſolum. Ambulatio quidem & curſus propria ſunt crurum exercitia, ἀκροχειρισμοὶ & σκιαμαχίαι autem manuum: lumborum verò aſſidue ſe inclinandi & erigendi, aut cum pondus aliquod è terra attollimus, aut omninò, cum geſtamus pondus aliquod.

2. Quidam enim deponunt ante ſe halteras à dextris ſiniſtrâ, veluti à ſiniſtris dextrâ, ipſi inter ſe ulnam diſtantes, mox in medium progreſſi, dextrâ quidem tollunt ſiniſtros, & viciſſim ſiniſtrâ dextros, inque locum ſuum reponunt utrumque. Hoc faciunt deinceps ſæpe, in eodem firmi veſtigio. Hic motus præcipue exercet obliquas ſpinæ partes, quemadmodum prædictus rectas.

3. Thoracis autem & pulmonis maximæ reſpirationes ſunt propria exercitia illarum partium, quemadmodum intenſiſſimi clamores, præter dictarum, inſtrumentorum vocalium. Relatus eſt autem catalogus illorum in libris de Voce.

4. Et quoniam huc ſermonis devenimus, non erit abſurdum de omnibus animalis partibus tractare, quæcunque motus proprios habent, (eosque conſpicuos) & quæ exiguos, obſcuroſque. Item, quæ per ſe moventur, quæ ab aliis.

5. Etenim hæc res non mediocre dubium movebit penes gymnaſtam, ut re ipſa demonſtret, omnes partes aliquando quidem proprio cieri motu, aliquando autem alieno. Actiones enim voluntariæ omnes ſunt propriæ muſculorum, nervorum & tendinum. At verò cum vehementiores fiunt ſe ipſis, dictas partes primo quidem & maxime exercent: per accidens autem quoddam etiam arterias.

6. Oſſa autem, venæ, carnes, ligamenta, & omnes aliæ animalis partes commoventur prædictis: aliæ autem animalis partes, quæ non voluntariæ ſunt, ſed natura-

naturales, aut quæ etiam in perturbationibus animæ fiunt, duplices quidem genere ſunt, alteræ quidem cordis & arteriarum, alteræ autem venarum & hepatis, & rurſus harum quidem præcipuè, poſteà autem aliarum partium omnium.

7. Omnes enim gubernantur quatuor naturalibus facultatibus. Arteriarum enim & cordis motus nunquam deficit totus, licet interim & augeatur & minuatur ſecundum magnitudinem & parvitatem, velocitatem & tarditatem, obſcuritatem, idque ob multas cauſas, quas omnes in libris de cauſis pulſ. memoravi: nunc ſufficiat prima tantum capita earum dixiſſe.

8. Mutationis igitur pulſuum una cauſa eſt, auctio & imminutio caloris nativi: altera eſt alteratio ſecundum quantitatem caloris illius: tertia ſecundum robur & debilitatem facultatis: quarta, ſecundum affectus inſtrumentorum. Sed de his dicendi tempus nunc non eſt. Sub his enim affectibus jam ægrotare animal neceſſe eſt.

9. Omnes verò aliæ pulſuum alterationes fiunt etiam in ſanis, ſecundum quidem magis & minus caloris innati, ſecundum item anni tempora, alimenta, cibos, balnea, frictiones, ſomnos, vigilias, perturbationes animi, motusq; voluntarios. Item, ſecundũ alterationes ſpiritûs animalis, in differẽtiis motûs animalis. Item ſecundum facultatis robur & debilitatem, in bonis, maliſque corporis temperaturis, cordis & arteriarum. Venarum autem actiones cum omnibus aliis inſtrumentis, quæcunque propter alimenti diſtributionem facta ſunt, ſecundum cibos & potus variant, diſtributiones, coctiones, nutritiones. Hujus laboris partem aliquam capiunt ſibi arteriæ quoque.

10. Qui verò motus non ſunt actiones, harum triplex eſt differentia. Quædam enim ex ſe ipſis innaſcuntur animalibus: quædam extrinſecus accedunt: quædam à medicamentis fiunt. Ex ſe ipſis ſunt, quas anteà dixi: extrinſecus, quæ in navigatione, equitatione, geſtatione, vehiculis, lectulis, penſilibus, cunis agitatis, quæque infantibus in ulnis nutricum. Ab exterioribus fit etiam frictio, ſive ἀνάτριψιν cum veteribus appelles, ſive τρίψιν abſque ἀνά, cum recentioribus. Nihil enim refert quoad præſentia.

11. Quædam enim motus ſunt miſti, ut equitationes. Neque enim ut in vehiculis, maxime iis, in quibus reclinantes quieſcimus: ita & in vectatione equi contingit, concuti tantum ab equo nihil agentem: ſed ſpinam rectam habere oportet, & femore utroque adhæreſcere lateribus equi, & extendere crura, & proſpectare prorſum.

12. Sic enim & oculus exercetur, & collum eſt in opere. Præcipuè autem in hoc exercitio quatiuntur viſcera, ut & in ſalientibus, quod evenit etiam curru vectis, ſed minus. Quare ſi quis viſcera diaphragmati vicina vehementius concutere vult, his ſe accommodet laboribus, prætereaque iis, quæ fiunt circumjecto circa collum brachio. Oportet autem eum, qui fricat, ſtare à tergo, manusque in circulum circumagere, modò dextrorſum, modò ſiniſtrorſum, eo, qui fricatur, ſemper ſe accommodante actionibus ipſius.

13. Ea enim, quæ ſunt infrà diaphragma viſcera, cum diaphragmate moventur & hac ratione fiunt maximæ, cùm reſpirationes, tùm voces, quemadmodum & ἐκφυσήσεις, tàm, quæ ſeorſim fiunt, quam quæ in cohibitione ſeu interceptione ſoni in tibia & voce.

14. Ipſa etiam cohibitio ſpiritus eſt exercitium muſculorum non ſolùm abdominis, ſed & thoracis. Sed de hac iterum dicetur. Præter enim alios uſus etiam hunc habet, cujus gratia in fine exercitiorum illam adhibemus. Ut verò ad propoſitum redeamus ſciendum eſt, Non paucos partium animalis motus, nec actiones eſſe partium ipſarum, nec ſequi actiones, ſed fieri per alia & ab aliis, ut in vehentibus fit, & navigantibus, & qui frictionibus ſubjiciuntur, & qui purgantur, vel vomitoriis, vel ſubductoriis.

15. Sed hic motus non pertinet ad artem ſanitatis tuendæ: ſed alii omnes, & præcipue, qui per frictiones, qui ſanis maxime neceſſarius eſt. Hujus enim artis ſcientia eſt, complecti omnium motuum facultates, quemadmodum puto, artificum ipſorum motus poſſe applicare particulares. Illi enim materiæ varietatem nôrunt: gymnaſta autem facultates novit.

16. Si quis igitur imperarit mihi ſimulacra motuum armatorum aut alium docere, aut ipſum cum pompa inſtituere, non poſſim vel unum aliquem rectè obire: ſed ſi adeſſem alteri, tale quid tentanti, & quam facultatem illa haberet, & quam partem exerceat: præ aliis omnibus melius ſcirem. Præcipuè, ſi dicenda eſt rei veritas, qui arma fecit, ὁ ὁπλομαχικός, nihil poſſet dicere de facultate exercitii illius: qui verò artem gymnaſticam profitetur, ille ſciverit omnes, & transferre poſſit ad uſus determinatos.

17. Aut enim violentæ ſunt, aut graves, aut robuſtæ, aut leves, aut celeres & contentæ, aut violentæ ſimul & breves. Hæc omnia primo ſtatim aſpectu dignoſces, cum fiunt, & prætereà, quæ actiones crura potius, aut manus, aut thoracem exerceant: quæ lumbos aut caput, aut ventrem: quæ quamcunque aliam partem.

18. Ὁπλομαχικὸς enim bono quidem rythmo moderabitur motus ſuos, tardos (ſi ita contingat) robuſtos ſimul & graves: interim neſcibit, denſane, an gracilia faciant corpora, ut & utrum tardiores carne impleant, an rarefaciant.

19. Ad eundem modum inſtituet quidem aliquando motus robuſtos ſimul & graves: interea tamen non novit, quod concilient corpori robur & gravitatem. Ita & auriga omnes particulares actiones curabit fieri tales, ut & recte fiant, & multum proficiant: quæ autem ex illis carnem aut faciunt aut adimunt, quæ robur, viresque augent, quæ corpus vel molle, vel durum efficiunt, quæ denſum aut rarum, omninò ille ignorat.

20. Ad eundem iterum modum, qui in ſphæriſterio verſatur, novit quidem omnes pilæ jactus, & quomodo excipi debeant: non tamen quam diſpoſitionem in corpore ſinguli efficiant.

21. Ita etiam pædotriba ſcit omnes palæſtræ actiones: quid autem ſingulæ operentur, ignorat. Ut in ſumma dicam, Omnes homines, ſive ii artifices ſint, ſive non ſint, quos corpore ſumunt labores, actionum facultates non capiunt, ſaltatores, nautæ, architecti, piſcatores, agricolæ, fabri ferrarii, ſutores, omnes in univerſum, qui agunt: ſolus gymnaſta, ab iis orſus, à quibus paulò ante dixi, etiamſi jam primùm videat actionem aliquam, non ignorabit facultatem ipſius. V.g.

22. Saltatorum robuſtiſſimi motus, in quibus validos ſaltus obeunt, in orbem rapiuntur, converſi celerrimè, genibusque innixi exſiliunt, crura modò attrahunt, modo diſpeſcunt plurimum, atque, ut ſemel dicam, cum ocyſſimè moventur, faciunt corpus tenue, muſculoſum, durum, denſum, uno verbo, robuſtum.

23. At verò cum modicè cientur, & tardos, molleſque cient motus, non modò nihil tale fit in corpore, quod jam dictum eſt: ſed etiam, ſi naturâ muſculoſum ſit, robuſtumque, contrariam dat diſpoſitionem.

24. Quod verò paulò antè dixi, pædotriba miniſter eſt Gymnaſtæ talis, qualis Medico coquus. Hoc jam etiam dictum eſto. Coquus enim præparat aut betam, aut fabam, aut ptiſſanam, aut aliud quid alio modo, neque ſcit, quâ facultate ſit præditum edulium ipſius, aut quæ præparatio præſtet: Medicus nullam præparationem novit, ut coquus, ſed quovis modo præparati facultatem novit.

COMMENTARIUS.

25. In t.5. maximum latet ulcus. Cum enim t. præced. propoſuiſſet, ſe de motibus propriis acturum, non continet ſe intra terminos. Nimirum, proprii motus ſunt inſtrumentorum tantum, ſeu partium diſſimilarium: partibus verò ſimilaribus debentur communes.

26. Hinc in dubium vocatur motus accidentarius arterium, de quo in ſequentibus. Obſcurus verò etiam motus venarum eſt, vel ideò quia conceditur συγκινεῖσθαι tantum, ut oſſa. Augetur difficultas. Apud Ariſtotelem omnes venæ moventur, quia ex corde dependent. Sed latet ille ſub homonymia, qua apud ipſum etiam arteriæ continentur. Quâ evoluta, cum à Chirurgis venam ſecturis quæritur, deprehendantne illas motu aliquo? reſponſum dant dubium: Aliquo, ajunt, quem ſcilicet habent à συναναστομώσει cum arteriis. Hoc verò non quærebatur: ſed ſimpliciter, Habeantne pulſum, qualem arteriæ? Et negatur, quia hepar non habet ſanguinem in lacu ſeu ventriculo, ut cor habet. Et conſenſus eſt Anatomicorum, ſufficere illis συγκίνησιν, quam dant illis συγκίνησις arteriarum συναναστωσῶν.

27. Difficultatem auget, quod t.7. præteritâ hac cauſa motus, contentus eſt facultate expultrice, unâ ex quatuor naturalibus miniſtrantibus. Cui ſtatim objiciam, Atqui illa inſenſilis eſt?

29. An fluctuationis Galen. ſignum aliud eſt, quod extremo t.9. mutat in uſu arteriarum, ſanguinisque contenti?

CAPUT XII.

1. GYmnaſtes igitur propoſiti adoleſcentis, illius, qui optimam habet conſtitutionem, ſcit quidem facultatem omnium exercitiorum, eligit verò ex omnibus, quæ ſymmetra ſunt & media inter utrumque extremum. Conſtitutio enim corporis optima nō indiget exercitio vel acuto, vel tardo, ſed medio & moderato. Eâdem ratione neq; violento & vehementi, ut neque obſcuro & ignavo: ſed & heic moderatum eſt optimum. Non enim mutare oportet optimam conſtitutionem: ſed cuſtodire.

2. Sive igitur in armis exercitare volet hic gymnaſtes puerum ſuum, peritiſſimum quemque materiæ hoplomachicæ aſſumat, omnesque jubeat illi demonſtrare. Poſteà ipſe eliget, & judicabit, & ſtatuet, in quibus utplurimum exercendus ſit, in quibus vel rariuſcule, vel parum, vel omninò non, vel ſemper.

3. Neque enim latere illum poteſt, neque quid ſingula in ſingulis partibus efficiant, neque quæ ſit ſingulorum vel qualitas, vel facultas. Si verò pilâ exerceri volet, inveniet heic quoque tàm ſpeciem actionum, quam qualitatem & quantitatem, adſcito ſibi adminiſtro ſphæriſterii præſide, ſuper omni actionum materiâ.

4. Gymnaſtes enim quà talis eſt, inexpertus è materiæ particularis: quam tamen ſi ſemel viderit, ſtatim noverit & qualitatem & facultatem. Infinitos enim nos, habentes partes debiliores, ut creberrime morbis caperentur, ſolâ gymnaſticâ reſtituimus, non removentes à propriis exercitiis, ſed ſive ſaltator erat homo, ſive ὁπλομαχικὸς, ſive pancratiaſtes, ſive palæſtrites, ſive quicunque alius, mandavimus illi, exerceret ſe in præſentiâ noſtrâ, eligentesque ex illis commodiſſimas actiones, unà cum tempore, quamdiu continuare deberet, (in melius collocavimus.)

5. De his correctionibus omnibus diſſeram in ſequentibus, illâ parte hujus tractatus, in quâ agam de pravis temperamentis. Nunc enim incolume ſervo, quod optimum eſt.

6. Oportet autem eligere ex omnibus, quod ſymmetrum eſt, ex frictionibus, ex exercitiis, ex balneis, ex alimentis, ex ſomno, ne corpus vel mollius fiat, vel durius. Mollior enim habitus facit, ut corpus cauſis externis magis obnoxium ſit: durior augmentum impedit. Hic etiam facit, ut denſior cum ſit, inhibeatur depoſitio excrementorum tertiæ coctionis: contrarius rariorem facit, ut quid boni etiam effluat.

An παρερμηνεύει Galenus?

7. Eodem

7. Eodem modo neque tenuius fieri debet corpus, neque craſſius, ſiquidem anteà bene erat diſpoſitum, conſiderantes, quod gracile quidem facile offendi poterat ab externis cauſis: craſſum autem ab internis, ex ipſo corpore dependentibus.

8. Quid dicam? Ne calidius quidem, frigidius, ſiccius, humidius eſt exhibendum, ſi temperamentum erat inculpabile. In talibus igitur corporibus non niſi unicus ſupereſt ſcopus in omnibus materiis ſanis, ſymmetrum & moderatum, quod exquiſite eſt medium inter extrema.

9. Hunc ſcopum quò facilius quis attingat, dictum quidem anteà eſt: ſed nihil obſtat, quò minus ſæpe repetantur, quæ maxime neceſſaria ſunt. Prima quidem dies confuſiorem habet conjecturam; ſecunda verò & tertia & quarta, & conſequentes reliquæ deinceps accuratiorem. Prima enim die omnia iſta à te fiant, exſuatur non antequam optima coctionis ſigna in urina apparuerint, ut Ægimius juſſit. Deinde, frictionis hic finis eſto, ut partes ſint molles. Hunc aſſecutum nos eſſe indicio nobis erit, ſi & rubeant, & facile flectantur, & ad motus omnes ſint faciles.

10. Poſt hæc exercitium ineatur, uſque dum corpus intumeſcat, & floridum ſit, motusque faciles, & æquabiles edat. Intereà & calidum ſudorem animadvertes vapori admiſceri, & tum fere ſiſti eum, cum mutatum fuerit aliquid eorum, quæ dicta ſunt. Tu puta, cum tumor corporis contractior fuerit, oportet dimittere puerum. Si enim perrexeris, evacuabis etiam quid boni, & corpus apparebit tibi gracilius, ſiccius, humiliusque.

11. Eodem modo ſi corpus non amplius tam floridum fuerit, quiêſſe oportet. Refrigerabis enim, & diſcuties plurimùm, ſi ulterius exercebis. Jam & motuum agilitas, & proportio rhythmi conſtans. & æquabilitas, ſi videatur remittere, & aliquatenus claudicare, ſtatim deſinere jubet. Aut, ſi circa ſudorem fiat mutatio quædam, aut in copiâ, aut in qualitate. Nam quò validiores fiunt motus, eò copioſiorem fieri ſudorem par eſt & calidiorem. Quando igitur ſudor ſit parcior aut frigidior, corpus exſolvitur & refrigeratur, & plus æquo ſiccatur.

12. Propterea gymnaſtes diligenter obſervet in corpore, ut quieſcat, cum tale quid apparuerit ſignum, non quidem ſtatim dimittere ad balneum, ſed exſpectare ἀκμὴν exercitii, & ſuſpendere. Si velis, poſſis implere ilia cohibitione ſpiritûs, & affuſo oleo finem imponere exercitio. Quid verò ſit ἡ ἀποθεραπεία, qui ſcopi ipſius, quis modus, quibus perficiatur motibus & frictionibus, ſequenti libro manifeſtabitur. Jam enim videor mihi poſſe interjungere, cum liber ſatis grandis ſit.

13. Hoc duntaxat addam, balneum exquiſite temperatum in hac ætate & naturâ locum habere. Inſtat enim, ſi recte meminimus, tertius annorum ſeptenarius à prima generatione, h.e. ætas quatuordecim annorum, uſque ad 21. quo nondum permitto puerum meum uti balneo frigido, ut augmentum duret quam

diutiſſimè. Ubi autem ſuam in magnitudine longitudinem adeptus fuerit puer; conſiderabimus & hoc negotium.

14. Eodem modo de volutatione in pulvere agemus accuratius in ſequent. In præſentia hoc dixiſſe ſufficiat, puerum meum ne opus quidem habere pulvere, ſi domum habeat eo, quò dixi, modo præparatam. Si calidior ea fuerit, etian pulvere utendum. Hujus conſequens eſt, ut omninò balneo etiam utatur. Si non volutetur in pulvere, fieri poteſt, ut careat balneo, maxime, tempor hyberno.

15. Deinceps cogitare oportet præſidem pueri, de cibo & potu, ſomno & deambulationibus. Et dicetur quidem in ſequent.: ſed impoſſibile eſt ſtatim aſſe qui primo die, ſed ſecundo, ubi didicerit quis, quot opus ſit exercitiis, ſiquiden conſtans fuerit natura pueri, idem ſervabitur & in diæta, & in exercitio: ſi con ſtans non ſit, quantum abfuerit ab antiquo, tantum reducere tentabit, mutat ſemper menſura. Et hoc non deſinet facere antequam ad ſummum pervenerit. Quot autem ſint, & quæ exorbitationes, & quomodo agnoſcantur ſingulæ & curentur, ſermo proximus explicabit,

COMMENTARIUS.

16. Nemodum obſervavit, Galenum præteriiſſe correctiones pravoru temperamentorum, de quibus t. 5. Nemodum etiam vidit, quid ſit ἀποθεραπεία t. 12? Interim lege *l. ſeq. c. 2. & 3.*

FINIS ὑγιεινῶν LIB. II.

GALENI ὑγιεινῶν LIB. III.

CAPUT I.

1. TAm Medici, tàm Gymnaſtæ, qui ſcribunt de ſanitate tuendâ, quida omnibus hominibus communia conſilia fecerunt, nihil plane ſoliciti de ſpecialibus corporum noſtrorum differentiis: quidam, quod non parum invicem differimus, docuerunt. Quod autem impoſſibile ſit omnes explicare differentia ultro tacuerunt: pauci quidam eorum tentantes diſtinguere in genera & ſpecie in pluribus errarunt quam vera aſſecuti ſunt.

2. Nos ſtatim in primo libro aperuimus, quot numero ſint corpora huma na, & promiſimus ſingulatim, ſeorſimque ſcripturos eſſe conſilia pro ſanitat tuenda. Initium autem fecimus ab eo corpore, quod conſtitutionem habet ir culpabilem. Quia verò is quoque homo negotiis occupatus eſt, & volens, ne

lens impeditur in victu, conſultum putavi primum ſupponere, plane ſuæ ſponte eſſe, & vacare ſoli ſanitati.

3. Hunc igitur hominem quomodo in victu regere oporteat, primus liber docuit, extendens curam ſuam uſque ad annum ætatis 14. Quomodo autem ad conſtantem ætatem producendus ſit, ſecundo libro expoſuimus. Excurrit autem ſermo in præcepta quædam communia artis tuendæ ſanitatis, & ad ea pervenit, ſine quibus exquiſitè tradi nihil poterat de propoſita ætate & natura. Enumeravimus enim omnes & frictionum & exercitiorum differentias, ſed non profectò particulares, niſi παρέργως & exempli gratia in uſum venientes, verùm generibus & ſpeciebus determinatas.

4. V. g. in frictionibus, in duram & mollem, & ante has moderatam, exponentes quam facultatem habeant. Sic in exercitiis, quam habeant vocata acuta & celeria: quam hebetia & tarda; quam horum media & prima & ſecundum naturam. Ita, quæ robuſta & gravia ſint, mollia & levia ſimiliter, quæ item inter hæc media, exponentes monſtravimus, quo modo cibandi ſint, qui nacti ſunt optimam conſtitutionē inter media & moderata, quæ etiam μέσα vocantur inter immoderata, & in frictionibus, & in exercitiis, & in balneis, & in balimentis, & in aliis, quæ ad ὑγιεινὰ pertinent.

5. Promiſimus autem, quemadmodum in frictionibus & exercitiis fecimus, facturos nos in aliis omnibus, tu puta nos reducturos hanc theoriam ad communia quædam præcepta, ut doctrina ſit & methodica & memorabilis, & primùm quidem acturos de ἀποθεραπεία vocata, quod ea primo loco ſub manus nobis venerit. Significantes enim quousque extendenda & adaugenda ſint exercitia, ut ad id, quod ſummum & perfectum eſt, deveniatur, diximus, tum demum ſequi debere τὴν ἀποθεραπείαν.

CAPUT II.

1. UNum igitur heic primo loco conſiderandum eſt, ἀποθεραπείαν eſſe genere duplicem, unam, ut partem exercitii: alteram, ut ſpeciem. De hac deinceps dicam: de illa jam dixi, quod omnis exercitii perfecti ultima pars ἀποθεραπεία vocatur, cujus duo ſcopi, & vacuare excrementa, & præſervare à laſſitudine corpus.

2. Primus igitur & communis ſcopus in omni exercitio erit is, quem athletæ propoſitum ſibi habent, omnesque, qui opus aliquod ad vitam neceſſarium ſibi proponunt, ut, qui fodiunt, iter faciunt, remigant. Proprius autem apotherapiæ eſt ſatagere ut prohibeantur laſſitudines, quæ immodicis exercitiis ſuccedere ſolent. Et athletis quidem præſtò laſſitudines ſunt, niſi quis apotherapiâ utatur. In propoſito autem nunc libro corpus, quod & optime conſtitutum eſt, & à ſervitute omni alienum, raro ſe oſtendunt laſſitudines.

3. Quem-

3. Quemadmodum igitur athletæ, etiamſi validiſſime exerceantur, laſſitudinem non metuunt, niſi ad extremum id devenire cogantur, quod τὸ τέλειον ipſis vocatur: ſic neque liberi metuent, valetudinis gratia exerciti, quod eo usque neceſſitatis non perpellantur.

4. Athletæ autem debent, ut præparent ſua corpora ad labores illos immodicos, ſæpe per totum diem tolerandos, exercere exercitium illud perfectiſſimum, quod κατασκευὴν nominant. Solius autem valetudinis gratia ſe exercentes, neque indigent illo, neque uſui illis eſt ad nimios deduci labores. Quare etiam laſſitudinis metus non eſt. Interim provideri illis oportet ἀποθεραπεία, ſi non metu laſſitudinis, ſed vacuationis excrementorum, cui ex abundanti accedit ſecuritas à laſſitudine.

5. Nam etſi ſubſiſtere intra modum exercitii ſit illis pro remedio laſſitudinis; & actionis modus absque violentiâ: tamen fit aliquando, ut gymnaſta pervideat modicum quid, quod neglectum, ſi non magnam cauſetur laſſitudinem, mediocrem tamen.

6. Minime verò oportet eum, qui ſibi vivit, & ſoli operatur ſanitati, lædi vel minimùm. Quare tutiſſimum eſt ἀποθεραπεία uti quovis tempore. Qualem verò adhibere oporteat, indicabit ſcoporum natura. Quoniam enim propoſitum nobis eſt, ſolidarum partium excrementa, quæcunque excalefacta & tenuata ſunt ab exercitio, intra corpus adhuc ſtagnant, accurate oportet illa vacuare, cùm per novas & robuſtas frictiones, tùm per vocatam ſpiritûs cohibitionem.

7. Quandoquidem autem neque una omnium frictionum ſpecies eſt, neque una cohibitionis ſpiritus: operæ pretium fuerit ex utroque hoc exercitio eligere optimum, utiliſſimumque. Ut me explicem, Oſtenſum mihi eſt, frictiones duras colligare, h.e. præſtare corpus denſius, duriusque. Quare hæc frictio propoſito nobis corpori haudquaquam convenerit, ſiquidem verum eſt, quod denſatum eſt, concludere aliquid intra ſe: quod rarefactum, ſinere diffluere excrementa: ſic, quod durum efficit, contrariiſſimum fit iis, quæ denſa ſunt, (auget enim diſpoſitionem illorum,) quod mollefit, aptiſſimum.

8. Igitur ſi dirigenda ſimul eſſe excrementa indicantur, ſimul denſa mollienda, vitare oportet duras frictiones: nihilo tamen minus cavendum eſt à tardis. Quia enim corpus non amplius movetur ex ſe, periculum eſt ne refrigeretur & denſetur, quia ab externis calorificis nihil illi ſubſidii.

9. Quare non ſolum celeres oportet adhibere frictiones, ſed & pluribus quam fieri poteſt manibus, ne ulla pars ſit nuda. Sed enim quia nec tarda locum habet frictio, ne dura, oportet corpori fricando multum affundere olei. Hoc enim confert frictioni, & ad celeritatem, & ad mollitiem, Imò, accedit ab illo magnum aliud bonum, exſolvit tenſiones, & mollit partes laborantes ob vehementiores actiones.

10. Pro

10. Propterea fugere oportet duram frictionem: propter alia quædam etiam mollem. Non enim penetrat in fundum hæc talis frictio, ſed ibi circa regionem cutis & vicinas carnes exſolvitur, neque exprimit circa exiguos poros contenta excrementa. Ideò aſſumimus & coextenſionem frictarum partium, & ſpiritus cohibitionem.

11. Quæ igitur media eſt frictio inter duram & mollem, quæ ipſa moderata eſt, declinâſſe videtur, hinc quidem ignaviam mollis: illinc autem violentiam duræ, & inde prodeuntem noxam. Ea verò fiet, fricantis quidem manibus fortiter injectis, ut quodammodo vicina fiat duræ: ob copiam autem olei, & motûs celeritatem ita exſolutis, ut exquiſitè moderata fiat. Olei enim copia non parvum remedium eſt violentæ contrectationis: brevitas autem temporis, quo durat, tantum aufert violentiæ, quantum aufert tempus ipſum.

12. Cenſemus autem, dum fit frictio, tendendas eſſe partes ideò, ut per cutim evacuetur quidquid excrementi inter cutim & ſubjectam carnem ſtabulat. Cum enim & cutis & caro laxa ſint, fiet, ut non magis extrorſum feratur quam introrſum. Ubi autem tenſa ſunt, quæ ſub cute, omnia foras exeunt, quaſi preſſa duabus manibus, unâ quidem fricantis foris injectâ: alterâ autem intus tenſarum partium.

13. Propter hæc ipſa & ſpiritûs retentio non eſt pars exigua ἀποθεραπείας. Vocatur ita, quia intendentes & quaſi prorſum pellentes omnes thoracis muſculos, exſpirationem ſiſtimus, intercoſtalibus (quaſi freno) inhibitis. Evenit enim tunc, ut ſpiritus deorſum latus ad diaphragma, prohibitusque ſurſum abire propter clauſum laryngem, faciat attolli ſimul cum diaphragmate hepar, lienem, ventriculum, & alia quædam. Eo tempore leviter contendere oportet abdominis muſculos, ut quaſi manibus duabus premant ſubter contenta viſcera, & pellant contentum in ſe excrementum.

14. Interjacent autem hepar, lien, ventriculus, & coli pars ut & inteſtinorum tenuium protuberans. Loca autem, recipiendis excrementis parata ſunt jam dicta, viſcera. Hoc in opere ſi prorſus otioſos dimittas abdominis muſculos, nullius quidem ibi viſceris excrementum vacuabis: quæ verò in thorace & pulmone, transferes in abdomen. Præſtat autem hoc fieri quàm ibi manere, quantò melius eſt abdominis excrementa per alvum exire quam per thoracem. Illa enim facilè aut per vomitum eunt, aut per ſeceſſum: hæc cum violentiâ per tuſſim ejiciuntur.

15. Ita quidem eſt, ſi quis utatur eodem robore in intendendis abdominis muſculis, quo in diaphragmate in καταλήψει, accuratius expurgabuntur, quæ infra thoracem ſunt, nihil autem ex thorace in abdomen transferetur, ſed omnia in thorace ſubſiſtent. Quapropter hanc catalepſin nunc non probo, & tum inprimis, ſi quis ne intendat quidem diaphragma, fortiter autem & violenter agat muſculis abdominis. Neceſſariò enim ſpiritu & ſanguine turgeſcunt tunc vaſa

colli; & feruntur excrementa ſurſum, & ad caput, non autem deorſum & ad ventrem.

16. Hoc videmus in tubicinibus, ſi fortiſſimè & acutiſſimè inflent. Totum enim collum intumeſcit, facies tota turgeſcit, caput evidenter impletur, quia in eodem facto intenduntur & muſculi abdominis, cedente ipſis diaphragmate. Eſt enim tota hæc actio, ut in libris de Voce oſtenſum eſt, miſta & compoſita ex maxima exſpiratione & ſpiritus cohibitione. In magnis enim efflationibus cum maxima fiat exſpiratio in vehementiſſimis intenſionibus muſculorum intercoſtalium, unà cum iis, qui in abdomine; in ſpiritus autem cohibitione cum fiat eadem intentio utriuſque ordinis muſculorum; nulla contrà in exſpirationibus; in tubicinibus, autem & acutè vociferantibus, muſculis, neque tamen accuratè retenta reſpiratione, neque etiam factâ, ſed mediam habente conſtitutionem.

17. Ita fit, ut trium actionum, habentium communem quidem muſculorum tenſionem; propriam autem in vehementibus efflationibus celerem ſpiritu ad extra lationem; in cohibitionibus autem cohibitionem ipſam; in tibiarum inflatu & vocibus, mediorem vacuationem.

18. Cauſa autem trium harum actionum in larynge eſt, apertâ quidem plurimùm in magnis efflationibus: exactè autem clauſâ cohibentibus ſpiritum: mediam autem naturam habente in iis, qui vel tibia canunt, vel acutum quid ſonant. Sed de his neceſſitas nos coget, ut iterum dicamus l.5. quà de ἀναφωνήσει.

19. At verò cohibitio ſpiritûs quæ ad ἀποθεραπείαν neceſſaria eſt, attolli abdomen, tenſis quidem omnibus thoracis muſculis: remiſſis autem abdomini cum diaphragmate. Ita enim deorſum ferentur excrementa. Secundo autem loco eſt ἀποθεραπεία illa, quæ mediocriter intendit abdominis muſculos, ut juventur ab illâ viſcera, quæ ſub diaphragmate. Ob hæc fient etiam nodi, quos faciunt, qui poſt frictorem ſtant, circa ventrem totum manum utramque circumducentes. Alios, qui loco anterius ſtantes tergo provident, circumactis manibus. Alios, qui lateribus & ſpinæ, ſternæque, cum, qui fricatur, ſimul convertitur cum fricante. Circa lumbos fiant ſimiles nodorum circumjectiones & circumactiones, coextendente ſe ſimul fricante, non autem ſemper convertente ſe etiam.

20. In ἀποθεραπείᾳ enim non oportet ſint continui motus, certè non ſemper vehementes: ſed ſatis eſt eſſe aliquos, & ex intervallo. Motus enim contin & vehementes conveniunt perfectoriis exercitiis: ἀποθεραπείας propriæ ſunt, q neutrum habent. Quare ſæpe volvatur, ſæpe protrudatur, ſæpe mutet unà exercitum. Sæpe quin etiam à tergo ſtans, alterum gymnaſtæ crus amplectatur, cum intenſione non continuata, ab aliis commode fricetur. Hac ratione & conſervâr auctum jam in exercitatis calorē, & excrementa propriis intenſionibus & motibus. Ad hoc non parum mihi conferre & ſpiritus retentio. Pulſus enim und quaque in tenues poros cogitur deorſum ire, & ſi pluſculum urgeatur & pre

pell

pellatur, pertranſire illos omnes, efferens ſecum aliquid attenuatorum excrementorum.

21. Sic fit ut tenues pori partium fiant inſtrumenta expurgatorum excrementorum, mediante vehementiore inſpiratione. Nam quantum fertur prorſum, per vim coactum, tantum, hæc quidem pelluntur ab illo, illa autem unà trahuntur, volentia tranſigere totum iter. Et truduntur quidem, quæ ante ſunt: trahuntur autem, quæ ad latera, impetu lationis utrinque promota.

22. Ideò Gymnaſtarum optimi quique exercitiis interponunt cohibitionem ſpiritus, quemadmodum etiam frictionem hanc ἀποθεραπευτικὴν, ſimul quidem interquieſcentes, cum incipiunt moleſtiam ſentire: ſimul autem ſenſim expurgantes poros, ut perſpirabile & purum ſit corpus ad ſubſequentes labores. Nimirum, Gymnaſtæ metus nullus eſt, ne plus obſit obſtruendo poros quam expurgando. Ita enim eſt, vehementiores excrementorum motus ſolent habere contrarios effectus, pro temporum & circumſtantiarum diverſitate.

23. Obſtructiones quidem, cum, quod ad viſcera fertur, & confertum & craſſum & multum eſt: Purgationes autem, cum paucum eſt & tenue, nec valde urget & cogit ad excretionem confertam & ſimultaneam. Apparet enim tale quid fieri in exterioribus inſtrumentis & facturis omnibus. Abluitur enim quid & abſtergitur omne ſuperfluum, non, cum exeuntibus adhuc prioribus, alia violenter ſubſequuntur (periculum enim tum eſſet, ne quaſi cuneo adacta & inferta ea, quæ exire debebant, obſtruant ſibi viam:) ſed quoniam, vacuatis prioribus, alia rurſus vacuantur: & quid de minoribus admiratione dignum eſt? cum ex theatris exeuntes ſimul multi, ſe impediant invicē. Ideò laudo eos, qui in mediis laboribus ἀποθεραπείᾳ utuntur, & maxime in iis, qui exercēt athletas βαρεῖς dictos.

24. Sed de his iterum: qui autem nunc proponitur nobis homo, non athleticam propoſitam ſibi habet ſanitatem, ſed ſimpliciter ſanitatem. Non eſt igitur opus illi multis carnibus porcinis, aut panibus talibus, qualibus veſcuntur athletæ, qui βαρεῖς dicuntur. Quare nullum heic periculum obſtructionis pororum, ſi recte præparentur, h.e. apta frictione & laboribus, qui ex parvis incipiendo paulatim creſcant. Athletis verò grave periculum imminet, propter & qualitatem & quantitatem ciborum, niſi omnia recte fiant, ne pori obſtruantur potius quam expurgentur.

CAPUT III.

1. VErum, hæc mihi ſufficiant de ἀποθεραπείᾳ: eamus ergò deinceps ad balnea, tantùm de dictis à nobis monentes, Si quis poſſit paucioribus complecti, is demum accuſet prolixitatem noſtram. Si quis contrà præterire auſit, aut theorema aliquod neceſſarium, aut quod pertineat ad confirmationem illius, breviter putet ſe abſolviſſe ſermonem, is non propterea admiretur ſe, ſed pudeat potius brevitatis. Ego verò ſi poſſem etiam integrum librum de ἀποθεραπείᾳ ſcribere, non putem me rectè facturum, cujus propoſitum eſt velle me pleraque quæ huc trahuntur, ſcribere.

2. Si autẽ deſcenderem ad refutationem eorũ, quæ male heic dicuntur à pleriſque, non parum materiæ neque illius inutilis haberem ad producendum ſermonem. Verum, ex iis, quæ dixi, occaſionem habebunt ii, qui mentem habent refutandi contradictiones aliorum. V.g. cum Aſclepiades dicit, Cohibitionem ſpiritus implere caput, licet ei reſponſionem parare ex diſtinctione, quam attuli.

3. Eodem modo in ſecundo libro, ubi de ſingulis exercitiis ago, integrum mihi erat amplificare ſermonem in immenſum, quemadmodum alii fecerunt, & inter cæteros rectiſſime Theon Alexandrinus. Quatuor enim hic ſcripſit libros de exercitiis particularibus, quod mihi facere licebat, qui exercitatior in ſcribẽdo ſum ipſo, & addere etiam alia, quæ in opere quid commune habent. Ille enim hunc ſibi ſcopum unum propoſuerat exercere athletas. Licet autem aliis ad alias etiam artes ſermonem transferre. Ego me excuſare volui, quod nimis prolixus fuerim in hoc negotio.

COMMENTARIUS.

4. Heic illud primum admonendum eſt, finem capitis primi incurrere quodammodo in principium ſecundi. Senſus planus eſt hic: Τὸ ἀποθεραπεία eſt ὁμώνυμον, & duo ſignificat, aliquando enim eſt quaſi pars ultima cujusvis exercitii quæ tamen reapſe eſt diſtincta in duobus: Prius enim exercitium poteſt eſſe 1. frictio vel dura vel mollis: ἀποθεραπεία autem non niſi tertia ſpecies ejus σύμμετρος Græcis dicta. 2. Poſterior eſt λιποτριβία tantum, quæ multo aſſumto oleo fit: prior poteſt etiam ξηροτριβία eſſe. Prius exercitium continuatur usque ad terminum ſuũ: poſteriori nonnunquam interponitur, in fine ſuperadditur κατάληψις τοῦ πνεύματος dicta, quam Mercurialis ex Pyrrho Ligorio deſcribit & pingit 3. Gymnaſt. 6. Cum enim in gravibus illis exercitiis præcipuè acerventur excrementa fuliginoſa thoracis, quippe in quo locus ignis naturalis, debuit illis parari peculiaris exitus.

5. Hæc cum ex hoc ipſo loco egregiè explicârit Gorræus; nec defuerit Budæus Com. Gr. linguæ, è quo H. Stephanus in Theſ.: mireris Foëſ. in Oecon. reliquiſſe nobis lacunam? Sed ita eſt. Et initialia illa obſcura ſunt: & quæ ſequuntur, judicio Gadaldini, perturbata, quia poſt reſtitutionem noſtram heic, ut & Notis in Galenum, reddita nobis ſunt, ſecuri eſſe poſſumus.

6. Sed emergit alia dica contra me, Cur tu tantoperè ſolicitus es de rebu deperditis, ubi jam etiam de verbis periclitamur? Bona verba, quæſo. Id potiu agamus, quod Medicos Romanos seriò, comperi per D. JOH. FABRUM Cæſalpini in Cathedrâ Botanicâ tum ſucceſſorem, ut reſtituatur nobis, quà pc te, Gymnaſtica illa Medica. Quam in rem jam tum, anno 1603. multa pulc erant inſtituta à CLEMENTE VIII. P.R. de quibus jam erat inceptu ſcriptum, &c.

7. Tu verò hoc etiam perpende, an in univerſum bene ſe habeat com paratio excrementorum thoracis & abdominis, partim propter na

turæ

turam ipſorum diverſam , partim propter diverſam ſtructuram ipſorum organorum.

8. Sed quid tandem Latinis eſt ἀποθεραπεία? An *Conſummatio* Plinii?

CAPUT IV.

1. JAmque adeò tempus eſt, ut de balneis agam, Quot ſint aquarum dulcium excalefactarum? Harum enim frequentior uſus eſt. Deinde frigidarum. Tandem, ſponte natarum, Thermarum vocatarum. Et harum quarundam temperatarum: quarundam ferventium: quarundam tepidarum.

2. Quædam omnimodis frigida ſunt. Dulcium aquarum facultas eſt, temperatarum quidem quædam humida & calida: tepidiorum autem quædam humida & frigida: calidiorum autem plus juſto factarum, calida quidem, ſed non æque humida. Horrent enim corpora ad contactum illarum, & denſantur pori illorum, ut ab externa humiditate non afficiantur, neque excernatur quidquam excrementi interni.

3. Sed ordiendum eſt à temperatis, quæ omnia humectant & calefaciunt omni tempore, & per ſe. Fit autem per accidens aliquod, ut aut diſcutiant humores, aut impleant corporis partes abundantiori ſucco, aut molliant, aut coquant, aut roborent facultatem, debilitentve.

4. Huc non parum facit quantitas illorum. Et licet catalogum inſtituere multorum aliorum operum, quæ conſequuntur uſum balneorum temperatorum, quorum præcipua, quæ huc faciunt, dicentur quam licet breviſſimis, rejectis aliis in tractationem morborum.

5. Quod ad negotium ſanitatis tuendæ, veniat adoleſcens noſter poſt exercitium, ut dictum eſt antea. In hoc parum emolumenti illi eſt, (omnia enim jam habet ex moderatis exercitiis, & dictâ apotherapiâ:) & tamen ſi benè proſperet balneum, fit hoc quoque ἀποθεραπεία quædam, ſiquidem mollit quidem dura & tenſa corpora: diſcutit autem ſi quid excrementi aut colliquamenti ſub cute lateat.

6. Verum neutro horum videtur opus habere noſter, inprimis non videtur ſupereſſe colliquamentum vel carnis teneræ, vel pinguedinis. Hæc enim talia ſequuntur motus immoderatos & vehementes. Jam verò vacuata ſunt omnia excrementa, & emollita ſolida corpora beneficio ἀποθεραπείας factæ. Ut potius opus ſit abſterſione ſudoris, & ablutione pulveris, ſi illo quoque uſus ſit, quam calefactione per balneum.

7. Eat igitur poſt obitum exercitium ad ſolium. Neque enim neceſſum eſt, ut in piſcinâ moretur, ut illi, qui ſine exercitio elixant ſe in aquis. Sed neque in ſolio diutius ſedeat: quin ablutus, ut dictum eſt, ad frigidam tendat. Quæ ipſa ultra mediocritatem non ſit, pro ſymmetrâ videlicet naturâ parata. Quibus enim aut valde frigidâ opus eſt aqua, aut molli, quam *Tepidam* dicam, de illa

poſteà dicam. At corpus optimè natum, quamdiu augetur, indigere, non aquâ frigida, jam antea dictum eſt, ne corporis augmento impedimento ſit: at cum jam ſatis auctum eſt, tum demum aſſuefacere illi quoq;. Firmat enim univerſum corpus, & cutim denſã firmamq; facit. Hoc verò valdè cõducit ad externas injurias.

8. Cujus conſuetudinis initium quomodo ritè quis faciat, ne à ſubitaria mutatione noxam capiat, ſcire ante omnia oportet. Quidam enim malè incipientes, à toto inſtituto ita abſterriti ſunt, ut neque rectè ordientibus obtemperare voluerint. Eſto igitur tempus quidem anni æſtas incipiens, ut conſuetudo quædam firma introduci poſſit toto illo tempore uſque ad hiemem; ſit etiam dies, qua incipiemus, quantum fieri poteſt, à ventis libera, ſit etiam diei pars calidiſſima: dubium nulli eſt, quin hæc ipſa pars calidiſſima ſit, veluti etiam quod gymnaſterium debeat eſſe temperatiſſimum. Et hæc quidẽ externorũ ſit providentia.

9. Corpus ipſum, quod vult uti frigido balneo, ita præparetur: Ætatis ratione ſit circa quartum ſeptenarium, maxime circa medietatem, eo die aut etiam nocte prægreſſa, non alteratum ulla cauſa recenti. Sit etiam conſtitutio ipſius naturalis nullatenus mutata. Sit etiam animoſus & alacris eo tempore, quo vult uti; ſi unquam aliàs, certè hoc. Primum igitur fricetur linteis fortiter, & ſint lintea duriora quam unquam uſus ſit. Induat verò frictor manicas ſubtiles, ut actio ſit æquabilior. Poſteà oleo utatur, pro conſuetudine. Mox exerceatur tamdiu quam ſolebat, ſed celerius ſe abſolvat. Deinde ita deſcendat in frigidam, non torpidus, ſed maturans actionem ſubitò inſiliens, ſcopum unicum habens, ut, quantum fieri poteſt, ſimul & ſemel totus madefiat. Nam ſenſim id feciſſe horroris cauſa eſt.

10. Sit verò aqua non tepida, non cruda, & glaciata. Hæc enim caloris repercuſſionem facit: illa autem ferit & refrigerat inſuetos, quod experientia docuit in iis, qui ſequent. diebus tale quid commiſerunt, urgente neceſſitate: at primo die diligenter oportet cavere: Cum exit aquâ à pluribus fricari debet oleo, uſque dum cutis incaleſcat. Poſt hæc cibum præbere largiorem ſolito: ſed potum parciorem. Et hæc faciat ille, etiamſi tu non juſſeris. Poſt enim frigidum balneum plus appetunt, & melius coquunt, minus ſitiunt.

11. Sequenti die ad exercitium veniunt manifeſtò habitiores. Licet enim tumor corporis ſit idem: tamen corpus ipſum eſt benè denſum, muſculoſius, robuſtiusque, cutis durior, denſiorque. Altero igitur die procedendum eſt in omnibus eodem modo. Ita tertio, quartoque. Poſt frictionem, eodem die iterum ingredietur. At ut tertium faciat, ut quidam, nolo. Sufficit enim bis feciſſe, cum ſinere poſſimus, quamdiu volumus in aquâ. Moræ experimentum capiatur ex ſingulis diebus. Si enim aquâ egrediens ſub frictionibus coloratior ſubitò evadat, mediocritatem aſſecutus eſt. Sin difficulter incaleſcat, & decolor maneat longo tempore, in exceſſu peccavit.

12. Notis igitur ex colore animum adjiciens facilè invenies, utrum idem

tempus

tempus ſit obſervandum? an potius mutandum quid vel ad majus, vel ad minus. Et de frigidâ quidem lotione ſufficiant hæc.

CAPUT V.

1. JAm igitur tempeſtivum fuerit diſſerere de correctione peccatorum, ſi quæ inciderint, quomodo fiant rectiſſime. Si enim quis conſtitutionem corporis nactus ſit quam inculpatiſſimam, liber ipſe ab omnibus vitæ quotidianæ moleſtiis, ſibique ſoli vivens: tamen impoſſibile eſt nihil committere vel ipſum, vel Præſidem ipſius. Veriſimile igitur eſt, adoleſcentem noſtrum gymnaſticum & primùm, & maximè, & tantum non perpetuò implicari peccato illi, quod *Laſſitudo* Medicis dicitur, de quâ jam multis, non Medicis tantum, & Gymnaſtis dictum, ſed & Philoſophis eſt, & inter hos Theophraſto, qui librum ſingularem de illa ſcripſit.

2. Ego verò & ibi, vaſtitatem metuens, quæ de illâ dicta ſunt quibusdam minus benè, ſuperare ſilentio volui. Rationem nominis petunt (inde enim ordiuntur) quidam ἐκ τοῦ τείνεσθαι μὲν, *tendi quidem, aut omnes corporis partes, aut eas certè, quæ laborarunt*: quidam autem ἐκ τοῦ ἐμπίμπρασθαι τινὰ, καὶ ἀνιαρὰν &c. *quaſdã, & moleſtum quendam ſenſum in motu percipere, quẽ quidam indicibilem eſſe dixerunt, quidam ulceroſum nominârunt, quidam rurſus, cum ſentimus partes veluti fractas & inflammatas. Iterum alii miſcent diſpoſitiones has ſimplices, tenſionis, ulceris, & inflammationis. Alii duas tantum dictarum diſpoſitionum, ulceroſam & tenſivam, aut inflammatam cum alterutrâ particulatim.*

3. Ut in univerſum fiant ſeptem opiniones de notione τοῦ κόπου, omnes veræ in parte, totum autem ſimpliciter falſum. Sive enim in motu ſit ſenſus ulceris, ſive inflammationis, ſive uſtionis, ſive tenſionis, ſive quædam horum conjunctim, ſive omnia ſimul concurrant, κόπος dicitur ſingularum diſpoſitionum quælibet. Hinc fit, ut ſeptem quoque differentiæ laſſitudinum ſint, ſimplices quidẽ tres, compoſitæ autẽ quatuor. Correctiones autem ita habentium corporum quædã propriæ ſunt ſecundum ſingulas diſpoſitiones: quædã omnibus cõmunes.

4. Dicetur de omnibus deinceps ſeorſim, ubi prius dixero de vicina quadam laſſitudinibus diſpoſitione, quam falſi quidam κόπον dixerunt. Hæc qualis ſit, & quibus ſignis innoteſcat, patefiet plenius, ubi invenerimus ſubſtantiam diſpoſitionum laſſitudinariarum. Hucuſque enim circa ſymptomata occupati fuimus. Videri enim *Uri* & *Tendi* partes, & quod in motu oriatur ſenſus vel inflammationis, vel ulceris, ne diſpoſitiones quidem ſunt, ſed ſymptomata.

5. Diſpoſitiones autem corporum, à quibus fiunt, ſimplices ſunt tres, compoſitæ autem quatuor. Ulceroſa fit à copiâ humorum tenuium juxta & acrium, quæ, dum exercetur quis, generatur duabus ex cauſis, aut fuſis craſſis, attenuatisque, non autem expurgatis omnibus: aut liquefactâ pinguedine quâdam, carneve tenerâ. Neceſſarium enim eſt, à talibus humoribus, cum tenues ſint & acres, pungi & quaſi vulnerari tàm cutim, quàm carnes. Hinc horror accidit, quin rigoris aliquid, cum valdè acres & multi ſunt.

6. Et

6. Et talis quidem eſt *laſſitudo* quaſi *ulceroſa* : in qua autem tendi videntur partes tantum, ſine ulceris ſenſu, In hâc excrementum non eſt, quod magnoperè attendi debeat; ſed in muſculis & nervis diſpoſitio quædam eſt, orta inde, quod in exercitio vehementius intentæ fuerint partes illæ, unde cauſæ efficientis vis dependet. Accidit enim in dictis vehementibus intenſionibus, omnes quidem muſculorum fibras tendi: non omnes autem æqualiter laborare, ſed maxime rectas: quare obliquæ minus tenduntur, & minus in periculo ſunt. Quæ verò plus tenduntur, in periculo quidem ruptionis ſunt: relinquitur autem in illis diſpoſitio ſimilis illi, quæ in actione erat. Videntur enim ſibi etiamnum tendi, etiamſi non tendantur.

7. Tertia laſſitudinis differentia eſt, in quâ percipimus in partibus affectis quaſi *contuſionem* aut *inflammationem*. Hoc tum fere accidit, cum muſculi vehementer excalefacti attraxerint aliquid excrementorum circumfuſorum. Si verò id accidat tendinibus & nervis, ὀςεοκόπον vocant affectionem, nomen illi imponentes à profunditate doloris, qui diſpoſitionem ſuam videtur habere in ipſis oſſibus. Cutis in ſuperficie eſt. Muſculi verò alium ſitus ordinem habent, circulatim oſſibus circumjecti. At tendines oſſibus connaſcuntur. Ut mirum non ſit, ut ſi tale quid patiantur, videatur diſpoſitio in profundo eſſe.

8. Solæ hæ tres laſſitudinum differentiæ ſunt ſimplices: ex ipſis autem compoſitæ, ut anteà diximus, quatuor. De his jam dicemus, ubi ſermonem de ſimplicibus abſolverimus. Eſt enim & alia quædam diſpoſitio, decipiens quosdam, quaſi laſſitudo ſit, cujus generatio ex nimiâ muſculorum ſiccitate, ut totum corpus flavidum videatur, & contractum, & ad motum extreme pigrum. Sed nihil eorum, quæ dixi, adeſt illi, neque quaſi ulceris ſenſus, neque tenſionis, multò minus inflammationis. Rariſſima enim viſu eſt copulatio hujus & jam dictæ diſpoſitionis. Hæc enim ſqualidos & contractos facit muſculos: ſed laſſitudo inflammatoria in majorem molem attollit quam pro naturæ modo. Ut jam ſint in univerſum quatuor diſpoſitiones, quarum unaquæque propria opus habet curatione.

COMMENTARIUS.

9. Moneo hoc tantum obiter, In t.2. deſeruiſſe me vulgata Ex. acceptaſſe autem Fuchſii emendationem, ex locis parallelis factam, ut eſt *Notis in Gal.*

CAPUT VI.

1. ORdiendum verò fuerit ab ea ſpecie, quæ ſenſum ulceroſum fert ſecum, quam etiam diximus urgere illos, qui humoribus acribus abundant. Naſcitur autem poſt recentes cruditates, cum aut inconſultius exercentur, aut diutius ſub Sole verſati fuerint. Et non eſt impoſſibile fieri illam aliquando in corpore ſano absque cruditate, ob nimia exercitia. Conſuevere cauſari illam motus

tus

tus celeres & diuturni. Horum cutis ſimilis eſt febricitantibus, cum horror illos invadit. Et fatentur, in motu ſe percipere dolorem ulceris, alii cute tenus ſola, alii etiam in muſculis ſubjectis.

2. Curatio conſiſtit in ſubcontrariis diſpoſitioni. Diſcutere enim excrementa oportet, & jam curata eſt affectio. Diſcuſſio fiet, ſi fricetur diutius, ſed molliter, idque oleo, quod adſtrictione caret, quale potiſſimum eſt Sabinum. Contrariiſſimum autem eſt, quod ex Hiſpaniâ (quæ etiam Iberia dicitur) affertur, & Hiſpanum appellatur, & ὀμφάκινον & ὠμοτριβές. Uno verbo, auſterum omne eſt ineptum. Tibi verò etiam guſtu eſt agnoſcere facultatem, etiamſi prius expertus non ſis.

3. Sic nos aliquando in Macedoniâ cum eſſemus, guſtato oleo, quod in planitie circa Strymonem amnem naſcitur, pronunciavimus ejuſdem cum Hiſpano facultatis eſſe. Sed & aliorum oleorum omnium vim ita dignoſces, ſive abuſive ita dicantur, ſive cum ſalibus parentur, ſive cum herbarum radicibus, germinibus, foliis, fructibus. Dictum eſt de illis abundè in libris Simplic. dicetur tamen & heic ſuo loco & tempore. Nunc hoc ſolum ſufficit, quod oleum dulciſſimum fuerit, id ipſum huic uſui aptiſſimum.

4. Tali igitur uti par eſt cum multa frictione largiter, prima quidem die, quod minimè ſuſpecta tibi ſit laſſitudo: altera, ut totaliter cures jam factam. Curat autem illam exercitium dictum apotherapeuticum in quo etiam motus inſtituere tibi licitum eſt; moderatos quidem quantitate, tardos autem qualitate, cum ſæpius interpoſita quiete, multis ſimul operantibus, ne quà refrigeretur, & ſubitò diſſipentur excrementa.

5. Oportet autem plurimas eſſe frictiones in ea laſſitudine, in qua copia excrementorum & in cute & ſub cute: quemadmodum in altera illa, in qua plus in muſculis coacervatum eſt, propter aliam cauſam plures oportet eſſe motus. Cum enim muſculi ſunt occupati, ſola frictio diſcutiendo non ſufficit. Oportet enim non ſolum extrorſum trahi ab aliquo: ſed & ſimul ab interioribus expelli ab alio.

6. Expellit autem illa excitatus à motu calor, & ſpiritus ab eodem impulſus, & ipſa muſculorum tenſio: quin ex abundanti, facultas ipſorum expultrix.

7. Altera laſſitudo, à qua tenſio eſt, ſcopum habet ab Hippoc. laxationem. Hæc enim contraria eſt tenſioni, veluti duritiei emollitio. Ita enim dixit, *Cutis ſiccæ emollitio, extenſæ laxatio.* Contrarium enim eſt durum quidem molli: tenſo autem remiſſum. Laxatur enim tenſum, cùm in aliis diſpoſitionibus, quas in 5. Simpl. diximus, tùm frictione, quæ in gymnaſio obitur, paucâ illa quidem & molli, quæ oleo fit dulci, tepidoque, quiete autem omnimoda, balneis temperatis, longaque morâ in aqua calidà, ut plurimùm juves, etiamſi bis aut ter laves.

8. Hi ipſi poſt balneum etiam ungendi ſunt, antequam veſtes ſumant. Si propter ſudorem oborientem oleum defluat, repeti debet unctio. Quin etiam altero

tero die, cum è lecto ſurgit noſter, reſumi debet, caventes oleum nimis frigidum, frictionemque duriuſculam.

9. Hæc laſſitudo accidit illis, qui bonis ſuccis abundant, quique exercitia obeunt robuſta potius, quàm celeria, quibus cum affectus ſupervenit, pigros potius quam inflexiles reddit. Neque verò vel denſitas cutis his ſupervenit, vel horror, veluti paulò antè dictis. Interim contracti & ſqualidi ſunt, & ad tactum calidiores, non iis tantum, qui afficiuntur ulceroſa laſſitudine, ſed & ſe ipſis, cum valebant.

CAPUT VII.

1. TErtia laſſitudo accidit in vehementiſſimis motibus, & ſola attollit cutim ſupra naturalem tumorem, ut inflammationi ſimilis ſit diſpoſitio. Propterea ad tactum dolent ita affecti, & calidiores apparent. Dolent verò etiam, ſi ſeſe moveant. Hæc fit in iis utplurimum, qui exercitiis inaſſueti ſunt: raro iis, qui aſſueti, etiamſi motus experiantur vehementiſſimos & longo tempore.

2. Curatio ipſius tres ſcopos habet, quos ferè inflammationes reliquæ: vacuationem ejus, quod ſupereſt: mitigationem tendentis: & refrigerationem ardoris. Hoc perficitur oleo multo tepido, frictionibus molliſſimis, diuturna in aquis temperatis morâ. Si verò tepidior paulò ſit aqua, plus proderit. Eodem modò longa quies, & unguenta continua. Ita omnia, quæ recreant quidem, quod fatigatum eſt, & mitigant: diſſipant autem, quæ ſuperſunt.

3. Fortaſſis quis putet, affectum hunc non eſſe ſimplicem, neque peculiarem præ jam dictis duobus, ſed compoſitum ex ipſis, cum nihil aliud ſit quam tenſio partium nervoſarum cum ſenſu ulceroſo. Calorem nempe in hac laſſitudine alioquin naturaliter ineſſe, veluti in memoratarum utraque: verum nihil facere ad completionem vel nominis vel rei. Verumenimverò, tumor præter naturam huic laſſitudini præ aliis proprius eſt: & ſenſus doloris non eſt idem in hac & in tenſivâ. Tendi enim ibi eſt: contuſa eſſe nervoſa omnia videntur iis, qui ſic laborant.

4. Quare, præ duabus reliquis differentiam hanc eximiam habet, non ſolummodo compoſita eſt. Hæ igitur tres ſive conſtitutiones corporis, ſive diſpoſitiones, ſive quomodocunquè appellare quis velit, & præter has alia quarta, ſimilis quidem laſſitudini, non verè tamen laſſitudo, quia nec ulceroſa, nec tenſiva, nec inflammatoria: ſed neque horrorem ullum habet, neque dolorem, neque difficultatem ullam ad motum, ut in cæteris eſt, ſed gracilitatem tantum cum ſiccitate.

5. Fit igitur in boni ſucci corporibus juxtà & exercitio deditis, cum immodeſtius exercitis non rectè adhibetur ἀποθεραπεία. Hâc enim ratione diſcutiuntur excrementa, & tenſa laxantur, ut præter ſiccitatem nihil relinquatur in corpore, quam ex motu immoderato habuit.

6. Ind

6. Indiget autem prima die nullius rei mutatione, præterquam aquâ calidiore, quæ paulatim contrahat, calefaciat, & firmet cutim. Alterâ exercitio ἀποθεραπευτικῷ, brevi quidem illo, & molli, tàm in motibus quàm frictionibus, ſed in labro ſimiliter calido. Exſiliant autem ſubitò in frigidam, hoc fine, ut perſeveret tonus cutis cum calore. Sic enim minus poſteà reſolvuntur, & facilius admittunt alimentum tàm in carnes quàm in cutem, quo ipſo majus bonum non optaveris, niſi diſpoſitio alia inſignis adſit præter gracilitatem & ſiccitatem. Nimirum tale corpus refectione ſimul & humectatione opus habet, quorum utrumque rectè fit per victum humectantem.

COMMENTARIUS.

6. Quærunt heic ſimplices, cur Galenus laſſitudines accenſeat τοῖς ὑγιεινοῖς, cum actiones lædant? Uno verbo, τὸ ὀρθοστάδιον id facit. Sed & falſa eſt major, &c. Ego verò jubeo hinc documentum capere Scriptorculos noſtros recentiores, qui ignorant officium τοῦ ὑγιεινοῦ. Curat ille etiam morbos quosdam, ut ex Galeno locis multis doceo *in Inſtit.*

CAPUT VIII.

1. POſtquam ſemel mentionem fecimus victus in balneis, ineptum non fuerit diſſerere de diſpoſitionibus laſſitudinariis. Ulceroſa laſſitudo ſi obſervetur rectus in apotherapiâ proceſſus, indiget non niſi victu conſueto, aut etiam paulò minus, aut etiam humidiore ſimul & frigidiore.

2. Si poſt apotherapiam mutata fuerit in quartam, (utplurimum enim ita fit,) ſecundum ipſam & lavacrum inſtituatur & victus.

3. Sed tenſiva etiam multò parciori indiget alimento. Inflammatoria ſuper reliquas & humidiſſima & modiciſſima, quin & frigidiuſcula. In ſumma, omnes laſſitudinarii requirunt bonum ſuccum, qualem etiam ille, dum valet, quem ſub manu habemus. Abſtinere autem oportet in ea à viſcido, lentoque, quemadmodum etiam in ulceroſa & inflammatoria. Impedit enim diſcuſſionem excrementorum. In tenſiva verò etiam ultrò danda ſunt talia cibaria, niſi quod cavenda eſt copia.

4. Nihil igitur admiratione dignum eſt, ſi multæ heic ſunt controverſiæ, non inter idiotas tantum ipſos, ſed & doctos inter ſe. Neque enim conſentiunt in laſſitudinariorum vel exercitia, vel frictiones, vel balnea, vel victum. Audire enim eſt, quosdam laſſitudinem laſſitudine curare. Alios quietem ſuadere. Alios de victu demendum eſſe. Alios non tantum nihil demendum: ſed & tantò plus addendum, quò exercitia fuere robuſtiora. His enim analogus debet eſſe victus. Alios, neque addendum, neque minuendum. Ita balneum ſuadent quidam temperatum, alii calidum, alii tepidum. Experientia enim ſingulos eò tantum ducit, quod videre illis contigit: oratio autem, quæ imperfecta eſt, unam tantum expo-

exponit diſpoſitionem, ut antea oſtenſum eſt. Hinc fit, ut cum unam tantum proponit laſſitudinariam diſpoſitionem, prætereat reliquas, quaſi non ſint, hujus etiam ſolius tradat curationem, quam ſolam novit.

5. Verum igitur & hoc eſt, laſſitudinem curari laſſitudine, tum videlicet, cum videtur nobis expedire, heſternis exercitiis æquum facere. Et hoc verum eſt, laſſitudinum curam quietem eſſe. Primum enim illud fit in laſſitudinibus excrementitis, præcipuè, cum excrementa muſculos occuparunt: hoc alterum in tenſivis & inflammatoriis.

6. Verum quin etiam hoc eſt, laſſitudinarios parcius cibandos eſſe. Hoc enim prodeſt iis, qui inflammatoriâ laborant. Inſuper & hoc verum eſt, in conſueto victu habendos eſſe. Hoc in ulceroſâ poſt apotherapiam benè ſucceſſiſſe vidimus. Quemadmodum & hoc, plus cibi dandum eſſe in diſpoſitione illa, quæ laſſitudinibus ſimilis eſt, in quam ulceroſa quædam degenerat. Ita balneum aquæ temperatæ curare laſſitudines excrementitias, verũ eſt. Verum non eſt, abſtinere à balneo in inflãmatoriis, (hæ enim tepidioribus indigent) ut & diſpoſitione illa ſimili. Nam & hæc calidioribus opus habet. Quidã & hanc pro laſſitudine habent alii, qualis ſit diſpoſitio, non dicunt: ubi ſuſpicio eſt futuræ laſſitudinis, conſilium capiunt de balneo calidiore, addita cauſa, ut nos anteà diximus, Tale balneum promovere vel nutritionem, vel diſtributionem: & tamen non erudiunt nos, qua ratione impedire laſſitudinem & nutritio & diſtributio poſſint. Sed neque ſcribunt omninò quæ & qualis diſpoſitio ſit laſſitudo. Horum plerique nihil dixerunt: alii auſi dicere ſiccitatem pronunciarunt. Equidem veriſſimum eſt, ſiccitati cibos mederi, potiſſimum humectantes, (quod tamen non omnes addunt:) ſed enim neque ut curans, neque ut præſervans à laſſitudine. Quo ergò modo? Cum partes ſicciores ſunt factæ, absque tamen tenſione, abſque etiam excrementis tenuibus & acribus, abſque item diſpoſitione inflammatoriâ: omninò cibum dare oportet, & humectantibus ſiccata refocillare. Hoc ſi neglexeris, altero die apparebit corpus ſiccius & gracilius ſe ipſo.

7. Illud quorundam, ut & Theonis, demiror, quod cenſent, laſſitudinem jam factam non curari eodem modo. Sive enim quis dicat, diſpoſitionem, de quâ loquor, eſſe laſſitudinem, ſolvere illam cibo oportet, & prohibere ne fiat: ſive aliam quandam, quæ reverà ſit laſſitudo, profectò reſtrictius in omnibus habere oportet, ſive in metu ſit, ſive jam in facto. Neque enim hoc dici debet, quod quarta diſpoſitio, illa, inquam, quæ laſſitudinibus vicina eſt, niſi primâ ſtatim die corrigatur alimento laudabili, in unam ex dictis tribus degenerare ſoleat. Si enim ſola ſiccitas ſit conſpicua, propter gracilitatem nihil incommodi ſequetur. Si ſimul adſit caliditas quædam, febris periculum ſubeſt. Verum non eſt idem laſſitudo, ſi maxime laſſitudinariorum quidam febricitârunt.

Vide ſuprà c. 2. 8. Unde miror, Theonem l. 4. Exerc. partic. ubi de exercitio perfecto tractat, ſic ſcribere: *Laſſitudine ita exercitos ſequentis die utplurimum infeſtante*, ἡ ζςο-

λυσίε

λυσία aufert metum futuræ laſſitudinis, incendens ſuperficiem corporis, ut illa cucurbitæ inſtar aſſumtum alimentum attrahens, τοῖς κεκμηόσιν ἀντιδιέλκηται νεύροις. Hic enim, ne de aliis dicam, *τὸ ἀντιδιέλκηται* aſſumſit, tanquam ænigma quoddam. Poſſis enim ita interpretari, *Superficies, cucurbitæ inſtar attrahens alimentum ad nervos delatum, præbet aliquid illius etiam nervis.* Poſſis & in contrarium ſenſum trahere, *Ut ſumma corporis, cucurbitulæ inſtar alimentum ad nervos delatum trahentia, diſtribuant.*

9. Ita ut, ſecundum priorem ſenſum, cutis calefacta ſerviat nervis ad commodiorem nutritionem, (hoc enim puto velle illum per *τὸ ἐπιφάνειαν:*) ſecundùm alterum, ad infeliciorem. Quantum igitur ex ipſis verbis capere licet, Theonis mens nondum clara eſt: quantum verò ex aliis locis, præcipuè 3. Gymnaſt., vult exhibere minus alimenti poſt exercitium *τέλειον* dictum.

10. Sed neque hoc ſatis clarè dixit, cur ita ſuadeat. Datur enim minus conſueto, aut quia non opus habet æquali, aut quia coquere non poteſt. Prius illud verum non eſt in iis, qui frequentius exercentur: alterum verò contingit aliquando verum eſſe, aliquando falſum eſt. Si enim coctrix facultas debilior eſt, verum eſt: ſi non hanc, ſed aliam quandam, falſum eſt. Oportet enim intelligere facultatem concoctricem illius, aut quæ in ventriculo tantum, aut quæ in venis & hepate: ſed & quæ in ſingulis partibus, veluti heic in muſculis, in quibus potiſſimum eſt diſpoſitio illa, de quâ loquor.

11. Qui enim in exercitiis plus juſto diſcuſſerunt, graciliores fiunt, & ſicciores. Hoc ſi paulatim accidat, elaborare poſſunt tantum alimenti, quanto indigent. Si verò multum à naturâ abſint, non poſſunt, quorum neutrum Theon aut vidit, aut definiit. Nullatenus enim ex ullâ ratione, ſed ex experientiâ habet, (& fatetur ipſe:) calidiorem aquam conferre in perfecto exercitio. Quare in ſequentibus ita ſcribit:

12. *Hoc verò, etiamſi rationem habeat adjutricem, tamen fortunæ debetur: ſin minus, id, quod effecta teſtantur, admittendum eſt, quanquam ratio non omninò quadret.* Si igitur rectè invenit diſpoſitionem, in quâ laudat calidam aquam, cauſam autem ignorat, veriſimiliter id illi ignoſcendum eſt. Quia verò ſimpliciter dicit, In perfectis exercitiis convenire *τὴν ζεςολυσίαν*, (ſic enim ipſe vocat:) multæ autem diſpoſitiones poſſunt illam excipere: accuſet quis illum, quod in ſequentibus non limitet omnia.

13. Novit enim ipſemet, laſſitudinem inflammatoriam etiam ſequi hoc exercitium, cum partes exercitæ attolluntur in tumorem majorem quam pro naturâ: quare etiam alteram noviſſe potuit, quæ oppoſita eſt majori moli. Nimirum*, huic uni ſymptomati, tanquam communi, mentem ille adhibet. Tenuiores enim fiunt homines in reliquis duabus ſpeciebus, ut & in quarta illa diſpoſitione, de qua agitur.

16. Verum, non quemadmodum trium illarum unum commune ſymptoma eſt, ita etiam una illarum diſpoſitio eſt. In tenſivâ igitur non oportet balneo uti

uti calidiore quam conſuetudo fert: ita in illâ, quæ ab excrementis. At verò in gracilitate, quæ abſque his prodeſt uti calidiore potius quam temperatâ. Fit enim diſpoſitio ob diſcuſſionem corporum abundantiorem talem, qualis fit in longioribus inediis. Hinc etiam curatio ejus fit additione & impletione ejus, quod vacuatum eſt. Hæc vero fieri non poteſt cutis manente raritate.

15. Quare contrahere illam oportet & denſare, & ſtringere prius, ſi copioſius alimentum effectum debet habere. Facit id aqua tam frigida quam calida. Sed in uſu frigidæ periclitatur homo, quod ob adhibita exercitia factus ſit habitus corporis rarior & inanior: in calidâ autem noxa quidem nulla, ſed denſitas tuta accedit cuti, in quâ relictus calor nonnihil etiam confert.

16. Quamobrem ita lotum non oportet diutius morari in frigidâ: ſed, ut obſervavit rectè Theon ipſe, cavenda eſt mora in frigidâ, quod perdat fructum ex calidâ captum.

17. Porrò, cauſa erroris Theoni erat, cum tribuit omnibus, quod uni debetur, eſt habitus eorum, quos exercebat. Athletas, enim habebat, qui poſt perfectum dictum exercitium facilius quidem incidebant in quartam diſpoſitionem, ægrius in tertiam. Quod igitur vidit ſæpius, ſcripſit tanquam perpetuum. Si verò exercuiſſet malis humoribus fartos, cachectas, non aſſuetos exercitiis, aut debiles, non adoleſcentes, rarius vidiſſet huic diſpoſitioni obnoxios, millies aliis.

18. An hæc etiam fruſtrà dicuntur? Ipſe enim fatetur, poſt præparatoria exercitia uſum ſe eſſe calido balneo: hoc verò ſolis athletis in uſu eſt. Atqui, dicat aliquis, illos ſpontè, & certis temporum intervallis, alios, vel neceſſariò, vel ſtudio contentionis, vel propter alias cauſas, conſtituere plures laſſitudinum diſpoſitiones, certè, poſt immoderata exercitia, & in ſolis bono habitu præditis, qualis eſt nobis propoſitus adoleſcens, quarta hæc fit diſpoſitio, & tum, cum omnia benè ſuccedunt.

19. Proinde, qui ſimpliciter pronunciare volet, dicet, poſt vehementiſſima exercitia locum eſſe balneo calidiori. Is verò in una diſpoſitione verus erit: in reliquis tribus falſus. Multa verò alia etiam falſa, per totam ὑγιεινὴν ſcripta ſunt, tàm Medicis, quàm Gymnaſtis. Caput rei eſt indefinita obſervatio, cum quis de multis ſcribit, quod in uno obſervavit.

COMMENTARIUS.

20. Quid in poſterioribus corrigendis molitus ſim, cognoſcet, qui conferre volet.

CAPUT IX.

1. QUin etiam quinta quædam diſpoſitio eſt, prædictis quodammodo affinis, quam ϛέγνωσιν voco, de quâ in ſequentibus dicam, poſteaquam laſſitudines abſolvero. Harum enim tres ſunt differentiæ ſimplices, de quibus jam dictum

eſt

eſt mihi. Deinde duabus ſimul ſumtis fiunt tres aliæ. Septima præterea eſt, quando tres ſimul coëunt.

2. Dignotio illarum eſt à combinatione ſignorum. Scopus autem correctionis communis quidem omnium eſt intueri, quod exſuperat, ſed ita ut non negligatur reliquum : proprius autem ſumitur à diſpoſitionibus particularibus. Omnes perſequi conjugationes longum foret: perſpicuitatis igitur gratia in uno exemplo ſermo finietur.

3. Sit igitur tumor aliquis circa muſculos, qui videantur contundi, ſimulque laſſitudo ulceroſa, tenſiva & excrementoſa prehenderit hominem, ἀποθεραπεία inſtituetur, utramque quidem reſpiciens, ſed præcipuè majorem. Non eſt autem ſimplex in omnibus natura majoris: ſed quædam ſecundum potentiam & veluti dignitatem rei, quædam ſecundum propriam ſubſtantiam ſunt. Utraque illarum hoc modo & magna & parva fieri poteſt, quaſi peculiaris eſſet alterutra. Itaque ſi utraque ex æquo reclinavit à naturâ, inflammatoria trahet ad ſe curæ principatum, utique quia poteſtate ſuperior : ſi parum quidem inflammatoria, ulceroſa autem multum, conſiderandum veniet, an ulceroſa tantum valeat magnitudine, quantum inflammatoria potentia, an verò minus, magisve? atque ita invenire prædominantem laſſitudinem. Si videbuntur quandoque æqualium virium, ad utramque æqualiter reſpiciendum eſt.

4. Hæc igitur communis tibi eſto methodus omnium conjugatarum diſpoſitionum. Sicut autem laſſitudines cum numero tres ſint, complicatæ inter ſe quatuor faciunt conjugationes : ſic ſi quartam quis junxerit illis, multò plures fient.

5. Didiceris autem evidenter ex diagrammate. Sit igitur prima ex illis diſpoſitio ulceroſa: altera tenſiva: tertia inflammatoria: quarta gracilitatis. Aut igitur prima diſpoſitio cum ſecunda jungatur: aut cum tertia: aut cum quarta. Aut rurſus tertia cum quarta; ut jam ſex ſint conjugationes, ſemper junctis duabus diſpoſitionibus. Rurſus alias quatuor conficies, ſi tres conjungas diſpoſitiones inter ſe. Aut enim prima cum ſecunda jungitur, & tertia : aut cum ſecunda & quarta : Et rurſus, ſecunda cum tertia & quarta: ultima autem omnium complicatio erit diſpoſitionum, cum omnes quatuor ſimul ſunt. Ut jam ſint undecim numero. Erant verò ſimplicium quatuor. Quare fient quindecim.

DIAGRAMMA.

Simplicium.		Compoſitarum.
1. Laſſitudo ulceroſa,	5.	Laſſ. ulceroſa aut cum ſecunda & tertia aut cum ſecunda & quarta.
2. Tenſiva,	6.	Tenſiva cum tertia & quarta.
3. Inflammatoria,	7.	Inflammat. cum *In Græco etiã lacuna eſt.
4. Gracilitatis,	8.	Gracilitatis cum omnibus quatuor.

6. Jam

6. Jam ſi τῆς ςεγνώσεως differentias & inter ſe, & cum aliis miſcueris, complures alias conjugationes erueris. Si iiſdem addideris cruditates, ut & errores, qui in Venere committuntur, in mora ſub Sole, in vigiliis, in mæroribus, in aliis, ne numerare quidem poſſis omnes.

7. Non loquor de plethorâ, de cacochymia, de conſtipatione alvi, de diarrhœis, de vomitibus, de dolore capitis, aut alicujus alius partis, aut omninò iis, quæ ſymptomaticè accidunt. De omnibus enim his iterum dicetur. Nunc ego propterea memini, ut oſtendam quaſi digito intento, quam magnus ſit numerus complicationum iſtarum. Admirari enim fas eſt eos, qui obſervationes ſuas, quas συνδρομὰς vocant, earumque curam & prognoſin nobis promittunt. Quodam enim modo fieri poteſt, ut de ſimplicibus rectè diſſeratur, quod Hippoc. fecit, & ego nunc in quatuor diſpoſitionibus: at ſi miſceantur, impoſſibile eſt. Ubi enim ſingula ſeorſim conſiſtunt, correctio ſimplex indicatur: at ubi alia aliis miſcentur, de omnibus ſeorſim agendum eſt, &c. quæ fortaſſis perierunt.

Empiricos innuit.

COMMENTARIUS.

8. De laſſitudinibus ſimplicibus quæ hactenus dicta ſunt, illa benè habent: at cum ad compoſitas ventum eſt, niſi omnia penitus me fallunt, Galenus deficit ſub onere. Hinc fit, ut quibusdam è noſtris doctrina de laſſitudinibus compoſitis perquam facilis videatur, ideoque uno diagrammate ſe expediant: aliis, inter quos ego primus, videatur Galenus Apolline Loxia digna ſcripſiſſe.

9. Si conjecturæ locus eſt, videbat officii ſui eſſe explicare cauſas & ſymptomata, quæ non πρώτως lædunt actiones, ut morbi, ideoque ſuo motu facilia ſunt, propterea ἐπανορθώσεις potius vocat quam ἰάσεις, quamquam non ubique abſtineat etiã hac voce. Hâc occaſione uſus improbat rationem ſcribendi Empiricam, quæ erat, colligere συνδρομὰς πληθωρικὰς, h.e. omnia, quæ in ægro apparebãt. Hujus rei exemplum non obſcurum promo inde, quod heic negat locum habere illa quæ fiunt κατὰ τὶ σύμπτωμα. Huc pertinere videtur mihi τὸ δεόντως, quod Hippoc. tribuit. Is enim in Epidemiis ſcribit quidem quid ſingulis diebus ſit factum: ſed in fine ferè addit à quo morbo. Contrà, cum autor Prorrhetici crebras habeat συνδρομὰς, probat eo argumento Hippoc. non eſſe, adeoque non niſi in προῤῥ. ά commentarios ſcribit. An exceſſus parvi, quos alicubi Galenus τῶν ὑγιεινῶν transſcribit, ſunt cauſæ tantum?

10. Inquis, Quid heic facit ςέγνωσις, quæ 8. *Meth.* 2. fuit cauſa febrium ephemerarum? Jam reſponſum eſt implicitè: ςέγνωσις heic conſideratur ut cauſa, quæ actionem lædit non immediatè καὶ πρώτως, ut dixi in veſtigio.

CAPUT X.

1. QUando igitur res ita ſe habent, tranſeundum jam iterum eſt ad diſpoſitiones ſimplices, in quorum ordine erant illæ, quæ ad ςέγνωσιν reſpiciunt

ciunt. Sic voco læſionem pororum cutis, in quâ prohibetur diſcuſſio excrementorum cutis. Hæc accidit, aut propter obſtructionem, aut propter condenſationem, quam μύσιν etiam vocant.

2. Obſtructio fit ab excrementis viſcidis & craſſis, confertim ad cutim ruentibus. Condenſatio ab adſtringentibus & refrigerantibus. Verùm, ut obſtructionem incurrat corpus in ſermone propoſitum, ſi rectè gubernetur, fieri non poteſt: condenſari autem aliquando poteſt, & per frigus intenſum, & per balneum aluminoſum.

3. Fieri etiā condenſatio poteſt poſt balneum, aut ſudorē, aut aliter rarefacto corpore ex causâ aliquâ, cum afflat illud ventus obſtructionis & denſationis effector. Hæc diſpoſitio agnoſcitur ſtatim ac ſe exſuunt, ex albedine, duritie & denſitate cutis: in ipſo autem exercitio ex eo, quod difficulter incaleſcit. Neque enim ſudant, ut anteà, neque bonum calorem nanciſcuntur. Sed & ſi vis illis fiat intenſiore exercitio, ſudor prodit confertus, ſed parcior ſolito, frigidior, minusque vaporulentus.

4. Curatio hujus diſpoſitionis eſt calefactio. Hæc enim contraria frigoris eſt. Utendum verò eſt exercitiis validioribus, & balneis calidioribus. Utile etiam eſt in primâ domo volutari in oleo largiter. Sit autem oleum ex cenſu laxantium, quale in Italiâ Sabinum eſt. Præſtat in hoc genere, quod annorum duorum aut trium eſt. Hoc enim tenuiorum partium eſt & calidius. At mora in labro frigido non ſit diuturna, ſit etiam aqua non valdè frigida.

5. Qui veſtes ſumere volunt, ungantur quodam ex modicè calefacientibus, oleis quidem, quæ ex Ægypto petuntur, quale cicinum & raphaninum: aliis autem locis terræ habitatæ, quod dulce, tenuium partium, modiceque vetuſtum. Unguentis autem Suſino, gleucino, Irino, amaracino, & Comageno. Ex his gleucinum eſt exquiſitè contra laſſitudines, & laxatorium, ut etiam gravi laſſitudini conveniat. Hoc paulò calidius eſt Suſinum, magisque laxat. Irinum autem, amaracinum & Comagenum potentius calefaciunt, ut vocatis quoque propriè perfrictionibus competant.

6. Oleum anethinum denſationes cutis feliciter curat, præcipuè ſi anethum ſit viride. Convenit & talibus diſpoſitionibus acopum ex ſemine abietis. Quod quo modo præparetur, in ſequent. dicetur. Jam enim de his quoque videor mihi plus æquo prolixior fuiſſe. Qui enim benè conſtitutum corpus ſortitus eſt, & liberam vitam elegit, in qua nihil peccet, quique Præſidem valetudinis optimum habeat, eum morboſas diſpoſitiones rarius incidere vero ſimile eſt.

CAPUT XI.

1. Redeamus igitur ad materiam ab initio propoſitam, &, relictis ambuſtionibus, perfrictionibus, cruditatibus, diarrhœis, & quæ talia, (melius enim eſt omnia conferre in unum ſermonem, inſcribendum de ſymptomatis morboſis;) tractemus exercitia, quæ ſpectant Veneria.

2. Diſſenſus enim eſt de illis, quibusdam putantibus, deberi illis ἀποθεραπείαν quandam: quibusdam præparatorium aliquod exercitium. Sit igitur hoc exercitium in quantitate quidem motus infra moderatum : in qualitate autem intenſius, accutiusque.

3. Qui ergò ἀποθεραπεία cenſent opus eſſe, habent pro talibus, quales ſunt, qui laboribus defatigari vires habent debiles; & corpus exſuccum. Utrumque enim hoc patimur tam poſt coitum frequentem, quam poſt exercitia. Qui verò præparatoriam exercitationem volunt, ii prohibere volunt corporis nimiam raritatem, & ad ſudores facilitatem. Ut enim ἀποθεραπεία illud quidem auget : ita hoc corrigit.

4. Ego verò utroſque laudans, quod verum in parte viderint, conjungo utramque ſententiam. Quod enim vires inſtaurandæ, & raritas quidem ſtringenda ſit; ſiccitas contrà augenda non ſit, concedunt utrique : deeſt verò illis una limitatio, ut de compoſitis diſpoſitionibus omnibus dictum eſt nobis anteà.

5. Dicetur verò etiam nunc iterum. Si enim copulentur plures diſpoſitiones, eundemque modum curationis indicent, intendere oportet modum illum magis; quam ſi ſingulæ ſeorſim eſſent. Si verò contrariæ ſint, corrigenda primum eſt illa, quæ prædominatur, non neglectis cæteris prorſus.

6. Qui igitur vel ætatis ratione, vel aliâ de causâ debiles uſi ſunt Venere, his neceſſe eſt debilitatem fieri majorem. Qui verò robuſti ſunt & juvenes, qualis eſt juvenis noſter, iis habitus corporis rarior potius fit, quã ut vires debilitētur. Ideoque correctio fit, non per rarefacientia, qualia poſtulat exercitium apotherapeuticum: ſed per cogentia & ſtringentia, quale eſt & præparatorium.

7. Si verò & refrigeratio aliqua poſt Venerem occupet talia corpora, propter hanc etiam opus fuerit exercitio præparatorio. Exſuſcitat enim calorem partim propter motus acumen, roburque : partim, quia cogit & ſtringit habitum.

8. Quod verò hoc ſolum ex exercitiis emendat raritatem, in confeſſo eſt apud omnes Gymnaſtas, ab ipſa experientia edoctos, quod hoc exercitio nihil præſtantius ſit ad noſtrum inſtitutum.

9. Concedente anni tempore, nec balneo frigido abſtinendum eſt. Cibi verò ſint, in copiâ quidem parci, in qualitate autem humidiores, ut & benè concoquat illos, & emendet ſiccitatem ex Venere contractam. Frigidiores verò neutiquam ſint : ſed vel temperati, vel certè calidiores. Quia enim corpus fit inde rarius, frigidius, debilius & ſiccius, debent offerri aliquando denſantia & calefacientia, & facultatem roborantia. Et hi debent eſſe ſcopi.

10. Quænam verò ſit Venereorum vis, non eſt hujus loci. Propoſitum autem nobis eſt differere, quomodo dictus juvenis optimè regatur poſt Vene-

reorum

reorum uſum. Ad hunc finem rectè perveniri nonpoterat, niſi ex hypotheſi haberetur, quid fiat de corpore Venere uſo? Sed hæc quidem ex hypotheſi: poſteà demonſtrabimus, & quid faciant? & utrum ſit illis, an non? quæ ab illis commoda & incommoda? & ſecundum corporis diſpoſitiones? pro diverſitate temporum anni, regionis, conſuetudinis, & alia opus habent diſtinctione?

COMMENTARIUS.

11. Statim ex initio capitis elucet, verè me divinatum eſſe, qui ſint illi morbi, qui τῷ ὑγιεινῷ relicti ſunt? Nulli morbi, ſi proprietatem ſermonis amemus: ſed, ut Galenus loquitur heic, ſymptomata morboſa. Quæri poſſet, an operæ pretium fecerit Galenus, quod peculiariter ſcripſerit de illis? & an jure deſideremus? Non puto. Neque enim alios ſcopos, aliasve indicationes habent, ſed tum curantur, cum viribus officiunt. Ita cauſæ tum tantum, cum adhuc agunt.

CAPUT XII.

1. Poſt uſum Venereorum ſpecies exercitii eſto illa, quod præparatorium dicitur: poſt obortas vigilias, aut mærores, aut utrumque ἀποθεραπεία, ſiquidem non præceſſit cruditas. Poſt enim hanc nullum exercitium locum invenit.

2. Quod verò ἀποθεραπεία locum habeat poſt mærores & vigilias, docet & experientia. Ab aliis enim exercitiis ſentiunt ſe lædi, ne dicam, nec quidem imperantibus morem gerere, præſertim, ſi mæror duret. Præter experientiam & ratio ſuadet. Quia enim in vigiliis & mæroribus ſentiunt ſibi corpus dilabi, fierique exſuccos, exiſtimandum eſt ſicciores jam eſſe. Has diſpoſitiones percurant molles frictiones cum multo oleo factæ, balnea item temperata, motus quin etiam tardiores ſine vehementiori tenſione, quiete ſæpe intercepti. Typus autem hic erat exercitii apotherapeutici.

3. Hoc modo curantur etiam ſiccitates ob iram cauſatæ, inediamque. Contrario modo tractare oportet humiditates in habitu corporis, ſive à multo potu ſint, ſive ab aliâ causâ. Scopus igitur & harum diſpoſitionum eſt exſiccatio.

4. Hoc verò commune eſt omnibus: quemadmodum hujus vel illius pro differentiâ particulari. Si enim ab otio longiori & cibis abundè humectantibus, iiſdemque intempeſtivis multus humor ſit congeſtus, prolixiori indiget correctione. Si verò à potu largiore, pridiè ingurgitatâ, ſine dolore vel capitis, vel oris ventriculi, intra unum diem curabitur, indictis ſiccis frictionibus, exercitiis acutis, cum potu pauco, cibiſque ſiccantioribus.

5. Quæ ex vino ſunt noxæ, niſi caput aut os ventriculi afficiatur, huc non pertinent. Dicetur enim de illis in libro de ſymptomatis morboſis. Quæ verò ex deſidiâ longiſſimâ, nullatenus in propoſitâ diſpoſitione ſe oſtendunt, ut neque quæ ob copiam naturâ ſuâ humidorum ciborum. Tales ferè ſunt fructus autumnales, & quæcunque oleracea non ſunt acria.

6. Ubi ſemel factæ ſunt, non ſubitò curari poſſunt. Si enim tamdiu utatur homo, uſque dum habitus totus ſiccior fiat, laſſitudinem ſentiet, febrique laborabit diariâ. Si verò accedat malignitas etiam, plurium dierum febri aliqua. Progreſſu verò temporis corrigetur, ut poſteà dicetur in eo ſermone, in quo vitioſa temperamenta in meliorem ſtatum collocabimus. Eſt enim ſimilis prodentia morboſarum diſpoſitionum & intemperierum naturalium. Quare nunc de illis diſcurrere non oportet.

CAPUT XIII.

1. RELiquum igitur eſt, ut dicam de frictionibus matutinis juxtà & veſpertinis, non certè ut Quinto reſpondeam, quęrenti à Gymnaſta quodam, quam vim habeat τὸ ὑποσυγχρίεσθαι? repetita illa unctio? Ut veſtes occultentur.

2. Simile Quinti apophthegma exſtat de colorum in urina differentia, doctrinam illam ad fullonem pertinere. Ut & illud de calido, frigido, humido & ſicco, balneatorum eſſe iſta nomina. Quæ ego verba permiſerim nulli ex Theſſal ſecta, nedum Quinto. Omnia enim talia ſcurrarum potius ſunt quam profeſſorum tam liberalis artis.

3. Præſtat igitur conſiderare frictionem matutinam in corpore propoſit nunc adoleſcentis. Hoc enim cum planè inculpabile eſt, poſt ſomnum aut ſentit aliquid laſſitudinis, aut omninò ſymptoma aliquod ex iis, de quibus egimus (aut nihil ſentit.) Si hoc, fruſtrà fuerit de frictione cogitare aut unctione, niſi vehementi frigori occurſurus ſit. Tunc enim, veluti eos, qui frigido balneo ut volunt, ita hos molli frictione præparabimus. Si verò quis ſenſus laſſitudinariu ſubſit, dictum eſt anteà, quod & ungere oportet, & fricare molliter. Ita ſi ſicciu ſit corpus debito, ungendum eſt oleo dulci, (humectat enim cutim ſiccam,) & fricandum modicè, ſed frictione nec dura, nec molli uti.

4. Juvare enim tantum volumus diſtributionem alimenti, non cutem alterare cum ſubjecta carne, non diſcutere excrementoſum quid. Horum utrumque facit mollis frictio: alterum dura, quatenus denſat & durat cutim. Mollis diſcutit, facitque corpus rarum & molle. Si corrigere velis denſationem cutis, factam à duris quidem frictionibus & impreſſionibus cum multo exercitio, multoque pulvere, oleo copioſo & dulci uſus, molliter fricabis: à frigore autem primè quidem adhibebis frictiones ſiccas & celeres, deinde autem oleo calefacientes ad naturam propriam reduces. Raritatem verò à balneis frequentioribus, & frictionibus mollibus, nec non à Venere factam curabis paucis quidem & ſiccis frictio-

frictionibus ab initio: deinde autem aſſumto oleo adſtringente. Humiditates à multo potu ortas ſolæ frictiones ſiccæ curant, ſi fiant linteis & chirothecis, aliquando etiam manibus tantum, aut ſine omni pinguedine, aut eâ pauciſſimâ. Hoc oleum ſit dulce, ut diſcutere poſſit, abſque omni adſtrictione. Et ita res ſe habet de frictione matutinâ:

5. Veſpertina autem utilis eſt iis, quos vel laſſitudó vehemens urget, vel ſiccitas, vel atrophia. Sed eximatur ſanè jam ab hoc ſermone ſymptoma atrophias, quia cum aliis morboſis ſymptomatis poſteà tractandum veniet. In propoſita autem natura, cum vel notabilis laſſitudo affuerit, vel ſiccitas immodica in corpore, prandium quidem ſit parcius, & ſpatium majus inter hoc & cœnam, ferè autem totum in quiete. Interim parumper inambulare poteſt, ut cibi deſcendant, rectis illis motibus ſuccuſſi.

6. Proficuum etiam, ſi poſſint alvum exonerare. Hæc enim omnia ſi rectè fiant, extra periculum fuerit frictio ex oleo dulci, ſed ne omninò contingatur ventriculus. Si fiat, periculum ſubeſt, ne cibi infelicius coquantur, aſſumaturque ſucci ſemicocti aliquid, turbetur caput, & ſupinetur os ventriculi.

7. Optimum igitur factum ſi ventriculus non contingatur. Quod ſi in muſculis vicinis oſtentet ſe, aut ſenſus quidam laſſitudinis, aut major ſiccitas, moderatè inungere oportet, & ſine violentiâ. Si cauſas etiam audire quis velit dictorum, exſpectet librum ſequentem, in quo agitur de ſymptomatis. Jam enim ſatis excrevit ſequens.

FINIS LIB. III. ὑγιεινῶν.

GALENI ὑγιεινῶν LIB. IV.

CAPUT I.

1. NOn, quemadmodum recentiorum plerique, Sophiſticis quæſtionibus tempus obterentes, aut paucis percurrunt res maximè neceſſarias, aut omninò deſerunt: ita & nos facimus. Sed, quod ab initio inſtituimus, utile quod eſt percurrimus: quæ verò Logica ſunt, in aliud tempus rejicimus.

2. Exempli gratiâ: De ſymptomatis morboſis, de quibus hoc libro agendum eſt, non eſt contemtilis quæſtio, Utrum ſint pars artis tuendæ ſanitatis? an methodi medendi? an neutrius? ſed alîus cujusdam? quam mediam etiam ponunt inter ſanitatem & morbum, Neutrum ſtatum vocantes?

3. Ego verò ſcio, ſive heic tractem, ſive in methodo, Sophiſtas inventuros quod calumnientur. Nec ignoro, etiamſi tertia quædam tribuatur illis opella, de neutris diſpoſitionibus inſcripta, fore ut rideant & inſultent dicentes, quo in tractatu tandem de marium, fæminarumque ſymptomatis ſit agendum? Propterea heic de illis agere volui. Si enim impoſſibile eſt Sophiſtarum fugere male-

dicentiam; minorem autem carpendi occaſionem, ſi ita agam: fortaſſis melior eſt hæc ratio.

4. Huc accedit, quod ex ipsâ tractatione eluceſcet affinitas negotii, ſi quis dicendis accuratam adhibuerit mentem, hinc ordiendo. Scientiæ artis tuendæ ſanitatis non minima pars eſt doctrina de exercitiis. Hujus ipſius non minor portio eſt, arcere laſſitudines. Dictum autem eſt in anterioribus, quod ſimilis eſt præcautio futurarum laſſitudinum, & correctio jam factarum.

5. Igitur non aliunde petenda eſt doctrina, quomodo vitandæ ſint laſſitudines? & quo modo in ſtatum ſecundum naturam reducendæ jam factæ. Propterea in præcedenti libro tertio de laſſitudinibus egimus, conjungentes mentionem ſimilium ipſis diſpoſitionum, quarum quædam maximè poſt exercitia fiebant: nunc autem primum quidem de illis, quæ accidunt ſine laſſitudinibus; deinde autem de illis, quæ ejuſdem ſpeciei ſunt.

COMMENTARIUS.

6. Ex hoc capite argumentum peti poteſt contra *Artem parvam* Galeno adſcriptam. Reverà Neutrum ſtatum Galenus non agnoſcit.

CAPUT II.

1. QUæ igitur exercitiis immodicis ſupervenit laſſitudo ſymptoma eſt ſanorum: quæ verò absque his, morboſum. Ut videatur Hippoc. rectè dixiſſe, *Laſſitudines ſpontaneæ morbos nunciant.*

2. Senſus igitur ulceris ſymptoma eſt laſſitudinarium: cauſa autem propter quam fit, diſpoſitio eſt laſſitudinaria: hujus verò ipſius cauſa duplicem habet differentiam: Aut enim continetur in ipſo animalis corpore, & dicitur *αἴτιον προηγούμενον*: aut extra corpus eſt, & dicitur *προκαταρκτικόν*.

3. Ut ſint in univerſum tria genera, de quibus ſermo nobis erit, ſymptoma, laſſitudo: diſpoſitio ad laſſitudinem: cauſa laſſitudinis. Uniuscujusque horum ſpeciales quædam differentiæ ſunt, In cauſis quidem, ut jam dictum eſt, *τὴν προηγουμένην καὶ προκαταρκτικήν*: In diſpoſitionibus autem, ut in ſuperiori libro demonſtratum eſt, ulceroſam, tenſivam & inflammatoriam. Sanè, in ſymptomatis etiam easdem licet nominare differentias, ſi quis velit: at verò plures dicere aut facere non licet, modò quis vera profiteri velit.

4. Ulceroſa igitur laſſitudo (hinc enim ordiendum eſt) fert corpori moto ſenſum moleſtum quaſi ulceris, aut in cute tantum, cum minor eſt; aut etiam in ſubjectis muſculis, cum major eſt: aut utrinque, cum rurſus major eſt. Et hoc totum eſt laſſitudinarium.

5. Diſpoſitio autem, à quâ fit hoc ſymptoma, acrimonia eſt humorum tenuium, calidorumque, eouſque, ut rodat, ſtimulet & pungat corpora. Hæc acrimonia contingit aliquando quidem à nimiis motibus, ut in ſuperiori libro monſtratum eſt; aliquando autem à cacochymiâ quâdam, paulatim auctâ. Has laſſitudines vocat Hippoc. Spontaneas.

6. Alte-

6. Alterum genus laſſitudinis, Tenſivum dicitur, cum ſponte ſupervenit vocatis plethoris. Tenduntur enim in his ſolidæ animalis partes, & maximè, in quibus humores continentur.

7. Tertium laſſitudinis Inflammatorium appellatur, & fit partim à plethorâ, partim à cacochymia prædicta. Sic loquor: neque enim omnis cacochymia ulceroſam laſſitudinem facit, ſed illa ſola, in qua mordax eſt acrimonia. Neque enim facit, dum in venis permiſta eſt bilis ſanguini, (latet enim circumfuſa & victa à ſanguinis bonitate:) ſed poſtquam in carnes & cutim transſumta eſt, & ſola ibi firmata fuerit, tum ſenſum ulceris facit.

8. Qui verò hanc ſpeciam à plethora eſſe rentur, errant. Neque enim hujus plenitudinis, quam plethoram vocant, (facit enim Tenſivam laſſitudinem,) neque illius, quæ vires gravat, eſt. Non enim morſus adeſt, neque ſenſus ulceris: ſed aut gravitas, aut difficilis motus plenitudinis hujus ſymptomata ſunt, facultatem gravantis animalem, cum ſanguis, quod ad ipſam, in majori copiâ eſt: aut pulſus depravationes cauſantis, cum vitalis læditur.

9. Dictum de his eſt ſatis in libris de pulſibus. Et in libro de plenitudine tradita ſunt ſigna gravatæ facultatis naturalis, ut & reliquarum duarum.

10. Neutiquam igitur plethora eſt cauſa laſſitudinis ulceroſæ: ſed acrimonia humorum, in cute & carne contentorum. Hæc enim quamdiu quieta eſt, ſenſum latet: mota verò ſtatim ſe prodit. Movetur autem maximè tum, cum cauſæ quædam propriæ, de quibus poſteà dicemus, incidunt: alter & diverſus ab hoc illius motus ex accidenti eſt, cum nos movere volumus partem aliquam, aut etiam corpus totum, unà cum illo concutimus contentos ibi humores.

11. Verum hic talis motus eſt minimus, & tantum ciet ſenſum laſſitudinis: vehementior autem rigoris eſt cauſa: cæterum, medius inter utrumque horroris.

12. Quod autem nihil impedit, etiamſi cauſa ſit calida, & rigorem & horrorem cauſari, I. de Cauſ. ſympt. demonſtratum eſt: nunc ſatis eſt capita tantum ibidem demonſtratorum habuiſſe pro præſentium hypotheſi, Cum in partibus ſenſibilibus paulatim colliguntur excrementa mordacia, duplici de cauſa moventur, Una quidem cum pelluntur ab ipſis partibus ſenſibilibus, quatenus facultatem expultricem alienorum habent: Alterâ autem cum in vehementiori motu eſt; quem habet ab exercitiis, ab irâ, ab ambientis caliditate.

13. Excrementa igitur ſubcalida & putredinoſa mota vehementius, non horrorem tantum inducunt, ſed & febrim accendunt: at quæ frigida ſunt, ſimul & tenuia, horrorem quidem afferunt, febrim autem accendere non poſſunt. Neceſſarium verò eſt in magna eſſe copia, ſi tale quid efficere debent:

at ſi

at ſi pauca omninò ſint mordacia excrementa, aut ſi copioſa quidem, ſed non ſatis acria, laſſitudinem ulceroſam parant. Sanè de his dicendum eſt hoc in opere, cum quæ febres faciunt ad methodum medendi ſpectent. Veruntamen, quæ horrorem quidem faciunt, febrim non faciunt, & hæc ad hoc ſunt hujus operis.

COMMENTARIUS.

13. Si ultima hæc, quæ ex Coſtæo addo, ſunt legitima, *τὸν ῥιγοπυρετὸν* alibi dictum è febrium catalogo eximunt, & ſymptomatis morboſis heic dictis addunt. Quod prorſus videtur admittendum eſſe.

CAPUT III.

1. CUratio autem reſpicit partim communes ſcopos: partim uniuſcujusque proprium. Dicentur autem primum communes. Oportet autem priore loco aut vacuare excrementum, *ſive calidum id ſit, ſive frigidum,* aut alterare. Non recipit autem omne excrementum naturæ alterationem, veluti non omne alimentum in ventriculo animalis coctionem: ſed oportet cognatio quædam ſit illi, quod concoquitur, cum illo, quod coquit. Cum igitur omninò alienum eſt, nullatenus à Naturâ ornatum ſuſcipere poteſt: ſed oportet tentare vacuationem illius quantocyus. Sic etiam, quæ in ventriculo prorſus corrupta ſunt, optimum eſt vacuare aut vomitu, aut dejectione.

2. Verum non eſt æquè facile vacuare cacochymiam carni imbibitam, & reliquis corporibus, quam facile eſt illam, quæ continetur in ſenſibilibus cavitatibus. Aliquando etiam natura non admittit adjumentum, ut promta ſit vacuatio. Sic obſtat aliquando diſpoſitio aliqua, quæ vetat hunc vacuandi modum, de quibus in ſequentibus dicetur, ubi addiderimus, quod deeſt in primâ diviſione.

3. Dictum enim eſt, communes ſcopos in curatione excrementorum eſſe vacuationem & alterationem: proprios autem addendos à nobis eſſe. Neque enim uno modo aut vacuandum aut alterandum eſt: ſed inquirendum in id, quod moleſtum eſt, qui ipſe proprius eſt modus ille, ut in compendio dicam, qui in contrario conſiſtit, privatim autem in hoc contrario.

4. Et hæc ſumma rei eſt, quam fuſius explicare oportet, addita uniuſcujusque demonſtratione. Exordiri autem oportet ab ulceroſâ.

COMMENTARIUS.

5. Valdè controverſum eſt, debeatne Galeno dari utraque cauſa, *Calida & frigida*? Ego in Patholog. cap. 174. inclino in ſolam calidam. Viderint eruditiores.

CAPUT IV.

1. QUandoquidem ex cacochymiâ acrium humorum hæc exorta laſſitudo eſt, primum diſpiciendum eſt, Utrum in ſolis partibus ſolidis, an in cavi-

tatibu

tatibus venarum quoque ſit? Signum quidem manifeſtum nullum habemus de excrementis venarum, niſi quod ex urinis petitur: conjectandum tamen ex his eſt.

2. Primum igitur videndum eſt, quo victu ſit uſus æger? Deinde, an natura ipſius ad tales humores inclinet? Tertiò, ſi ſit, an conſuetæ vacuationes hujus humoris cohibitæ ſint? Inſuper & quartò, an neglexerit exercitia, purgationes, vomitus, uſum aquarum thermalium, quæ talia excrementa ſolent educere?

3. In victu animadvertendum, præceſſerintne cruditates, ex ingurgitatione ciborum plurium, eorumque mali ſucci? an loco vini veteris muſtum biberit? loco tenuis craſſum, & aquâ marinâ permiſtum? in univerſum, ſi non vinum, ſed aquam bibit? ſi in ſingulis horum errores commiſit, non ſemel aut bis, ſed diutius & longo tempore?

4. Secundò, ut dictum eſt, conſiderandum venit, an æger ſit ex numero eorum, quæ naturâ bilioſi ſunt? Hoc invenies, ſi interrogaris, an unquam laborarit vel pſorâ, vel lepra, vel vitiligine, vel efflorescentia ulceroſa, eryſipelate, herpete, elephantiaſi, ophiaſi, alopecia, aut omninò ſymptomate aliquo, ex cacochymia oriri ſolito.

5. Præterea conſiderari juſſimus, ſitne cohibita vacuatio aliqua, per vomitum fieri ſolita, per hæmorrhoidas, per fiſtulam aliquam per menſes. Deinde, ſi æger ſolitus fuit uti purgationibus ſolemnibus, & jam intermiſit. Quidam enim medicamentis ſubductoriis utuntur, quidam vomitoriis, quidam diureticis, quidam ſudoriferis, quidam aquis ſpontaneis, quarum aliquæ ſulfureæ ſunt, aliæ bituminoſæ, aliæ nitroſæ, quibus expurgant excrementa ſua aut verno tempore, aut autumnali, quod aliquando negligunt.

6. Plerique exercitia abdicârunt: alii omnem frictionem: alii balnea: alii vomitum poſt balneum ex vino dulci. Apertum autem eſt, in oratione factam eſſe mentionem, non ſolum eorum, qui optimè conſtituti ſunt, ſed, ne quid deſit catalogo cauſarum cacochymias: ſed & attigit ea corpora, quæ naturâ colligunt malos humores, de quibus fuſius agetur in ſequentibus, cum vitioſa temperamenta exponam.

7. Ex his igitur conjecturam capere oportet, quanta ſit cacochymia: unde ad menſuram curationi analogam pervenire par eſt. Si enim pauca omninò ſit, & in ſolâ cute acervata, mediocris ſufficit curatio: ſi profundior, fortior ſit oportet. Dicetur autem priori loco de mediocri, qui in cute ſolâ: ſecundo loco de illâ, in quâ etiam carnes occupatæ ſunt: tertio, cum totus ſanguis eſt impurus & excrementoſus.

8. Si quis igitur dederit mihi adoleſcentem boni ſucci, ad hypotheſin meam ab initio reverſus, dicam, primum quidem bono victu uſum fuiſſe per omnia: jam autem, propter iter quoddam neceſſarium, in longius tempus protractum, neque pro conſuetudine exercitio uſum eſſe, neque balneo, contrà autem cibo & potu malo, & poſt prandium, cœnamve, aut etiam tota die vehiculo circum-

vectum ne ſomno quidem rectè indulſiſſe. Supponatur autem in oblatis nihil erratum fuiſſe, & propterea cruditate nullâ laboraſſe. Hunc enim talem cacochymiam multam colligere probabile non eſt, propterea etiam prolixâ correctione opus non habere, ſed ἀποθεραπεία, ut præcedenti libro dictum eſt. Dictum ibi quoque eſt de debito illi victu, nec oportet jam heic immorari, ſed commonefacere tantum, quod ſcopus in ita diſpoſitis eſt vacuatio excrementorum cutis. Nam & diſpoſitio in hac ſola eſt.

9. Præſupponatur iterum hoc quoque, eundem adoleſcentem ſæpiculè cruditatibus obnoxium fuiſſe. Iterum hoc quoque, cruditates eſſe non in ſolâ cute, ſed & in profundo, ut ſuſpicio oriatur totum corpus eſſe cacochymum. Hunc talem neque exercebimus, neque ullo modo movebimus, ſed ſinemus quieſcere, & indicto ſomno, ſervabimus in inedia toto die. Veſperi deinde pinguiter ungemus, & in balneum ingredi moderatè calidum jubebimus, dato mox cibo boni ſucci pauco, & in forma ſorbitionis. Non prohibebimus etiam vinum, adjuva enim ſemicoctorum humorum elaborationem, ſi quid aliud. Sudores præterea & urinas ciet, ſomnumque promovet.

10. In talibus enim opus eſt vacuatione per ſudores & urinas illius, quod exactè pravum eſt, & hactenus coqui non potuit: quod verò ſemicoctum eſt, coquere, & bonum efficere. Hoc verò rectè fit per quietem & ſomnum. His acti ſi quiêrit ſymptoma, ſenſim ad conſueta reducendus eſt æger: ſi tamen crudita perſeverarit altero die, cogitandum erit de remedio fortiori, præſertim, ſi d nocte aut laſſitudinem ſenſit, aut faſtidium, aut vigilavit, aut ſomnia habuit imaginoſa aut turbulenta.

11. Hos tales, ſiquidem vires valent, forti remedio tentare oportet, aut venæ ſectione, aut purgatione, definientes, utro magis indigeat, ut poſteà dicam. Sin vires noliut, abſtinere quidem venæ ſectione, deorſum autem purgare le medicamento. Quæ autem ſint leviora purgantia, poſteà dicetur, ubi limitaverimus limitanda.

12. Validis enim viribus, & durante laſſitudine, conſiderandum, utrum fiat cum copiâ ſanguinis, an cum crudis, incoctisque humoribus? item, an qu cacochymia laſſitudinem facit, ſola ſit, & per ſe? Si enim ſanguis abundat, a vena ſecanda, aut ei analogum quid ſubſtituendum. Analoga autem ſunt hæ quibus reſtrictæ ſunt hæmorrhoides, illas aperire: fæminis autem menſes movere: quemadmodum ubi neutrum habet locum, ſcarificare malleolos, deinde purgare deorſum, quod præſtat in cacochymia.

13. Ubi autem ſola cacochymia eſt, abſque ſanguinis copia, venire oport ad purgationem, humori peccanti propriam. Peccat autem modò bilis, moc melancholia, modò pituita, eaq; modò ſalſa, modò acida, & horum unumquoque aut ſeroſum, aut craſſum, aut mediæ conſiſtentiæ, de quorum diſtinctio jam dicamus. Si enim laſſitudo dicta cum exanthematis ſit, facile eſt inven quale ſit excrementum. Si ſine his, in natura quidem boni ſucci, ex præc den-

dentibus cibis, aliisque omnibus, quæ ſimul acciderunt, divinare oportet.

14. In natura autem mali ſucci hinc quoque aliquid capiendum. Dicetur autem iterum fuſius de hujusmodi temperamentis: nunc de aliis dicendum fuerit, ex quibus etiam capi poſſunt, quæ de cacochymiæ ſpecie. Qui enim in otio degunt, iis pituita redundat: in laboribus autem multis aut bilis, aut melancholia. Æſtate quidem bilis: autumno autem melancholia.

15. Sed & laborum continuitas ſpectanda eſt. Quò enim diuturniores ſunt, eò magis ad melancholiam inclinant. Ita qui cum multo ſudore obeunt, craſſius faciunt excrementum: tenuius, qui ſine ſudore, ut & in hyeme, & univerſim in conſtitutionibus frigidis. Inſtituenda verò tum fuerit etiam conſideratio qualitatum ſudoris. Hi enim acidũ quid ſapiunt, illi ſalſum. Rurſus alii cœnum, alii virus manifeſtè olent. Hoc apparet etiam in ſtrigili, cum lavantur. Sæpe etiã bilioſus expreſsè eſt, qualis ab ictericis effluit. Dignotio facilis eſt, etiam antequam guſtes, ex ſolo colore. Flavus enim eſt inſtar bilis. Sæpè etiam inter labores intenſos, & in caloribus gravibus exactè gilvus viſus eſt, Aliquando medium quid exhibet, & miſtum ex duobus coloribus, qualem ὠχρόξανθον vocant, qualis etiã bilis color.

16. Hoc etiam animadvertitur in ejectis per vomitum, ut & in alvi fæcibus aut pallidum, aut flavum, aut miſtum quid. Hic humor qualis in corpore eſt, tale etiam videre eſt ſerum ipſius. Sudor igitur indicium eſt humorum, in toto corpore redundantium: ſed urina ſolummodò illorum, qui in vaſis ſtagnant.

17. Nihil igitur omittere oportet, ſed & ſudores examinare, ut dictum eſt. Aliquando mandandum eſt ægro, ut guſtet ſudorem, quod aliquando fortuitò fit, cum labia præterfluit, ex fronte & vicinis partibus.

18. Conſideranda verò & urinarum conſiſtentia eſt unà cum colore. Non prætereunda etiam contenta ipſarum, ut & ſubſidentia. Quia nihil horum inconſideratum relinquendum eſt. Indicant enim exactè, qualis ſit ſanguis, qui in vaſis it. Bilioſus enim cum eſt, neceſſariò & ſerum ipſius eſt tale, idque pro ratione utriuſque bilis. Similiter ſi pituitoſus ſit.

19. Cum igitur omninò cruda eſt urina, tenuis & aquea eſt, ſine ſedimento, ſine nebulâ: cum aliquatenus cocta eſt, apparent illa, ſuperiusque inſiſtunt nebulæ quædam tenues, qualis in pulte vocata γραῦς, quæ eſt concrementum illud in refrigeratis juſculis. Si verò turbidum, ut in veterinis, appareat, ſignificabit, venas eſſe plenas vocatis humoribus crudis, ſed non feriari in illis naturam, ſed validè coquere.

20. Si verò ſubitò excernatur, ſitque, quod ſubſidet, album, læve & æquale, ut tantum non dicere poſſis, naturam jam omninò viciſſe. Si verò dum mingitur, ſit purum, turbetur autem ſubitò, indicio eſt, naturam jam inchoare coctionem crudorum humorum. Si id fiat multò poſt: non jam, ſed mox inchoaturam. Hoc enim commune eſt omnibus turbidis urinis, quòd turbatio ſuccedit, aut citius, aut tardius, aut omninò non.

21. Si igitur ſubitò fiat, & ſedimentum ſit album, læve & æquale, ſignificat, naturam eſſe ſuperiorem humoribus coquendis: ſi ſedimentum ſit bonum quidem, ſed tardius ſuccedat turbatio, promittit non niſi tardam naturæ victoriam: ſi verò prorſus non turbetur, aut cum pravis ſedimentis, natura eſt debilis, & adjumento opus habet, ut fiat concoctio humorum.

22. Quemadmodum autem urinæ oſtendunt diſpoſitionem humorum in vaſis: ita ſudores, & alia, quæ apparent circa habitum totum animalis, oſtendunt qualia ſint, quæ in illis geruntur. Calidiſſimus enim ſenſus inſolens ſentitur in illo, cum calidi humores dominantur: frigidiſſimus cum frigidi. Ita candidiora ſunt in redundantia pituitæ: pallidiora in bilis. Hæc ſi mera & ſola ſit, flaviora ſunt. Color enim humorum eſt, non ſolidarum corporis partium, tum ſcilicet, cum non abſcondunt ſe in profundum.

23. Hoc accidit illis ob frigus, aut horrorem, aut animi affectum, qualis timor eſt, aut triſtitia ingens, aut pudor incipiens. Horum nihil cum accidit, humores nunquam reciprocarint in profundum, aut cutim unquam inflammarint, violentius incurrentes in illam, abſque eo, quod vel anima patitur, vel calor intenſus extrinſecus animal circumdederit.

24. In vehementer igitur iratis, aut alioquin commotis, ut in iis, in quibus ſanguis præ pudore ad ſuperficiem vergit, velut æſtu quodã marino, non oporte de colore ſolicitum eſſe. At verò abſque ambientis alteratione ſi ſit, vel ad calidum, vel ad frigidum, abſque etiam affectu animi eorum aliquo, qui dicti ſunt fallax non eſt coloris dignotio ex humoribus.

25. Ut igitur corpus, quod ſe ipſo albidius eſt, pituitam abundare arguit; u pallidius vel flavius bilem: eodem modo, quod rubicundius, ſanguinem. Sic quod nigrius, atram bilem ſignat. Videbitur etiam aliquod colorem plumbi re præſentare. Iterum, miſtura quædam tibi apparebit albi ſimul & lividi. Aliquando livor ſolus aderit ſine albore. Hi igitur colores crudum humorem ſignificabunt tibi, ſpecie quidem pituitam, minus autem humidam illâ, quæ conſueto more pituita dicitur. Ut plurimum autem nec lentus eſt, quæ qualitas ſi addit Praxagoras *Vitreum* vocat, notabiliter quidem frigidus qui ſit, minus autem craſſus illo, qui per excellentiam ὠμὸς dicitur.

26. In genere enim omnes hi humores albi ſunt & crudi: alius autem aliam habet appellationem, omnes autem diſtinguere à ſe invicem, tempus jam non ſinit. Illius enim accidentis ſolius nunc indigemus, quod nullus illorum exactè ſi percoctus, crudi autem ſint omnes. In quodam enim confinio ſanguis eſt & humorum bilioſorum, & horum, quorum genus uno verbo adjectitio appellari licet, ὠμὸς χυμὸς, aut φλέγμα. Illi enim ſuperelaborato fit ſanguine: hi verò in elaborato.

27. Utrorumque infinita quidem particularis differentia eſt, definita eſt autem ab harum rerum peritis in ſpecies numerabiles, quarum omnium heic meminiſſ

miniſſe nulla eſt neceſſitas. Hoc verò neceſſe eſt ſolum, ut reducantur ad unum caput, quod veluti ſcopus ſit agendorum.

28. Nam quoniam quidam ſunt antequam alimentum fiat ſanguis, quaſi ſemicocti; quidam omninò crudi; quidam ab ideâ ſanguinis parumper abſunt, quidam ultra ſanguificationem, ex immoderato calore facti; & horum ipſorum quidam parum abſunt à ſanguine, quidam plus, quidam plurimum: in iis, qui parum abſunt, confidenter adhibere licet venæ ſectionem; in iis, qui plus, cautius agere par eſt; in iis, qui plurimum, omninò abſtinere.

29. Simul verò conſiderare oportet & quantitatem ſanguinis. v.g. Si paucus ſit bonus ſanguis, in copiâ autem alius quidam humor, non oportet aggredi venæ ſectionem. Si verò hic paucus ſit, copioſus autem ſanguis, confidenter eſt agendum. Et ita poſteà (ſicut anteà dictum eſt) alvum ſubducere, intento oculo & ad copiam & ad ſpeciem abundantis humoris.

30. Si quis verò, vel ob ætatem, vel quia aliàs meticuloſus eſt, in venæ ſectionem nolit conſentire Medico, huic imperare oportet purgationem fortiorem. Si ibi quoque tergiverſetur, aliâ viâ educere oportet, quod ſupereſt.

31. Igitur in præſuppoſitâ naturâ corporis difficile non eſt invenire viam aliis vacuationibus: in aliis naturis diligentius in illas inquirendum cum ſuis limitationibus, de quibus iterum dicemus, cum abſolverimus naturam, bonis ſuccis abundantem.

32. Præſupponatur igitur talis homo, laſſitudinarius factus ob pravum victum, deinde ex ſignis dictis diſcatur, in genere quidem venoſo eſſe illi copiam humorum ſemicoctorum: in toto autem corpore humorum illorum acrium, à quibus laſſitudo fit. Augeatur etiam ſimul ſanguis illi. Poſt igitur venæ ſectionem protenus purgare oportet humorem illum acrem, qui videtur prædominari. Quod ſi æger non admittat venæ ſectionem, oportet fortius purgare. Si neutrum volet, cogitare oportet de aliâ viâ, per quam, factâ purgatione, ſi non celeriter, longiori tamen ſpatio, redeat ille ad naturam ſuam priſtinam.

33. Quoniam igitur duo primi correctionis ſcopi, in omnibus diſpoſitionibus his, ſunt, concoctio quidem humorum incoctorum aut ſemicoctorum, qui antè ſanguinem generantur; vacuatio autem acrium ſeu mordacium: quicunque ſecundo loco & poſt ſanguinem fiunt, abſtinere oportet ab omni vehementiore commotione, ſenſim autem ungere & fricare oleò poſt balneum temperatiſſimum. Poſteà in quiete & inediâ habere. Sed & ſomno reficere, ſi locum habeat, perſuaſi, quod nil tam coquit, quæ coctionem volunt, nil tam diſcutit pravos humores, quam ſomnus poſt balneum,

34. Quoties igitur, ut paulò anteà dictum eſt, primâ die experiri cœpimus, quam facilè ceſſura ſit laſſitudo, tamen videmus vexari eodem modo hominem noſtrum, debet duci in balneum, altero etiam die & quieſſe ſinere, & in inediâ ſervare. Eodem modo & tertio & quarto, ſi neceſſitas poſtulet, jejunus

nus in balneum mittatur, tranſigatque tempus intermedium omne in quiete & ſomno.

35. Non minimum ad ſomnum facit & balneum ipſum. Somnolentiores enim ſumus omnes poſt balneum, niſi quid majus impediat. Unde tibi ſpes naſcatur, ſomnum fore cauſam & bonum ſignum ſperatæ utilitatis. Eodem modo non poſſe dormire poſt balneum nec ut cauſa bonum eſt, nec ut ſignum. Plerumque enim indicia capiuntur redundantium humorum ex ſomno & vigiliâ.

36. In frigidis enim comata ſe oſtendunt & longiores ſomni: in calidis autem & acribus vigiliæ, &, ſi obdormierint tales, accedunt ſomni imaginoſi & tumultuarii, ut ſubitò iterum exſurgant. His talibus & primâ & alterâ die paucas & ſimplices ſorbitiones dabimus. Multum enim dare iis, qui vacuatione indigent, manifeſtè contrarium eſt: rurſus nihil dare, faſtidium parit, & vitiat ventriculum, & dejicit vires, & cacochymiam auget.

37. Parciſſimè igitur alendi ſunt, & ferè ptiſſanæ cremore, ſi nihil obſtet, ſimpliciter confecto. Si locum non habet, halica habebit condita pauco aceto, præſertim, ſi ſuſpicio ſit crudorum humorum, aut in venis, aut in toto habitu.

38. Nam ſi halica nihil aceti habeat, glutinoſior eſt, quam conveniat ſic affectis. Obſtruet enim potius quam abſterget poros, qui maximè indigent hoc auxilio, cum obſidentur craſſis & viſcidis humoribus, quales ſunt in univerſum pituitoſi omnes.

39. Halica igitur boni ſucci eſt, & attemperat vitioſos ſuccos: verum niſi corrigatur viſciditas ipſius addito pauco aceto & porro, obſtruet, aletque minus quam volunt ii, de quibus agimus. Ideò melior eſt ptiſſanæ ſuccus ad talia, cum & moderatè nutriat, & in tenuibus vaſis minus moretur. Pertranſit igitur ipſe, ſimulque abſtergit & mundificat poros, quin ſimul incîdit & diſſolvit, quidquid craſſum eſt in ſemicoctis humoribus.

40. Propterea etiam melicratum competit illis, oxymeli & apomeli, piper, zingiber, omnia, quæcunque ſecant & diſſolvunt craſſa, absque tamen hoc, quod cacochymiam augeant. De horum materiâ copioſius dicetur in ſequent. Quod ad rem præſentem, quæ dicta ſunt, exempla tantum ſunt, & erunt ſequentium.

41. Inter enim legumina optima eſt ptiſſana: inter oleracea lactuca: inter piſces ſaxatiles: inter panes, qui in clibano cocti ſunt, interque hos fermentati, & mediocriter furfurum expertes. Inter aves præſtant montanæ: in potu exſtat oxymeli, melicratum, & vinum tenue, albumque. In ſumma, quæcunque boni ſucci ſunt, abſtergunt, non viſcida, non craſſi ſucci, non valdè copioſi alimenti. Diuretica vocata hoc tempore non valdè laudo, præcipuè, qui vehementius calefaciunt & colliquant ſanguinem. Quæ enim rectè coqui debent, non opus habent hoc tumultu ullatenus.

42. Hæc omnia fieri debent altero die, non minus tertio & quarto. Præterea, ſi miteſcat diſpoſitio ulceroſa, & benè coloratum fiat corpus, ſomni ſint quieti, urinæ coctæ, fricare quidem plurimum licet, exercere autem modicè.

43. Ita

43. Ita faciendo ſi nullus quidem ſenſus laſſitudinarius ſuperveniat, ad conſueta exercitia ſubinde illi redeundum eſt. Si oſtenderit ſe aliquod ſymptoma ex ſuperioribus, aut etiam ſignum, iterum redire te ad illud fas eſt, & experiri mutationem particulatim.

44. Itaque ſi ſentias iterum laſſitudinem ſolam, cæteris bonis ſignis manentibus, apotherapiâ utendum eſt. Si ſigna ſint confuſa, & quaſi turbata, abſente tamen laſſitudine, oportet hominem ſervare in accuratiore quiete. Si concurrat utrumque, eâdem diligentiâ uſus, quâ anteà, eò perveniſti, ut de exercitio cogitâris, ſic correxeris dictam diſpoſitionem.

COMMENTARIUS.

45. In capite hoc benè longo ſunt etiam benè longæ & tortuoſæ ambages. Inprimis non intelligo, quod de infinitâ pituitæ differentiâ dicitur in t. 27. An per pituitam intelligit omnem chyli confectionem infelicem, quæ fit ob materiæ ineptitudinem? Hæc ſecum trahit aliud incommodum. Cum enim alius chylus ex braſſicâ fiat, alius ex rapis, & paſtinacis, alius ex pyris & pomis, alius ex lentibus, fabis, piſis, &c. ſemper malus; vitium autem primæ coctionis non corrigatur in alterâ: quis unquam ſperet bonum ſanguinem?

46. Olet quidem hoc dogma Ariſtot. ſententiam de pituitæ generatione antè omnem ſanguinem: ſed id ipſum validè concutit allata ratio. Quis enim ſperabit ſibi bonum ſanguinem, qui ἰδιωτικῶς vivat? Hæc adeò ratio compulit me, ut, cum anno 1642. corriperet me paralyſis dextra, abdicârim omnia olera, omnia legumina, contentus ſolis carnibus recentibus teneris, in ea quantitate, quam ventriculum meum poſſe conficere experientia me docuit. Hinc tanta mihi ſanguinis, non optimi, ſed melancholici-ſeroſi, copia, ut, ſingulorum menſium initiis, demantur mihi, per duas cucurbitulas bis ſcarificatas, ℥vj. ad ℔. uſq; integrã, quæ vacuatio ſic ſatis ſecurũ me facit in catarrhis. Plura hujus temporis nõ ſunt.

CAPUT V.

1. PОrrò, ſi alia quidem ſint eadem in eodem homine; ſit autem in corpore laſſitudinario bonus quidem ſanguis paucus, crudi autem humores plurimi: neque venæ ſectioni locus eſt, neq; purgationi, neq; exercitiis, ſed neq; ullus motus, neq; balneum. Venæ enim ſectio bonum quidem ſanguinem vacuat: pravum autem, qui in primis maximè venis eſt, illis, inquam, quæ circa hepar & meſaræum ſunt, in habitum corporis trahunt.

2. Purgatio autẽ præter hæc tormina cauſatur & morſus, itemq; lipopſychias, præterquã quod non evacuat, quantum debet. Crudi enim humores pigri ſunt, & difficulter loco mobiles, propter & craſſitiem & frigiditatem. Accedit, quod obſtruunt omnes anguſtas vias, per quas vacuandum ire debebat ad ventriculum, & propter hanc cauſam nec ipſi vacuantur, nec alios vacuari ſinunt. Hoc Hippoc. breviſſimo innuit verbo, *Cocta medicamento movenda, non cruda.* Propter hanc cauſam nec exercitium habet locum, nec motus ullus. Neque balneo uti poſſunt, qui crudis humoribus obſeſſas habent vias primas, Omnes enim tales

commo-

commotiones deducunt humores illos in totum corpus. Retinendi igitur tales in omni quiete, & exhibendi ſunt cibi, potusque, ut & medicamenta attenuantia, incidentia & elaborantia craſſitiem humorum, abſque manifeſtè calorificis.

3. Humores enim tales fortius calefacti, undiquaque per corpus vagantur. In victu igitur dandum eſt illis oxymeli præcipuè, aliquando parum ptiſſanæ cum melicrato. Tolerant enim victus tenuitatem, ſi qui alii, abutentes copiâ crudorum ad alimoniam corporis, dura paulatim coquunt illos.

4. Et quoniam omnibus talibus hypochondria ſunt tumida & inflata, & facilè, quod edunt & bibunt, in flatus illis convertitur, melius eſt aſpergere aliquid piperis longi. Diſſolvit enim craſſitiem flatulenti ſpiritus. Trudit etiam ad ventrem inferiorem ventrem, præ aliis piperis ſpeciebus, quæ otiosè morantur in hypochondriis, & promovet aſſumtorum diſtributionem eadem ratione.

5. Si non adſit, albo eſt utendum. Tonum enim ventriculi melius conſervat quam reliquę duæ ſpecies. Si neque hoc præſtò ſit, uſurpare optimum nigrum oportet, Hoc verò *βαρύςαθμον* appellatur. Non diſpliceat etiam compoſitio, *Diospoliticon* vocata, cujus duplex eſt factura.

De verbo hoc vide Gal. 1. Antid. 14.

6. Aliquando enim fit ex parte æquali, cumini, piperis, rutæ & nitri, valentiusque alvum ducit. Aliquando æqualia reliqua ſunt: nitri pars dimidia tantum. Præſtat autem, cuminum quidem injicere, quod vocatur *Æthiopicum*: piper autem vel longum, vel album. Maceretur aceto cuminum acerrimo, & mox ſtatim teratur, aut prius mediocriter frigatur in vaſe figlino exactè percocto in camino. Quæ enim non ſatis exſiccata ſunt, lutoſa potius ſunt, & communicant medicamentis aliquid de qualitate ſuâ.

7. Rutæ folia ſunto præexſiccata modicè. Si enim omninò, acria evadunt & amara, & calidiora æquo. Contrà, omninò enim exſiccata, retinent excrementitiam quandam humiditatem, non ſatis elaboratam, propter quam non carent flatulentia. His quatuor aliquando quidem prædeſpumatum miſcetur mel: aliquando autem nihil, ſed ſola ſine melle reponuntur, & cum ptiſſanæ cremore, aut alio cibo apto datur. Sumitur hoc medicamentum & ante cibum, & cum cibo. Et eſt laudatiſſimum, cum mel dextrè eſt deſpumatum. Tunc enim minimè generat flatus.

8. Sit autem & ipſum mel in ſuo genere optimum, ſiquidem compoſitio debet eſſe efficaciſſima in diſcutiendo flatus & incidendo.

9. Huc facit & illa quæ *διά τριῶν πεπέρεων* dicitur, modò non ſit nimis medicamentoſa, tamque varia quam eſt edulium illud, quod *καρυκεία* dicitur, aut ſui agreſtis à mirificis coquis (Medicis) præparata. Adeò ut non exiguæ ſit operæ Medicis, iisque, qui ſumturi ſunt, (*προσαναγρευμένοις*) benè contundere ingredientia medicamenta, ammi, ſeſeli, libyſticum, & quæ alia talia. Quæ enim ſumſerunt, ſentiunt diu manere in ventriculo cruda & inalterata.

10. Hæc igitur auferre oportet à compoſito, & præterea Helenium, nar-

dique

diqueſpicam, nec non Caſiam, ut alii componunt. Oportet igitur duplex habere in parato, ut nos habemus, alterum quidem ſimplex, quod iis datur, qui prorſus non coquunt propter nuper contractam ventriculi frigiditatem, & humorem phlegmaticum; alterum autem medicamentoſum, quo potiſſimum utimur in fluxionibus à capite ad thoracem.

11. Hoc poſterius quomodo ſit parandum iterum erit dicendum: ſimplex autem, quo utimur in cruditatibus primarum viarum, tale eſt: In 50. drachmas piperum ſingulorum ſufficit miſcuiſſe aniſi, thymi & zing., ſingulorum ʒviij. Hoc ſimpliciſſimum eſt, & hoc ſimplicius illud, quod ſine zing. fit. Aliud eſt ex iiſdem quidem compoſitum, ſed ita, ut ad 50. drachmas ſingulorum trium piper. addantur horum ſingulorum trium, aniſi, thymi, zing. drachmæ ʒxvj, quo etiam maximè utimur ad præſentia.

12. Debet autem, ſi poſſibile ſit, aniſum quidem eſſe Creticum, Atticus autem thymus, aut certe ex locis excelſis, ſiccisque. Et debet injici coma cum floribus, abjecto lignoſo omni. Sit autem & piper longum imperforatum & integrum, veluti & zing. Celerrimè enim fit utrumque teredinoſum. Hoc ne fiat, ſit legitimum piper, quod ex Barbariâ affertur. Adulteratur enim ibi dupliciter. Committitur quidem adulterium alterum in Alexandréa (Ægypti) ubi creſcit germen plantæ cujusdam.

Vbi ſit illa Barb. vide Notas in Gal. cap. de Zingib.

13. Ut autem dignoſcatur rectè adulteratum, narrabo ego, ubi hoc dixero, Neminem mirari debere, neq; inquirere in cauſam, cur, quod nuſpiam in Methodo feci, faciam heic, ſcribam, inquam, compoſitiones medicamentorum, ſimulque notas aperiam diſcernendorum ſimplicium legitimorum à falſis.

14. In Methodo loquor cum ſolis Medicis: heic cum aliis quoque, qui φιλιατροὶ communi nomine vocantur. Sunt illi in primis quidem diſciplinis exercitati, ſed ulterius mentem non acuerunt. Quare non neceſſe eſt illis, aut in doctrinâ Simplicium verſari, aut in compoſitiones ſe immiſcere, multò minus examinare Simplicia.

15. His igitur accuratè ſcribere oportet omnia talia, quemadmodum jam feci de pipere longo. Primum igitur deguſtare illud oportet, & deſpicere, habeatne quodammodo piperis facultatem? Deinde aquæ imponere. Adulteratum enim ſi per integrum diem, ſtatim diſſolvitur tabefactum. Igitur, ſi qualitatem piperis adhuc habet, ſi in aquâ non diſſolvitur, ſi etiam, ut dictum, non teredinoſum: hoc longum piper judica eſſe bonum.

16. Nigrum autem, neque exile ſit, neque rugoſum, neque craſſi corticis, ſed ex illo genere, quod βαρύςαθμον appellant, & eligatur id, quod maximum & pleniſſimum.

17. Albi ſimiliter accipiatur, quod maximum & optimi habitûs. Deinde, omnibus ſimul tuſis, & per cribrum tenue excuſſis, miſcetur mel optimum optimè deſpumatum, odoratum ſcilicet & flavum, dulciſſimum ſimul & acerrimum.

conſiſtentiâ neque craſſum, neque liquidum ita ut abrumpatur ſubito continuum, h.e. ut intincto digito, manuque ſublatâ filum faciat longiſſimum antequam abrumpatur. Melius eſt autem coquere ſuper carbonibus, aut certè lignis illis ſicciſſimis, quæ ἄκαπνα vocantur.

18. Hoc igitur medicamentum dare oportet, non ſemel tantum, aut etiam bis, ſed ſæpius ſingulis diebus. Nam & manè, antè cibum & poſt cibum, & dormire volentibus convenit. Doſis eſt cochlearis menſura, parvi quidem in parvis corporibus, maximi autem in maximis, analogum quid in mediocribus.

19. Præterea, zing., quod ex Barbariâ affertur, aceto maceratum, convenit. Hoc eſt radix herbæ viridis, impoſita aceto ſtatim atque eruta eſt. Caliditas enim horum medicamentorum exſtinguitur ibi in primis viis, nec differtur in totum corpus, ut in aliis quibusdã, v.g. Diacalaminthis, de quo poſt pauca uberius.

COMMENTARIUS.

20. Noto, hodiè natales zing. multò latius patent, ſi Garziæ credimus. Conditura recentis in aceto hodiè Indis ignota eſt. Vide Notas in Gal. 6. *Simpl. c. de Zing.*

CAPUT VI.

1. IDeò & oxymeli utiliſſimum illis eſt, ut antè etiam dictum eſt. Præparare & hoc oportet ad hunc modum: Mel optimum ſuper carbonibus deſpumantes injiciemus illi tantum aceti, quantum opus illi eſt ad conciliandum illi ſaporem, neque nimis acidum, neque ut dulcis ſuperet. Tunc igitur iterum coquere oportet ſuper carbonibus, ut commiſceantur ſapores, nec videatur bibentibu crudum acetum. Huic ab igne depoſito aqua miſceatur, non in eâdem quantitate, ſed pro uſu, ut in vino quoque facimus.

2. Si igitur qui bibit, neque aciditatem culpet, neque dulcedinem, utendur illo ubicunque uti ſolemus. Si non, adjicientes quantum deeſſe videbitur, coqu mus iterum. Non enim probo eos, qui unam συμμετρίαν obſervant in præparatic ne illius. Faciunt enim, quod illi, qui omnibus eandem vini & aquæ proportion ſuadent, non cogitantes, quod qui aſſueti ſunt potui aquoſo, eorum capita ſubit percelluntur, ſi vel tantillo meracius ſit vinum. Aliis, qui contrariam habent cor ſuetudinem, offenditur ſtomachus. In vino igitur, tam familiari potu, ſi hoc acci dit, multò magis in oxymelite id accidet, quò illud vino inconſuetius & fortius.

3. Præſtat igitur moderamen illud ex bibentium ſenſibus petere, non nc ſtris. Nimirum, naturæ ſumentis amiciſſimum eſt oxymeli illud, quod ei dulci ſimum videtur, & propterea etiam utiliſſimum. Contrarium verò, à quo abho ret. Primam verò illorum temperiem, ut quæ pluribus convenit, ad hoc exen plar facere oportet: Uni parti aceti adderem duplum mellis deſpumati, & ſic d inde ſuper leni igne coquerem, usque dum unirentur qualitates utriusque. Sic nim neque acetum crudum adhuc apparebit: (neque mel perdet vires ſuas.).

4. Ita autem parabis oxymeli extemporaneum: Aquæ laudabili miſceatı mellis quadruplum. Mox coquatur modicè, dum non ſpumeſcat amplius. M notæ deterioris ſpumæ dat plurimum, unde diuturnior eſt coctio ipſius: ſed opt

mu

mum brevi tempore pauciſſimam abjicit; unde tantum temporis non requiritur. Quæ longiſſima eſt coctio quartam partem liquoris, qui ab initio erat, abſumit. At verò cum aceti dimidium ſumitur, repetenda eſt coctio, usq; dum exactè qualitates uniantur, nec acetum crudum ſuperſit. Paratur enim ſtatim ab initio miſtis omnibus tribus.

5. Sit autem una quidem pars aceti, duæ verò mellis, aquæ quatuor. Hæc coquantur usque ad tertiam, ſemper auferentibus nobis ſpumam. Si fortius velis, tantum aceti injicies, quantum mellis.

6. Apomeli optimum ex aquâ paratur, bibiturque totâ æſtate pro refrigerante. Poſſit quis uti ad propoſitam quoq; diſpoſitionem cum fructu, præcipue, cum acuerit. Hoc ſæpe illi accidit, jam frequentius, jam rarius, & paratur ex aquâ, non pluviali, ut hydromeli, ſed quâvis. Poſſet quis, ſi velit, etiam ex pluviali facere, & ego ſuaderem, ſi pluviam aquam probarem. Sed neque ego probo, neque deterius eſt, quod acuit, & maximè ad diſpoſitionem, de quâ agimus. Etenim & mediocriter aceſcit, præſertim id, quod non prorſus perfunctoriè factum eſt.

7. Conſiſtit autem diligentia facturæ in eo, ut nec favus prorſus ſit malus, coquatur autem abundè in aquâ fontanâ purâ, dulcique. Poſtquam enim è favo mel expreſſum eſt, tamdiu coquere oportet in aquâ, dum nulla in ſuperficie ſpuma ſe oſtendat. Hoc potu uti oportet cum vinis, quæ mediocriter acuerunt, & cibis attenuantibus ſine calore, (talis eſt capparis ex oxymelite comeſta, aut oxelæo,) ad biduum aut triduum continuando hunc victum.

8. Si verò in ſpem venias, jam ſatis ſuperque attenuatos eſſe crudos humores, da vinum conſiſtentiâ quidem tenue, colore autem flavum aut album. Hoc enim humores gignit laudabiles, & coctiones promovet: illud urinas movet. Talia ſunt in Italiâ Falernum & vinum Surrentinum ex primo genere, velut ex altero Sabinum, Albanum & Hadrianum. In Aſiâ autem ex primo quidem Lesbium & Arviſium, ex altero autem Titacazenum & Arſyinum. Et hæc quidem exempli loco dicta ſunt: multa autem alia ſunt, tàm per Italiam, quam Aſiam, non minus quam in aliis regionibus, ſimilia dictis, quæ eligere oportet, intuentes ſcopos prædictos in colore & conſiſtentia. Quo in examine reſpuere oportet craſſa & nigra vina, ut cacochyma, & tardiuſculè permeantia.

9. Horum uſu ſi in melius proficiat æger, etiam de balneo cogitationes inſtituere oportet, de unctionibus & frictionibus mollibus. Quo tempore ubi urinæ inceperint ſedimentum habere, in frictionibus aſſiduum eſſe oportet, & ad conſueta exercitia paulatim ducere.

10. Hoc ipſo tempore utendum etiam eſt unctionibus diaphoreticis, quarum anteà etiam memini, iterumque de illis loquar. Vomitibus ut utatur in his diſpoſitionibus, conſultor non ero, licet eò deſcenderint quidam tàm Medici, quàm Gymnaſtæ, falſi ut puto, iis, quæ ſcripta ſunt à Philotimo & Praxagora de horum humorum curationibus. Non enim cum laſſitudinariæ diſpoſitiones frequentiores fiunt, ſed cum vomitus, expurgant illos:

Nullum enim periculum eſt in eo, cum vi adhibitâ revellitur quid excrementorum habitus, quale periculum eſt, cum utraque abundant, cruda quidem in primis viis: acria autem in ſolidis.

11. Tum enim cavere oportet utramque revulſionem, crudorum quidem ad exteriora: acrium autem ad interiora. Quemadmodum enim abſtinuimus in ſuperiori ſermone à revulſione crudorum ad exteriora: ſic abſtinere oportet ab acrium ad interiora. Capita autem revulſionis ad exteriora ſunt, exercitia, frictiones, balnea, & alia calorifica, qualia ſunt inunctiones calidæ, ex affectibus animi concitatio ad iram, & in univerſum omnia, quæ ex imo corporis revocant humores quaquaverſum: ad interiora autem, quæ avertunt motum ad exteriora.

12. Hæc aliquando ſunt, quæ cuti adhibentur frigida & adſtringentia, & quæ præter hæc attrahunt humores, aut quoquam alio modo momentum dant humoribus ad interiora, è quorum numero eſt triſtitia & horror, quacunque è causâ factus. Monſtratum enim eſt fieri tam à calidâ causâ, quam à frigida, & horrorem & rigorem, ut & ob ſtuporem & timorem ſive ex viſu ſint orti, ſive ex auditu.

13. Omnia igitur hæc cavenda ſunt tum, cum laſſitudinarius eſt, qui venas habet crudis humoribus ſtipatas. Neque enim commodum eſt vel extrorſum trahere humores illos, vel introrſum vocare. Sed hos quidem ſenſim digerere, (quæ enim violentius id agunt, trahunt aliquid ex imo:) illos autem attenuare & coquere. Tu verò ſi vehementius movere audeas vel vomitoriis vel purgantibus attrahes quædam intrò ab interioribus.

14. Philotimi aſſeclas, hac vacuandi ratione uſos, accuſare non oportet, ſi in primis viis copia illa crudorum ſtabulet, ſine alia diſpoſitione aliquâ: ſed potius diligentius rimari veterum ſcripta. Hoc fine decoquere par eſt hyſſopum in melicrato, non ſtatim quidem & primo die, ſed ſequentibus, cum intus quidem urget cruditas, foris autem laſſitudo. Vomitus autem deprecabimur, timentes externorum recurſum introrſum. Praxagoras autem & Philotimus rationaliter vomitum per melicratum excipiunt, crudos humores curantes abſque diſpoſitione laſſitudinariâ.

CAPUT VII.

1. SEd quoniam de his quoque dictum eſt, quod ſatis eſſe poteſt, tempeſtivum eſt ad id, quod reliquum eſt de diſpoſitione, & incipere ab eo, cum in habitum corporis aſſumtum eſt, quod laſſitudinem ulceroſam facit.

2. Hoc fit, cum ſive à calore, ſive poſt exercitium nimium ex venis in carnes rapiuntur crudi humores, quamvis non præceſſerit ulla cruditas recentior. Si tamen hoc quoque fiat, totum corpus frigidis humoribus redundabit.

3. Et dicetur quidem paulò poſt, quomodo corrigere oporteat hanc quoque

que diſpoſitionem: Verum, quia compoſitum poſterius eſt ſimplicibus, melius fuerit de ſimplici prius differere, & poſteà iterum ire ad compoſitas.

4. Sed neque hanc exquiſite ſimplicem eſſe credere oportet, ſed ut in ſpontaneis laſſitudinibus. Suppoſitâ enim diſpoſitione, quæ laſſitudinem facit, miſcemus ei alias. Sed quia in miſtione, quandoque ſimplex & una miſcetur, quandoque compoſita, ſic vocavimus ſimplicem, de qua ſermo nobis inſtitutus eſt.

5. Sit verò copia crudorum humorum in ſolidis corporis partibus, non in venis, ſimul cum laſſitudine ulceroſa. Hypotheſis enim ſermonis ab initio inſtituti talis erat. Ut igitur cavimus calefacientia, ubi cruditas in venis, & maximè in primis, quod metus ſubeſſet, ne humores illi transſumerentur in habitum: ſic nunc metus nullus eſt.

6. Danda igitur illis, quæcunque calorem ſuum extendunt usque ad cutem, & inſtruendæ frictiones crebræ cum oleo laxatorio, & potiſſimum mane, cum ex ſomno ſurgitur. Talis enim frictio & coquit crudos humores, & nutrit corpus animalis. Hæc ſi fieri debeat, multam interponere quietem oportet. Manifeſtior autem effectus erit, qui quæritur, ſi primis diebus pauca offerantur cibaria cum parco potu in cœna. Sit autem ille vinum fulvum & tenue. Non oportet autem exercere non perpetuò, nec ſtatim à cibo, ne fallamur, dum cogimus corpus incoctis humoribus.

7. Melius igitur manè inſtare fricando & poſteà quieſcere, tum verò modicè inambulare, & iterum ſtrenuè fricare, balneo uti moderatè calido, cibos dare boni ſucci, non lentos. Eorum materia dicta eſt anteà, cum laudaremus in hoc caſu ptiſſanam, & piſces ſaxatiles, avesque montanas. Apti quoque ſunt cibi attenuantes, de quibus privatim ſcriptus exſtat liber.

8. Nec eſt quod metuas, ne nimium calefacias, quin audacter da medicamentum, quod διακαλαμίνθης dicitur, ejus compoſitio eſt talis: Calaminthæ pulegii, petroſ., ſeſ., ana ʒij. ſem. apii, corymb. thymi, ana ʒiiij. libyſtici ʒxvj. pip. ʒviij. & xλ. Piper eſto, quod βαρύϛαθμον vocatur, ſeſeli, quod Maſſ., petroſ., quod Maced., & ex hoc illud, quod Eſtreaticon, calam. & puleg. ex Cretâ, ſi non poſſint haberi, tamen ex locis excelſis & ſiccis. Ita thymus quoque. In univerſum, partes quidem lignoſæ & ſiccæ abjiciuntur, aſſumuntur autem folia, & ex his, quæ tenuiſſima & craſſiſſima & in ſummitate plantæ, præterea flores, feſtucasque minimas. Tundere autem omnia ſimul, & per cribrum tenue excutere.

9. Talia enim medicamenta in totum corporis habitum diſtribui debent, veluti, quæ craſſiuſcula in ventriculo manere, cum tenuia venarum orificia ingredi nõ poſſint. Proptereà & quod Dios-politicon vocatur, cujus anteà memini, craſſiuſculè præparare ſoleo, cum volo illud purgare. Hoc cum ignoraret quidam, & redigeret in tenuiſſimum pollinem, nihil quidem purgavit, urinas autem movit. Cum hoc ille referret ad me admirabundus, & inquireret in veram even-

eventus cauſam, ipſe quidem dicebat, ob dyſcraſiam hominis (ſic enim loquebatur) id factum eſſe: poſtquam autem didicit, modum compoſitionis eſſe cauſam propriam, alio tempore aliter præparavit, & aſſecutus eſt ſcopum.

10. Hujus præcepti memorem eſſe oportet in omni compoſitione: de quo autem loquimur medicamento vult omnia valdè tenuia, ut quaquà verſum facilè didantur omnia. Miſceatur autem ita præparatis mel optimum, idemque accuratè deſpumatum. Uſus ipſius eſt poſt frictionem matutinam, ante exercitium balneumq;. Licet etiam uti ſicco medicamento abſq; melle, veluti ſale ad opſonia parato. Licet etiã ptiſanæ addere, ut acetum addimus, aut tale quid loco piperis.

11. Non ſolum autem ſicco hoc uti licet, veluti ſale, ad multa alia: ſed & illo quod cum melle. Nam & hoc cum cibo guſtare licet cum alio aliquo, quod ægro ſuave ſit: at verò poſt cibum neque hoc ſumere licet, neque aliud medicamentum quod diſtributionem celerem cauſaturum ſit. Non enim tunc diſtributioni ſtudemus, ſed coctioni aſſumtorum.

12. Melius igitur eſt, ſi externo coctionis adjumento indigeamus, dare medicamentum, cujus compoſitionem paulò ante aperui. Dico autem id, quod vocatur τὸ διὰ τριῶν πεπέρεων ſimplex. Hoc ipſum piper ſolum, potui inſperſum bonum eſt medicamentum ad ea, de quibus agimus. Si major urgeat neceſſitas & illud, quod ex ſucco malorum Cydoniorum fit, cujus compoſitionem totam ut & facultatem accuratè exponam libro ſequenti.

13. Quod huc facit, eſt optimum ex his, quæ mihi cognita ſunt, τὸ διακαλαμίνθης. Attenuat enim craſſa, viſcidaque, diſcutit, urinas movet & menſes mulieribus. Eſt & guſtu ſuaviſſimum, maximè, ſi mel adſit copioſum. Tum vero in deſpumando diutius occupari oportet. Qui verò abhorrent à dulcibus, & mel fugiunt, (inveniuntur enim tales naturæ:) parcius miſceatur mel. His talibus dare oportet mel, quod diutius coctum ſit. Minus enim dulce eſt, & minus evertit ſtomachum abhorrentibus aliâs naturâ. Talia quis ipſe meditetur per ſe, antequam ego conſulam, unum habentes propoſitum nobis ſcopum, ut, quantum licet, ſuaviſſimum evadat medicamentum, ſervatis tamen viribus integris. Has enim exſolvi nolo, jucunditati ſtudens.

14. Quando igitur per biduum aut triduum homo ita altus ſit, nihil nocuerit de inſtituendo exercitio conſueto cogitare, præſertim, ſi & color ſit nativus reſpondeantq; ſigna alia, quæ dicta ſunt libro ſuperiori. Si enim omnia ſigna ſint bona, omninò exerceatur. Si non, etiam ante mediocritatem deſiſtere oportet ab exercitio, & cavere cibos & medicamẽta eo die, & ſequenti redire ad exercitium præſentib⁹ iiſdẽ ſignis, ſcopisq;, ut, poſtquã omnia inculpata fuerint, redeas ad eam victus rationem, quâ utebatur, antequã corriperetur ſymptomate laſſitudinario.

CAPUT VII.

1. QUoniam iis, qui cumulare crudos humores in carnibus, totoque corpore ſolent, conducit medicamento uti acopo, quod ex abiete fit, ſive

coqu

coqui illi debeant, ſive digeri, nihil abſurdi; ſi de compoſitione ipſius aliquid dixero.

2. Maturimum ad medicamenti hujus confectionem eſt ſemen abietis circa Arcturi ortum, quod tempus Romæ eſt vocatus menſis September, Pergami autem apud nos ὑπερβερεταῖος, Athenis autem ὁ βοηδρομιών, in quo celebrantur Myſteria. Oleo autem injicere oportet hoc ſemen quocunque anni tempore. Nulla enim, quod ad hoc, diverſitas eſt. Melius autem eſt, ſi contuſum ſit, celeriter enim imbuet oleum propriâ ſuâ qualitate ſeu facultate. Hoc tempus breviſſimũ eſt dierũ 40. Sæpe nos ſivimus macerari ſemẽ in oleo per tres, quatuorve, aut etiã plures menſes, deinde abjecimus ſemen. Deinde oleum colavimus per linteũ.

3. Sit autem oleum unum ex numero eorum, quæ laxant, quale in Italiâ Sabinum eſt. Injiciatur autem in 25. olei cotylas modius Italicus ſeminum dictorum. Sint verò & cotylæ Italicæ, quas libras vocant. Ubi maceratum in oleo ſemen fuerit, multò jam minus ſe ipſo apparet. Ei igitur, quod reliquum eſt, idoneus ceræ modus eſt librarum quatuor, reſinæ autem abiegnæ tertia pars libræ; quæ facit ℥ij. & xxx. Tantundem reſinæ ſtrobilinæ imponitur. Hæ reſinæ ſi non adſint, tantum terebinthinæ ſumatur. Coquere autem præſtat in vaſe duplici, & omninò ſuper leni igne, quale carbonum eſt. Sint autem iterum hi quoque pauci.

4. Hoc medicamentum aptiſſimum eſt omnibus laſſitudinibus, ſive ſpontaneæ ſint, ſive non ſint. Eſt etiam bonum, quod ex populi floribus fit. Hoc tale eſt: Florum populi non planè apertorum modius Italicus injicitur libris olei Sabini xv. aut xx. Ubi Sabinum non eſt, præparare oportet tale quod ſimilium oleorum. Dictum eſt autem anteà, omnia talia eſſe partium tenuium, ſine adſtrictione. Melior eſt flos, qui modicè contuſus eſt. Si etiam quotidiè moveatur, maximè cum domus calet à Sole, in quo repoſitum eſt oleum. Ita enim populi facultas & qualitas in oleum tranſit. Quod ubi expreſſeris poſt duos aut tres menſes, abjectis floribus, oleum habebis abſque morſu digeſtivum, non minus quam abiegnum.

5. Quin etiam injicere licet illi ceræ & reſinæ tantum, quantum jam dictum eſt in compoſitione acopi ſeu ſem. abietis. Quod ſi expreſſum oleum fiat craſſiuſculum, ſatis ſit miſcuiſſe quartam, aut etiam quintam ceræ partem. Ego verò memini aliquando, & ſextam partem addidiſſe me craſſefacto oleo, & in eo, qui gaudebat liquidiore unguento.

6. Quidam indignantes tam diuturnam macerationem tam florum, quam ſeminum, coguntur, partim in oleo coquere, partim aquam immittere, (hoc faciunt diligentiores;) idque in hunc finem, ne injecta frigantur, néve oleum nidorulentum. Qui verò his etiam diligentiores ſunt, coquunt in vaſe duplici.

7. Hujus rei hæc eſt ratio: Lebes adeſt, in quo aqua fervens. Huic aquæ innatat vas quoddã parvum, cui oleum infunditur. Hoc nos etiam facimus, ſed nõ ad coquendos flores, ſeminaq́ꝫ, (non enim indigemus, cum tamdiu maceraverimus: ſed

ſedcum diſſolvere in lebete volumus reſinas & ceram, pro medicamenti præparatione.) Qui verò ſubitò cogitur præparare, is, ut dictum eſt, debet præcoquere, infuſâ aquâ & vino, ne frigatur. Heic aqua eſt utilis, quatenus laſſitudinum res agitur: vinum, quatenus podagricorum, & univerſim arthriticorum.

8. Sufficit miſcuiſſe aquæ tantum, quantum abſumitur inter coquendum. Olei parum, puta, ut quadrupla ſeu quintupla pars ſit. Hæc medicamenta digerunt humores, nec valdè craſſos, nec valdè lentos, circa carnes, cutimque ſtagnantes. Idem facit & ol. chamæm., cùm per ſe ſolum, tùm cum cerâ & reſinâ. Sufficit heic etiam ceræ pars quarta, reſinæ duodecima.

9. Si oleorum dictorum nullum ſit in promtu, facilimum factu ſit tibi anethinum. Eſt enim & hoc diaphoreticum, ſive ſolo quis utatur, ſive cum cerâ & reſinâ. Anethinum paretur in vaſe duplici. Erit autem efficacius, ſi anethum ſit viride. Sampſuchinum etiam locum habet tempore hyberno, & in regione frigidâ, conſtitutione aëris eâdem. Addatur & huic cera, reſinaque, ſi corpori inuncto diutius inſidere velis. Eodem modo & herbam libanotida incoquere oleo par eſt. Si hanc non habeas, radicem accipe betæ albæ, aut cucumeris agreſtis, aut althææ, aut bryoniæ. Satis enim ſtrenuè diſcutiunt, ubi qualitatem ſuam depoſuerint in oleum aliquod diaphoreticum. In quodcunque talium oleorum ita paratum, injicere oportet, aut ceram ſolam, aut cum reſinâ, & habebis unguentum optimum & durabile. Sufficit autem injeciſſe ut plurimum ceræ quidē partem quartā, reſinæ autem duodecimam. Si verò & duas reſinas addideris, v. g. abiegnam & ſtrobilinā, aut inſuper tertiam terebinthinam, aut, non proſtantibus his, humidam pineam, habebis & ſic medicamentum diaphoreticum. His deſtitutus, miſcebis pineam figulinam, aut etiam vocatam φρυκτὴν, non ignarus, has quidem prædictis ignaviores eſſe, tamen non rejiculas.

CAPUT IX.

1. Reliquata eſt hactenus laſſitudo illa, in quâ præter ſenſum ulceroſum eſt copia crudorum humorum, & de quâ dicendum nobis reſtat. Hujus correctio non eſt difficilis inventu, ſi initium faciamus à dictis. Si enim cum in primis viis copia crudorum humorum eſt, diximus ſecandos eſſe illos & coquendos, vitantes raptum illorum in habitum corporis; ubi verò in extremis venis & in habitu animalis eſt, coquendum ſimul & diſcutiendum eſſe: utrumque miſcendum erit, ubi utrumque adeſt. Itaque ſi videbitur æqualium vitium in læſione eſſe, æqualiter utrique obviam ibimus. Sin alterutrum prædominabitur, in illud ſolum curam dirigemus, alterius & minoris non ſecuri.

2. Miſcebitur igitur cura utraque hoc modo. Nihil igitur impediet, quo minus in paucis exemplis rem proponamus. Ut τὸ διὰ τριῶν πεπέρεων in uſum vocetur, conſului in iis, in quorum venis præſertim primis, abundant crudi humores. Si igitur non in his ſolummodo, ſed in omnibus ſit cruditas, & jam in carni-

carnibus quoque, principio curæ inſtitutæ prorſus utendum τῷ διὰ τρ.π., in quod ingrediatur tantum petroſelini, quantum fuit thymi, aniſi & zing. Poſt diem verò primum, & magis alterum, ammiſcere aliquid τῦ διακαλαμίνθης. Deinde, alterum tantum. Mox, progreſſu temporis, plus τῦ διακ. In fine ipſum ſolum.

3. Eodem modo in totâ diætâ, cum diſpoſitiones æque validæ fuerint, miſcere fas eſt ſcopos correctionis. Interim in principio prævalere debent remedia, quæ primis viis deſtinata ſunt: in fine, quæ extimis: in medio utraque.

4. Hæc igitur dicta mihi ſunt, ex quibus apparet, quo modo peccata humorum corrigenda ſint, antequam ægrotet homo. Ex iis enim, quæ dicta ſuper diſpoſitione laſſitudinariâ, ulcerosâ, cum miſcetur alicui cacochymiæ, colligere eſt de omnibus aliis, cum una illarum ſola conſiſtit.

COMMENTARIUS.

5. Ante omnia heic unguem imprimo verbis illis, πρὶν νοσῆσαι ἄνθρωπον. Hic enim limes eſt, intra quem coërcentur morboſa ſymptomata heic dicta. Uno verbo pertinent ad ὑγιεινὸν. Deinde hoc commoneo, Curam hujus affectus vix conſtituram Galeno. Cacochymia enim illa vix erit ſine obſtructione viſceris alicujus. Illa verò non curabitur ſolis acribus. Oportet enim interponere, certis dierum intervallis purgantia, ut ſuprà dixi, autore & duce immortali noſtro SCHERBIO. Eadem curatio incurrit in dicam victus attenuantis, de quâ ibi quoque.

CAPUT X.

1. JAm igitur fere omnia dicta ſunt & de primâ laſſitudinum ſpecie, in quâ ſentitur dolor punctorius in toto animalis habitu: & ſi quæ aliæ redundantiæ pravorum humorum in corpore fiunt, ſive eæ ſolæ per ſe ſint, ſive cum laſſitudinibus: de tenſiva à nobis dicta jam agam. Quod igitur talis laſſitudo, cum accidit non præeunte exercitio, copiam arguit humorum diſtendentium ſolidas animalis partes, cùm aliis celebribus Medicis, tùm Eraſiſtratéis.

2. Quod verò, ubi ſanguinis copia eſt, optimum ſit, vel venam ſecare, vel ſcarificare malleolos, dictum eſt à me alibi: reſumendus autem eſt ſermo propter Eraſiſtratum, quod neque propter ullam aliam diſpoſitionem, neque propter hanc uſus ſit venæ ſectione.

3. Quod igitur in naturâ optimè conſtitutâ, de quâ agimus, liceat etiam alio modo copiam ſanguinis vacuare, dictum eſt alibi: in vitioſis autem naturis, in quibus excrementa vel ad cerebrum tendunt, vel ad thoracem, quantum mali ſit de alio vacuationis modo cogitare, prætermiſsâ venæ ſectione, dicetur quidem in ſequentibus libris, in quibus finem habebunt vitioſi ſtatus; ſed & dictum eſt libro de venæ ſectione adverſus Eraſiſtratum.

4. Quareimmorandum heic non eſt, ſed properandum ad tertiam laſſitudinis ſpeciem, cum ſpontè fit, illam videlicet, quam inflammatoriã in ſuperioribus appellavimus, partim propter doloris magnitudinẽ, partim propter evidentem calorem, quo muſculos in tumorem attollit. Hæc laſſitudo ne paucis quidem horis, nedum duûm aut trium dierum ſpacio, eandem retinet molem Eraſiſtratéæ tarditatis: ſed ſtatim febrim cauſatur vehementiſſimam, niſi ſanguinis miſſione quis præveniat.

5. Equidem & ferventiſſimus eſt ſanguis harum laſſitudinum, & omne illâ tentati indigent illa copioſa. Pleriqne etiam eorum febricitant, quamvis ven illis ſecta ſit. Quare nec timidum eſſe oportet, nec parum emittere, ſed ad deliquium uſque animi perducere, ſi nihil aliud impediat. Melius etiam foret, ſi liceret, bis aperire eodem die, ita quidem ut prima vice ad animi deliquium no aſpires, altera non extimeſcas. Quin enim priore vacuatione reſolutus eſt, alterai ne toleret quidem. In hac verò ſi quid tale accidat, facilè refocillabitur.

6. At verò qui ita affecti venæ ſectionem non admittunt, bona fortuna indigent, ſi ſervari debent. Sed neque ſervantur, niſi vel hæmorrhagia è naribu ſuperveniat, vel largi ſudores.

7. Conſiderandum verò illis eſt, qui venam ſecare volent, nunquid circ thoracem, aut lumbos firmarint ſe tenſiones, aut dolores pulſatorii, aut potiu circa caput, collumque. Sic enim humerariam, (ſeu externam,) his ſecabis, ſi caput ſibi ſentiant grave & calidum: illis verò internam. Sin æqualiter totum corpus ſentiat laſſitudinem, mediam inter utramque.

8. Si contingat in ipſa ſectione ſupervenire febrim, videat Medicus therapeuta quid ſui ſit officii. Si non ſuperveniat, prima die convenit dare aut ptiſſan ſuccum aut halicæ ſorbitionem: altera, etiam balneo uti licet cum multo ole Nutrire verò, etiamſi laveris, non niſi modicè, licet, v.g. lactucâ, ſi velit, aut cucurbitâ, ſi adſit, & ptiſſanâ. Et halica bona eſt, ſi quis condiat ut ptiſſana ſole cum aceto, aut etiam ſine aceto, Si cucurbita non adſit, malva ſic paretur, aut b ta, aut lapatum, aut atriplex.

9. Si carnes velit, piſces ſint ſaxatiles, aut aſelli in jure albo. Voco jus a bum, cum ſine garo, potius ſine ulla operoſa conditura præparetur, anetho ſale aquæ injecto, cum oleo & pauco porro. Melius fecerit, ſi ſequenti etiam d vino abſtineat. Tertia, niſi cruditatem metuat, & tunc abſtineat vino, aqua co tentus. Si non ferat, apomeli bibat. Hic enim potus refrigerat aliquatenus, qu etiam opus habent laſſitudines inflammatoriæ.

10. Non præſente illo, detur vinum tenue & album, cum aliis pro ratio inſtauratoriis, cibo, inquam, boni ſucci, nequaquam calefaciente. Inprimis v tentur, quæ confertim alunt. Quicunque enim poſt tales vacuationes ad priore victûs rationem ſubitò redierunt, horum habitus impletus eſt crudis humoribu quos trahit corpus, antequam conficiantur in ventriculo & venis.

11. Ha

11. Hæc enim eſt optima præcautio laſſitudinis inflammatoriæ. Cur autem terare jubeamus venæ ſectionem, & nolimus confertim ali, ſatis eſto nunc ratio empirica, quia qui ſic vacuati ſunt, magis juvantur, & melius valent, ſi ſenſim, ut dictum eſt, reficiantur. Nihil nocuerit, ſi addamus rationem quoque illam, quæ x rerum naturâ petitur. Nam quia in laſſitudine inflammatoriâ copia collecti ſanguinis calidi in habitu eſt; venæ ſectio autem vacuat humores in venis contentos: ſatius eſt, poſt primam ſectionem interponere tantum temporis, ut aliquid ex venis in corpus reſumatur. Hoc verò concedendum non eſt ut maneat in venis, ſemipravum quippe, ſed vacuanda pars ejus multò maxima. Propterea altero die repetimus venæ ſectionem, aliquando etiam tertio, tum ſc. cum videbitur opus eſſe revulſione, & translatione de vaſe in vas.

12. De omnibus his limitationibus accuratiùs agitur in libris de venæ ſectione, nec conceſſum eſt meminiſſe heic, cum magis proprium ſit methodi medendi, & nos fortaſſis hoc ipſo in opere perfectius acturi ſimus de venæ ſectione.

COMMENTARIUS.

13. Quæro, cur venæ ſectio magis propria eſt Methodi? Quia Methodus curat morbum magnum, qui ſolus indicat magnum remedium. Quei ergò venæ ſectio locum habet ἐν ὑγιεινῇ? Quia morbus magnus vel jam eſt, vel erit. Hinc αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι, quæ ferè ſunt cum plethora, 1. Aph. 3. ſunt ſolvendæ venæ ſectione: Cur? quia ſunt σφαλεραὶ, *periculoſæ*. Cur hoc? Niſi fiat, quod debet, maturè, decumbit ſanguis in partem aliquam principem qualis hepar, & inflammationem facit. Hinc plethorici in perpetuo ſunt metu hujus morbi, cujus rei non unum exemplum habeo. In Apoplecticis, præcipuè, cum venæ ſectio omiſſa eſt, quaſi miraculo reviviſcunt. Non fit id autem poſt mortem, ut vulgus ineptè credit: non magis quam fœminæ hyſtericæ quædam. Hinc in benè conſtitutis Rebuſpublicis, neque illi, neque hæ humantur ante triduum. De Epilepſiâ ſanguineâ cum cætera permittunt, aliquando ſecanda eſt vena in ipſo paroxyſmo. Quâ de re ſuprà.

CAPUT XI.

1. Reliquum eſt ut librum hunc finiamus in eo, A venæ ſectione non ſubitò eſſe nutriendum. Ad hujus rei fidem opus eſt nobis hypotheſi ex opere de facultatibus naturalibus. In illo oſtenſum eſt, in omnibus, quæ à naturâ reguntur, eſſe facultatem inſitam trahendi familiares humores, à quibus nutriuntur. Et hoc oſtenſum eſt, cum indigent

familiari, bonoque alimento, quod in defectu ejus cogantur accipere non bonum. Tale ſæpè eſt, quod nondum coctum eſt in ventriculo & venis.

2. Hinc neceſſitas oritur illis, cum homo eo tempore plures cibos capit, arripere plurimum crudi humoris in habitum propter plures cauſas, & quod id, quod in copia peccat, deterius coquitur in ventriculo & venis: & quod plus attrahitur, quia plus adeſt: & quod citius quam debebat, quia ventriculus morigeratur venis: venæ autem omnibus aliis corporis partibus dant, quod nondum confectum eſt, quod non fieret, ſi parum adeſſet. Oſtenſum enim eſt, quod partes primæ omnium fruuntur alimento familiari, deinde ablegant aliò. Ultima autem maxima cauſa læſionis in ita diſpoſitis eſt, cum multum & ſemicoctum trahant alimentum in totum corpus, multa etiam colligi excrementa. Neque enim coquere omnia iſta cruda poſſunt, perinde ac ſi omnia eſſent bona, neque agglutinare, neque aſſimilare, ſed voto excidere in pleriſque operibus.

3. Simile enim quid accidere illis oportet, quod ventriculo, cum multa illi obtruduntur alimenta, male parata. Dico autem male parata, cum, quæ indigent coctione aut aſſatione, non fruuntur illâ perfectè. Panem igitur minus coctum, aut carnem, aut legumen, fieri non poteſt, ut in ventriculo rectè conficiatur. Eodem modo ſi in ventriculo error committatur. Quin etiam, quæ in venis fit concoctio, ſi minus dextre obeatur, ad carnis generationem ineptus eſt ſanguis. Ut igitur ſe habet coctio ventriculi ad venas: ita venarum ad carnium. Ubicunque igitur peccatur, ibi excrementa gignuntur.

4. Hac de re dixi totum, & quam potui breviſſime. Si quis verò omnia demonſtrata velit, ille legere debet libros de facultat. natur. in quibus demonſtratum eſt, quod ventriculus deſiderat alimentum propter ſe, ut reficiat, quod deceſſit ſibi. Quare amplectitur alimentum undiquaque, & continet, uſque dum ſatur ſit. Deinde, cum non indiget alimento, aperit πυλωρὸν, exprimit & deorſum pellit ſuperfluum alimentum quaſi inutile pondus. Deinde iterum, quemadmodum inteſtina, præcipuè tenuia, per venientes eò venas, alimentum in ventriculo alteratum, & ſimile illi factum, transferunt in alias atque alias venas; ita in his perfectionem ſuam accipit, ut in tertia coctione ſimile fiat & nutriat.

5. Hæc igitur qui ex dicto opere hauſerit, non amplius dubitabit, cur plerique evacuato habitu, niſi moderatè refocillentur, in toto corpore colligant excrementa, à quibus non ſuperficialiter ægrotant.

FINIS LIB. IV. ὑγιεινῶν.

GALENI ὑγιεινῶν LIB. V.

CAPUT I.

1. QUintum inſtituens librum de Sanitate tuenda, mitigare primum volo eos, quibus moleſta eſt prolixitas doctrinæ. Neque enim hæc culpa noſtra eſt, ſed naturæ propoſiti negotii. Si enim qui longam alioqui ſpeculationem paucis decurrit, nec quidquam eorum, quæ utilia ſunt, omittit, nos peccamus, præter neceſſitatem heic ſtantes. Si verò non eſt integrum nobis manifeſtius ſimul & citius nos abſolvere ab iiſdem, nobis iraſci par non eſt, ſed iis, qui prætereunt neceſſaria quædam.

2. Eſt autem inter maximè neceſſaria, & quaſi elementum doctrinæ hujus, quod plures ſunt & diverſæ corporum naturæ, quod pro confeſſo accipiunt omnes tam Medici, quam Gymnaſtæ. Ita enim ſcribunt plerique de ſanitate, quaſi de uno homine loquerentur.

3. Et hæc quidem nullatenus demonſtrant, quin ne unicum quidem producunt, quem ſuâ arte juverint. Atqui fas erat, non unum aliquem oſtendere, ſed plurimos, qui cum anteà continuò ægrotarent, jam immunes ſint à morbis per multos annos, à ſe ipſis cuſtoditi.

4. Nos verò ipſo opere probamus hoc, cum morboſos præſtamus ſanos, ſi credant ſalutaribus præceptis, & hoc ipſum ſcribimus. Quoſdam enim ab omni exercitio removimus, hoc illis conſilii dantes, ſatis ipſis pro exercitio eſſe ea, quæ quisque ageret in vitâ. Quoſdam demere aliquid ab exercitiis juſſimus, & brevi omninò tempore exerceri. Quoſdam qualitates tantum mutare præcepimus, aut ordinem, aut tempus. Aliis mandavimus totam idéam inverterent.

5. Eodem modo de balneis conſilia dedimus, ut ne vel omninò uterentur, vel ſæpius quam anteà, vel rarius, antè vel poſt cibum, in calidioribus aquis, in frigidioribus, in tepidioribus, ſumma, hoc diſcrimine adhibito effecimus, ut multi multis annis à morbis liberi eſſent.

6. Huc nunquam perveniſſemus, niſi ſtuduiſſemus dignôſſe naturales corporum differentias, & qui ſingulis deberetur victus. Quidam eorum, qui de ſanitate ſcripſerunt, quamvis illiterati eſſent, nec ſe ipſos quidem ſanos præſtare potuerunt. Quò fit ut cavillantes, cùm alia, tùm verſum illum objiciant, ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων:

Aliorum medicus cum ſis, ipſe ſcates ulceribus.

7. Et hi quidem in otium referunt cauſam: hi verò intemperantiam eſſe fatentur cauſam morbi. His ſanè defenſio pejor eſt dicâ ipsâ, me judice: illi autem aſſcribunt iis, quæ in vitâ accidunt, v.g. cum ephemeram tribuunt uſtioni Solis,

frigori, laſſitudini, aliis talibus, horum excuſationem acceptare par eſt, aliorum minimè.

8. Nam nec nos omninò ſine febri egimus: ſed propter laſſitudines aliquando febricitavimus, aliorum morborum expertes annis pluribus. Quin etiam percuſſi aliquâ corporis parte, cum alii febricitarent ob inflammationem, aut bubonem, neque bubonem habuimus, nec febricitavimus, non aliunde quam ex arte Sanitatis tuendæ. Et hoc accidit, licet nec ab initio benè natus ſim, nec prorſus liber vixerim, ſed ſæpè totas noctes vigilarim, nunc quidem propter ægros, nunc autem propter ſtudium Medicum: tamen nunquam, per multos annos, laboravi ullo morbo, ex corporis conſtitutione ortum habente, excepta ut dixi, febre ephemera, idque rariſſimè, & cum ex laſſitudine evenit.

9. Ita eſt, laboravi & puer, & ephebus, & adoleſcens, non rarò etiam gravibus morbis: veruntamen poſt annum ætatis 28. cum perſuaſiſſem mihi eſſe artem quandam Sanitatis tuendæ, præceptis ipſius me ſubjeci per totam reliquam vitam, ut nunquam laborârim ullo morbo, niſi febre ephemera, quamquam rarò. Sed & hanc vitare licet, ſi liberam vitam eligas, ut in ſuperioribus dixi, patebit etiam amplius ex dicendis, ſi quis attentus eſſe volet.

10. Ego enim affirmo, neque bubonem excitari poſſe in iis, qui diligenter præparati ſunt ad Sanitatem, ſi modò corpus ſit immune ab utroque genere excrementi, & in quantitate & in qualitate.

11. Et hæc quidem ſufficere poſſunt noſtris in hoc negotio ſcriptoribus: antiquioribus autem, de quibus auditum mihi non eſt, quod vel ſe à morbis vindicarint, vel jactare auſi ſint tale quid, ne contradicendum quidem eſſe reor. Admirabor potius, ſi quisquam illorum promittere potuit, ſe uno libro comprehenſurum totam artem, non certè ita ſcribendo, ut, Hippoc. exemplo, primis & generalibus capitibus propoſitis, indicaret tantum methodum, ſed omnia exactè elaboraret, ut nos fecimus.

12. Cauſa prolixitatis quæ ſit, dicta ſanè eſt: oportet autem, qui rebus optimis declarandis φιλόκαλον, καὶ φιλόπονον ſe exhibere velit, non fugere prolixitatem artis hujus, ſed admirari ſplendida promiſſa ipſius. Quo modo enim non magna & admiranda ſunt opera ejus, quæ ſeneſcentes quotidiè, ſenſibus tamen illæſis, ſine morbo omni, ſine dolore, integros ſervat, niſi à prima generatione corpus morboſum ſortiti eſſent!

13. Ego verò videor mihi vidiſſe multos ſanos alioqui naturâ, pluribus correptos morbis, & ad extremum, utique in ſenectute, incidiſſe in morbos immedicabiles, quibus licebat, quatenus habitus naturalis conſtabat, ſenſibus nullis mancis, uſque ad extremum ſenium defungi, corporis partibus omnibus etiamnum ſani.

14. Quo

14. Quo modo igitur turpe non ſit, optima naturâ prædítum portari ab aliis ob podagram! alium confici ob calculi dolores & colicam! alium ulcus habere in veſica ob cacochymiam! Rurſus alium, ob deteſtabilem arthritida non poſſe uti propriis manibus, ſed indigere alio, qui cibum ori admoveat, alio, qui ſedem abſtergat, dum alvum exonerat!

15. Melius enim eſt, niſi quis extremè molliculus ſit, mori potius millies, quàm talem vitam vivere. Si verò quis præ pudore negligit: at dolores non debebat negligere, quibus nocte, dieque quaſi à carnifice cruciatur, quamvis fateri cogatur, accidere hoc illi ob intemperantiam, aut ignorantiam, aut utramque. Atque ut intemperantiam nunc corrigere tempus non eſt, ſic ignorantiam ſpero me hoc opere curare poſſe, propoſita ſpeciatim ſingulorum curatione.

COMMENTARIUS.

16. Ethicum aliquando agere, exemplo Galeni, cum licere mihi putarem, & probro & damno fuit. Quam ob rem nunc tempero mihi cum hoc epiſodio, *Non equidem invideo, miror magis!*

CAPUT II.

1. INcipere autem mihi conſultum viſum fuit ab optima natura, cujus ſcopus eſt, non correctio, ſed conſervatio præſentis ſtatus. Id, quod nos fecimus, loquentes huc uſque de ſingulis ætatibus, præterquam de illa, quæ παρακμαστικὴ dicitur, cujus extrema pars *Senectus* eſt, quæ & ipſa habet propriam diviſionem, ut poſteà dicetur in illa ſermonis parte, cum doctrinam perſequemur τῆς γηροκομικῆς.

2. Nunc verò reſumentes principaliora eorum, quæ dicta ſunt, tranſibimus ad pravas corporum naturas, monſtrantes, quo modo ſingulæ illarum ſanæ conſervandæ ſint. Optimum igitur corpus ſcopos habet in quantitate & qualitate, & facultate exercitiorum quidem, quæ μέτρια καὶ σύμμετρα vocantur, cum eo, ut ſingulis corporis partibus applicentur ὁμοτίμως, h.e. æqualiter, vitantibus nobis exceſſum omnem. Si tamen peccetur in uno aliquo, corrigentibus nobis errorem.

3. Rurſus, in edendorum, bibendorumque non minus quantitate, & qualitate, quam facultate, ſcopus alius eſt τὸ σύμμετρον, ne vel plura vel pauciora ſumamus, quam vel coqui debeant, vel diſtribui, vel nutrire rectè corpus poſſint. Eodem modo ſi in augmento adhuc ſint, & corpus opus habeat appoſitione ſymmetri, ne quid vel ſuperflui relinquat, vel deſit quid.

4. Sic in ſomno & vigiliâ, in balneis, in aliis ſi quid ſit, quod moderatione indigeat, cavere oportet, ne quid peccetur: ſi tamen fiat, errorem emendare fas eſt.

5. Sit

5. Sit tibi autem ſcopus emendationis omnis communis, ut adhibeas contrariam ἀμετρίαν. Nimirùm, ſi pridiè plus laboravit corpus, demere oportet altero die de exercitio, quod ſupererat: ſi minus factum eſt, addere. Ita etiam, ſi motus vehementiores fuerunt, mediocriter remittere oportet: ſin remiſſiores, intendere. Eodem modo ſi robuſtiores, imponenda ſunt exercitia molliora: ſi debiliores, fortiora, ſumma, introducenda ſunt loco fortium obſcura: loco obſcurorum contraria. Ut brevibus agam, Omnes immoderationes corrigere oportet per contrarias, & hoc modo ſanum conſervare corpus.

6. Ac ut ne fallaris in correctionibus, primùm quidem accuratè diſtinguere oportet diſpoſitiones corporis: deinde autem in memoriam ſibi revocare heri acta omnia. Diſpoſitiones enim oſtendent, ubi erratum ſit: memoria autem actorum dicet, quouſque mutanda ſint conſueta.

7. In diſpoſitionibus quidem hæ ſunt varietates immoderationum, quod corpus appareat aut tenuius aut plenius: aut mollius aut durius: aut ſiccius, aut humidius: aut rarius, aut denſius ſeipſo, præterea, quod colorem ſuum naturalem amiſerit. In memoriâ anteactorum, error ipſe indicabit tibi & docebit correctionem, ubi comparâris cum præſenti ſtatu.

8. Si enim gracilius videatur tibi corpus, conſiderare oportet, plusne æger æquo laborârit? an vehementioribus uſus ſit motibus? an in frictionibus modum exceſſerit? an in balneis? Ex his ulterius progredieris, an domus, in quâ morabatur, calidior fuerit? an dejectiones habuerit crebriores? plusne comederit, biberitve? an Venereis indulſerit?

9. Si plenius videbitur, præceſſeritne frictio mollis, aut exercitium debilius, tardiuſve, aut ſomnus longior, aut ventris adſtrictio, aut ciborum benè confectorum copia?

10. Si durius, primùm recordari oportet exercitiorum robuſtorum cum antagoniſta fortiter incumbente? Præterea, in pulvere, eoque duro, frigidoque, & abſque apotherapiâ vocatâ? Deinde meminiſſe balneorum oportet, frigidane omninò fuerint, an valde calida? Item, domus, in quâ verſatus eſt, an calida an frigida? vigilarit, an dormierit? in cœna parumne an multum biberit?

11. Si mollius, primum intueri oportet frictionem, mollisne fuerit & cum pinguedine? deinde balneum, leniter tepidum an fuerit? Poſt horum conſiderationem venire oportet ad exercitia, tardane & pauca, & cum pugile nimis molli? Mox de potu, copioſiorne fuerit? Sic de cibis, pluresne an humidiores naturâ? Sic etiam de ſomno, longiorne fuerit?

12. Propinqua molli corpori diſpoſitio eſt, humida vocata, niſi quod mollis eſt propria corporum qualitas: humida autem contentorum in ipſis humorum. Diſcernuntur tactu. Humida enim cum humoribus eſt: mollis autem ſine his. Eſt verò & molle corpus humidum, ſi conſideres cum ſuis partibus: verum diſtinctioris doctrinæ gratiâ hoc quidem vocetur molle, alterum autem humidum.

13. Immo-

13. Immodicè enim ſicca diſpoſitio ſtatim denſiorem facit habitum : non neceſſariò autem cum mollitie eſt humida. Fieri enim poteſt ut caro quidem ſit denſa, efferatur autem è corpore humor aut ſudor. In humiditatibus igitur, vel ex intempeſtivo Venereorum uſu, vel ex debilitate facultatis alicujus alterius, ſuſpicio eſt aut raritatis corporis propter nimis molles frictiones, aut balnea crebriora, aut aërem domus, in quâ degit, æquo calidiorem.

14. Conſiderandi verò & potus, an copioſiores? ſomni etiam an longiores quam ſecundum naturam? item aër circumfluus ſubitone ſit mutatus in calidum & humidum? de cibis eodem modo.

15. In tenero verò & molli corpore, (utroque enim nomine conſuevit appellari,) ſi quando absque humore ſit, rectè quidem coctum eſſe alimentum poteſt, corpusque alitum : non ſatis autem exercitum. Viciſſim in duro, aut frictum eſſe aſperius, aut diutius exercitum, idque in pulvere cum alio duro corpore.

16. Siccitas autem habitus aut defectum potûs indicat, aut alimenti, aut vigiliam, aut curam in ſuo cujuſque vitæ genere, aut frictionem nimiam, aut exercitium prolixius indicat.

17. Hæc igitur omnia conſiderans corrigere poteris ſingulis diebus errorem, antequam auctus fiat incurabilis. Semper autem memineris illius, ut omnis ametria corrigatur per ametriam contrariam. Hic enim unus ſcopus eſt communis omnium præter naturam. Quare ſi huic præcepto adjeceris & dignotionem corporum, quibus proſpicere vis, & facultatem auxiliorum omnium, poſſis prædicare, ſcire te totam artem, ex quâ non tantum ſani conſervantur in ſuo ſtatu, ſed &, qui ægrotârunt, per analepſin priſtino reſtituantur.

COMMENTARIUS.

18. Qui caput hoc ἀνακεφαλαίωσιν inſcripſit, rectè fecit. Breviter enim tractat Galenus ſex res non naturales nobis dictas, quæ ego fuſiuſculè, & quatenus Inſtituendo ſerviunt, *l.5.Inſt.à cap.3.usque ad 40.incluſivè.*

19. Ad extremum breviter deſignat geminum τῆς ὑγιεινῆς officium, quorum alterum eſt, præſcribere ſanis victum, quamdiu ὀρθοστάδιοι ſunt : alterum, quum à decubitu fiunt iterum ὀρθοστάδιοι. Hæc pars dicitur ἀναληπτική.

CAPUT III.

1. QUale ſit optimum corpus, dictum eſt anteà: quod deficit ab hoc, agnoſcere oportet ex tribus cauſis, aut quia malè natum eſt ab utero: aut quia poſteà, quâdam de causâ, in ſtatum præter naturam deflexit : aut ætatis ratione. Conari autem oportet omnia reducere ad contrariam ametriam, verbi gratia, ad ſenectutem.

2. Senectus eſt frigida & ſicca, ut in l. de Temp. dictum eſt. Correctio fit

per humida & calida. Talia ſunt, balnea calida aquarum dulcium, vini potio, & cibis, qui ex iis nati ſunt humectare & calefacere.

3. De exercitiis autem, & frictionibus, omníque motu (ab his enim ordiri melius eſt,) quoniam rectè dictum eſt, *Labores præcedant cibos*, hoc ſcire oportet, quod Poëta rectè dixerit ex parte,

-------- Poſtquam lavit, comeditque,
Dormire molliter. Hoc enim jus ſenum eſt.

Veruntamen in hoc non eſſe ſitum totum. Opus enim habent ſenes motu corporis non minus quam juvenes: quia in periculo exſtinctionis calor ipſorum nativus eſt. Corporum enim, quæ in ἀκμῇ ſunt, naturæ quædam ſunt, quæ quiete indigent, de quibus Hippoc.: nemo autem ex ſenibus omnimodâ quiete durare poteſt. Ventilatione enim indiget calor ipſorum. Periclitatur enim in validis motibus. Flammæ magnæ non indigent quidem amplius ventilabro: ſed ſatis ſibi ipſis ſunt ad conſervationem & imperium in materiam.

4. Non igitur frictione indigent, qui in ἀκμῇ ſunt, ut ſenes. Hujus enim frictionis ſcopus, quoniam cum oleo fit, duplex eſt, aut curare diſpoſitionem laſſitudinariam, ne aucta febrim accendat, vel imbecillam vim diſtributricem excitet. Multis enim atrophiâ diuturnâ laborantibus, intra paucos dies carnem reſtituimus, hac adhibitâ frictione.

5. Sed quod aliis κατὰ πάθος fit, longo tempore, id ſenibus perpetuò. Totum enim corpus illorum frigidum eſt, & ineptum trahendo ad ſe ſanguini & benè conficiendo, alendoque. Frictio autem, excitando partium tonum, & moderate calefaciendo, & diſtributionem faciliorem facit, & nutritionem celeriorem. Hac ratione factum eſt, ut juvenes quidam in atrophiis adjuti ſint, receptâ carne: ſenes autem omnes ita juvantur.

6. Nimirum, hoc unum tibi nunc habe, Frictio cum oleo, mane ſenibus adhibita, ſequente mox deambulatione, & geſtatione in lecto, ſenibus eſt exercitium quoddam.

* Quæ ſequuntur, deſerta ſunt apud me.

7. Tamen exempli gratiâ etiam nunc dicentur quædam de exercitiis. Didicimus autem anteà, quod acuta exercitia (ita dicuntur, quorum motus ſunt celeres,) attenuant corpora: contraria autem craſſefaciunt. Utplurimùm autem exſiccant. Quæ autem moderata ſunt, carne implent.

8. Dictum eſt autem de omnibus eorum differentiis, ut & de frictionibus. Senum autem exercitia, ſive ea utilia ſint, ſive noxia, judicabuntur, cùm ex diſpoſitione totius corporis, tùm ex conſuetudine & affligentibus morbis.

9. Quod ad diſpoſitionem totius, in his illa conſiſtit: Optime conſtitutum corpus, de quo hactenus ſermonem habuimus, ut ſtatim ab initio, & in juventute, ad omnes graviſſimos labores aptiſſimum eſt: ita in ſenectute ad moderatos

tos tantum. Contrà, quod malè conſtitutum eſt, v. g. quod craſſis cruribus, aut lato pectore, aut ultra quàm par eſt, exilibus cruribus, aut quibus thorax eſt valdè anguſtus, aut qui valgi, varive, aut quomodolibet improportionati crura, ad pleraque exercitia ſunt inepti.

10. In vocis enim exercitiis malè conformatus thorax nihil valet: in ambulatoriis crura læduntur. Eodem modo de manibus dictum mihi eſſe putato, in collo, in dorſo, in lumbis, & ſpinâ totâ. Quodcunque enim ex his ab initio malè factum eſt, in exercitiis maximè prodit aut defectum aut robur ſuum, niſi quis velit moderatos motus vocare exercitia moderata debilium partium. Hoc verò eſſet dubitare de nominibus, non de rebus.

11. Quæ verò exercitia ſenibus præcipuè ad ſanitatem conducunt, fieri debent per robuſtiores corporis partes. Moventur enim cum illis & exercentur cum illis reliquæ. Et ſanè & conſuetudines multum faciunt ad electionem exercitii ejus, quod huc facit.

12. Quæ enim conſueta ſunt, ut ſine metu laſſitudinis alicujus ſunt, ita delectant illos, qui obeunt: velut è contrario in inconſuetis moleſtia eſt, & laſſitudines oboriuntur. In quibus verò operibus arte opus eſt, ea ne attingere quidem ſenibus fas eſt, verbi gratiâ, tibiâ canere, tubam inflare, citharam pulſare, ut etiam in palæſtricis verſari nefas eſt illos, qui palæſtræ ignari ſunt.

13. Exercitia igitur ſenum omnia ſint conſueta, ſed ita, ne ad vehementiam aſcendant. Tertius enim ſcopus ſpeciei exercitiorum ab affectibus ſumitur, communis quidem omni ætati, ſed non æqualem in omnibus facultatem habens, quia, non æque etiam nocet, ſi quid erretur.

14. Qui enim facilè capiuntur vertigine tenebricoſâ, aut epilepſiâ, aut vehementi ophthalmiâ, aut aurium dolore, hi tales non debent exerceri prono capite, aut inclinato dorſo, aut humi volutati: ſed utplurimùm inambulando, curſibus mediocribus, geſtationibus in vehiculo citra laſſitudinem.

15. Eodem modo quibus tonſillæ facilè inflammantur, qui anginoſi ſunt, quibus gurgulio fluxione tentatur, aut gingivæ, aut dentes, aut omninò pars aliqua colli, circave caput. Quare multi hemicraniam incurrunt, multis tendines dolent, qui circa collum, ex facili causâ. Horum nullus exercitium tolerat, quod caput implet, ſed conferunt illis, quæ cruribus fiunt, quemadmodum, quibus illa debilia naturâ, melius conveniunt illa exercitia, quæ per ſuperiores partes fiunt, qualia ſunt, chironomiæ, acrochiriſmi, jactus diſci, halterum uſus, & quæ in palæſtrâ obeuntur, humi omnia.

16. Quibus obnoxiæ ſunt partes, inter manus & crura mediæ, omne quidem exercitium aptum eſt, niſi quis alius prohibeat ſcopus. Jam & iis, quæ circa

(O) 2 thora-

thoracem, magis amica ſunt, quæ inferius ſunt: quæ verò circa veſicam & renes, iis, quæ ſuperius. Lien verò, ventriculus & hepar, inteſtina item & colum, ut ſunt in medio partium inferiorum & ſuperiorum: ita gaudent talibus exercitiis. Certè frictiones in partibus debilioribus, quo tempore morbo illæ obſeſſæ ſunt, abdicare oportet: quo benè habent, adhibere omninò præ aliis.

17. Præcipuè ſiccis uti par eſt, plurimùm, & manibus ſolis, & cum linteaminibus. Imo, quicunque dolores periodicè repetunt, eos non parum avertit, ne fiant, intermedio tempore adhibita, & maximè, duabus aut tribus horis ante paroxyſmum.

18. Robuſtior enim fit ab illis natura, & partes minus promtè recipiunt irruentes fluxiones. Hæc igitur omnia ſenibus communia ſunt cum illis, qui quâcunque ætate ſunt.

19. Abſtinere autem ab exercitio imbecillium partium in ſolis ſenibus conſulo. In aliis, quo quisque abeſt longius à ſenio, tantò magis exercenda eſt pars imbecilla, quod in exemplo conabor oſtendere, ut oratio ſit clara.

20. Supponatur corpus, quod ſit è cenſu illorum, quæ adhuc creſcunt, quod habeat crura gracilia. Hunc picari convenit, modicè fricari, curſu potius uti quam alio exercitio uti. Oportet autem præeſſe illi quendam, qui definiat benè proportionatum motum, ut neque deficiat, neque abundet, cujus occaſione laſſitudo fiat. Hoc licet difficulter inventu ſit, non in exercitio ſolum, ſed in aliis quoque omnibus: tamen oſtendi vobis facilè fore, certè in victu ſanorum.

21. In illo enim non eſt occaſio præceps, ut in morbis: ſed licet nobis initium quidem facere à certiſſimis in unaquaque menſura: conſiderare autem eventum aut auferendo aut addendo quid ſingulis diebus, ut corrigatur erratum. v. g. in iis, qui gracilia crura habent. Ego quondam, præbito mihi puero 13. annorum, toto poſteà tempore præ oculis habui tempus auctioni deſtinatum, adeoque ſecundum præſcriptos ſcopos tractans exhibui puerum benè proportionatum.

22. Primâ enim die bis illum inunxi pice, &, ut in more poſitum mihi, curſu exercui, neque celeri, neque diuturno. Sequenti, fricui moderatè quoad duritiem & mollitiem, abſolvi autem brevi, & pinguedine præmollitum juſſi paulò amplius currere, non tamen celerius quam anteà. Poſt curſum uſus ſum frictionibus, qualibus in ἀποθεραπείᾳ uti ſolemus. Injunxi autem illi quotidiè inambulationem, incipiendo à moderatâ & progrediendo ad longiorem, inſpiciendo, cùm alia in cruribus, tùm venas maximè, annon plus æquo dilatarentur, quam convenit naturali crurum nutritioni. Non enim extra periculum eſt, quippe quod fluxionibus opportuna facit crura, & procedente tempore vel valga, vel vara, non benè habita.

23. Huic ergo notæ animum adjicere oportet, & obſervare, annon calidiora æquo crura evadant, aut ſenſus laſſitudinis obrepat. Nullo enim horum ſignorum apparente, augere oportet numerum inambulationum & curſuum, &

picare

picare tertio quoque die. Apparente verò alterutro, in lecto ita componere oportet crura, ut ſurſum ſpectent. Tum verò etiam ab omnibus, quæ dixi, oportet demere aliquid, inambulare, inquam, minus, currere minus, frictione uti ab inferioribus ſurſum. Hæc facienti tibi ſi exactè, & ſecundum naturam ſe habeant crura, oportet redire ad uſum auxiliorum ab initio inſtitutum, aut mediocriter intendendo, aut in iiſdem prorſus permanendo.

24. Interponere autem oportet etiã στραγγύλας, vocatas frictiones, quæ mediæ ſunt inter molles & duras, aliquando quidem incipiendo à ſuperioribus, aliquando autem ab inferioribus ſurſum, & modò pulvere conſperſis cruribus admiſto oleo, modò non aſperſo, ſic fricato. Eſto autem pulvis, qui vocatur λιπαρὸς, qui neque aſper eſt, nec acris. Talis enim frictio attenuat potius, quam carne implet, cum ſcilicet nec aſpredinem pumicoſam conjunctam habet, nec acrimoniam nitroſam, ſalſam ve.

25. Ubi autem crura ſunt craſſiora, brachia autem, cubitique tenues, huic adhibenda ſunt exercitia omnia, quæ per manus fiunt, cavendum autem à cruribus. Interim frictiones & picationes adminiſtrentur eodem modo, ut & alia, quæ de cruribus dicta ſunt. Non enim exigua eſt differentia, quod quidam extremè debiles ſunt ad motus, quamvis nondum ſeptuagenarii: quidam longe valentiores, etiamſi octuageſimum attigerint.

26. Quare in debilioribus geſtationes potius imperabis: in fortioribus utroque genere exercitii utéris, quin frictionem utrobique adminiſtrabis etiam alteram, verum non æque in utroque, ſed ſemper imbecilliorem citius abſolves. Eſto enim tibi hoc unum ex communiſſimis præceptis, in debilibus uti frictionibus denſis & brevibus: in fortibus raris & multis.

COMMENTARIUS.

27. Quò majores res heic tractantur, eò ſupiniores video noſtros περιοδευτάς, omnia ſub prætentu, *Venerunt in deſuetudinem frictiones!* Tu verò, ſi ſapis, conſuetudini contrà audentior ito!

CAPUT IV.

1. HÆc quidem, ut & alia dicta facilia ſunt: præeſſe autem ſeni, de valetudine ſuâ ſolicito, eſt unum ex rebus difficillimis, ut & illud eorum, qui ex morbo ſe recolligunt. Vocatur autem à recentioribus Medicis hæc quidem artis pars ἡ ἀναληπτικὴ: illa autem, quæ ſenes ſpectat, ἡ γηροκομικὴ.

2. Et videntur diſpoſitiones utriusque non eſſe in ſtatu ſanitatis accuratiſſimo: ſed vel medium quid eſſe inter ſanitatem & morbum, vel certè non ſanitas καθ' ἕξιν, ſed κατὰ σχέσιν nominata ab ipſis Medicis. Sive igitur ſenectutem morbum appelles, ſive diſpoſitionem morbificam, ſive diſpoſitionem mediam inter ſanitatem & morbum, non refert. Non enim valdè curamus tales quæſtiones

ſcurrarum jactabundulorum: ſcire autem oportet conſtitutionem corporis ſenilis, quæ levibus de cauſis mutatur, & proinde non minus ſollicitè in victu habenda quam illi, qui ex morbo reſurgunt. Quare, facilè quidem dictu eſt, Melius eſſe manè ſenem ungere poſt frictionem oleo: at debito modo id perficere opus eſt omnium graviſſimum.

3. Paulò enim durior frictio laſſitudinaria eſt: valdè autem mollis nihil notabile efficit, veluti etiam nimium brevis. Multa verò diſcutit potius quam nutrit. Quin & locus, in quo exſuitur ſenex, ſi ſit frigidus, non modò nihil boni operatur, ſed & denſat & refrigerat. Sin æquo calidior ſit, hyeme quidem corpus rarefaciens, frigori exponit: æſtate autem digerit & diſſipat vires.

4. Qui enim hecticè valent, iis ne quidem fortes cauſæ alterationes ſenſibiles evadunt: ſenibus autem minimæ moleſtæ ſunt inſigniter.

5. Tale quid fit etiam, ſi peccetur in ciborum vel quantitate, vel qualitate. Nam & in his ſi exceſſum ſenes committant, non mediocriter læduntur, cum adoleſcentes parum ſentiant moleſtiæ in graviſſimis peccatis. Tutius igitur eſt ſenibus debilibus parum offerre cibi, & ter de die, quomodo Antiochus Medicus ſibi ipſi imperabat. Cum enim ſuprà octuageſimum annum eſſet, quotidiè ibat in forum ad locum illum, in quo curia civium ſuorum. Aliquando etiam longius proficiſcebatur, viſitandi ægros gratiâ. A domo ſuâ in forum, iter erat quaſi trium ſtadiorum, quo tempore vicinos ægros compellabat. Aliquando prolixius erat iter ipſius, quod conficiebat, vel ſublatus in ſellam, vel vehiculo impoſitus. Erat autem illi domi ſuæ cubile, (hyeme calefieri ſolitum ex camino, cum æſtate temperatum haberet aërem, etiam ſine igne,) in quo aſſiduè commorabatur, tam hyeme, quam æſtate. Manè, cum prius alvum depoſuiſſet, ad forum profectus, circa horam tertiam, aut, quod longiſſimum, quartam, panem ſumebat cum melle Aerico, utplurimùm quidem cocto, aliquando etiam crudo. Poſt hæc congreſſus cum aliis, vel diſſerebat, vel legebat aliquid, ut horam ſextam, ſeptimamve attingeret. Poſt hanc morabatur in balneo publico, & exercebatur eo genere exercitiorum, quo ſolent ſenes, de quibus paulò poſt dicetur. Mox lotus prandebat modicum, primo loco ſumens, quæ alvum emolliunt, ſecundo, ferè piſces, vel ſaxatiles, vel pelagios. At in cœnâ à piſcibus abſtinebat, comedebat autem optimi quidem ſucci cibos, ſed eos, qui in ventriculo non facilè corrumpuntur, qualis eſt halica cum œnomelite, aut gallinam ex jure ſimplici. Hac ratione vivendi uſus in ſenectute Antiochus, mortuus eſt tandem integris ſenſibus, & ſanus omnibus partibus.

6. Telephus Grammaticus ad plures Antiocho pervenit annos, ferè centum. Balneo utebatur, hyeme quidem bis in menſe, æſtate autem quater, mediis temporibus ter. Qui dies à balneo vacui erant, circa tertiam horam ungebatur, paucis adhibitis frictionibus. Deinde halicæ in aquâ coctæ mel miſcens crudum,

crudum, idque optimum, comedebat, & hoc ſufficiebat illi tantùm, ab initio. Prandebat & ſic horâ ſeptimâ, aut paulò citius, olera primum aſſumens, deinde piſces & gallinas. Veſperi ſolum panem comedebat imbutum vino adaquato.

CAPUT V.

1. UT igitur vinum pueris adverſiſſimum eſt, ita ſenibus utiliſſimum. Sit autem ex cenſu illorum, quæ naturâ calidiora ſunt. Tale eſt ex Græcis Ariuſium, & Lesbium, & Myſium, non illud ex Iſtriâ, ſed ex Helles-ponto vocato, quæ eſt in Aſiâ noſtra, in confinio Pergami. Ex Italiâ autem Falernum & Surrentinum. Proxima his ſunt, in Italia quidem ipſa Tiburtinum & Signinum, ſed utrumque cum ſenuit. Nova enim quamdiu ſunt, neque rectè diſtribuuntur per corpus, neque urinas movent: ſed in ventriculo ſtagnantia κλύδωνας ſeu borborygmos cient. Secundo loco ab his, Hadrianum, Sabinum, Albanum, Gaurianum, Tripholinum, & quæcunque Aminæa genere ſunt, cum in Italia naſcuntur, tu puta, circa Neapolin & in Thuſcorum territorio. Myſium in facultatibus Surrentino reſpondet. Falernum eſt optimum Tmolite. Sabino & Hadriano ſimilia ſunt Titacacenum & Ariuſium. Hæc cum mediocriter ſenuerunt, bibere debent ſeniculi illi, quibus non admodum firmum caput eſt: quibus firmum, illis Falernum commodum eſt, Surrentinum & Lesbium, Ariuſium, Myſium & Tmolite.

2. Ex his manifeſtum eſt, quod ſingulæ gentes ex dictis exemplis eligere poſſunt opportuniſſima vina, ſcopum habentes ex ætate ſenum, collata cum vinorum conſiſtentia quidem, ut ſemper tenuiſſimum eligant: colore autem, ut ſit, veluti Hippoc. definit, κιῤῥὸς, quem poſſis ξανθὸν etiam vocare. Bonum etiam eſt, quod ὠχρὸν appellant, ſitum in medio τοῦ ξανθοῦ, καὶ λευκοῦ. Si enim miſcere voles hos colores, ὠχρὸν efficies, cui ſi aquam miſceas, ξανθὸς erit, ex utroque miſtus. Ex miſtura aquæ vel copioſæ, vel paucæ, aliquando erit ὠχρὸς, aliquando ὠρόλευκος ἢ ὠχρόξανθος. Inter hæc calidiſſimum erit, ratione coloris, τὸ ξανθὸν: minus calidum τὸ λευκὸν: quod in medio prout vicinius huic, illive, ita in facultatibus quoque erit.

3. Unum igitur hoc, idque maximum à vino accedit ſenibus commodum, quod omnes illorum partes calefacit: alterum, quod ſerum ſanguinis per urinas abducit. Propterea illud vinum ſenibus erit optimum, quod efficit, quod dictum eſt. Tale eſt, quod conſiſtentiâ tenue eſt, (urinas enim movet,) colore flavum. Hic enim color valdè calidorum vinorum proprius eſt. Quare ſi ab initio prorſus albi ſint, ubi inveterarint, aſſumunt flavedinem quandam, propter quam primò apparent ſubflavi, deinde fiunt perfectè flavi. Ubi ad longam ætatem pervenerint, tandem ὠχρόξανθοι appa-

apparent. Alba enim vina ut perfectè fiant flava fieri non poteſt. Quæ verò ex fulvis ſeu flavis vinis craſſa fiunt, ſanguinem gignunt craſſum, etiam nutriunt corpus. Hinc fit, ut illa etiam quandoque utilia ſint, quo ſc. tempore non amplius ſeroſi ſunt, & indigent pluri alimento.

4. Utplurimum autem diureticis vinis indigent illi, qui, cum hujus ætatis ſint, plurimum tamen in illis eſt excrementum ſeroſum. Quæ verò vina diu ſubſiſtunt in ventriculo, illorum nullum pro ſenibus eſt. Talia ſunt Aminæa ex Bithyniâ, & ex Italiâ Arſyinum, Signinum & Tiburtinum, quamdiu muſtum ſunt. Sed hæc omnia ſunt alba. Nigra autem & craſſa, quæ ſimul adſtringunt, diu manent in ventriculo, & borborygmos cauſantur, ut in Ciliciâ dictum Sybates, in Aſiâ Ægauſias & Perperinium. Quæ ſine adſtrictione nigra ſunt, & craſſa, qualia Scybelite & Theræum ſunt, minus quidem morantur, ſed urinas non cient, ſed eunt deorſum. Ideò præmittunt cibis. Sed neque hæc ſenibus utilia, neque ſi præbibantur, neque ſi alio tempore ſumantur, ut neque ullum, quod craſſi ſucci. Obſtruitur enim hepar & lien, & renes, hinc hydropici fiunt, hinc calculoſi ſenes illi, qui vinis talibus plurimùm utuntur.

5. Qui igitur ſenes poſt balneum vino uti volent dulci, manè faciant id, quod Antiochum feciſſe dicebam, bibant, inquam, Fauſtianum, Falernum optimum: in hujus defectu, ſimile quid. Talia fuerint quæ dulcia ſimul & colore flava ſunt. His proxima ſunt Therena & Cariena. Non prohibeo etiam, ſi quis melle conditis vinis uti volet, maximè, in quibus ſenum corporibus ſuſpicio eſt calculi renalis, aut podagræ cujusdam, aut arthritidis invaſuræ.

6. In ejusmodi diſpoſitionibus optimum etiam Sabinum, aut tale aliquod. Injicitur illi *petroſelinum*, quod ſolum ſatis eſt arthriticis. In calculoſis autem etiam aliquid *betonicæ* herbæ miſcetur, & *ceſtri* apud Celtas nati. Vocant autem *ſaxifragam*. Alii ambitioſius parantes medicamentum, ſuperaddunt *nardi ſpicam Celticam*. Sunt & alia quædam diuretica. Sed alii ſimplicem potum parant ex vino & melle, rutæ aliquid & piperis recipientem. Si aliquid jam comederit, ante balneum, ſi alvus ſponte faciat officium, bibere poterit etiam poſt balneum aliquid vini albi, ὀλιγοφόρη dicti. Quæ verò craſſa, dulcia & nigra, quod viſcera obſtruant, fugienda ſunt.

CAPUT VI.

1. SEd quæ à vino obſtructiones, moderatæ ſunt: ſed quæ à cibis, quæcunque viſcidum & craſſum dant ſuccum, non facile eſt ſanare. Quapropter non oportet infarcire ſenes ſucco vel halicæ, vel tritici, vel ovorum, vel cochlearum, vel bulborum, vel lenticulæ, vel carnium porcinarum. Multò etiam magis neque teſtudinum, vel oſtreorum, vel omninò eorum, quæ carnem habent duram & difficulter coctilem. Ideò, nec oſtracoderma dentur, nec cartilaginea, neque thunni, nec ullum cetaceorum. Imò ne quidem cervina detur caro, neque caprugna,

porcina, neque bovilla, (hæc enim neque alii alicui utilis eſt, nedum ſeni:) ovilla autem juvenibus quidem aſpernabilis cibus non eſt: ſenibus verò neque hæc, & multò etiam magis agnina. Humida enim eſt, & blennoſa, viſcida & pituitoſa. Hædina ſeni non inconveniens eſt, ut & volucrum eorum, quæ non vivunt circa paludes, fluvios & ſtagna. Salita verò harum avium melior eſt recenti.

2. Oportet igitur, ut dictum eſt, vel maximè abſtinere ſenes à cibis obſtruentibus: ſi verò, in caſu neceſſitatis, aliquando illis utantur in copia, ſtatim dare oportet τὸ διακαλαμίνθης, de cujus compoſitione in quarto actum eſt mihi. Quo non præſente, utendum eſt τῷ διὰ τριῶν πεπέρεων. Si neque hoc adſit, piper album tundatur & cribretur accuratè, ut tenuiſſimus pulvis fiat, qui cum obſoniis edatur, & potui addatur. Confert tunc quoque comeſſe cepas, aut, ſi huic aſſueverit, allium.

3. Quin Theriacâ non malè utantur ſenes, maximè, ſi hanc aliis præmiſeris. Tunc enim operatio ipſius feliciſſima eſt. Si à præmiſſis ſubducta ſit alvus, etiam felicior, ſi poſtridiè detur. Non minus benè facit & Ambroſia vocata & Athanaſia, & alia ex aromatis compoſita.

4. Sed enim ſeni prudenti ne opus quidem fuerit tali medicamento: ſin opus habeat aliquando victu attenuante, ſufficiant illi, quæ dicta ſunt alibi, libro ſ.c. de victu attenuante.

COMMENTARIUS.

5. Seriò heic moneo, non eſſe audiendum Galenum, quod τὸ διὰ τρ. π. dat in pulvere tenuiſſimo. Rapiuntur enim pulveres ad hepar. Dandum eſt integrum piper, rotundum, v. g. gr. vij. ſingulis prandiis. Qui ad 20. aſcendunt, ſentiunt dolorem capitis. Qui nihil agere dicunt, iis jam ſilentium imperavi ſub pœna.

C A P U T VII.

HOc manifeſtum eſt denique, panem, quo veſcitur ſenex, non debere defectu laborare vel ſalis, vel fermenti, vel ſubactionis, neque coctionis: non item deſiderari aliquid in ſimilagine ab omnibus dicta, aut quæ ex eâ fiunt, πέμματα, *bellaria*.

2. Omnia enim concoctu difficilia ſunt, mali ſucci, & obſtructiones viſcerum cauſantia Et, niſi ex butyro & ſimilagine paratis placentis miſceatur mellis plurimum, nullus erat cibus magis contrarius omnibus hominibus, nedum ſolis ſenibus! Et quid opus erat noxiis miſcere utile, cum liceat uti ſolo melle? & quidem deſpumato? Hoc autem cum pane comedere ante deſpumationem?

3. Solicitum autem heic magis eſſe oportet de panis præſtantia, quam mellis. Melius enim mel eſt, quod tale & ſpecie & facultate, quale Atticum. Quale

ſi in promtu non ſit, omninò tamen melle utendum eſt, modò ne fætidum ſit, neque ſenſibilem qualitatem ceræ prodat; multoque magis, ne alienam aliquam.

4. Panis, qualis dictus jam eſt, non modò nihil boni operatur in corpore ſenili: ſed & maximè nocivus eſt, præcipuè, ſi ſit puriſſimus. Video equidem pro athletis ſtudioſè parari talem: verùm illis ad id, quod agunt, conducit quidem; ſenibus autem, niſi plurimum habeat ſalis, multum etiam fermenti, coctus etiam rectè ſit, facit ſuccum craſſum & lentum, qui nec ulli alii commodus eſt, ſi multum increſcat: ſed in hepate, liene & renibus facit obſtructiones, tum potiſſimum, cum extrema vaſorum in his viſceribus anguſtiora ſunt.

5. Ut enim in exterioribus venis, quas expreſsè videmus, non exigua differentia eſt in latitudine, alius ad alium hominem, & in aliis atque aliis partibus: ita veriſimiliter in interioribus eſt, ſed non poteſt videri differentia antè experientiam. Voco experientiam, quam ex oblatis capimus. *

6. Novimus ſenem quendam agricolam, plus centum annis natum, ruri degentem, cujus alimentum ferè erat lac caprillum, aliquando quidem ſtatim ſumtum cum intritu panis in eo madefacti: aliquando autem aliquid mellis miſcebat: aliquando etiam coquebat injectis thymi ſummitatibus cum pane. Hunc imitatus quidam alius (putabat ille longævitatis cauſam eſſe lac,) ſemper lædebatur, & quovis ſumtionis modo. Senſum enim gravitatis percipiebat circa os ventriculi, poſt hoc hypochondrium illi intendebatur. Alius, cum & hic ſimiliter incepiſſet uti lacte, cæteroquin conquerendi cauſam non habebat, cum & benè concoqueret lac, neque vel acidum ructum ſentiret, vel nidoroſum, neque inflationem, neque pondus in hypochondriis: ſed quid fit? Septimâ ab uſu die dixit, ſentire ſe evidenter gravitatem circa hepatis regionem. Videri enim ſibi dextro hypochondrio grave quid incumbere, veluti ſaxum, ut deorſum trahantur incumbentia. Hanc tenſionem pervenire uſque ad claviculam. Hinc apparet, huic quidem cœpiſſe obſtrui hepar: illi autem inflari.

7. Quin etiam novi quendam, qui, poſt diuturnum lactis uſum calculo renali laborabat. Alium, qui omnes dentes amiſerat. Hoc accidit etiam aliis multis, cum longiori tempore lac eſitâſſent. Contrà ſine moleſtiâ alii diutius ſunt uſi: imò cum fructu maximo. Alii eâ fortunâ ſunt uſi, quâ ille, qui per 100. annos ruri vixerat. Si enim naturæ illius, qui utitur, contrarium non eſt lac, viſcerumque extrema vaſa facilem exitum præbent excrementis, ob amplitudinem: hi commodis quidem lactis fruuntur, incommoda autem non ſentiunt.

8. Cæterum commoda quidem lactis dicta etiam fuerunt antiquis, (lenis ſubductio ventris, boni ſucci inde geniti, & nutritio, ad quæ non parum conferunt paſcua, quibus utuntur animalia, quorum lacte veſceris:) at incommoda ſuppri-

ſupprimunt illi, qui ajunt, alimentum vel nihil, vel minimum quid conferre ad lactis præſtantiam. Atqui manifeſtè videmus, lac eorum animalium, quæ vel ſcammonium guſtant, vel tithymalorum ſpeciem aliquam, lac habere purgatorium. Quo dato, fuerit & acre, & mordax, & auſterum propter pabulum vitioſum, ejus ſcilicet naturæ, cujus herba illa eſt. Propterea vetuſtioribus nobis Medicis paſcua quædam dicta fuere ἀγάλακτα. Ita enim appellant ea, de quibus nos alibi agimus.

9. Nunc hoc tantum de illis ſcire fas eſt, quod alimenta animalium, quorum lacte uſuri ſumus, debent eſſe optimi ſucci, h.e. non acri, non mordaci, non auſterâ qualitate prædita. Quin etiam, quod animal hoc debet eſſe in ætate vegetâ, & habitu corporis inculpato, apertum eſt, etſi ego nullus dicam. Sit autem, ut paucis me abſolvam, alterum capra, alterum aſina, cujus alterutrius lactis uſus ſit per vices.

10. Tenuius enim & ſeroſius eſt aſininum: moderatum autem in conſiſtentiâ caprillum. Quare hoc quidem nutrit, ſi id res urget: illud autem tutius omninò eſt. Nam etſi ſolum ſumatur, & ſine pane, & citius deſcendit, & flatulentum non eſt. Sed neque in ventriculo caſeus fit, potiſſimum ſi addatur ſal & mel.

11. Oportet autem, qui rectè uti volet, ſeorſim prædidiciſſe & hujus facultates, & cæteras omnes, ne ſæpius cogamur eadem deiiſdem dicere. Et nunc quidem videor mihi prolixius quam par eſt de lacte egiſſe & vinis. Satius enim fuerat, poſtquam dixi, quam utilitatem ex iis capiant ſenes, remittere ad expoſitionem materiæ, qui jam didicerant & communes facultates in ſingulis, & differentias particulares, de vinis quidem aſſerere, calidiora & potentius urinas moventia ſenibus eſſe convenientiora; de lacte autem, quod non omnibus dandum ſit, ſed iis tantùm, qui benè coquunt, nec ſymptoma ullum perſentiunt in dextro hypochondrio.

12. Quia vero accidit, ut ob negligentiam multorum, nolentium legere libros eos, qui fuſius agunt de materiâ auxiliorum, diutius cogamur immorari illis, veriſimiliter aliquis & heic nobis ignoſcat, ſi in modo doctrinæ non obſervamus exquiſitam breviloquentiam, in univerſalibus methodis uſurpatam.

13. Sciendum proinde eſt, impoſſibile eſſe rectè uti præſcriptis auxiliis ex ſolis iſtis ſermonibus, quales jam habuimus de vino & lacte. Oportet igitur eum, qui dextrè velit explicare omnia, ſeorſim prius & particulatim didiciſſe proprium ſermonem, in quo & communem hujus materiæ facultatem conſideramus, & particulares differentias usque ad ſpecies ultimas.

14. Neque enim de omnibus aliis, quæ nôſſe oportet illum, qui ſeni præeſſe velit, fusè agi oportet in hoc tractatu: ſed ſufficit in quibusdam de iis, quæ maximè utilia ſunt ſenibus, id facere, quod nos fecimus de lacte & vino: in qui-

in quibusdam etiam brevioribus ſe expedire, quam factum eſt à nobis, quemadmodum de aliis prorſus ſilere. Interim ſi cui prolixitas placeat, poterit omnia attingere, quæ quovis modo in ſenibus ſe oſtendunt.

COMMENTARIUS.

15. Sæpè miratus ſum cauſam eventus illius, de quo §. 7. Quei fiat, quod quibusdam dentes cadant ex eſu lactis? Nunc video Galenum ipſum lapſare, fatendo tacitè, elenchum eſſe τῦ μὴ παρὰ τῦτο, *Non fit ſemper.* Obſervo etiam hoc, Galenum non aſpernari prorſus *occultam proprietatem* noſtratium, cum ſimpliciter de contrario loquitur.

16. Addo hoc, A Fuchſii ſapientia eſſe, quam amplexus eſt Galenus cum mutant *Acutum* Int. in *Acidum.* Herbæ enim prædictæ explicant τὸ ὀξύ.

CAPUT VIII.

1. HEic fuerit conſultum diſcurſum facere, etiam de aliis, quæ ſenibus accidunt, brancho, inquam, coryza, & calculorum in renibus generatione, arthritide, podagra, & aliis talibus. Ad raucedines igitur & gravedines victus talis facit, medicamenta talia, ut & ad calculorum generationes hæc. Hunc in modum de ſingulis diſſerens, & pro accurato rerum ſuarum habebitur, & pro ſapiente in rebus Gerocomicis. Sed ut opus non eſt peculiari opere, cum exercitati in iſtis rebus referre poſſint ad curationes morborum: ita acquieſcere non oportet communibus.

2. Præmiſſis igitur communibus addere oportet particularia quædam, quæ magis propria ſunt negotio propoſito, ut & nos fecimus. Quia igitur in libris de Temp. probatum eſt, in confeſſo eſſe ſenectutem eſſe frigidam, non æquè evidenter, etiam ſiccam eſſe (quidam enim humidam eſſe ajunt:) fas eſt nos pro hypotheſi habētes in parte artis Gerocomicæ, quæ nunc præ manibus eſt, ea, quæ ibi ſunt dicta, ſcopum rerum ipſarum inde petere, & declarare particularia quædam, tam exercendorum diſcipulorum gratiâ, quam ut exempla in parato ſint ad inventionem eorum, quæ nondum dicta ſunt, neceſſaria. Neque enim omnes tam ſolertes ſunt, ut ſolo univerſali cognito, invenire poſſint particulare, ſed indigent duce prævio.

3. Aliquis enim in ratiocinando exercitatus, ubi inaudierit, corpus ſenile his quidem partibus frigidum & ſiccum, propter debilitatem facultatis, facilè impleri ſeroſis & pituitoſis excrementis, illa quidem educere tentabit: ſolidas autem partes calefacere & humectare.

4. Quicunque verò, decepti copiâ excrementorum, indefinitè pronuntiarunt, temperamentum ſenum eſſe humidum, illi ſtatim in primo ſcopo errârunt, opinantes ſiccanda eſſe ſenum corpora. Ex cibis igitur quæcunque dant ſiccantia, v. g. ex oleribus braſſicam loco malvæ & bliti & lapati & atriplicis & lactu-

lactucæ; ex leguminibus lentem loco ptiſſanæ, milium loco fabæ, panicum loco zéæ; ex fructibus amygdala potius quam cucurbitam, & cucumeres maturos, & pruna, & mora, ex carnibus agreſtium potius animalium quam domeſticorum, & ſalitas potius quam recentes.

5. Summa, in toto victu fugiunt ea, quæ humida ſunt potentiâ, eligunt autem ſicca. Atqui contrarium totum eſt verius, quippe proficiunt ſenes evidenter à cibis humectantibus. Ex his quia quædam ſunt temperamento frigida, ideoque ſtatim in ventriculo, primisque viis pituitam gignunt, cognitum fuit, hinc noxia eſſe ab iis, qui neque totum ſenum temperamentum nôrunt, neque caput victûs ſciunt. Non enim utilia illis ſunt vel oleum, vel balnea dulcium aquarum, vel vini potus, cum humectatione opus illis non ſit.

6. Sed neque perſuadet aliud motus mediocris, neque quod ſomno indigent. Quare, ſicubi incidentibus indigemus ob pituitæ genitæ copiam, ſubitò transeundum nobis eſt ad victum humectantem. Eodem modo ſi ob ſuſpicionem obſtructionum veniamus ad cibos & medicamenta deobſtruentia. Tunc quæ nutriunt cibaria, humidi eſſe temperamenti nequaquam neceſſe eſt, ut neque eo ipſo die eſt detrectandum. Multoque magis poſtridiè eſt continuandus idem victus, halicam cum melle dantes, aut acetum illi addentes, cum præparamus eo modo, quo ptiſſanam, aut cum œnomelite, aut cum Falerno, aut cum lacte utentes, ut prædixi, aut adjicientes ptiſſanæ accuratè coctæ aliquid piperis minutiſſimè pulveriſati.

7. Eodem modo & ficus maturas, præ cæteris fructibus ſumendas, veluti tempore hyemali caricas, & panem quo dixi modo præparatum, aut cum melle, aut cum œnomelite, aut vino aliquo apto. Hæc enim dicuntur exempli loco & claritatis gratiâ, ut legentes arbitrari poſſint de materia, ſemper reſpicientes ad ſcopum univerſalem, qui eſt calefacere & humectare.

CAPUT IX.

1. Notum verò eſt, pituitoſorum & ſeroſorum excrementorum in corporibus ſenilibus copiam ſemper eſſe, & promovendam urinæ vacuationem quotidiè, verum non per medicamenta, ſed per apium, hydromel, & vina aquoſa. Alvum verò ſubducendam eſſe oleo maximè, quod ſorbeant ſenes ante alios cibos.

2. Notum & hoc eſt, comedenda eſſe ante alios cibos oleracea omnis generis, cum oleo & garo. Et hoc quotidiè faciendum eſt, ut quotidiè molliatur alvus, quod ſatis eſt. Idem tentandum eſt per ficus virides, per pruna, per alia, quæ æſtate haberi poſſunt. Hyeme verò per caricas, & pruna Damaſcena, aut cocta, aut certè infuſa melicrato, quod copioſum habeat mel. Hoc præſtabit rectius mel Atticum, Præſtabunt & felicius Damaſcena Hiſpanica. Olivas ex muria

aliquando præſumere æquum eſt. Aloë verò ut præſumatur non conſulo, quod video facere pleroſque ſenes, cum alvus eſt immorigera, & quoſdam ex illis pilulas è ſucco braſſicæ. Alii lævigatâ utuntur aloë inſpersâ humori alicui: Hic humor quibuſdam aqua eſt, quibuſdam melicratum. Qui ex his ditiores ſunt, illam volunt, quæ cum cinamomo paratur. Vocant quidam ἱερὰν δι᾽ ἀλόης, quidam πικρὰν. Circumferunt quidam pulverem ſiccum, ut inſpergere poſſint potulentis: quidam cum coсto melle, modicè miſtum: ſed nullo tali opus habent ſenes, niſi magna inſtet neceſſitas.

3. Cum enim alvus morem gerit dictis remediis, etiamſi non ſingulis diebus, ſed alternis, nullo omninò medicamento uti oportet. At verò niſi tertio eat, jam duobus ſtipata, tum ſufficiet vel Mercurialis, vel braſſica marina, vel cnicus, cum ptiſſanâ datus, & quæcunque alia modicam habent purgandi facultatem, ut reſina terebinthina. Accipiunt ejus modò quantitatem nucis Ponticæ, aliquando duarum aut trium. Non ſolùm enim mollit alvum citra moleſtiam, ſed & omnia viſcera abſtergit, hepar, lienem, renes & pulmonem.

4. His dictis uti oportet variè, non unum duntaxat offerre. Cui enim diuturnitate temporis aſſuefacta eſt Natura, ejus vim contemnet. Mutare igitur prædicta oportet, & addere illis τὸ διὰ τῶν ἰσχάδων. Sint autem caricæ pingues, & auferatur cutis exterius contegens. Eodem modo & cnici. Inde utraque miſta tundantur. Pondere verò eodem eſto carica & cnicus. Licet & heic periculum facere medicamenti ad naturam ſumentis, & quandoque cnici minus ſumere, quandoque amplius. Totius compoſiti doſis eſt magnitudine duarum aut trium ficuum.

5. Quid multa? In omnibus his ab experientiâ petere oportet id, quod legitimum modum conſtituit. In quibuſdam enim ventriculus non obedit debilioribus, ſed ſatis valida vult. Modò etiam quidam non contenti ſunt levi purgatione: ſed illi neſciunt, quod tantò ſtrictior venter erit poſteà, quò citatior jam eſt.

6. Ideò ego, ſi quibus in morbis longis alvus eſt pertinacior, (quod per hyemem ferè fit, & in convaleſcentibus:) non utor clyſteribus acribus, ſed ſolum oleum infundo, quod nihil impedit, quò minus etiam in ſanis fiat, ubi tardior eſt. Dura enim excrementa madefiunt, & fit lubricitas quædam in tranſitu: quin ipſa ſenum corpora fiunt molliora, non ſecus ac coria exſiccata.

7. Sed non eſt hoc proprium ſenum, quà ſenes. Confert enim iis etiam, qui reſurgunt ex morbis. Quod verò eſt ſenum illud proprium? Quod temperamento ipſorum conducit. Hoc enim eſt propter quod ſeneſcimus alius alio citius, aut tardius, quemadmodum etiam differentia eſt inter nos ſecundum naturam, genus vitæ, in victu, in morbis, cum propter curas, aut tale quid nimis ſiccamur.

8. Eſt

8. Eſt enim quod *Senectutem* vocamus omnes homines, temperamentum ſiccum & frigidum, factum à multitudine annorum. Accidit aliquando & à morbo febrili, & vocamus *Senectutem à morbo*, ut *l. de Maraſmo* dictum eſt. Maraſmus enim talis quoque diſpoſitio eſt, non in animalibus tantum ſed & in plantis. Scripta verò eſt libro primo hujus operis neceſſitas ſenectutis. Ex illis igitur, ut & ex iis, quæ de Temper. ſunt dicta, veniat aliquis inſtructior ad partem hujus artis γηροκομικήν.

CAPUT X.

1. QUò minus ſeneſcamus properè, omnis cura conſiſtit, & in diſpoſitione corporis, quæ eſt propria ſubſtantia, & in cognitione facultatis remediorum huc pertinentium. Exempli gratia: In propoſitâ nunc nobis ſenectute qui ſcientificè nôrit diſpoſitionem, quæ hanc facit, quod ſiccitas ſit cum frigiditate, ſi didicerit ea, quæ humectant & calefaciunt, bonus ille ſenum Medicus fuerit.

2. Quatuor verò cum ſint genera materierum, *Adhibenda, Facienda, Vacuanda, & Extrorſum incidentia*, eligere oportet ex ſingulis ea, quæ calefaciunt & humectant. Singulorum uſum præbet exercitium illorum. Vidi olim puerum, cujus thorax multum aberat à ſymmetriâ reliquarum partium, hujus magnitudinem auxi hoc genere auxilii: Cinxi inferiores thoracis partes omnes uſque ad os iſchii cingulo mediocriter lato, hanc comparationem inſtituens, ut ſine dolore firmaret partes ſubjectas, neque tamen laxæ illæ eſſent, neque premerent. Tum verò exercitia inſtitui, quæ fiunt totis manibus, inter cætera ἀναφωνήσεις à phonaſcis vocatas. Utrobique mandavi cohibitiones reſpirationis. Hæ fiunt comprimentibus quidem nobis undiquaque thoracem: exſpirationem autem prohibentibus, ut omnis aër intus maneat, cum inſpirationem præoccupet attractio. Quamobrem, qui hoc obire voluerit, illi plus inſpirandum fuerit. Quò enim copioſior fuerit aër compreſſus: eò magis thorax dilatatur intentus. *Vide Notas in Gal. h. l.*

3. Heic obſcurum non eſt, quod ἀναφωνήτεις, & in magnitudine, & in acumine tenſionis debent præcellere, ſi modò exerceri fortiter debent omnes thoracis partes.

4. Hæc igitur creſcentia corpora reducent ad ſymmetriam, cum illa malè conformata ſunt: moderata autem juvabunt etiam adultos: at verò in ſenibus noli tibi tale quid promittere. In his enim melius eſt quieſcere, cum partes ſint debiles.

5. Melius & hoc eſt, exercere tales in ſuo quemque vitæ genere, etiamſi non ſit optimum. In pueris conabimur mutare lædentia, etiamſi à puero conſuetiſſima. Facultas enim tolerare poteſt mutationem, ſi intra modum

modum ſit læſio. Et ſpes eſt reliquo vitæ tempore profuturam ad commodiorem operationem.

6. Senex autem ſi poſſit etiam longiori tempore ſenſim mutare pravas conſuetudines, ut careat his dum rectè agit, is fruſtrà laborabit, non minus quam is, qui octuagenarius cum ſit, jam demum diſcat artem aliquam. Veluti autem ſenes differunt inter ſe non parum, tàm ætate, quàm corporis diſpoſitione: ſic ii, qui naturâ frigidiores & ſicciores ſunt, comparati cum iis, qui temperati ſunt, non exiguam intemperiei latitudinem in medio invenient, & ad ſe invicem collati, & ad ſenes. Quare certum quidem eſt humectandos illos eſſe, & calefaciendos: veruntamen confidentiùs id fieri poteſt in iis, qui ratione ætatis tolerant validiora exercitia, quod vires adhuc validiores ſint.

7. Primus enim ſcopus, à quo indicationem ſumimus, eſt hæc intemperies corporis, non autem ſenectus, aut omninò ætas ipſa. Sed enim quia per conjecturam aſſequimur diſpoſitionum magnitudinem, propterea etiam ætatem conſideramus. Eadem utilitas eſt & notitiæ conſuetudinum, & cauſarum procatarcticarum. Ab his enim provehimur ad diſpoſitionis exactiorem cognitionem. At indicatio remediorum aliunde eſt. Pars enim totius concurſus Empirico ſunt hæc talia: nimirum ab obſervatione pendet curatio ipſius, non ab indicatione.

8. Quò rationabilius Hippoc. pleraque de dignotione & præſagitione ſcripſit, ut exerceret nos in particularibus: idem factitârunt optimi quique poſterorum, ſcientes quippe, facili negotio inveniri poſſe remedia ab eo, qui nôrit accuratè diſpoſitionem corporis, cui adſumus vel ſano vel ægro.

9. Oportet enim, ceu ſæpe dictum eſt, initium facere à præcepto Therapeutico, *Contraria contrariorum remedia ſunt.* Poſtquam verò didiceris materias auxiliorum, oportet & facultates ipſarum noviſſe, ut omni corpori, malè quidem diſpoſito contraria applices: optimè autem conſtituto vicina facultatibus.

10. Hinc adeò intemperies ipſas, quæcunque in latitudine ſanitatis adhuc ſunt, ſi curare voles, ſubcontrarium victum inſtitues, quod fit per multum otium: qui vero negotioſum vitæ genus habent, ſimilibus tractabis, maximè, ſi conſuetudo ipſorum ita ferat. Plerunque autem alterutrum accidit, ut, cum naturæ ſint indoctæ, ferantur ad familiaria, quæ tamdiu adminiſtramus, usque dum ad priſtinam conſtitutionem reditum faciant.

CAPUT XI.

1. QUæ verò victus ratio intemperiem corrigit, latius utplurimùm ſe extendit. Quare familiaribus morbis corripimur plerique, cum, qui calidior naturâ

naturâ eſt, calidis morbis facilè laborat, qui frigidior, frigidis, de aliis eodem modo. Intemperatorum enim corporum quodlibet citius ad naturam ſuam redit quam ad bonum temperamentum. Hoc enim in medio conſiſtens omnium intemperierum, ſi quis familiari tentetur morbo, longius abeſt: ſi non familiari, minus longè.

2. Nec igitur conſuetudines mutandæ ſunt, quamvis pravæ ſint, quamdiu diſplicent ſibi ægri. Sed neque in accurato victu audendum hoc eſt: ſed cum quieſcunt à politicis negotiis illi, qui mutari volunt.

3. Hæc cum ſint communia præcepta in omnibus temperamentis, mutantur per partes, quantum intemperies quælibet abeſt ab optimâ, quæ eadē ſumma eſt. Nec admiratione dignum eſt, Intemperatas naturas, quæ conſiſtunt accuratè in medio, hinc quidem ſanitatis, illinc autem ſenſibilis morbi, in victu etiam modò huc inclinare, modò illuc.

4. Sed neque illud obſtat, quod homines ab iisdem juvantur & læduntur. Si enim omnia in eâdem conſtitutione eſſent, tunc admiratione dignum erat, à contrariis quoſdam juvari, lædi ab iiſdem. Quia autem contrariæ ſunt conſtitutiones hominum, veriſimile eſt etiam à contrariis juvari.

5. Quare miretur aliquis, omnes Medicos, qui de Sanitate tuendâ ſcripſerunt, non diſtinguere naturas vel verbo. Ut enim ſutores non poſſunt uti uno calopodio ad omnes homines: ſic nec Medici uno victu omnibus utili.

6. Ideò quidam dicunt, ſaluberrimum eſſe exerceri multum ſingulis diebus: quidam, nihil prohibere, etiamſi quis perpetuò abſtineat. Ita de balneo quidam, quod ſit optimum, quidam non. Ita bibere vel vinum, vel aquam. Ita de omnibus præceptis fit, tàm in ſanitate, quàm in morbis, ut contraria iidem ſcribant de iiſdem, ut rarum ſit idem confiteri omnes.

7. Experientia quidem oſtendit, ab iis lædi quoſdam, à quibus juvantur alii. Contrariorum eadem eſt ratio. Novi quoſdam ſubitò ægrotare, ſi per triduum abſtineant ab exercitio: quoſdam alios, qui nunquam ſe exercent, & tamen ſani ſunt. Ita de balneo. In horum cenſu erat Premigenes Mytilinæus.

8. Quod hæc ita fiant, etiam Empirici nôrunt: at nemo illorum notas reliquit nobis, veluti de morbis factum eſt, quibus notis attendentes ſciamus, quo victu ſit utendum in talibus. Nam non niſi à pauciſſimis Empiricorum traditum eſt accuratè, quæ ſint συνδρομαὶ illæ, v.g. in peripneumoniâ & pleuritide. At verò plerique morbi habent ſua ſigna diagnoſtica, eaque conjecturalia, non ex collectione definitorum ſymptomatum facta: ſed quæ viro indigent accuratè docto diſpoſitionem corporis laborantis, & ſciente, quæ illi diſpoſitioni correſpondeant.

9. Quod igitur heic inquirere volumus, id jam invenimus nos juvenes etiamnum, & quidem ratione duce. Unde manifeſtum ſit, quod experientia

quantumvis longa, abſque ratione talia invenire non poteſt. De Premigene igitur cum audiviſſem, quod certò febricitet, ſi intermittat balneum, ratiocinatus ſum, gignere ipſum fumida excrementa, quæ tranſpirare debeant; at verò cum cutis eſſet denſior, quàm ut omnia vacuari poſſent, collecta ſub cute concipere calorem. Quare talibus naturis convenientiſſima ſunt balnea, non modò pro vacuatione fumi: ſed & quia humectat ſuavi humiditate cutim.

10. Ut igitur certus eſſem, qualis ſit calor ipſius, latam manum injeci pectori Premigenis. Ut ſenſi, acrem & mordacem eſſe, non abſimilem illorum, qui affatim cepas ingeſſerunt, multò magis perſuaſi mihi ita eſſe, interrogavique, Nunquid ſudet aliquando ſponte & abſque balneo? Cum reſponderetur, Non: jam certior fui de diſpoſitione præter naturam Premigenis. Quin imò, vidi alios quoque, qui, prorſus ut ille, calidum acre habebant, non tamen febricitabant ab intermiſſione balnei unâ, quoniam per ſudorem exibant excrementa. In Premigene, præter conſtitutionem naturalem, cauſa febris erat victus privatus, quod, poſt neglectum balnei, plurimùm domi ſederet aliquid ſcribens, aut legens, quod deditus eſſet Philoſophiæ Peripateticæ, in qua inferior illi nemo erat. Scimus enim, iis etiam, qui tale excrementum non cumulant naturâ, evenire tale quid ex continuo labore & curâ.

11. Alii igitur cuidam homini, qui non minus quam Premigenes, calorem acrem habebat, febrire non contigit poſt unius diei intermiſſum balneum, quoniam lucubrator non erat, ſed negotia ſua obibat inambulans per urbem, eaque varia, emendo, vendendo, ſæpè pugnando, inter quæ ſudare cogebatur.

12. Itaque alium quendam, ſingulis æſtatibus laborantem acuto & bilioſo morbo, per multos jam annos à morbo præſervavi, prohibito exercitio. Cum enim eſſet temperamento calido & ſicco, planè ut Premigenes, exercitiis deditus erat robuſtis in Sole & pulvere. Hinc factum eſt, ut calor quidem in immenſum augeretur: cutis verò denſaretur & imperſpirabilis fieret. His duobus junctis jam facile erat febrire corpus ita affectum.

13. Quod igitur in arte Medica ſolitus ſum dicere ſæpè, id nunc etiam dicam: Ratiocinium quidem facilè invenit quæſita, experientia verò confirmat fidem ipſorum. Et quod admirabilius, quod Hippoc. dixit, *Calidis naturis melius eſſe quieſſe quàm exerceri*, Medicorum plerique non intelligunt. Neſciunt, qui ſint illi, ſed in ordine ſtantibus coràm ſe omnibus exercitia imperant. Ita viciſſim alii Medici ſunt, qui credunt, Exercitia ad ſanitatem nihil conferre. Et præterea tertii quidam, qui conſuetos quidem admittunt, inconſuetos autem aſpellunt.

14. Hi omnes apertè peccant, ſed qui tertio loco dicti ſunt, minus. Pleríque enim cum conſuetudinem aliquam aſſciverunt, eligunt quid familiare naturæ ſuæ, quod læſi à non familiaribus coacti ſunt deſerere. Quidam autem, aut volupta-

voluptate victi, aut propter excellentem ſtultitiam non ſentientes noxam, manẽt in probata ſemel conſuetudine mala. Sed horũ pauci ſunt: plures, qui mutant.

15. Propterea Medicos errare minus veroſimile eſt, qui omne conſuetum ſervare volunt. Qui verò putant, ad ſanitatem nihil intereſſe, inexercitati an exercitati comedant. Qui cenſent, omnes eſſe exercendos, pluribus nocent, quam qui prædicti ſunt. His ipſis inter ſe comparatis, minus errant ii, qui exercitium cibis præmittunt.

16. Arbitrantur quidam & Hippoc. hoc velle, cum in Aphor. ait, *Labores præcedere cibos*; non obſervantes, de ordine illum loqui inter exercitia & cibos, non autem, quod utrumque omnibus hominibus æque utile ſit: ſed, quòd ubi exercitia locum habent, ibi præcedere debeant cibos. Quod verò non omnibus conducant, in Epid. expreſſe docuit, cẽſens, *Calidas naturas quieſcere debere.* In Aph. autem potentiâ, cum in univerſum dicit, *Contraria contrariorum remedia eſſe.*

17. Fieri poteſt ut diſcordia quædam imaginaria prodeat in his talibus præceptis, quod quidam exercitium vocent quemvis etiam moderatum motum in moto corpore: quidam vehementiorem tantum. Qua occaſione dici poteſt omnes homines exercitio egere in primo ſignificato, quod notum eſt omnibus: in altero verum non eſt. Qui enim in carcere valent, eorum minus rectè meminiſſe videntur quidam. Peſſum enim eunt omnes hi diuturnitate temporis, quod arceantur ab omni unguento & balneo. Non eſt autem admiratione dignum, illos reſiſtere morboſo victui per paucos dies.

18. Itaque ſi exercitium vocetur omnis motus, & ambulans, & frictus & lotus dicatur exercitus, ſi conſtitutio corporis ipſius parum alteretur. Horum aliquem ſi carcere includas, prorſus ægrotabit. Videmus & ſic incarceratos, non ſolùm decumbere, ſed & mori, ſi diutius detineantur.

19. Si verò vehementes motus ſolos appelles exercitia, verum erit illud, non omnes homines indigere exercitiis. Ut in exemplo dicam: Premigenes ille nullo vehementi motu indigebat, ſed nec exiguo illo, qui balneo præmitti ſolet, cum inambulant in porticu ante balneum.

20. Sed & fricari oleo, & poſt balneum abſtergi aquâ, ſufficientes ſunt motus talis conſtitutionis viro. Premigenes verò ante cœnam etiam inambulabat, & diſſerebat cum ſodalibus, ut & domi ſuæ horis matutinis. Nemo igitur adjutus eſt ab otio omnimodo, ſed cum quieſcere jubet Hippoc. jubet abſtinere à vehementibus motibus.

21. Ego etiam multis profui laborantibus initio autumni, inſtituendo motus, ſuo cuique generi vitæ convenientes, toto æſtivo tempore, ſed revocando ab illis autumno, ſanos hoc modo præſtiti.

22. Et quemadmodum alios arcui à vehementibus motibus: ita alios ab otio ad Gymnaſium transtuli, itaque à morbo immunes habui, cum aliàs non ſemel ægrotâſſent. Hi ſunt frigidiores temperatis & moderatis, contrario modo

 diſpo-

diſpoſiti quam calidi & ſicci. Dictæ verò ſunt notæ temperamentorum horum, non ſolum in libris de Temper., ſed & in Arte Medicâ. Hæc enim eſt inſcriptio unius è libris noſtris.

23. Et fas eſt mirari quoſdam è Medicis, qui neque rectè docent illa, quæ ſenſibus obvia ſunt. Quis enim non videt differentiam, quâ homines inter ſe diſtant, latiſſimè diffuſam? Ut in eodem vitæ genere, & iiſdem cibis, quidam benè habeant, quidam lædantur, ut & in morbis. Hoc enim omnibus luce clarius eſt, quod non omnes iiſdem opus habeant, & hoc nôſſe illos oportebat, cumque ſcribunt libros, definire & docere, qui à quibus juventur & lædantur. Quam igitur cauſam afferunt, cur limitationes poſt ſe relinquant? quamvis Hippoc. dudum ſcripſerit: *Scelerata illa cupiditas velle exſtare inter homines, & hæreſiarchas vocari.* Quamobrem nolunt ſequi, quæ ſenſus vult, ſed quæ ſuggeſſit illis opinio. Recentiorum verò plerique, qui fortè in illos inciderunt, quia melius quid non didicerunt, indocti ſunt, & imperiti demonſtrationum adeò, ut ii, qui benè inſtituti ſunt, facilè diſcernant vera à falſis, ea, quæ cum limitationibus ſcripta ſunt ab iis, quæ non ſunt. Et hi facilè repudiabunt imperitias eorum, qui abſque dioriſmis ſcripſerunt.

CAPUT XII.

1. PRæbe igitur te mihi attentum, pauca ex ſuperioribus repetenti, quales eſſe debeant diorifmi? Quibuscunque calidum nativum mordax eſt, ut fumoſa generentur excrementa, his balnea ſunt utilia, motusque breves, lentique: multi enim & acuti noxii. His igitur non ſemel tantùm lavare, ſed & bis per diem confert, præcipuè æſtate. Cibi ſint boni ſucci citra acrimoniam. His inimicum eſt in Sole verſari, iraſci, curis macerari. Quæ his contrariæ ſunt naturæ, (ſunt autem frigidæ & humidæ:) motibus validioribus indigent, victuque tenuiori, de quo qualis ſit, dictum eſt l. pecul. Hi neque ſub Sole exerciti, lædi ſe ſentiunt.

2. Differt & frigida natura à calidâ, & humida à ſiccâ. Humida & frigida adverſiſſima eſt calidæ & ſiccæ. Longiſſimè frigida à calidâ, ut humida à ſiccâ. Frigida & ſicca ſenum eſt. Ideò talia corpora citò ſeneſcunt, quâ de re dictum eſt, quod ſatis, anteà. Humida & frigida catarrhis eſt obnoxia.

3. Quod factum eſt hactenus in omnibus naturis intemperatis, facere in hac quoque æquum eſt. Hoc eſt illud commune, corrigendas eas eſſe quidem per contraria, ſed non niſi in multo otio: ſervanda autem eſſe per ſimilia, cum ob negotiorum concurſum prohibetur quis, quo minus vacet ſibi ipſi. De horum corporum exercitiis ita eſt habendum.

4. Laborare quidem plus oportet propter corporum humiditatem: robuſti autem labores eſſe non debent ob calorem. Animadvertere autem tum præcipuè opor-

oportet diligenter, cum ex quietâ vitâ tendimus ad exercitia. Subitò enim adſunt morbi rheumatici, niſi præcedant vacuationes. Quod in corpore eſt concretum, & circa humores craſſum, etiamſi frigidum moderatè, hoc ſubitò flatuatur & funditur.

5. Propterea tales naturæ circa ver maximè affliguntur morbis plethoricis, anginis, paraſynanchis, catarrhis, hæmorrhoidibus, hæmorrhagiis, arthritidos ſpeciebus, ophthalmiis, peripneumoniâ, pleuritide, aliisque omnibus, qui de inflammationum genere.

6. Quare prævenire oportet illis ſtatim ab initio vel venæ ſectione, vel ſcarificatione malleolorum. Has vacuationes qui non admittunt, illi purgandi ſunt panchymagogo, quod poſſit etiam aliquid bilis ducere, & pituitæ & ſeroſorum humorum.

7. Quæ de exercitiis dicta ſunt, putato dicta eſſe de balneis quoque. Nam & hæc periculoſa, ubi vacuatio non præceſſit. Qui autem uſi ſunt eâ, juvantur, præcipuè iis, quæ conſtant aquis non merè dulcibus, ſed habent vim aliquam diaphoreticam.

8. Vinum quod utiliſſimum ſit frigidis & ſiccis naturis, dictum eſt anteà: an verò calidis omnibus ſit adverſum, ut *in Epid.* ſcribitur, deinceps eſt arbitrandum. Fortaſſis enim quibusdam videbitur omninò abſurdum eſſe, adoleſcentem aut militarem, aut athleticum, aut foſſorem, aut meſſorem, aut aratorem, aut quodcunque opus validum facientem, ſolâ aquâ contentum eſſe: adeoque errare Hippoc., cum de calidis temperamentis ſimpliciter pronunciat, quod aquæ potu indigeant. Mihi vero non videtur Hippoc. ſimpliciter locutum eſſe: ſed de calidis in ſummo gradu dixiſſe id, quippe, qui tales ſunt propter intemperiem, non quod plurimum caloris nativi habeant, quod ille augeri dixit in athletarum exercitio. Sed qui intemperatè calidus eſt, nunquam is, vel bonus athleta ſit, vel bonus miles, vel circa opera ruſtica, politica ve laudandus. Hæ enim actiones fortium virorum ſunt, quales nunquam erunt ſine temperamento medio. Hujus qui ſunt, plurimùm habent calidi nativi.

9. Huic tali naturæ dandum eſt vinum temperatum, ut & ipſa natura temperata eſt, & tamdiu, quamdiu temperata eſt. Neceſſarium enim eſt hanc quoque non ſolùm in ſenectute, ſed & in decremento frigidiorem eſſe. Sit verò alicui calidiſſima natura, ut in latitudine ſanitatis, huic vinum nullatenus confert.

10. Verùm, cum tres genere differentiæ ſint calidarum naturarum, Una quidem, quæ in alterutrâ combinatione temperata eſt, v.g. ea, quæ in ſiccitate & humiditate; altera autem, in quâ ſiccitas ſuperior eſt; tertia, in quâ unà cum caliditate ſuperat humiditas: utique, in quâ altera oppoſitio moderata eſt, illa nunquam dicetur ſumma. Siccitas enim ſubinde intenditur. Hæc verò non eſt cum ſiccitate.

11. Ubicunque verò ſiccitas eſt cum calore, fieri poteſt ut calor præter naturam

turam multus in latitudine ſanitatis diu duret. Plurimus verò calor brevi ſpatio cum humiditate extrema in eadem latitudine conſiſtere non poteſt. In prima igitur ſpecie tantum vini aquoſi concedemus, quantum abeſt à ſummâ intemperie: in neutrâ duarum alterarum concedemus, cum in ſummo gradu eſt, veluti demonſtratum eſt.

12. Quæ enim tales intemperies non ſunt, iis vinum dabimus paucum & aquoſum. Tale eſt album quidem colore, tenue autem conſiſtentiâ, veluti in frigidis intemperiebus dabimus vinum calidius. Summè enim calidum ſummè frigidis convenit: in aliis, quod proportione reſpondet.

13. Non enim ſimpliciter tantum meminiſſe oportet illius, *Contraria contrariis remedia ſunt*: ſed & contrarii quanti in ſingulis oppoſitionibus. Quemadmodum enim in doctrinâ Simplicium oſtendimus, non oportet ſcire tantum, calidum an frigidum quod ſit, ſed & in quo gradu: ita in vinis faciendum eſt, non eligentes tantùm aquoſum, aut calidum, ſed quod proportionem habet ad ſuam intemperiem.

14. Hæc dicta ſunt de iis, qui medii ſunt inter ſenes, quos *ὠμογέροντας* vocamus, qui urbanis negotiis præeſſe adhuc poſſunt: ſecundi ſunt, de quibus dicitur,

--- ------ *Poſtquam laverit, ſumſeritque cibos,*
Molliter dormire oportet, --- --- ---

Non autem de tertiis hoc locum habet, inter quos Telephum Grammaticum fuiſſe dixi, qui per integrum menſem non niſi ſemel aut bis lavant. Propter enim virium debilitatem tales non tolerant frequentia balnea. Præterea non generant illi acria excrementa, & dicuntur ab iis, qui etymologiis delectantur, *πέμπελοι, παρὰ τοῦ ἐκπέμπειν εἰς ᾅδου πομπήν.*

FINIS LIB. V. *ὑγιεινῶν.*

GALENI ὑγιεινῶν LIB. VI.

CAPUT I.

1. DUm facio initium alius hypotheſeos theorematum artis tuendæ Sanitatis, recordari te volo capitum dictorum anteà, ad porrò dicenda neceſſariorum. Primùm igitur dictum eſt, Quid ſit ſanitas? Secundò, Quæ ſit univerſalis ejus definitio? Tertiò, Quomodo cuſtodiatur? Præterea, quod alterat tota animalium corpora, ideoque neceſſarium ejus conſequens eſt, cum periclitetur, auxilio indigere, antequam mutatio fiat inſignis, ut jam evidenter ſit morbus.

2. Auxilium eſt ex cibis & potibus, quibus ſupplemus id, quod ex corpore defluxit, ſubſtantiæ. Et hæc prima eſt mutatio: altera, quæ ratione ætatum fit, incurabilis eſt. Poſt enim primam generationem ſiccantur omnia uſque ad finem, toto intermedio tempore.

3. Hinc

3. Hinc fit, ut illi, qui ignorant victûs rationem ſalubrem, veriſimiliter moriantur antequam Natura jubeat. Poſtquam igitur, ut dixi, neceſſariò nutritur omne animal genitum, tota autem ciborum ſubſtantia non nutrit, ideò excrementa relinquuntur, malum, inquam, aliquid, quod περίττωμα vocant: paravit Natura partes quasdam corporis ad ſeparationem & vacuationem illius. Et quia multæ ſunt corporum differentiæ, veriſimile eſt in ſingulis individuis eſſe ſingulare quid.

4. Primum igitur oratione definivimus hominem optimè conſtitutum, qui ſibi vivat, à muneribus civilibus liberum. Hunc quomodo quis, à primâ juventute uſque ad extremum ſenium, ſanum conſervet, docuimus in quinque libris anterioribus. Tranſibimus jam tàm ad eos, qui, propter multitudinem negotiorum, non poſſunt ſuo tempore edere, bibere, exerceri; quàm ad eos, qui à nativitate morboſa corpora habent.

5. De his brevior heic erit quam anteà ſermo, quamvis naturâ ſua prolixior, propterea, quod prædictæ ſint materierum quarundam facultates, quibus utimur in providentiâ artis hujus. Videmus enim mutationes corporum inſtitui per frictiones, balnea, exercitia, cibos & potus, quibus vel calefimus, vel refrigeramur, itemque per Venereorum vel uſum, vel abſtinentiam, & ſi quod aliud tale eſt, per quod mutari corpora videmus, cujus, ut dixi facultates ſunt expoſitæ.

CAPUT II.

1. PRavæ corporum diſpoſitiones genere duplices ſunt: quædam enim illarum æqualiter temperatas habent elementares & primas corporis partes, quas *Similares* vocavit Ariſtoteles, quædam inæqualiter. Dico ὁμαλῶς, cum omnes partes ſimiliter nutant verſus intemperiem quandam, v.g. calidiores, aut frigidiores ſunt æquo. Ita per conjunctionem, quædam calidiores, & humidiores, & ſic de aliis. Quin etiam in inſtrumentalium partium compoſitione, quædam æqualiter, quædam inæqualiter habent ſe.

2. Primum quidem dicam heic quoque, quæ corporum conſtitutiones morboſiſſimæ ſint, quemadmodum anteà docui, quæ conſtitutiones ſanæ ſint. Sed hæc quidem una tantùm eſt. *In omni enim genere quod optimum eſt, unum tantùm eſt*: mala autem plurima. Duplex autem eſt generalis illorum differentia, ut jamjam dixi: quorundam enim partes omnes in æquali ſunt intemperie, quorundam in differente.

3. Quæ igitur ſunt in intemperie æquali, manifeſtum eſt, quod ſint peſſimæ, præſertim cum intenſæ ſunt, & maximè, quæ frigidæ & ſiccæ. Quæ verò in inæquali, illa ne numerare quidem poſſis facilè. Illa verò dupliciter variâris, vel genere, vel ſpecie, vel quocunque modo loqui velis.

4. Morboſiſſima enim ſunt, ubi principaliſſimæ partes contrariis tenentur dispoſitionibus; moderatiora verò, in quibus partes minus principes ita affectę ſunt.

5. Vid

5. Vidi enim quoſdam, qui haberent ventriculum quidem frigidum, caput autem calidum, ut quoſdam viciſſim, ſub capite calido ventriculum frigidum. Vidi etiam per accidens, non primò, neque propria temperamenti ratione, bile ſuffuſum ventriculum, cum calidus naturâ non eſſet, quemadmodum alium contrà refrigeratum, qui frigidus non erat.

6. Sic & caput, hepar & lienem, aliudve viſcus, participans aliquid de intemperie alterius, aut nihil illo læſo in natura ſua, aut contrario modo diſpoſito.

7. De primis igitur erit mihi ſermo, quæ æqualem habent intemperiem, & hinc ordiar. Dictum eſt in lib. de Temper., Impoſſibile eſſe, unam dyſcraſiam diutius manere ſolam. Ipſa enim ſibi ipſi acquirit aliam de neceſſitate. Quare medicorum pleriſque viſum fuit, quatuor tantum, eaſque ſolas eſſe intemperies compoſitas, ſimplices autem nullas. Calidam enim ſemper abſumendo humorem attrahere ſibi ſiccitatem: frigidam relinquendo humiditatem illam alere. Eodem modo & ſiccam quibus temporibus augmentum durat, facere, ut animal videatur ſe ipſo calidius. At cum in decremento eſt, refrigerare, & ſiccare quidem ſolidas partes, colligere autem copiam excrementorum. Sic etiam humidam, cum ſimul calidior eſt, fieri tandem temperatam in utraque qualitate. Utrâque dico, & illâ, quæ in calido & frigidó, & illâ, quæ in ſicco & humido.

8. Erit autem temperata ipſo ἀκμῆς tempore, nec minus in παρακμῇ, qualis eſt in optima conſtitutione. Hoc fit in adoleſcentia. Aliæ ætates omnes deterius habent, ut demonſtratum eſt. Sed & hujus velim te meminiſſe, quod unum ex iis eſt, quæ dicta ſunt, Cum duplices ſint animalis actiones, corporales quidem præſtantiſſimas habent pueri, animales autem ætas illa, quæ hos ſequitur. Nec in certo numero ſunt hi anni, præterquam in latitudine quadam. Pubeſcere enim incipiunt quidam cum fine anni 14. quidam poſt hunc annum, aut plures. Initium autem decrementi capiunt quidam ſtatim poſt 30. annum, quidam poſt 35. Viribus igitur deſtitui ſe ſentiunt omnes homines poſt ἀκμὴν, ſed de ſanitate nihil illis decedit, & non minus laudabilem habent quam antè. Habent autem ſimul, non ſolùm ad principium uſque ſenectutis, ſed etiam per totam illam, quam vocant morbum naturalem.

9. Cum enim neque dolent qua parte, neque actionem ullam, quâ in vita communi ſit uſus, prorſus amiſerunt, aut valdè debilem habent, ſani ſunt ſanitate ſenili. Et æquum eſt meminiſſe eorum, quæ de ſanitate dicta ſunt, quod magnam latitudinem habet.

10. Si verò tertia quædam diſpoſitio corporis eſt, quam Herophiléi *Neutram* vocant, quæque in iis eſt, qui ſervati ſunt in difficilibus febribus, eo tempore, quo reficiuntur, & in ſenectute: omninò extra morbum ſenes erunt, at actio-

actiones validæ, quo modo in ἀκμάζουσι, non erunt, ſed tantum, quantum ſatis eſt ſeni videre, audire, ambulare, & alia facere, non deficiente corpore. Et hoc meritò quis vocat *Sanitatem ſenis*, non autem ſimpliciter *Sanitatem*. Hæc enim inculpabilis eſt propter actionum præſtantiam: culpabilis autem ſenum. Cum enim actiones omnes habeat, nullam habet validam. Et ſanè Gerocomice Medicinæ pars hunc ſibi ſcopum habet propoſitum, ut ſanitatem ſenilem cuſtodiat, quantum per rei naturam poteſt.

11. Quæcunque autem corpora morboſam conſtitutionem habent à primâ generatione, illa nunquam ad ſenectutem pervenient. Si tamen pervenerint, omninò morbus quidam chronicus prævalebit. Propoſitum enim noſtrum nunc eſt differere de iis, qui malè conſtituti ſunt, proſpicientes, quo modo longo tempore quis ſanos conſervet.

COMMENTARIUS.

12. Oportet in Montano Veronenſi, qui libros Galeni in claſſes diviſit, magna fuerit ῥαθυμία, cum tantum valuerit apud illum præconcepta opinio, libellum, qui ſub titulo *Inæqualis intemperiei* circumfertur, eſſe GALENI. Atqui Galenus & alibi conjungit cum *lib. de Temper.* & heic τὴν ὁμαλότητα opponit τῇ ἀνωμαλότητι, & expreſsè ait, quærendam eſſe intemperiem in partibus unius individui diverſis. Hoc verò quid ad Pathologica, quibus ille intermiſcet? Et ubi Galenus, in ſcriptis genuinis, inflammationem, de quâ ille *cap.* 3. inter inæquales intemperies habet? Deinde, ubi eſt inæqualis illa intemperies, quam in toto corpore fingit falſarius ille *cap.* 4? ubi inæqualitas illa febrilis, quam *cap.* 5. cogitat ſomniator? quod eſt κηροφύγετον illud, quod *cap.* 6. introducit parobalanus? Pudet dicere de ſequentibus, quæ tanquam fabulam in ſcenam repræſentat præſtigiator! Miror, & demiror, quomodo ſummus vir, Fr. Valleſius (de hoc enim ſolo dicam:) non ſubodoratus ſit hæc deliramenta!

13. Summa, in judicio, de hujus libri Claſſe diſtinguere oportet primum, Legitimusne ſit Galeni partus, an ſuppoſititius? Legitima eſt pars *lib. de Temper.*, adeoque explicatio illius, quod *2. Temp. 6. initio* dicitur, *Qui velit pronunciare de temperamento alicujus, debere primum certum eſſe, omnes partes eſſe æqualiter temperatas.* Et hoc eſt illud, quod heic dicitur, ὁμαλῶς ἢ ἀνωμάλως κεκρᾶσθαι. Hoc probo ex 1. *Meth.* 2. ubi expreſsè ait de argumento *lib. de Inæq. intemp.*, eſſe ἐκ τῆς περὶ κράσεων πραγματείας. Ubi ego ſubſumo, Atqui liber ille, de quo quæritur, non eſt Phyſiologicus. Et hic eſt Proſyllogiſmus, quem ſubſequitur alter, Ergò Galeni non eſt, multò minus rectè à Montano Pathologicis accenſeri poteſt. Sed cur tu quoque accenſuiſti? Secutus ſum publicum errorem. Dies diem docet.

CAPUT III.

1. INitium igitur facturi ab iis, qui parem in omnibus partibus intemperiem habent, dicamus nunc de calidâ quidem intemperie, ſed in paſſivis temperatâ.

ratâ.

ratâ. Statim igitur hoc apparet, quod hæc talis intemperies firmiorem præbet ſanitatem, quàm ſi extenderet ſe ad paſſivas quoque, hoc eſt, ſi eſſet, tàm in calíditate & frigiditate, quàm in humiditate, & ſiccitate.

2. Nam & dentes trudet citius, & articulatè loquetur, & ambulabit maturius, & augebitur ſecundùm analogiam ſingulis annis. Ubi juventutis annos ſuperârit, omne id tempus, quod interjacet inter ipſam & decrementum, caloris ſigna potius dabit, adeoque bilioſis morbis, ſymptomatisque vexabitur. Multus enim calor, exhauſtâ humiditate, ſiccius facit temperamentum.

3. Sed enim cum ἀκμὴ quoque ſit calida, conjugatum temperamentum erit calidum & ſiccum ſimul, vincetque bilis, quæ & ὠχρὰ & ξανθὴ vocatur. Sic natis præſcribere oportet victum ſimilem illis, qui optimè nati ſunt, de quibus anteà dictum eſt, uſque ad adoleſcentiam. Ubi verò corpus illorum perfectum augmentum attigerit, obſervare oportet, an ſoleat illis bilis per alvum excerni, unà cum aliis excrementis? an potius ad ventriculum repat? Si per inferiora eat, ſinere oportet: ſin, per vomitum vacuare oportet, vale dicto iis Philoſophis, qui poſt exercitia, & ante cibum, prohibent vomitum ex aquâ tepidâ. Vino enim uti neque ego ſuaſerim, niſi vomitus ab aquâ ægrè ſuccedat. Sunt enim quædam tales naturæ, quibus concedendum eſt, ut ante aquam præbibant vinum dulce.

4. Hoc tantò facilius dandum illis eſt, ſi temperamentum ab initio ſit calidius & ſiccius. Nam & bilioſiores ſunt hi in ἀκμῇ. Hi etiam uti debent exercitio, non acuto & valido, ſed tardo & molli. Nam omnes illi ſunt etiam graciliores. Conſenſus etiam eſt omnium gymnaſtarum, acutum tenuefacere, tardum craſſefacere.

5. Quidam etiam, qui intensè calido ſunt temperamento, omninò non opus habent exercitio: ſed ſufficit illis obambulatio & balneum poſt frictionem mollem ex oleo. At verò, quod illis transſpirat, acre eſt, calidum & mordax: non fumoſum, ſvave & lene. Hi ipſi poſtulant balneum poſt cibum.

6. Horum quidam incredibile dictu eſt quàm craſſi ſunt facti ſub hoc victu. Illis ipſis adverſatur vel maximè vinum vetus: amicum autem eſt album & tenue. In omnibus, qui poſt cibum lavantur, obſervandum eſt, annon in dextro hypochondrio, ubi hepar ſitum eſt, ſentiant, aut dolorem, aut gravitatem, aut tenſionem? Tales enim conſtitutiones corripiuntur morbis hepaticis, ſi poſt cibum balneum ingrediantur. Tum verò ſi ſentiant tale quid, ſtatim danda ſunt, quæ hepar deobſtruunt, vitanda contrà, quæ craſſi ſucci ſunt, maximè, ſi ſimul viſcida ſint. De his fusè agitur in *libris tribus de facultatibus aliment.* ut & *in libro de Cibis boni.* nec non *de Vict. att.* Hoc victu opus habent & dolores hepatis, uſque dum indolens & leve fiat dextrum hypochondrium.

7. Bonum etiam eſt dilutum comæ abſinthii, ut & compoſitum ex eâ, amariſque amygdalis, quod bibere expedit cum oxym. à ſomno, & antequam balneo

utatur.

utatur. Nempè enim talia offerre par eſt, cum diſtributa ſunt per hepar ea, quæ in vētriculo præconfecta ſunt: oportet etiam ſpatium ſit inter illa & cibi oblationē.

8. Non minus bonum eſt compoſitum τὸ διακαλαμίνθης, cujus faciendi rationem expoſui lib.4. hujus operis. Verum in bilioſis temperamentis cavere oportet continuum ejus uſum. Quin, ſi quis utitur illo deobſtruendi hepatis gratiâ, melius eſt cum oxymelite bibere. Ciborum autem ſpecies ſit contraria intemperiei tum cum mutare illam volumus. Hoc paulatim fit, & ſine damno, Medico quidem præſide, obtemperante autem ægrò in abdicandis negotiis, ut omnia fiant ſuo tempore.

9. At verò cum homo inter civilia negotia hinc inde diſtrahitur, melius fuerat non tentaſſe mutationem temperamenti, ſed pergere in familiaribus cibis. Familiares ſunt, cum ſiccis naturâ ſicci dantur, humidis humidi. Nutritio enim fit, aſſimilato cibo nutriente corpori nutriendo. Celerius autem fiunt ſimilia ſicca ſiccis, humida humidis. In iis, in quibus temperamentum eſt æquale, quò jucundior eſt cibus, eò magis alit: contrà, in quibus inæquale, ut alia ſit hepatis, alia ventriculi, alia hujus partis, quæ hepati vicina eſt: aliud ſentitur, dum ſumitur, jucundum, aliud familiare eſt ſingulis partibus.

10. Hoc ipſum duplex eſſe demonſtratum eſt, aliud ſecundùm ſimplices qualitates, aliud ſecundùm totam ſubſtantiam. Familiaritas ſecundùm ſimplices qualitates qualis ſit, paulò antè dictum eſt: qui illam mutare vult, paulatim cedere cogitur, in vita alioqui negotioſa. Familiaritas ſecundùm totam ſubſtantiam ſola experientia cognoſcitur.

11. Profectò, elaboratio tàm eſculentorum, quàm potulentorum, non tantùm in ventriculo, ſed & in toto corpore, ſi ſint ex genere totâ ſubſtantia agentium, hoc peculiare habet, ut mutata in animalibus multò excellentiores virtutes poſſideant, quam ex palea & herbis accedere poſſit. Nulla enim ſimilitudo eſt inter hæc, de quibus loquor, & paleas, herbaſque, nulla inter eadem, & cicutam, v.g. helleborumque, (nam & hæc animalibus fiunt alimenta.) „

12. Quin ex qualitatibus etiam procedunt familiaritates, ſi tueri voles temperamenta, humida quidem humectantibus cibis, ſicca autem ſiccis. Ita ſi mutare, modò contrariis utare. In intemperie calida & ſicca ſemper conveniunt contraria. Qualitates enim hæ activiores ſunt, atque (ut ita dicam) potentiores quàm humiditas & ſiccitas. Quò fit, ut ab alimentis talibus facilis tranſitus ſit in morbos. „

13. At verò ſi quodcunque membrum amplius ſiccaveris, non magnoperè nocebis, tantum ſcilicet, quantum ſi ulterius humectâris. Hujus rei argumenta tibi ſint ætates. A prima enim ætate ad adoleſcentiam uſque, humidiſſimas habent carnes: ſiccas autem manifeſtè, ſenes. In his ſermonibus meminiſſe oportet illorum, quæ in de Temper. dicta ſunt, Ne quis putet, eos, qui

excrementis abundant, humidos eſſe, quod ipſum fefellit eos, qui ſenectutem putarunt frigidam & humidam eſſe. Non enim partes ipſæ ſenum ſunt humidæ temperamento: ſed inania illarum ſpacia ſuperfluo humore plena ſunt, ad inſtar eorum, qui humidis morbis laborant.

14. Qualis verò ſit affectus morbus humidus, cognoſcet, qui *l. de Maraſ.* diligenter legerit, non ſemel & in tranſcurſu, ſed inſtanter mentem adhibendo iis, qui dicuntur. Oportet autem præexercitatum eſſe eum, qui cum fructu velit legere *in 2. de Temper.* ubi demonſtratum eſt temperamentum ſenis ſiccum.

15. Propoſitum autem hoc loco corpus, æquo calidius, ſiquidem in primâ generatione medium in ſiccitate & humiditate fuit, omninò in ætate decreſcente fit ſiccum. Hoc accidit magis & citius, ſi naturâ ſiccius fuit. Hoc ipſum celerius ſeneſcet, quo citius ad ἀκμὴν venerit. De omnibus enim in decremento exſiccatis veriſimiliter dici poteſt, ſicciores fuiſſe antequam ad ſenilem intemperiem venirent. Et hi deſiderant victum humidum amplius in decremento, cujus typum jam deſcripſi, & humectantia balnea, ciboſque, & per abſtinentiam exercitiorum robuſtorum multorum, atq; ut æſtivo tempore citius ingrediantur balneum, & poſt cibum iterum. Juvat hos & frigidæ potus. At verò frigidis temperamentis adverſiſſima ſunt Veneria. Hi etiam parciores eſſe debent in inſolationibus & laboribus, in curis, vigiliis, omnibus commotionibus acrioribus.

16. Et ira biliosas naturas valdè inflammat, febreſque acutas cauſatur.

17. Qui igitur victus laudabilis eſſe debet in iis, qui in ſtatu calidioris ſunt temperamenti, ab initio ſymmetrus eſſe debet in humiditate. Hic enim maximè competit calidis & ſiccis. Satis autem manifeſtum eſt, contemplandam eſſe inprimis quantitatem dominantis elementi. Tantum enim aut intendere, aut remittere oportet victûs ſpeciem, quantum elementa ipſa vel intenſiora vel remiſſiora ſunt.

18. Quare eos, qui naturâ calidiores & humidiores ſunt, ſiquidem mutare velis temperamentum ipſorum in frigidius & ſiccius, oportet inſtituere contrariam victus rationem: ſin cuſtodire, ſimilem. Tales in pueritiâ vexantur malis rheumaticis & plethoricis, & prætereà putrilaginibus. Ideò indigent exercitiis pluribus, & accuratâ ventriculi coctione. Quæ enim ibi corrumpuntur, fiunt toti corpori cauſæ putridorum morborum. Quare ante cibum bis, terve lavandi ſunt. Hoc ſi fiat in aquis thermalibus, vehementer juvantur.

19. Scopus enim heic eſt, ipſas quidem partes ſervare humidas, quod commune eſt omnibus temperamentis, ſi modò verum eſt contrarium axioma facere, ut ſenectus citius obrepat.

20. Ita & illud, *Mortale eſſe, quod genitum eſt, corpus*, cauſam dicit. Si enim ſemper humidum ſervari corpus poterat, verum erat, quod Sophiſta, cujus memini, deblaterabat, *Immortalem ſe facturum illum, qui ſibi obtemperaret.* Sed enim quia

quia viam naturalem, quæ ad ſiccitatem ducit, effugere non licet, ut dixi, ideò ſeneſcere nobis neceſſarium eſt, & mori.

21. Longævisſimus ergò ſit, qui minimè exſiccabilis. Verum cum humidus victus excrementa gignat, & copiam humorum, difficile fit ſtare intra modum, ut neque morbis capiaris, neque citò ſeneſcas. Quod ad temperamentum attinet, vivaciſſimi ſunt, qui humidiſſimi. Iidem & ſatis benè valent, poſtquam corpus attigerit robur ſuum, cùm in aliis, tùm in viribus, inter eos, qui ejuſdem ætatis ſunt, uſque ad ultimam ſenectam.

22. Quamobrem hoc temperamentum laudatur ab omnibus, quà Philoſophis, quà Medicis, quicunque ad veram elementorum cognitionem pervenerunt. Et ideò viſum eſt illis ſolum eſſe ſecundum naturam. Cum tempore enim fit melius aliis, licet ab initio ſit pejus. Quò ſolicitior eſſe debet is, qui præfectus illi eſt, de iis, quæ quotidiè defluunt, & per exercitia, & per balnea, præſertim, cum frequentiora ſunt antè cibum, ut & de excretione per urinas & alvum. Nihil prohibet, quo minus & apophlegmatiſmis aliquando utare, & purgationibus. Antè omnia cibi ſint boni ſucci, vina bibat diuretica.

CAPUT IV.

1. DE calidis intemperiebus dictum eſt ſatis: de frigidis jam dicendũ eſt. Sunt & harum tres maximæ differentiæ: Aut enim temperatæ ſunt in alterutrâ oppoſitione, ut neque ſiccæ poſſint, neque humidæ; aut ut neque ſiccitas ſuperet, neque humiditas. Inter has peſſima eſt ſicca. Quod enim longo tempore in ſenibus fit: hoc ſtatim in his adeſt. Propterea humectare illos oportet, & calefacere.

2. Fit hoc exercitiis moderatis: fit alimentis calidis & humidis: fit vini potione calidioris: fit longioribus ſomnis, ita inſtituentibus nobis rationes, ut ſingulis diebus genita excrementa tàm cibi, quàm potus vacuentur omnia. De Venereis dictum eſt anteà, quod noceant omnibus ſiccioribus: inter hos verò maximè, cum frigiditatem conjunctam habent. Innocua enim ſunt ſolis iis, qui calidi ſunt & humidi, & qui alioqui multùm habent ſeminis naturâ, de quibus ſtatim dicetur in intemperiebus inæqualibus.

3. Pravæ etiam ſunt intemperies, quæ cum humiditate conſiſtunt. Maximè enim obnoxiæ ſunt malis rheumaticis: contrà juvant illos abſtinentia à balneo, & exercitia, & victus tenuior, unctiones modicè calefacientes, de quibus in doctrinâ laſſitudinum.

4. Quicunque verò frigidiores naturâ ſunt, temperati autem in paſſivis, ii minus morboſi ſunt inter intemperatos. Excitare igitur oportet & confirmare calorem ipſorum; eligere verò medium in victu inter humidum & ſiccum.

5. Hæc omnia dicta mihi ſunt de iis, qui æquales habent intemperies, h.e. qui omnes partes habent æqualiter extenſas, vel ad calidum, vel ad frigidum, &c.

CAPUT V.

1. DE his, qui inæqualem habent corporis conſtitutionem, paucis res peragi non poteſt, quia variæ illorum permutationes, aliis aliam partem habentibus intemperatam. Sed & ſi duas tantùm habeant quidam, tamen & horum evadunt multæ. Quamobrem, ubi dixero, quid ſit faciendum illi, qui inculpabilem quidem habeat ſanitatem; vivat autem in ſervitute, aut certè aliis ita ſit obnoxius, ut ſibi vacare non poſſit, quomodocunque appelles id vitæ genus; tranſibo hinc ad eos, qui inæqualem habent partium temperiem.

2. Cæterum, inculpabilem corporis conſtitutionem accipere oportet, ut ſæpè dictum eſt, in latitudine quâdã ut & ipſam ſanitatẽ: Alioqui nemo noſtrûm pro ſano haberi poterit, nemo etiam rectè natus dicetur, ſi non gaudeat exquiſitâ illâ, & prorſus irreprehenſibili ſanitate. Dicimus enim valere illos, qui neque dolorem ſentiunt in ulla parte, neque in ulla actione impedimentum ullum habent, quo minus dextrè agant.

3. Ita & conſtitutionem corporis laudabilem habent, ſi neq; ab externis cauſis facilè ægreſcant, neque ab internis. Nempè enim hoc pro certo definitoque habendum eſt, quoſdam continuè conqueri, non propter malam aliquam conſtitutionem corporis, ſed propter malam victus rationem, aut quod otioſi, & ſine exercitio degant, aut contrà, quod nimiùm exerceantur, aut propter ciborum qualitatem, quantitatemve, aut quod in tempore peccent, aut quod aliud agant, quàm ſolent aliàs, in ſuo quiſque vitæ genere, aut in ſomno longiore peccent, aut nimiâ Venere, aut quod ſe ipſos conſumant mæroribus & curis non neceſſariis.

4. Novi enim multos, qui ob cauſas dictas annuatim ægrotant, qui dici non poſſunt laborare propter malam conſtitutionem, quemadmodum illi, de quibus dixi, qui nihil peccantes, ſemper tamen ægri ſunt. Sit igitur pro hypotheſi primus, qui cum benè conſtitutus ſit, quoad latitudinem dictam, in vitâ ſervili detineatur toto die, apud potentem aliquem, aut monarcham, abſolvatur autem ab hero, ubi diei eſt finis, ad ſui curam.

5. Heic opus eſt alio dioriſmo, quem dicam diei finem? Qui enim legunt hæc, decipientur, niſi debita addatur limitatio. Cum enim dico, hominem tum diſcedere ad curam ſui corporis, cum Sol occidit, nec addo cujus diei? utrum circa Solſtitium æſtivum aut hybernum? an circa æquinoctium alterutrum? aut alium quendam dictorum temporum? impoſſibile eſt conſilium capere utile.

6. Romæ igitur longiſſimæ dies & noctes paulò majores ſunt 15. horis æqui-

quinoctialibus. Veluti breviſſimæ paulò minores novem. In magnâ verò Alexandriâ 14. horarum ſunt maximæ, decem autem minimæ. Ergò, qui in maximis diebus & breviſſimis noctibus miniſterio ſuo abit Sole occidente, huic fricari per otium, & lavari & dormire licet modicè. Nemo verò eſt, qui neque in maximis, neque in medio horum tempore, non liceat agere aliquid alicujus momenti, neque quenquam novi, qui adeò infelix fuerit.

7. Qui ergò inter Imperatores quos ego novi, maturrimè ad curam corporis veniebat, Antoninus, brevibus quidem diebus Sole occidente in palæſtram tendebat: magnis autem horâ nonâ, aut cum tardiſſimè, decimâ. Quare licet iis, qui illi miniſtrant in diurnis negotiis, poſtquam diſceſſére, curam ſui ſuſcipere toto reliquo tempore diei, & ſimul atque Sol occidit, dormitum ire. Cum enim breviſſima nox duret horis 9. æquinoctialibus, ſatis illis ſupereſt temporis ad ſomnum. Videndum igitur eſt, utrum aliquis è miniſtris his conſueverit exerceri anteà, an balneum ingredi abſque exercitio? Quidam enim eouſque ſui curam negligunt, ut neque frictionem admittant, ſed ſubitò balneum ingrediuntur, oleoque perfuſi ſtrigilem capiunt, inque ipſo balneo ſudorem abſtergunt. Horum nonnulli benè ferunt hanc conſuetudinem, ut nō continuò laborent, ſi modò ſint εὐδιάπνευςοι, quos cùm Medici, tùm Gymnaſtæ vocant ἀραιοσυγκρίτους.

8. Dictum verò & ab Hippoc. eſt, tales melius degere. *Raritas*, inquit, *corporis ad perſpiratum facit adeò, ut ſaniores ſint, quibus ille copioſior, quibus deterior, morboſi.* Hanc ſanè conſtitutionem mutare non oportet, ut neque aliam, niſi ſi perpetuò ægreſcant.

CAPUT VI.

1. SI quis in eo ſtatu ſit, ut nunquam ſolidè ſanus ſit, oportet inquirere in cauſam. Invenietur autem facto inquiſitionis initio à morborum genere. Qui enim ab interno malo laborant, duplicem habent cauſam, plethoram & cacochymiam.

2. Ubi quis videbitur capi morbis plethoricis, univerſalis ſcopus eſto eum victum inſtituere, ut humores maneant in ſua proportione. Si verò cacochymicis, ut ſint optimi. Particularis autem providentia erit prior de quantitate ſymmetrias: poſterior in qualitate. Dicamus primùm de priore, ſermonem arceſſentes à primis principiis.

3. Cum quæ vacuantur per inſenſilem transſpirationem pauciora ſunt aſſumtis, morbi fiunt plethorici. Studendum igitur fuerit, ut ſymmetria ſit inter comeſta, bibitaque, & inter vacuata. Hoc fiet, ſi conſideraverimus quantitatem utrorumque. Qui enim ſubitò, & non antè fricti balneum ingrediuntur, ii poſteà fricandi ſunt, ubi levi motu uſi fuerint: qui verò hæc duo præmiſerunt, iis conſilium damus, ut ſubinde paulatim augeant, intendantve.

4. Sed

4. Sed & hoc damus, demant aliquid vel de quantitate, vel de qualitate alimentorum, vel de utrâque. Qui enim brevi temporis ſpatio copiam colligunt notabilem excrementorum, illi utrumque faciant: qui non, vel parum, ſufficiet alterutrum, illud, inquam, quod ipſe elegerit patiens.

5. Ad quantitatem igitur quod attinet, facilis hæc cognitu eſt: ad qualitatem, res vertitur in oblatione eorum, quæ parùm nutriunt. Multi enim eorum, qui porcinâ carne veſcuntur, celerrimè coacervant multa excrementa, cum hoc alimentum requirat frictiones & exercitia valida.

6. Quare aſſuefaciendi ſunt ad olera & legumina ea, quæ non multum nutriunt, ad piſces item & aves eas, quæ etiam parum alimenti dant.

7. Eorum verò, quæ cacochymiam acervant, non perinde unus eſt ſcopus: quia nec una cacochymiæ ſpecies. Quidam enim frigidiorem & pituitoſiorem habent cacochymiam: quidam calidiorem & biliſiorem: quidam aquoſiorem & melancholicam. Unicuique igitur abſtinendum fuerit ab iis cibis & potibus, quæ nata ſunt promtè faceſſere in hunc illumve humorem. Dictum verò de illis abundè eſt in *tribus libris de fac. alim.*, tum verò & in illo, *in quo de bono & malo ſucco* articulatim & particulatim tractatur. Sed & *l. de Vict. acut.* de hoc negotio agitur, ubi peculiariter de crudo humore, qui ſemper quidem craſſus eſt, non ſemper autem lentus.

8. Omnibus his commune auxilium eſt alvi ſubductio, præcipuè quibus naturâ ſiccior eſt. Communis etiam eſt Veneris uſus modicus.

CAPUT VII.

1. NImirùm in conſtitutionibus laudabilibus non omninò abſtinere oportet Venere, quod faciendum eſſe in ſiccis dictum eſt anteà. Diſpiciendum autẽ inprimis eſt, utrũ in vitæ genere illo negotioſo ſemel an bis de die comedendum ſit? Caput conſiderationis eſt & corporis natura, & conſuetudo cibandi hactenus obſervata. Tertium inſuper eſt, ut, ſi quid videatur mutandum in conſuetudine, obſervetur, quo modo ferat ille.

2. A naturâ igitur indicatio ejus, quod confert, oritur, in iis, in quibus bilis in ventriculum effuſa eſt, (dictum eſt hâc de re in hoc ipſo libro, & dicetur jam amplius:) ut ſumantur priore loco, quæ molliunt ventrem, v.g. inter vina, quæ ſubducunt, (non enim omnia talia,) dulcia, inter cibos olera ex oleo & garo. Vitanda enim ſunt auſtera, ut & cibi adſtringentes, præterquam in fine aliorum omnium, cum gratiâ roborandi oris ventriculi fit.

3. Æſtimandum verò & hoc experientiâ eſt. Quibusdam enim non tantum non moleſtus eſt uſus adſtringentium, ſed & promovet alvi dejectionem, reddendo tonum ori ventriculi. Id evidentiſſimè contingit in iis, quibus id debilius.

Qui

Qui verò utebantur anteà exercitiis palæſtricis ante balneum, priuſquam implicarentur turbulento iſti vivendi generi, his abdicare adſtringentia nocentiſſimum, quin impoſſibile.

4. Quod igitur vocari dixi exercitium apotherapeuticon, eo utendum eſt, ſimulque auferenda copia carnium porcinarum.

5. Quia verò conducibile eſt eſitâſſe quid ante balneum, dicendum deinceps fuerit & de horâ, quâ id faciendum eſt, & de quantitate, qualitateque offerendorum. Quod igitur ſoleo facere ipſe, ſi quando conſultum mihi videatur ſeriùs uti balneo, vel propter viſitationes ægrorum, vel negotia civilia, id dicere jam aggredior. Statuatur igitur dies, in quâ id fieri debeat, horarum æquinoctialium quindecim; ſpes etiam ſit curam corporis circa horam 10. finem habituram: hac habitâ hypotheſi, ſtatui circa horam quartam cibum præbere ſimpliciſſimum, qui eſt panis ſolus. Ego quidem ita feci: ſed quidam nolunt ſumere panem ſolum ſine obſonio, ſed cum phœnicobalanis, aut olivis, aut melle, aut ſale comedant. Quidam horum etiam ſuperbibunt: ego verò nunquam ſuperbibi, ſed ſolum comedi panem. Hujus quantitas tanta ſit, quantum ante decimam horam concoqui poſſit. Tum enim ſi qui exerceri volent, hac ratione maximè ſine damno faxint. Non enim minimum mali in eo, ſi qui exerceantur poſt multos cibos.

6. Quibuſdam etiam caput gravatur, aliis ſenſus gravis ponderis oritur circa regionem hepatis, aut tenſionis, aliis utrumque. Tale quid ubi acciderit, ſuccurrendum eſt ilicò, deobſtruendum, inquam, hepar eſt, diſcutienda eſt capitis gravitas per deambulationes, præſertim poſt cibum. Sed nec prohibet quidquam, ne fiant etiam antè cibum, ſed hac differentiâ:

7. Deambulationes antè cibum extremè leves ſint: poſt cibum validiores illis quidem, ſed non tales, quales obimus, cum feſtinabundi quid agimus. Quæ hepar deobſtruunt, obviam eunt etiam tarditati coctionis. Inter hæc optima ſunt, & oxymeli, & διὰ τριῶν π., cui nihil inſuavium medicamentorum remiſtum ſit, & victus attenuans.

8. Hæc enim corrigunt tardiores coctiones, & medentur obſtructionibus hepatis. Sicubi interveniat corruptio cibi in ventriculo, ſiquidem corrupta per alvum exeant, maximus gradus fit ad ſanitatem: ubi ſponte non fit, ſtimulanda fuerit levioribus ſubductoriis. Hæc ſunt, & Dios-politicon vocatum, cum nitri tantum acceperit, quantùm reliquorum, & τὸ διὶ ἰσχάδων, ut & τὸ διακνίκου, aut quæ ex cnico & epithymo fiunt.

9. Ita diſpoſitis convenit etiam vomitus antè cibum. Conſulo autem his, ne cibis utantur vel nidorulentis, vel malè olentibus, vel facilè corruptibilibus: ſed illa apponi ſibi jubent, quæ εὔχυμα vocant Medici. Scriptum de his eſt alibi ſub titulo εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας. Scriptum etiam de his eſt *in tribus libris de facult. alim.*, ceu jam dixi.

10. Talibus ſubductio alvi, certis temporum intervallis, commoda eſt, idque per moderatè purgantia, quale eſt medicamentum amarum δὶ ἀλόης dictum. Sic enim vulgus Medicorum appellat, ut alii, πικρὰν in fæminino genere. Nempè, ſi commiſeris, ut diuturnitate temporis colligatur cacochymia, morbus quidam difficilis apprehendet illos. Hoc medicamento uti licet, quo tempore publicum aliquod feſtum celebratur, quod liberet illum à ſervitute perenni. Verùm iſti per intemperantiam, non modò nihil tentant pro correctione eorum, quæ in proprium corpus admiſerunt: ſed & adimplent, ſaburrantve per dies feſtos pravo victu. Hinc fit, ut capiantur morbis, hi quidem tam longis, ut permaneant totâ vitâ, quale malum eſt & podagra, & arthritis, & nephritis: illi autem acutis, qui occupant illos, vel ſingulis annis, vel certè ſemel intra biennium. Quidam etiam bis vexantur ſingulis annis.

CAPUT VIII.

1. ARs tuendæ Sanitatis promittit morigeris, ſe ſanos conſervaturam ipſos: immorigeris autem perinde eſt ac ſi prorſus non ſit. Sunt autem immorigeri quidam, quod vincantur à ſubitaneâ voluptate, quos *Incontinentes* vocamus, *Intemperantesque*: quidam, quod Ambitio illos ſeducat, quam κενοδοξίαν vocant, qualis erat ille, qui omnia potius facturus erat, quàm ut picationem admitteret toto corpore. Hanc ſuadebant Medici ob gracilitatem.

2. Hæc accidit quibusdam ab intemperie totius corporis, ob exceſſum in ſiccitate & frigiditate: quibusdam ob facultatem diſtributricem, aut nutricem, aut utramque, cum naturâ debiliores ſunt. Hos omnes juvat vocatus à Græcis *Dropax*. Nam & diſtributioni opitulatur, & nutritioni. Et videre eſt multos anteà extenuatos, jam hoc remedio reſtitutos, inprimis illos, quibus debilis eſt facultas diſtributrix. Quod ad nutricem, fieri poteſt, ut laboret, non ob debilitatem, ſed defectum materiæ aptæ, & facultatis ipſius diſtributricis.

3. Quidam verò, ut dixi, ambitione moti id faciunt, ne ſimiles videantur delicatis, quique ob formæ ſtudium picantur, fugiunt quidem hoc remedium, jubent autem uti alia gracilitatis curâ, cum nihil ſit, quod cum hoc comparari poſſit. Juvare quidem poſſunt & hæc, ante balneum fricuiſſe corpus manibus non planè mollibus, & viciſſim, nec valdè duris, uſque dum rubeat cutis. Tum verò adhibere frictionem duram, ſed non diu durantem, ut cutis denſetur, evadatque dura & denſa.

4. Poſt hæc uti oportet exercitio moderato, inde balneo, ſed non diu deſidere in eo, abſtergere, ut in dictâ ξηροτριβίᾳ moris eſt. Inde ungere modico oleo, & cibare. Horum enim ſcopus eſt attrahere in genus carnoſum ſanguinem laudabilem, corroborare vim illius nutricem, ne diſſipetur, quod attractum eſt.

5. Corroboratur igitur vis nutrix, cum carnes calefiunt: interim non diſcutitur attractus in partes ſanguis, cum oleo utimur emplaſtico. Si ætas permittat,

tat, idem homo utatur etiam frigidæ lotione unà cum dictis, & juvabitur magnoperè.

6. Viciſſim in immodicè craſſis, exſolvere quidem oportet diſtributricem: augere autem diſſipatricem. Illud fit continuis ſubductionibus alvi, aſſuefacientibus nobis inſtrumenta nutritoria ut continuè deorſum pellant, quæ in illis ſtagnant. Hoc, acutis exercitiis, quorum unum curſus eſt, ut & frictio cum unguentis diſcuſſoriis multa. Oportet autem frictio ſit mollis & rarefaciens.

7. Ego unum ex his valdè craſſum pauco tempore reddidi mediocriter carnoſum, cogens uti curſu veloci, deinde abſtergens ſudorem linteis vel valdè mollibus, vel valdè duris, poſteà fricans unguentis, quæ noſtri Medici ἄκοπα vocant, & poſteà in balneum ducens. Poſt balneum non ſtatim quidem nutrii, quieſcere aut juſſi, autem etiam facere opus aliquod ex conſuetis ſibi, iterumque ablegavi in balneum. Poſt hoc maſſas ciborum parum nutrientes dedi, ut ventriculus quidem plenus eſſet, parum autem in corpus deferretur.

Maſſas.) ὄγκους. An Bolos? magnam copiam?

8. Alias intemperies, in toto corpore obortas, eodem modo emendare oportet. Primum enim invenire oportet ſcopum, h.e. quæ factu opus eſt. Deinde inveſtigare materias, quibus utendum ſit. Quare tota denique oratio talis fit ad eos, qui meminerunt, & frictionum, & exercitiorum conſuetudines, præterea ciborum & medicamentorum. Et de frictionibus quidem & exercitiis anteà dictum eſt in hoc opere: de alimentis autem alibi, ut & de medicamentis.

Conſuetudines.) διαſωγὰς.) An eſt idem cum ſimplice ἀγωγὰς, de qua voce conſules Foëſ.?

9. Doctrina enim Methodica, quæ docet communia & univerſalia, multa particularia in memoriam revocat nobis, & eſt compendioſa. Ego verò non ſola univerſalia dico, ſed & exempla particularia addens, perſuadeo mihi me doctrinam perfectiſſimam tradere.

COMMENTARIUS.

10. In ult. hoc §. latet *doctrina Elementaris*, à SCHERBIO primùm celebrata, & PICCARTO, ejus diſcipulo, ut dixi alicubi *Comm. in Meth. medendi.*

CAPUT IX.

1. JAm tempeſtivum eſt transire ad intemperies corporum inæquales, quæ prorſus morboſæ ſunt. Fiunt autem tribus modis. Nam & compoſitio corporis noſtri triplex eſt. Una quidem ex primis elementis, ex quibus fiunt partes Ariſtoteli dictæ ὁμοιομερεῖς: altera autem ex his ipſis ſimilaribus, quæ ipſæ iterum ſunt elementa τῶν ἀνομοιομερῶν, ex quibus conſit compoſitio organicarum. Poſt has duas tertia, quæ eſt totius corporis, & eſt organicarum.

2. Ex his facilima & cognitu & curatu eſt tertia: difficilior verò ſecunda: difficilima prima. Melius igitur eſt incipere à tertiâ, quæ & facilior cognitu eſt & curatu. Ex. gr. in capite. Nihilo enim pejus ſit hinc incepiſſe, cum naturâ intemperatum ſit, quippe quod multa gignit excrementa, à quibus incommoda ſubjectis organis, in quæ convertitur impetus illorum.

3. Impetus ille ferè fit in os & nares, ut & in oculos, quibusdam & in aures. Subinde autem ex ore in os ventriculi via eſt, & aſperam arteriam. Vocant hanc etiam βρόγχον, cujus pars ori continua, λάρυγξ vocata, eſt vocis inſtrumentum, ut in libris de Voce monſtratum eſt. Hic larynx à defluentibus è capite humoribus madefactus principio quidem vocem facit raucam: progreſſu autem temporis tenuem. Si verò malum augeatur, tota perit. Cum larynge enim ſimul madefit arteria ipſa. Acris verò cum defluxio eſt, non ſolam vocem lædit, ſed eroſio fit graviſſima, qualis in cute etiam aliquando fit abſque causâ externâ.

Pars.) An delere liceat ſeq. ὑψιλὸν, & ſubſtituere ὕςατον?

4. Sic & pulmo ulceratur, & vocatur affectus φθόη. Si verò vertatur fluxio in os ventriculi, ipſumque ventriculum, & frigida ſit, fit intemperies frigida: ſin calida, calida. Hoc ipſum inducit ulcus temporis progreſſu: ab initio tollit appetitum, coctionemque. Si igitur fluxio ſit frigida, facit ut coctio ſit tardior, imò ut nulla, & cum acido ructu: quod ſi etiam corrumpatur cibus, (tu puta, ſi ſit calida:) in corruptelam agit alimentum, & ructus nidoroſos elevat ad caput, ſub quibus etiam aliæ qualitates indicibiles ſunt.

5. Sublabens autem noxa lædit etiam jejunum inteſtinum, columque. Tangit quin etiam vaſa meſenterii, per quæ alimentum diditur in hepar. Hinc in quibusdam inappetentia præter naturam, aut contrà appetitus, qui vocatur caninus, nec non deſiderium ciborum pravorum, quale in iis, quæ picâ laborant.

6. Manifeſtum eſt & uvæ inflammationes ſequi, & tonſillarum & gingivarum, & corroſiones dentium, inſuperque ulcera & putredines in ore fieri à defluentibus è capite ichoribus. Hinc Medicorum plerique aut uvam in inflammationibus abſcindunt, aut ſepticis conſumunt, ne ſit in poſterum receptaculum defluentium, ſed cum ſputo exeant, quæ in pulmonem deerratura erant.

7. Alii ventriculo proſpiciunt, quemadmodum alii dentibus & ori, & naribus in affectibus harum partium, ne dicam de oculis & auribus, quod viderint quoſdam in illis periclitatos fuiſſe. Melius autem erat, puto, veluti fontem malorum exſcindere, corroborando caput, aut ſi hoc impoſſibile, ob magnitudinem intemperiei naturalis, præſervare illud omnibus modis, indicationem ſumentes à ſpecie intemperiei.

8. Hoc ideò dico, quia vulgo ab omnibus indiſtinctè omnibus capitibus applicatur emplaſtrum vel de Thapſia vel de ſinapi: quod nos facere non decet. Hæc enim emplaſtra nocent, cum malum eſt à cauſa calidâ. Debent igitur mitigari talia capita crebrâ lotione dulcium aquarum, diſcutiendo ſimul calidos vapores in capite genitos, ſimul emendando totum temperamentum. His noxiæ ſunt thermales aquæ. Quæ enim vel ſulfureæ ſunt, vel bituminoſæ calidis capitibus adverſiſſimæ ſunt calefaciendo. Sic quæ aluminoſæ, nocent ſtringendo. Quamobrem ſolis dulcibus ſine noxa utimur, ſi modò uti illis licet. Hoc enim pro certo affirmare licet, ipſam utilitatem, quam præſtare creduntur, non

uſque

uſque adeò certam eſſe. Fortaſſis enim non eſſent calidæ, nec haberent facultatem calefaciendi.

9. Melius autem eſt experiundo hæc diſcere. Etenim & rara inventu eſt talis, apud nos quidem ſtadiis ab urbe non pluribus centum: in Pruſâ autem paucioribus quam decem. Apud nos quidem in Allianis (ſic enim appellatur locus:) ejuſdem ſpeciei eſt omnis talis, ex uno manans fonte: in Pruſâ verò alius etiam fons eſt aquæ medicamentoſæ; ut apud nos quoque in Lycettis.

10. Quicunque verò caput habent calidum, & tantum non igneum, iis conſultius eſt, tempore æſtivo ungi oleo roſato ſine aromatis confecto. Hoc ipſo melius eſt, vocatum *ὀμφάκινον καὶ ὠμοτριβὲς* ex ſolis roſis. Hoc ipſo iterum, quod abſque ſale fit. Quædam capita, ob calidiorem arteriarum temperaturam, fiunt obnoxia vertigini tenebricoſæ, ut & doloribus capitis, in quibus arterias ſecamus, qui affectus jam ſunt ultra hanc artem.

COMMENTARIUS.

11. Galenus ſtatim ab initio mirabilis eſt, dum comminiſcitur triplicem intemperiem inæqualem. Ego hactenus apud Galenum offendi non niſi unam, primam ſcilicet illam, quæ in elementis eſt: quam alii ex Arte tradunt, quæ ſit cauſa *ἀντιπράξεως* viſcerum, jam alibi pro figmento declaravi. Non melioris conditionis ſunt duæ aliæ, quæ heic proponuntur. Dico enim, non capio, uſque dum major lux mihi affulgeat.

12. Mirabilior eſt in ſequent. cum caput omne pro intemperato declarat, quodque cauſa ſit genitorum excrementorum, quæ in ſubjectas partes delapſa varios creent morbos. Notum eſſe poteſt, quàm acerbè tractet Galenus Ariſtotelem, qui cerebrum factum eſſe ajat refrigerandi cordis gratiâ. At verò cum non deſint commodi interpretes, quos ego produxi & *Comm. in* 8. *de Uſ. part.*, & *in Diatribâ de cerebro, Lipſ.* 1617. *Lugd. Batav.* 1639. *& Francofurt.* 16. poterit in poſterum quiêſſe.

13. Reſtat ſtimulus quem heic jactat de intemperie cerebri. Eſt ita frigidum præ corde, idque urgentiſſimâ de cauſâ, ut ſpiritus, (ſic Aver.) è corde aſcendentes fervidiſſimos attemperet, & ſenſibus, tàm internis, quàm externis edendis aptos reddat. In hoc opere ſi per accidens ita refrigerat alimentum ſuum, ut excrementa frigida & aquea progeneret multa, eſt hoc neque ignotum Naturæ magiſtris, neque Naturæ defuit ſolertia, quâ iſtis incommodis obviam iret.

14. Non ignotum fuiſſe veteribus Philoſophis & Medicis, argumento ſit, quod Hippoc. (de hoc enim ſolo loquar:) non tantùm cerebrum vocat *metropolin pituitæ*, h.e. propriè loquendo, muci & blennæ: ſed & paſſim enumerat morbos, quos Galenus heic, & quidem ſub hoc nomine, quod è cerebro exſiſtant.

15. Non ignotum fuiſſe Naturæ ipſi, oſtendit providentia ipſius, qua in condendo cerebro uſa eſt ſummâ. Ne dicam de excrementis terreis & fuliginoſis: pro aqueis & pituitoſis; non tantum fornicis inſtar cameravit cerebrum, ſed & duas latiſſimas vias ſecuit pro educendis illis.

16. Videtur, inquis, uſus primarius pugnare cum ſecundario ſeu accidentario, ſpirituum animalium generatio cum excrementorum colluvie! Pulcrè, inquam ego, videtur tibi, qui luſcus es! Si ſapis, ſume oculos Hippoc., & aliter judicabis! Tamē, inquis, iſta non cohærent! Tamen tu ſtultus es! Cohærent belliſſimè apud ſapientem judicem. Is novit, Naturam ſæpè uti iis, quæ per accidens facit, ad res arduas. V.g. Ebullitione ſanguinis in corde, quæ pulſum & reſpirationem facit ad vitæ conſervationem. Tale miraculum eſt omnis omnium excrementorum vacuatio.

CAPUT X.

1. QUi verò aſſiduè caput dolent ob acrem nervorum ſenſum, eorum, inquam, qui è capite oriuntur, quorum etiam pars maxima ori ventriculi innectitur, (fertur & quædam ejus particula ad reliquum ventriculi;) illi huc pertinent. Potior tamen agendi ratio eſt, ne fiant iſta procurare, diligenti proviſione humorem bilioſum arcentes, ne vel omninò non influat in ventriculum, vel ſtatim vacuetur.

2. Ne omninò influat præcautio hæc eſt, ut maturius comedas. Si igitur contingat, totum quidem corporis temperamentum eſſe bilioſum; quæ autem partes ventriculo vicinæ debiliores: confirmare illas oportet cibo ſtomachali. Quod ſi non fiat, confluunt in ventriculum ichores, quoſcunque cumulat corpus. Ex horum vaporibus non tantùm quibusdam capitis dolores accidunt, ſed & ſuffuſionum ſymptomata, nec non convulſiones epilepticæ.

3. His omnibus victus inſtituatur frigidus & humidus: vacuentur autem confluentes humores per vomitum, per alvi ſubductiones. Roboretur etiam os ventriculi quotidiè cibis, antequam bilis efferveſcat. Medicamenta ex longioribus intervallis ſint ex abſinthii comâ & dialoë, quam vocant πικρὰν.

4. Expurgat enim hæc & bilem tunicis ventriculi imbibitam, cum abſinthium eò ſe non penetret. Facultates enim habet abſterſorias tantùm & adſtrictorias, ut (veluti quis dixerit:) id, quod abſtergit, tunicas mundet ventriculi tantùm, non autem in profundum deſcendat, ut extrahat & vacuet, quod facit aloë. Quæ verò unguenta extra corpus adhibentur poſt aloën, modicè adſtringentia ſint. v.g. oleum melinum, maſtichinum, nardinum & talia, æſtivò quidem tempore melinum, hyemali autem nardinum, ut verno maſtichinum. Eſt enim in medio melini & nardini unguenti, calefaciendo plus quàm nardinum, maximè, ſi plus amomi habeat: refrigerando autem plus quam melinum.

5. Cæ-

5. Cæterùm, mulieres opulentiores nardino præſtantius unguentum habent, Foliatum & vocata Spicata, calefacientia & roborantia ventriculum. Quando non caput ſolum mittit calidos ichoras ad ventriculum, ſed ipſum etiam laborat calidâ intemperie, ſemper uti oportet refrigerantibus cibis & potibus, & variare ſecundùm magis & minus pro ratione temporum anni, nullo modo contrarium attingentes, ut in temperatis facimus, in hyeme quidem calefacientes, in æſtate autem refrigerantes.

6. Eodem modo ſi utraque pars frigidâ intemperie laboret, ſemper quidem adhibere frigidos cibos & potus, unà cum inunctionibus talibus: permutare autem illa intendentes & remittentes.

7. Difficilis verò miſtura fit, ſi vel in frigidum ventriculum influant calidi ichores, vel in calidum frigidi. Hâc in re ſemper majores difficultates perſenſi, ſi in calidum ventriculum pituitoſi & frigidi deerrent humores; peſſimum verò, ſi neque lubricam habeant alvum, nec facilè vomant.

8. Corrumpuntur enim pituitoſi humores, in ventriculo morantes, ut mordeant illum, & in caput emittant quandoque fumos malignos. Alioquin ſi humores pituitoſi in frigidum naturâ ventriculum incidant, facilis eſt medicina, ſi manè ſumatur de διὰ τριῶν π. ſimplici. Nam & ſolum piper diligenter lævigatum, in aquâ bibitum, juvat. Eſt autem melius & ventriculo amicabilius, quod album eſt. Abſinthii verò potio talibus adverſiſſima eſt. Imprimunt enim ipſi pituitam, quod non habeat ſatis fortem vim abſterſoriam.

9. Sed neque aloë hos juvat, quia trahit bilem. Quare rectè excogitata fuit vocata πικρὰ, quæ propter acrimoniam & calorem eorum, quæ miſcentur, ſecat & abſtergit craſſos & viſcidos humores, cui operæ præeſt cinnamomum. Hujus tamen uſus perpetuus eſſe non poteſt, ut illius, quod διὰ τρ. π., aut etiam alterius, quod diacalaminthes. Licet enim quis utatur quotidiè horum alterutro, qui frigidum habet ventriculum, nullam tamen ſentiet noxam. (Non ita de picrâ.) Huic ferè ſemper ad centum drachmas aloës addi ſolent ℥vj. reliquorum, quæ ipſa ſex numero ſunt. Et hæc eſt illa, quæ Romæ vulgo ita paratur, picra.

10. Ego verò duos alios parandi modos habeo, alterum, in quo plura calida ſunt: alterum, in quo pauciora. Plura alia injicientur, cum ſola aloë in minori copiâ eſt, cum ad octuaginta aloës drachmas injiciuntur ſingulorum reliquorum drachmæ vj. Pauciora, cum aloës quantitas augetur, adjectis drachmis viginti, ſic, ut centum & viginti aloës addantur reliquorum itidem vj. Manifeſtum verò eſt, quod in defectu cinnamomi, duplum caſiæ optimæ injicietur. Quidam enim præſtantiam optimæ caſiæ eò uſque extollunt, quod ab invalido cinnamomo nihil differat. A valido enim cinnamomo talis caſia multum abeſt.

11. Sed

11. Sed, veluti cum caremus optimo pane, viliori veſcimur: ita caſiâ optima utimur in defectu cinamomi. In quibus igitur corporibus ventriculus vel frigidus eſt, vel temperatus quidem, vergens tamen ad frigiditatem, aptum eſt medicamentum, quod Dios-politicum vocatur. Hoc ipſum etiam dupliciter præparare conſuevi. Qui enim duram habent alvum, nitri Berenicii vocati alterum tantum miſceo cumino, rutæ & piperi: qui laxam, dimidium. Conſenſus enim eſt de hoc medicamento, attenuare pituitam, & vacuare ſpiritus flatulentos.

12. Difficilis eſt & vix mutabilis conjunctio ventriculi cum calido capite. Pituita enim in ventriculum defluens, indiget compoſito τῶ διὰ τρ. πέπ. ut & τῶ διακαλαμίνθης, non minus, quàm Dios-politico prædicto: os autem ventriculi læditur ab iis, quæ incendunt illud. In iis igitur, qui ita affecti ſunt, tentare oportet ut incidatur pituita & abſtergatur per ea, quæ calida non ſunt, quale eſt oxymeli.

13. Difficilis etiam eſt & non facilè mobilis complexio talium corporis conſtitutionum, in quibus debile eſt os ventriculi & nauſeoſum, quod ϛόμαχον vocant: ipſa autem alvus nihil excernit. Quæcunque enim illam evertunt, totum evertunt ſtomachum, ut cibi quidem ſupernatent, & nauſeam faciant ſæpè. Hujus conſequens neceſſarium eſt, non rectè coqui cibos. Quibus ſi iterum des εὐϛόμαχα alimenta, per triduum aut quatriduum alvus ſiſtitur. His hoc unum reperi ſalutare, offerre ex oleo & garo olera, & alia, quæ molliunt alvum, & poſtquam ſatis comeſtum eſt, edant inſuper aliquid eorum, quæ ſtomachum firmant. Hujus generis ſunt quædam ex malis, pyris & Punicis genera, quæ citra acorem adſtringunt. Ipſe autem æger, ubi omnia particulatim in uſum duxerit, quod ex illis maximè innocuum fuerit & ſuaviſſimum, hoc utatur: verum non in copia, ſed tantum, quantum curet debilitatem ſtomachi. Hoc enim uſu alvum ſolvi, experientia didici.

14. Et eſt in hoc genere hæc ratio ſolvendi alvum præſtantiſſima, ſi ita affecti aliis cibis ſuperdent aliquid adſtringens, etiamſi præcedentia non fuerint mollientia. Reddito enim tono ori ventriculi, deorſum pellit ſupernatantia, adeoque omnia, quæ in ventriculo ſunt. Inteſtina etiam, lationem ciborum ſententia, perſequuntur illa, quæ ex ſuperioribus ad ſe veniunt. Eſt enim inter *φαινόμενα*, eſſe facultatem quandam propellentem & expellentem, quæ ea etiam, quæ ex ano ſurſum tendunt, plurimùm promoveat, quamvis via hæc in animali præter naturam ſit.

15. Verum eſſe, quod dico, licet diſcere unicuique, qui meminerit eorum, quæ ſæpè accidunt nobis. Acris enim quidam humor ano allabens, ſtimulat nos ad illius excretionem: ſed cum detinere cogamur tum, cum civilibus negotiis occupamur, illis relictis non jam poſſumus excernere, ſed capitis dolorem ſentimus, propter ventriculi everſionem.

16. Ra-

16. Rationabiliter igitur quamvis contingat cibos, ſubducendæ alvi gratiâ ſumtos, fluctuare in ventriculo, ſi quis inſuper accipiat adſtringentia, dum illa robur dant ſuperioribus ventriculi partibus, ſimul initium faciunt lationis contentorum deorſum, quam lationem excipiendo inteſtina perſequuntur usque ad anum.

COMMENTARIUS.

17. Plura quidem heic monenda erant: ego autem unâ contentus ero querelâ, quam *in Notis* etiam tetigi, de difficultate poſteriorum paragraphorum. Agitur quidem in illis de ſolâ facultate inteſtinorum illâ, quam *περιςαλτικὴν* vocâſſe Eraſiſtratum alibi Galenus ſcribit: ſed pro luce, quam inde ſperes, tenebras te offenſurum certus ſum, adeò intricata ſunt omnia, tàm *in Græcis*, quàm *in Lat. codicibus*. Quò minus fidere debes uni meo ingenio. Licet enim non parſerim ulli labori: via tamen eſt tam aſpera & ſcrupea, ut vel Herculem defatigare poſſit. Hâc in re qui mihi non credit, periclitetur.

CAPUT XI.

1. HIs ſatis expoſitis, tempus vult ut tranſeamus ad aliam conſtitutionem inæqualem, quæ ſuprà dictis malitiâ non cedit, in quâ renes generant lapides, aut tofos, aut quomodocunque appelles. Horum natura gracilis eſt, & indidet medicamentis, cibisque attenuantibus: hæc verò adverſiſſima ſunt corporibus gracilibus.

2. Hinc quidam eorum, qui utebantur talibus cibis propter renes, cum digitos ſentiret difficulter mobiles & vix ſenſiles, imò, cum creparent quid retorridum, (ut ipſe loquebatur:) communicavit rem primùm cum Medicis in Campaniâ, ubi degebat. Hi verò, quaſi ille deprehenſus eſſet in morbo paralyſin minante, medicamentis utebantur *δι' ἐυφορβίυ* dictis, & *διὰ λιμνησίας*, quam & *ἀδάρκην καὶ ἄδαρκον* vocant.

3. Sub his cum diſpoſitio evaderet multò pejor, & ſymptomata quotidiè fierent majora cum intenſo dolore, peregrinanti mihi fortè in Campaniâ aperuit id æger, auxiliumque rogavit. Ego vero inde intellexi, ſuperexſiccatum illum jam eſſe à medicamentis, quibus utebatur.

4. Solicitus igitur ego, quâ diætâ quis poſſet ſiccitatem hanc emendare, ptiſſana ſuccurrit, & piſces ſaxatiles, pelagiique, & quicunque lenti non ſunt. Ita & volatilium animalium carnes, quæcunque vicinæ ſunt piſcibus dictis. Multæ autem ſunt ex avibus montanis dictis, quæ tale temperamentum ſortitæ ſunt. Quæcunque verò in urbibus degunt, humidis, multisque alimentis ſaginatæ à cauponibus, contrariæ ſunt illis valdè. Optima pro his caro eſt, ut ex avibus, perdicum. Poſt has attagenum, ſturnorum, merularum, & turdorum. Ubi defectus eſt montanarum, accipere oportet ex iis, quæ ruri aluntur, & in turriculis colum-

[...]bas, νομάδας dictas, ut & paſſerculos, πυργίτας dictos, qui ſc. in altis turribus nidificant. Ita etiam gallis & gallinis veſci licet, quæ in cortibus aluntur. A lacte autem abſtinere oportet ſic diſpoſitos, uti autem ſolo aſinino, quippe tenuiore. Summa, ſtare oportet in medio victûs tenuis & craſſi.

4. Quæ verò his convenit materia particularis, illam ſcripſi in l. de Alim. fac., & præterea in libro de Cibis boni & mali ſucci. Ideò longiorem heic eſſe velle ſupervacuum. Hoc enim ſolum dixiſſe ſufficit, quod in his de totius corporis renutritione cogitandum ſit eâ ratione, quâ dictum eſt, cum memini illius, qui quodvis potius tolerare paratus erat quàm picari.

5. Quod ſi corpus calculoſi ſit craſſum, audacter victum attenuantem præſcribes. Eadem ſtatues de arthriticis. Nam & illi ſi biberint antidotos arthriticas & podagricas, ii, qui benè habiti ſunt, craſſi & pingues nullatenus læduntur: ſed qui graciles ſunt, toto corpore amplius exſiccantur, pedes autem & manus, ſiquidem anteà laborârunt, peſſimè afficiuntur.

6. Verùm ſcire oportet, podagricas antidotos multùm differre à calculoſis, non tantum quia attenuant craſſos humores, & viſcidos: ſed & quia calefaciunt & ſiccant. Etenim in nephriticis nullo modo locum habent, quæ inſigniter calefaciunt & ſiccant. De his omnibus actum eſt in Meth. med. ſufficienter, ut & in opere de medicamentis, quod ipſum duplex eſt, aliud de ordine Simplicium: aliud de Compoſitis. Hoc loco, neque omitti res ea poteſt, neque fusè tractari, quod & illa corpora ſint medio loco inter ea, quæ valent, ægrotantque.

7. Nam pars artis προφυλακτικὴ vocata præeſt his talibus. Nulli enim illorum, qui inculpatè valent, neque purgantia damus, neque victui attenuanti adſtringimus. Iis verò, qui ob debilitatem naturalem, aut totius corporis, aut partium quarundam facilè affliguntur, ſub legibus τῆς προφυλακτικῆς eſſe, conſultum eſſe cenſemus. Quare à ſuſpecto victu arcemus, quem alioqui nemini ſcimus eſſe gravem, ſi modò levia exercitia non detrectet.

COMMENTARIUS.

8. Ex hoc capite ſcimus, vagas fuiſſe Galeni cogitationes, ſuprà cap. 9. de triplici compoſitione, & triplici intemperie inæquali. Ut in exemplis maneamus, Neque calculus eſt intemperies, neque arthritis: ſed ambo ſunt morbi conformationis. Accedit abſurdum maximum. Venamur morborum differentiam ex aliis, quam Galenus fecit l. de diff. morb. 4. & nos illum ſecuti in Inſtit. Propterea totum hoc relinquimus.

9. Non ita illud §. 7. ſed commodè explicemus. Tota ὑγιεινὴ rectè dicitur προφυλακτικὴ, quatenus morbis periodicis obnoxios curamus. Eſt enim momentanea valetudo eorum, & ſemper indigent Medico.

CAPUT

CAPUT XII.

1. IIs partibus, quæ tàm facilè à capite affectus accipiunt, ut etiam magnos morbos, qualis epilepſia, vertigo tenebricoſa, cephalalgia, alii, qui à capite pendent, inter quas dentes ſunt, gingivæ, gargareon, & in ſummâ, omnia, quæ circa os, fauceſque & præterea aures, oculi, os ventriculi, ventriculus ipſe, partes etiam ſpiritales, larynx, arteria aſpera, thorax. In omnibus, inquam, his ſcopus victus eſt communis, ipſum quidem caput primò & maximè tutum reddere: deinde autem proſpicere etiam partibus læſis, certi, hoc ipſum aliâ etiam opus habere diſcretione, ne omnes æquè robuſtæ ſint. Hoc rectè fiet, ſi uſum ſingularum reſpexerimus.

2. Nimirùm, oculorum & aurium magnus eſt uſus, ideò, ex præcepto Hippoc., oportet derivare excrementa è capite euntia, potiſſimum ad nares trahentes. Hoc non ſuccedente, ad os ducere oportet per ἀποφλεγματισμοὺς dictos, veluti ad nares per ſternutoria, & quæcunque obſtructiones earum expediunt. Oculos roborabis collyrio ſicco uſus ex lapide Phrygio, quod collyrium ſpecillo adiges palpebris, ſed ita ne corneam attingas. Ita ſcilicet quotidiè faciunt mulieres quoque, cum ſtibio utuntur.

3. Ad aures ſufficit glaucium ſolum, in cote primum tritum cum aceto, deinde ſpecilli ope ſenſim infuſum tepidum. Poſſis & facere perluſitatum inſtrumentum, quod ὠτεγχύτης dicitur. Ubi videbitur benè roborata auris eſſe, ut nihil amplius affluat, aſſiduè inſtillandum eſt de unguento nardino optimo, quod primitus quidem præparabatur optimè in Aſiæ urbe, Laodicéâ: nunc etiam in aliis urbibus.

4. Etiam collyrium διαγλαυκὶς non deſeret te firmando aures. Pariter τὸ διὰ ῥόδων, τὸ διὰ κρόκου, διὰ νάρδου, δι' οἴνου, ut & unguenta, Romæ parari ſolita, *Foliata* & *Spicata* cognominata. Quod ſi fluxio è capite ad aures nimis diu duret, & pus jam, ulcuſque adſit, paſtillo Andronio & ſimilibus percurandum fuerit malum. Hoc dum facis, revellendum eſt ad nares & os, & tum denique uti illis.

COMMENTARIUS.

5. Quemadmodum ſup. cap. calculoſi & arthritici pertinebant ad ὑγιεινὴν, quatenus magnam vitæ partem transigunt ὀρθοστάδιοι: ita hoc & ſequent. cap. οἱ ῥευματικοὶ. Et hoc ſatis eſt.

CAPUT XIII.

1. UT in defluxionibus ex capite partium ſubjectarum pleræque ſæpè læduntur; ita reliquis partibus morbi obveniunt causâ hepatis & lie-

nis, cum debiliores ſunt. Demonſtratum enim eſt in l. de Fac. nat., habere partes omnes facultatem trahendi ad ſe proprios humores, cum alterant & adſimilant ſibi alimentum. Viciſſim, habere etiam aliam quandam facultatem, excrementa ſua expellendi in aliam vicinam.

2. Quando igitur pars morbo ſubjecta fortis eſt, non ſuſcipit, quod transmiſſum eſt, ut in primâ cogatur ſubſiſtere cauſa morbi: cum debilis eſt, recipit quidem, quod aliunde venit, ſed rurſus expellit ad aliam ſe debiliorem, hæc iterum ad aliam, uſque dum ad debiliſſimam perventum ſit.

3. Hunc in modum alius aliâ parte laborat, ſi negligentior ſit in victu. At verò ſi nihil ſuperflui colligatur, non læditur etiam ulla pars debilis. Hujus rei manifeſtiſſima demonſtratio eſt, quod ii, qui partem aliquam debilem habent, intra ſex aut plures menſes laborant illâ. Si enim ſola illa debilitas cauſa eſſet læſionis, omninò afficeretur pars debilis, quia haberet in ſe cauſam morbi. Sed quia nō fit ſemper, patet, quod dico, neceſſe eſſe accedere aliud quid. Id verò eſt ſuperfluum, aut propter copiam, aut propter qualitatem.

4. Hoc ipſum ſuperfluum, aut in toto corpore cumulatur, & plethoran vocant hanc diſpoſitionem: aut in parte, principali quidem, ſed naturâ debili, quod aut ibi manet, & lædit, aut aliò ſe convertit.

5. Conſiderandum igitur eſt, & hoc ab initio definiendum, an ex ſeipſa pars ſemper laboret, an potius aliunde habeat? Aliquando igitur ab externis cauſis eſt malum, v. g. cum refrigerantur, cum contunduntur, cum cæduntur, aut laſſantur, utplurimum autem ab erroribus in victu eſt aut plethora, aut cacochymia.

6. Oportet igitur attendere magnitudini debilitatis nativæ, & ita limitare. Oportet hominem tenuiter cibare, & ſimul exercitia debita adhibere. Cavere quin etiam offenſas à rebus externis. Tum, ſi neque ſub his gracilior fit, neque pars debilis afficitur, in victu nihil mutandum eſt. Si verò gracilior fiat aut omnibus partibus, aut iis, in quibus malè conformatus eſt, victus eſt mutandus.

7. Si malè habeat, alterutrum ex duobus facere oportet, aut victum tenuiorem inſtituere, aut purgationes rariores interponere. Quibusdam enim inſtante vere danda eſt una & ſufficiens purgatio: quibuſdam alia etiam, tempore autumnali. Ubi igitur coacervatur ſanguis in corpore, vena ſecanda eſt: ubi alius humor, cacochymia demenda eſt purgatione humoris exſuperantis. Si verò in convenienti victu pars benè habet, & tamen graciléſcit corpus, picatione utendum eſt, ut dictum eſt anteà, ad reſtitutionem habitus extenuati.

COMMENTARIUS.

8. Hoc capite tractatur res magni momenti, quomodo fiant omnes fluxiones,

nes, omnes decubitus humorum de parte in partem. Nimirum, ut in Rep., dicebat SCHERBIUS ὁ πάνυ, potentiores devolvunt onera ad pauperiores, & hi rurſus ad minus potentes: ita pars robuſta ad partem debilem, & hæc rurſus ad debiliorem, uſque dum alicubi hæreat.

CAPUT XIV.

1. PEſſima corporis conſtitutio hæc eſt, quæ plurimum gignit ſeminis. Urget enim ad ſui excretionem, quo facto os ventriculi exſolvitur illis, (vocatur hoc etiam ὁ ςόμαχος, non ſolùm à Medicis, ſed & ab aliis hominibus, quod à veteribus vocabatur ἡ καρδία:) totoque corpore debiles fiunt, ita diſpoſiti, & ſicci, & tenues, & pallidi & cavis oculis. Hi ipſi ſi abſtinuerint à Venere, moroſi ſiunt, & faſtidiunt cibos. Sed nec continentia illos ſublevat magnoperè. Accidit etiam illis per ſomnia ſemen effundere, & pati eadem, quæ in coitu. Ex illis quidam mihi dixit, ſentire ſe ſeminis acrimoniam juxta & calorem, nec ſe ſolùm, ſed & fæminas, cum quibus rem habeat.

2. Huic ego conſilium dedi, abſtineat quidem à cibis ſemen copioſum præbentibus, ſumat autem, non cibos tantum, ſed & medicamenta, quæ illud extinguant, (dictum de his eſt & in l. de Alim. fac., & de Simpl.) exerceat partes ſuperiores potius, quod fit per parvam pilam, follemque, nec non per halteras. Poſt balneum ungat totos lumbos refrigerante aliquo unguento.

3. Tale eſt vocatum oleum ὠμοτριβὲς καὶ ὀμφάκινον, roſ. & melinum ex talli oleo factum. Compoſui quibusdam & craſſioris quædam conſiſtentiæ, ne facile deſtillent. Structura eorum eſt ex cerâ, & oleo quodam frigido. Primum autem τὸ κηρέλαιον vocatum paro. Deinde in mortario ſubigo manibus benè. Modò affundo ſuccum refrigerantem, multumque agito, ut benè uniantur hæc duo. Materiam habetis in opere de Simpl. Facilè in promtu eſt, & facile experimentum eſt ſucci ſempervivi, ſolani, cotyledonis, polygoni, tribuli & portulacæ. Hæc ſuccum non dimittit, niſi quis, dum tundit in mortario, affundat humorem tenuis & aqueæ ſubſtantiæ, (non viſcidæ & craſſæ) qualis eſt omphacis & roſ. Sed hi quidem haberi poſſunt in æſtate tantùm: aliorum etiam aliis anni temporibus, veluti lactucæ, qui & ipſe in cenſu frigidorum eſt. Sed & ſemen lini eſt, quippe, quod coctum in aquâ præbet ſuccum frigidum. Quendam ex gymnaſtis, qui athletis præfectus erat, vidi laminam plumbeam geſtantem, quam præcingeret muſculis lumbaribus athletæ, ne ſomniis libidinoſis torqueretur.

4. Hoc aperui idiotæ cuidam, & gratiam reportavi pro indicio. Alius quidam, qui molliuſculas habebat carnes, plumbi duritiem non ferens, cui conſului, ſubſterneret dictarum herbarum aliquam admiſtis virgultis tenuibus viticis & rutæ. Statim ſenſit fructum ex uſu illarum, ut poſteà ſemper uteretur.

4. Sed & cum conſilium dediſſem illi, aſſiduè maſticaret viticis ſemen, & proptereà gratias egit, ut & de ruta. Horum igitur materia & in lib. Simpl., & de fac. Alim. prodita mihi eſt. Nunc igitur neceſſitas incumbit mihi addendi hoc; Cavenda eſſe valdè refrigerantia, qualia ſunt unguenta ex papavere & mandragora. Horum enim nihil adhibere oportet, nihil ſubſternere, cum in flore eſt. Ut enim prædictis, ita his uti oportet, veluti & roſis. His uti cum quendam juſſiſſem, adjutus eſt, & ſine damno renum.

5. Excogitavi & aliud utile futurum ita diſpoſitis, quod experientia comprobavi. Hanc enim ſemper præ oculis habere oportet tanquam κριτήριον, & nihil ſcribere, quod utile ſit, niſi quis teſtari poſſit ita eſſe, aut etiam adſcripſerit, ſe nunquam probâſſe. Quod ergò eſt illud tuum commentum? Dicam.

6. Obſervare oportet ita affectos, quando multum ſeminis collegerint, quod excretionem deſideret. Tum quodam die benè cibatos ad ſomnum capiendum dimittere, & Venerem indulgere. Altero die, cùm ſomno ſatisfactum eſt, ſurgentem fricare ſindone ad ruborem uſque. Subinde uſum frictione ex oleo, paulò poſt benè fermentatum, in clibano coctum panem purum offerre ex vino adaquato, & ſic dimittere ad opus ſuum. Medio inter frictionem & panis eſum tempore, ſi ſpatium ſit, aliquandiu obambulet, ſed non in frigore. Melius enim tum eſt intus fuiſſe.

7. Hanc oris ventriculi per cibum corroborationem præſcripſi etiam cuidam Grammatico, ſolito prehendi convulſionibus epilepticis, & egregiè profuit. Hoc amplius profuturum judicavi, poſtquam intellexi, ſymptoma illud ferè incidere, cum diutius jejunaſſet, & præcipuè interveniente mœſtitia quadam, aut ira. Inſpiciens etiam habitum corporis, & quærens, confeſſus eſt, crebrò effundi ſibi bilem in os ventriculi.

8. Cæterùm omnibus, qui hæc legent, in commune do hoc conſilium, expertibus quidem Medicinæ, ſed qui ratiocinari poſſunt, uti hanc faciant hypotheſin, *Ne, uti vulgus facit, vivant tanquam beſtiæ*, ſed ab experientia petant, qui cibi & potus lædant ſe, quæ item & qualia exercitia. Ita in uſu Veneriorum obſervent, noxiane ſint illis, an proficua? & intra quot dies? Ut enim hiſtoriæ teſtantur, quidam vehementer læduntur, quidam ad ſenectam uſque ſine incommodo utuntur illis. Utrumque rarum eſt, & valdè & nihil lædi: quod verò in medio, valdè latè ſe extendit. Inter hos qui docti ſunt, (neque enim alii legent:) iis conſulo, diſcant in ſe ipſis, quibus aut juventur, aut lædantur. Ita eveniet, ut in paucis indigeant Medico, quamdiu benè habent.

COMMENTARIUS.

9. Vellem heic parumper mihi adeſſent illi, qui, etiam inter doctos & alioquin

quin moderatos; paſſim & in compitis proſiliunt, MEDICE VIVERE EST PESSIME VIVERE! His quid reſpondeant ii, quibus moratus venter eſt, & gula, jam publicè conſtat ex quaternis orationibus meis, diverſo tempore & occaſione habitis in contrarium ſenſum. Qui ſi Galenum quoque audire volent, tanquam honorarium judicem, ex geſtibus ipſius ſtatim intelligent quid velit. Averſo enim vultu, & protentâ manu, indignabundus aſpellet eos, BESTIÆ ESTIS!

CAPUT XV.

1. HIs ſcriptis, cum legeret ſodalium quidam, Tu, inquit, Galene, reliquiſti aliquid eorum, quæ anteà ſcripſeras, medicamentum ſcilicet ex ſucco pomorum Cydoniorum, uſurpatum ad reddendum appetitum illis, qui amiſerunt, & coctionem iis, qui non benè coquunt, in ſumma, quod ventriculum validiorem facit. Laudato igitur illo, qui memoriam meam ſolicitârat, jam proponam in ſequenti oratione præparationem ipſius, quæ talis eſt.

2. Cydoniorum pomorum majorum & ſuaviorum, minus adſtringentium, quæ στρέθια vocant Græci Aſiam noſtram incolentes. Succi horum ſumentes ſext. Rom. duos, miſcemus mellis optimi tantundem, aceti ſext. j. & S.

3. Hæc ſuper carbonibus ignitis moderatè coquantur, ſimulque deſpumentur. Deinde miſceantur

Zingib. ℥iij.
Pip. albi ℥ij.

Hæc iterum coquantur ſuper carbonibus ignitis ad conſiſtentiam mellis, quâ & ςοματικὰ parantur. Hoc medicamentum in iis, qui habent hepar debile, utiliſſimum eſt. Clarum eſt autem, quod potiſſimum conferat jejunis, doſi, quantum capit myſtrum medium (ad ℥iij, præter propter.) Nihil nocet, etiamſi poſt cœnam ſumatur. Rectus illius uſus eſt in iis, qui prandere ſolent, eo tempore, quo quis cœnaturit: ſed melius, ſi duabus aut tribus horis antè cibum.

4. Si adſtringentius voles, ex carne cydoniorum præpara. At verò in iis, qui calidiorem habent ventriculum, aut quibus alioqui bile ſuffunditur, auferre oportet & zing. & pip., & dare ſolum ſuccum, cum aceto & melle coctum prædictâ habitâ συμμετρίᾳ.

5. Qui

5. Qui verò quodammodo medii temperamenti ventriculum habent, ut neque bilem colligant, neque pituitam, dimidium tantum accipere oportet zing. & pip., ita quidem, ut pip. ſit ℥j. zing. autem ℥jß.

6. Contrà, qui frigidum habent ventriculum, zing. quidem ℥iiij. pip. autem ℥iij, aut certè ℥ijß. Sic itaque proſpiciendum eſt iis, qui in diverſis partibus contraria habent temperamenta. Qui verò in unâ, quæcunque ſit illa, ſive ſimilaris, ſive organica, de illâ alibi agetur.

COMMENTARIUS.

7. Ut ingenium humanum nunquam quieſcit: ita nec in Diacydonio hactenus quievit. Habemus, ut dixi in Officinalibus meis, quinque illius compoſitiones, quarum duæ ſunt ſimplices, utraque ex carne: tres compoſitæ, quarum prima Galeni eſt, ex ſucco, quæ, (de aceto non dico:) præterea duo habet aromata, zing. & pip.; Secunda Nicolai, ex carne, quæ acetum quidem non habet, ſed præter dicta aromata, novem alia, ut manifeſtè calefaciat. Tertia Meſ., iterum ex ſucco, quæ à copia aromatum *Aromatica* dicitur, & manifeſtiſſimè calefacit. His quarta accedit, *Diacydonium lucidum* cognominatum, & hoc habet peculiare, quod purgat, quia ſingulis libris additur Scam. ℥ß. ut dari poſſint pueris ʒiij. ſiquidem ſumma doſis Scam. ſint gr. xx. ut Meſ. definit.

8. Jam, cum magna ſit latitudo temperamenti carnis, h.e. totius pomi, ad temperamentum ſucci, h.e. ſucci illius, qui trahitur ex carne purâ, abjectis partibus lapidoſis, quidam hoc commenti ſunt: Pomum decorticarunt, apicem exemerunt, ſuper radulâ comminuerunt uſque ad partem lapidoſam, in qua ſemen, quod ſeorſim habuerunt. Hoc minutal expreſſerunt, *vinum cydoniate* vocantes, cujus ℔.iiij. v.g. addiderunt ℔.iiij, carnis, minutim inciſæ, & coxerunt hæc duo ſimul cum altero tanto ſacc. libris viij. inquam, ad conſumtionem partis aquoſæ, imaginantes ſibi, vinum à ſe ita dictum corrigere frigiditatem carnis, & fieri ſcopo vicinius. Ne quid autem deeſſet artificio, pro ſingulis libris addiderunt ſingula poma citria, acidum quidem immiſcentes ſpatulâ, cortices autem, in tenuiſſimas laminulas inciſos, intrudentes, ne aroma deeſſet. Hæc compoſitio jam per multos annos venditur Noribergæ pro Secreto, & decipiuntur multi, non mali aliàs, neque cum damno ullius, &c. Oh, quantum in rebus inane, præſertim cum mulier imperat!

FINIS τῶν ὑγιεινῶν.

INDEX

INDEX IN Ὑγιεινὰ GALENI.

Prior numerus Librum ſignat : poſterior Caput: tertius Paragraphum.

A.

Abdomen eſt cloaca excrementorum. 1.3.7.
Abſinthii potio. 6.10.8.
Acopon medicamentum. 4.8.5 & 6.8.7.
Actiones fiunt per alia & ab aliis. 2.11.14.
voluptariæ. 2.12.5.
naturales. Ib.
animales duplices. 6.2.8.
Actionum trium habentium communem muſculorum actionem. 3.3.17.
Earum cauſa eſt in larynge. Ib.18.
rectitudo. 1.5.19.
Ἀδάρκη. *Vid. Medicamenta.*
Ἄδηλος ἡ αἰσθήσει διαπνοή. 1.12.17.
Adſtringentium uſus. 6.7.3.
Aer eſt πλασματώδης. 1.2.15.
Aer varius. 1.11.5. *quid præſtet in corpore.* 1.4.3.
qualis convenit ætati puerili. Ib.6.
Ægimius. 2.12.9.
Æſculapius. 1.8.10.
Ætas prima quomodo regere debet in victu. 1.1.1.& ſeq.
Ætatis ſecundæ ſeu conſtantis cura. 2.1.2. *vid. Septenarium.*
Ætatis ἀκμή. 6.3.3.
Ætatum differentiæ. 1.5.21.
Ætatum anni non ſunt in certo numero. 6.2.8.
Æthiopicum. 4.5.6.
Affectuum vehementia corrigenda. 1.8.10.
Ἀγάλακτα. 5.7.8.
Agricolæ ſenis victus tempore Galeni. 5.7.6.
Αἰσθητῶς. 1.5.17.
Αἴτιον προηγούμενον. 4.2.2.
προκαταρκτικόν. Ib.
Ἄκαπνα. 4.5.18.
Ἄκοπα. *Vid. Æcopon.*
Aloe ſenibus non convenit. 5.9.2.
Ἱερὰ δι᾽ ἀλόης, καὶ πικρά. *ib.*& 6.7.10. & 6.10.9.
Aloe Romæ paratur. 6.10.9.
Galeni præparatio. ib.10.
Alimentum apud Hipp. quid ſit. 1.15.6.
Allia. 6.9.9.
Alexandriæ dierum longitudo. 6.5.6.
Alvus obſtructæ cauſa. 1.13.1.& ſeq.
Alvum ſolventia. 6.10.13.
Alvus ſenum quibus cienda. 5.9.1.
Ἄμεμπτόν τε καὶ μεμπτὸν. 1.6.1.
Ἀμετρία *fugienda.* 1.11.1.
Ἀνάτριψις. 2.4.17.
Ἀναφωνήσεις *exercitia à phonaſcis dict.* 5.10.2.3.
Andronium paſtillum. 6.12.4.
Anguſtia unde. 1.15.4.
Τὸ ἀνιέναι τὴν σάρκα καὶ εὐαφῆ ποιεῖν. 2.3.10
Animæ juvamen. 1.7.1.
Animal accreſcens. 1.2.5.
decreſcens. 1.2.6.
Aniſum Creticum. 4.5.12.

Τὸ Ἀντιδιέλκειν. 3.8.8.
Antiochi Medici ætas & vita. 5.4.3.
Antoninus Imp. 6.5.7.
in Ano acris humor quid cauſat. 6.10.15.
Ἀνώνυμον. 1.3.7.
ἡ ἀποθεραπεία. 3.1.6.3.2.1.3.3.4.
Apologia Hofmanni pro Germanis contra Gal. 1.10.12.
Apomeli. 4.6.6.& ſeq.4.10.9.
Ἀποφλεγματισμός. 6.12.2.
Aqua quæ optima. 1.11.3.& ſeq.ejusq; uſus.ib.
fontana. ib *frigida.*ib.4.*lacuſtris.*ib.3.
Arcturi ortus eſt menſis Septembris. 4.8.2.
Ἀραιοσύγκριτοι. 6.5.7.
τὸ Ἀραιὸν καὶ τὸ πυκνόν. 2.5.1.2.
Ars duas habet partes. 1.1.1.
ὑγιεινή. 1.1.1.
προφυλακτική. 6.11.7.
θεραπευτική. 1.1.1.
Aſclepiades. 1.8.1.
Athleta. 3.2.3.& ſeq.
Athletæ βαρεῖς. 3.2.24.
Theonis quales fuere. 3.8.17.
Αὐτοκίβδηλα. 2.4.1.

B.

Balnea. 3.4.1.& ſeq.
earum differentiæ. ib.2.
frigida. ib.7.& ſeq.
eorum conſuetudo. ib.8.
in inflammatoriis. 3.8.6.& 13.
aqua tepida curant laſſitudines excrementitias. 3.8.6.
poſt cibum quibus conveniant. 6.3.5.
eorum noxa. 6.3.6.
eorum tempus. 1.10.4.& ſeq.
Βαρύσταθμον. 4.5.2.& 16.
Betonica. 5.5.2.
Bilis flava retenta quomodo curanda. 1.14.3.
Bilis in ventriculum effuſa. 6.2.5.& ſeq. 6.7.2.
Βυδρόμιον. 4.8.2.
Βρόγχον. 6.9.3.
Budæus. 3.3.5.

C.

Cacochymia. 4.2.7.4.4.1.& ſeqq.6.6.7.
Cacochymia non curatur more Gal. 4.9.5.
Calculi à podagra differentia. 6.11.6.
Caloris nativi augmentum. 2.9.2.& ſeq.
Calida & frigida. 4.3.1.& 5.
Calidi nativi interitus ab externo frigore. 1.10.7.
Calor duplex. 1.2.12.
Calidis naturis quies melior exercitio. 5.11.13
Caninus affectus. 6.9.5.
Capitis gravitas. 6.7.6.
ê Capite fluxiones ichorum. 6.9.2.& ſeq.6.12.1.& ſeq.
Caput calidum quibus ungendum. 6.9.10.
intemperatum. 6.9.2.& ſeq.
Caſia à valido cinnamomo multum abeſt. 6.10.10.11.
Caſus dentium ex uſu lactis. 5.7.7.& 15.
Celti. 1.10.12.
Cerebri intemperies frigida. 6.9.13.
Cerebrum pituitæ metropolis. 1.3.10:6.9.14
Ceſtron 5.5.6.
Chylus varius. 4.4.45.
Cibandum qua hora. 6.7.5.
Cibandi ratio, qui in negotiis vivunt. 6.7.3.
Cibi qui optime conveniunt. 4.4.41.
Cibus. 1.2.14.
Clemens VIII. P.P. *gymnaſticorum reſtitutor.* 3.3.6.
Cluverii laus. 1.10.12.
Cocta medicamẽto juvanda, nõ cruda. 4.8.2.
Columba νομάδαι. 6.11.4.
Coma in frigidis. 4.4.36.
Conſuetum omne ſervare licet. 5.11.15.
Conſummatio Plinii. 2.3.7.
Contraria contrariorum remedia. 1.7.6. 5.10.9.& 16.ib 5.12.12.
Contuſio. 3.5.7

Coquus

Coquus. 2.11.24.
Corpora impura quo magis nutriantur eò magis lædantur. 2.2.10.
Corporis compoſitio triplex. 6.9.1.
noxæ ſive corruptelæ ſunt duplices. 1.2.1.
Corpus emollire. 2.3.15.& *ſeq.*
Corporum calefactio. 2.9.2.
Cotylæ Italicæ. 4.8.3.
Cydonia Vid. Medicamenta.
Cutis ſiccæ emollitio, extenſæ laxatio. 3.6.7.

D.

τὸ Δεδεμένον. 2.5.3.
Defluxiones. Vid. Caput. & Fluxiones.
Δεόντως *Hipp.* 3.9.9.
Διαγλαυκὺς *Collyrium.* 6.12.4.
Διαγωγὰς *conſuetudines.* 6.8.9.
Diacydonium lucidum. 6.15.7.
τὸ Διακαλαμίνθης. 6.3.8.
Διαλιμνησίας. *Vid. Medicamenta.*
Διὰ τριῶν πεπέρεων. *Vid. Piper.*
Διορισμός. 1.11.8:5.12.1.
Dios-politicon. 6.7.8:6.10.11.4.5.5:4.7.9
Diſpoſitio Herophileorum neutra. 6.2.1.
Diſpoſitiones quomodo obſervandæ. 5.2.6.7.
Diſpoſitiones pravæ corporum duplices. 6.2.1.
Diſpoſitiones ſimplices & cōpoſitæ quot. 3.9.5.
Diſpoſitio mollis propinqua & ſicca. 5.2.12. & *ſeqq.*
Diuretica quibus conveniunt. 4.4.10.& 41.
Dropax. 6.8.2.
Durare quid. 2.3.12.
una Dyſcraſia diutius manere ſola, impoſſibile. 6.2.7.

E.

Ἐγκάρσιον. 2.3.2.5.
Ἐκπελεθρίζειν. 2.10.2.
Ἔμπαλιν ἔχοντα πρὸς ἄλληλα τὰς ἐνεργείας. 1.1.4.
Empeiria quid. 5.10.7.
Emplaſtrum de Thapſia vel de Sinapi. 6.9.8.
τὸ Ἐπιφάνεια. 3.8.9.
Eraſiſtratus. 18.1.
Eſculentorū & potulentorū elaboratio. 6.3.11
τὸ Ἐσφιγμένον καὶ τὸ δεδεμένον. 2.5.3.
Excrementorum origo. 1.3.3.
Excremēta duplicia in ſecunda coctione. 1.3.8
Abdominis. 3.3.14.
Cerebri. ib.10.& 1.13.8.
Oculi. 1.13.9.
Excrementorum evacuatio. 1.12.10:6.9.16. 1.15.5.
Excrementum ſecundum. ib.17.
tertiæ coctionis. ib.15:1.14.4.
in venis & arteriis. ib 13.
Excrementum aut vacuandum aut alterandum. 4.3.1.
Excrementa in ſenibus. 5.9.1:5.3.13.
Exercitium. 1.15.1:2.2.8. *eorum differentia.* 2.8.5.& *ſeq* 2.10.1.& *ſeq.*
puerile. 1.12.1.
Exercitiorum tria commoda. 2.2.8.
Exercitia quomoda inſtituenda. ib.9.
Exercitium, motus & labor idemne ſit? 2.1.3. & *ſeq.*
Exercitiorum ſpecies. 2.8.1:2.9.1.
ſcopus. 2.12.9: 3.2.2.
in rebus non naturalibus. 3.12.2 & *ſeq.*
Exercitia μέτρια καὶ συμμέτρια. 5.2.2.
ἀμέτρια. *ib.*5. *acuta.* 5.3.7.
In Exercitiis vocis thorax male conformatus nihil valet. ib.10.
ambulatoriis crura læduntur. ib.
Exercitia moderata. ib.
puerorum ſeptennium. 1.8.3.
pueris an & quatenus conveniant. 1.8.1.
Εὐδιάπνευστοι. 6.5.7.
Εὐεξία. 1.1.4.
Εὐστόμαχα. 6.10.13.
Εὐκρασία. 1.5.15.
Εὔκρατον. ib.
Εὔσαρκος. 1.5.13.

Z.

Ζυγολυσία. 5.7.8.& 12.

Θ.

Θεραπευτική. 1.1.1.

F.

Jo. Faber Caſalpini *ſucceſſor.* 3.3.6.
Facta. 1.15.3.
Fauſtianum Falernum. 5.5.5.
A Febre quendam præſervavit Gal. 5.11.12.
Flos vini. 1.12.12.
Fluxiones quomodo fiant. 6.13.1.& *ſeq.*
Foëſius. 3.3.5.
Fæx. 1.12.12.
Frictionis & balnei tempus. 1.10.4.& *ſeq.*
Frictio & Inunctio. 2.2.13.& *ſeq.*
Frictio quomodo inſtituenda. ib.14.& 2.7.5.& *ſeq.*
Frictio ejusque effectus. 2.6.2.
Frictio duplex. ib.3.
præparatoria. 4. *apotherapeutica.* 7.
Abſolutoria. ib.& 2.8.9.
Recuratoria. 2.6.7.
Frictionum menſura. 2.7.1.10.& *ſeq.*
Frictio in ulceroſo affectu ſeu cruditate. 4.7.6
Frictio in augenda carne. 2.7.7.
Frictiones duras colligere. 2.2.7.
Frictioni quid confert. 3.3.9.
Frictiones matutinæ. 3.13.1.& 3.
veſpertinæ. 3.13.5.
venerunt in deſuetudinem. 5.3.27.
Frictio infantum. 1.10.2.& *ſeq.*
Fuchſius. 5.7.16.
Fuligo. 1.3.8.
Furius Camillus. 1.10.12.

G. Γ.

Gadaldinus. 3.3.5.
Galatæ. 1.10.12.
Gallo-Græci. ib.
Galenus *Peripateticus.* 1.2.9. *Ethicus.* 5.1.16
confuſus. 1.3.5.
explicatur. 1.6.6: 1.12.23: 2.8.9.
corrig. 2.2.15. *locus corruptus.* 1.12.23
prolixior Theone. 3.3.3.
fluctuatio. 2.11.28. *παρερμηνεύς.* 2.12.6
refutatur. 3.9.8.5.6.5.
diligentia. 5.7.& *ſeq.*
nunquam laboravit ullo morbo. ib.
lapſus. 1.7.15. *defenditur.* 6.2.12.
omnia perfectiſſime tradidiſſe ſibi perſuadet. 6.8.9.
mirabilis. 6.9.11.
Ariſtotelem acerbe tractat. ib.12.
obſcurus intricata profert. 6.10.17.
vagus. 6.11.8.
ejus monitum in re Venerea. 6.14.8.
liber Thraſibulus. 1.4.8: 2.8.6.& 11.
liber de inæquali intemperie Galeno adſcriptus eſt ſuppoſititius. 6.2.13.14.
In omni Genere quod optimū eſt, unū eſt. 6.2.2
Germani olim Celti & Celtæ. 1.10.12.
ἡ γερακομική. 5.4.1: 6.2.10.
Gorræus. 3.3.5.
Gracilitas removenda & curanda. 6.8.1.
γραῦς. 4.4.19.
γυμνάσιον. 2.2.5.& *ſeq.*
Gymnaſta. 2.11.21.& 24: 2.12.1 *ſeq.*
γυμνάςη. 1.15.1: 2.8.5.

H.

Halicæ. 4.4.38.39: 4.10.8.
Petrus Heigius. 1.10.12.
Hepatis obſtructio. 6.7.6: 6.2.7.
Hippoc. *explicatur.* 1.7.6: 1.10 8: 5.11.16.
ejus axioma. ib.
Lib. de Natura humana eſt ſpurius. 1.2.10.
Phyſiologia eſt eadem cum phyſiologia Ariſtotelis. ib.
patria. 2.7.4.
Hiſtoria renum exſiccatorum ex medicamentis. 6.11.2.
Hofmannus *paralyticus.* 4.4.46.
Humiditatis cura. 3.13.4.
Humida & frigida catarrhis obnoxia. 5.12.2.
Humidas partes ſervare laudabilior. 6.7.1.

Humo-

Humores pituitoſi in ventriculo morantes quid? 6.10.8.
Hypochondriorum tumidorum & flatulentorum cura. 4.5.4.

I.

Ἰατρὸς. 2.8.5.
Ἰδιωτικῶς. 4.4.46.
Ἱερὰ. *vid. Aloe.*
Immorigeri ſive Incontinentes & Intemperantes. 6.8.1.
de Immortalitate conſequenda ſcriptū. 1.12.7
Incidentia extrinſecus. 1.15.4.
Incolæ calidarum & frigidarū regionū. 2.7.4
Incorruptibile fieri non poteſt, quod genitum eſt. 1.12.7.
Infantum triplex motus. 1.8.1. *& ſeq.*
in Infantum ejulatu remedium. 1.8.13.
Infantum ſalitura. 1.7.11.
Intemperies calida primorum annorum. 6.3.1. *& ſeq.*
Intemperies frigida. 6.4.1. *& ſeq.*
Intemperies unde. 1.13.3. *quot?* ib.10.
ſanitatis apud Gal. ib. & 3.1.2.
contrariis curanda. 1.14.2.
inæqualis. 6.5.1. *& ſeq. quotuplex.* 6.9.1.
compoſitas, nullas ſimplices Medici obtinent. 6.2.7.
æqualis. 6.2.3. & 7.
Inteſtinum rectum. 1.12.11.
Inunctio. 2.2.13.
Ira quid? 2.9.3.
Ius album. 4.10.9.

K.

τὸ κάλλιςα. 2.1.2.
ἡ καρδία. 6.14.1.
καρυκεία. 4.5.9.
κατάληψις τοῦ πνεύματος. 3.3.4.
κατασκευή. 3.2.4.
τὸ κενοῦν, τὸ ἐκκενοῦν. 2.3.15.
κηρέλαιον. 6.14.3.
κόπος. 3.5.3.
κηρωτήριον. 1.4.15: 6.14.3.

L.

Labor. Vid. Motus.
Lac aſininum. 5.7.10.
caprillum ib. maternum. 1.7.9.
quale requiritur. 1.9.7. *& ſeq.*
Lactis noxæ. 5.7.6.
commoda antiquis. ib.8.
Λάρυγξ. 6.9.1.
Laſſitudo. 3.5.1. *ejus differentiæ.* ib.3. & 5.
tria genera. 4.2.3.
ulceroſa. 3.5.6: 1. *& ſeq.*
ejus nutrimentum. 3.8.1.
ſpontanea. 4.12.8. & 5.
tenſiva. ib.6.8. *ejus cura.* 4.10.1.
inflammatoria. ib.7. *ejus præcautio.* 4.10.10.
Laſſitudo utrum in partibus ſolidis ſolis, an in cavitatibus venarum. 4.4.1.
Lien analogum cum veſica fellea. 1.13.6.
Λιπαρὸς *pulvis.* 5.3.24.
Λιποθυμία. 3.3.4.
Λοξὸν. 2.3.3.
Longæviſſimus quis. 6.3.21.
Lotionum poſt cibum noxæ. 6.2.6.
τὸ λῦσαι. 2.3.10.
Lycettis. 6.9.9.

M.

Μαλακὴ, τὸ μαλακὸν. 2.3.10. & 15.
Maraſmus quid. 5.9.8.
Matrum deſipientia in devorando pulte infantum. 1.8.14.
Materiarum 4. genera, adhibenda, facienda, vacuanda, & extrorſum incidētia 5.10.1.
Medicamentum acopon. 4.8.1.
Medicamenta ex ſucco pomorum cydoniorum. 6.15.1. *ſeq.*
Medicamenti διακαλαμίνθης *compoſitio.* 4.7.8. *ſeq. ejus uſus.* ib.13.
Medicamenta ventriculi commoda. 6.10.3.4

[illegible] 6.15.3.
[illegible] ib. 12.
[illegible] ib. 22.
[illegible] 6.11.2.
[illegible] 6.2.3.
[illegible] ib. 9.
[illegible] 1.7.2.
[illegible] 2.11.24.
[illegible] 4.10.8.
[illegible] 5.1.6.
[illegible] ib. 3.
[illegible] ib. 7.
[illegible] 5.9.2.
[illegible] 5.6.3.
[illegible] 5.2.7.
[illegible] 1.6.1.
[illegible] 3.3.5.
[illegible] 6.8.19.
[illegible] 2.1.5.
[illegible] 3.9.4.
[illegible] 2.9.8.
[illegible] 2.2.1.
[illegible] 2.4.15. & seq.
[illegible] 6.2.12.
[illegible] 1.5.10.
[illegible] 4.5.13.
[illegible] 5.12.5.
[illegible] 1.8.7.
[illegible] 6.3.20.
[illegible] 2.11.10.
[illegible] 2.11.11.
[illegible] 1.8.5.
[illegible] 2.2. & seq.
[illegible] 2.11.25.
[illegible] ib. 26.
[illegible] ib.
[illegible] 5.3.20.
[illegible] 3.5.7.
[illegible] 3.3.14.
[illegible] 3.10.1.

N.

Naris suae Cainae. 5.5.6.
[illegible] 2.7.18.
[illegible] 1.2.8.
Natura [illegible] 6.9.16.
[illegible] 1.5.22.
[illegible] 6.10.12.
[illegible] 1.10.7.
[illegible] 5.9.4.
[illegible] 6.1.9.
[illegible] 6.8.6.
[illegible] 1.9.1. & seq.

Ξ.

[illegible] 6.3.3.
[illegible] 5.5.2.
[illegible] 3.3.4.

O.

[illegible] 1.15.3.
[illegible] 3.10.2.
Oleum [illegible] 3.6.2.
Aegyptiacum [illegible] 4.8.9.
[illegible] 3.6.2.
[illegible] ib.
[illegible] 6.12.3.
[illegible] 3.6.2. & 6.9.10. 6.12.3.
[illegible] 3.6.2. 3.10. 4.4.8.3.
[illegible] 4.8.9.
[illegible] 3.6.2.
[illegible] 5.5.6.
[illegible] 2.4.15.
[illegible] 6.2.13.
[illegible] 6.9.1.
[illegible] 2.11.16. & 18.
[illegible]
[illegible] 3.5.7.
[illegible] 1.3.7.
[illegible] 4.3.14.
[illegible] 4.6.1. & seq.
[illegible] 1.2.12.

P. Pa-

P.

Pædotribæ. 1.10.10. 2.11.21. & 24.
Panis ſenum. 5.7.1.
Παρακμή. 6.2.7.
Παρακμαστικὴ. 5.2.1.
Pars ἀναληπτικὴ. 5.2.19. 5.4.1.
Partes ſimilares. 1.1.2. 6.2.1. *organicæ.* ib.
Paſſercula, πυργίτης. 6.11.4.
Particularia tria, Auriũ, Oculorũ Cereb. 1.3.10
Πεπτικόν. 5.11.14.
Περίπατοι Eraſiſtrati. 6.10.17.
Περίσσωμα. 1.3.2. 6.1.3.
Petroſelinum Arthriticis conuenit. 5.5.6.
Philotimus. 4.6.10. & 14.
Piccartus. 6.8.10.
Piper quomodo utendum. 5.6.1. & ſeq.
Piper album. 4.5.5. 6.10.8.
longum. 4.5.4. *nigrum.* 4.5.16.
διὰ τριῶν πεπέρεων. 4.5.9. 4.7.12.
Πιτυλίζειν. 2.10.1.
Piſo unde. 1.12.19.
Πλὰξ & ἰκρίον. 1.5.17.
Πλέθρον. 2.5.3.
Pituita. 4.2.10. 6.13.4.
Polycleti canon. 1.7.4.
Πολύσαρκος. 1.5.18.
Pontanæ Attica bellaria. 1.7.11.
Πόνος. 2.2.3. & ſeq.
Pori tenues inſtrumẽta ſũt excrementorũ. 3.2.21
Porrum cuiq. uſui. 3.10.1.
Πόροι. 2.3.10.
Potus. 1.2.14.
Praxagoras. 1.6.4.
Primigenes Mitylenæus. 5.11.7. & 10.
Πρὸ τρόφου ἀπόθεσις. 4.9.5.
Προφυλακτικὴ. 6.11.7.
Pruna. 6.9.9.
Ptiſanæ ſuccus. 4.4.39.
Pueri recens nati. Vid. Regimen.
Pueris ad quatuordecim annum exercitia cõueniũt 1.8.1.
Puerorum mores quomodo corrigantur. 1.8.7.
Puerorum conſtitutio. 1.11.7. & ſeq.
Pueri bene proportionati deſcriptio 1.5.21. & ſeq.
Pueri magnitudinẽ quomodo Gal. auxit. 5.10.3
Puerorum remedia tria. 1.7.10.
Pulſuum alterationes. 2.11.8.9.
Pulmonum exceſſus & uſus. 1.10.11.
Pulſus λαγαρός. 5.3.24.

Q.

Quæſtiones Logicæ. 1.4.4. 5.5.1.
apophlegmatiſma. 3.13.2.

R.

Rad. Betonicæ, Cucumeris agreſtis, Althææ, Bryoniæ tenues. 4.8.5.
Raritatis cura. 3.13.4.
Raritas corporis. 6.5.8.
Regimen recens nati pueri. 1.7.3. & ſeq.
Renum exſiccatorum aſperitas. 6.11.2.
Repetere quædam non eſt inhoneſtum. 1.17.22
Reſina Strobilina. 4.8.3.
Ῥευματικός. 6.12.1. & ſeq.
Rheni accolæ & Aſiatici. 1.10.11.
Ῥύπτειν. 4.2.13.
Romæ dies longiſſimi & breuiſſimi. 6.5.6.
Ruta ſicca. 4.5.7.

S.

Saltatores. 2.11.22.
Sanguis quid. 1.2.3.
Sanguis fit ex ſolo cibo. 1.2.12.
Sanitas quid? 1.6.1. & ſeqq. 1.5.4. 4.6.7.
Sanitas & actionũ integritas quid differãt 1.5.3
Sanitas non eſt in indiuiduo. 1.5.14.
Saxifraga. 5.5.6.
Schœnii leuis. 4.9.5. 6.8.10. 6.12.8.
Semen quid. 1.2.3.
Semen & ſanguis ſunt principia generationis. 1.2.2. *eorum differentia.* ib.3.
Semen maſculinum igneum. 1.2.11.
Seminis genitalis abundantia & excretio. 6.14.1
Senectus morbus. 1.5.12.
Senectus. 5.2.1. 5.9.8.
eius differentia. 5.2.25. 5.4.7. 5.12.10.
Senum exercitium & iter. 5.2.1.
eorum temperamentum. 5.8.2. & ſeq.
ſolidæ partes. 5.4.5. 5.5.1. 5.7.1.
Senis ſanitas. 6.2.10.
Senes quidam in ſenibus tractandi. 5.8.6.
Senſuũ inſtrumentorum quomodo tractãtur. 5.2.5.
Senſuũ alterius inſtrumentum eſt inſtrumẽtorũ 4.1.2
Septennium prima ætas. 1.12.1. & ſeq.
ſecunda ætas. 2.1.2. & ſeq.
tertia ætas. 2.12.3. 2.2.1.
Serum in oxymelite. 4.3.13. & ſeq.
Sex res non naturales breuiſſime expoſitæ. 1.2.1. & ſeq.
Σεισμός. 2.2.3.
τὸ Σαλεύειν. 2.3.3. 2.6.1.
quomodo Somnia [illegible] *appetantur.* 6.14.3. & ſeq.
Somni ratio. 1.11.8.
Somni refectio. 4.3.33.35.

Sopid

Sordes unde. 1.12.19.
Sordes cutis. 1.3.9.
Spiritus cohibitio. 2.11.14: 3.2.19.
στέγνωσις. 3.9.1: 3.10.1.
H. Stephanus. 3.3.5.
στόμαχον. 6.10.13: 6.14.1.
στρογγύλη. 2.3.3.
στρούδια. 6.15.2.
Sudor. 1.12.17.
Sudoris mutatio quid poſſit efficere. 2.12.11.
Sudores examinandi. 4.3.16.ſeq.
Sudorifera quibus conveniant. 4.3.10.& 41.
Συμμετρία. 1.5.1.
Symptomata morboſa. 3.10.11.
Συγκίνησις. 2.11.26.
Συνδρομή. 3.9.7.

T.

Telephii Grammatici vita & ætas. 5.4.6: 5.12.14.
τὸ τέλειον. 3.2.3.
Temperamentum duplex. 1.6.5.
Temperamenti latitudo. 1.5.15.& ſeq.
Tendines oſſibus connaſcuntur. 3.5.7.
Tenſio. 6.6.6.
Theon Alexandrinus, gymnaſta. 2.3.8: 3.3.3: 3.8.7.& ſeqq.
Theophraſti liber de laſſitudine. 3.5.1.
Τρῖψις. 2.2.3: 2.4.17.
Τροφή. 1.2.14.

V.

Fr. Valleſii laus. 6.2.12.
Venæſectio cur magis propria eſt methodi. 4.10.13.
quem locum habeat ἐν ὑγιεινῇ. Ib.
Venæſectionem plethorici admittunt. Ib.
à Venæſectione non ſubito eſſe nutriendum. 4.11.1.
Poſt Veneris uſum exercitum & cibi. 3.10.9. 3.12.1.ſeq.
Venerea in quibus vel parciora, vel laudabiliora eſſe debent. 6.3.15: 6.4.2: 6.7.1.ſeq.
In re Venerea non vivere licet ſicut beſtiæ. 6.14.8.
Ventriculi diſpoſitiones. 1.13.2.& 8.
curatio. 6.10.1.& ſeq.
In Ventriculum ichorum influxiones. 6.10.7.
in Ventriculi ore roborando quæ vitāda. 6.7.2.
pituita. 6.10.12.
Veſicæ debilitas. 1.13.4.
Victus. 1.3.1.& 4.it.5.11.10.ſeq.
Victus ſenum. 5.6.1.
Victus ratio, quæ intemperies corrigat, quomodo inſtituenda. 5.11.1.ſeq.
in calculoſis. 6.11.4. arthritide. ib.5.
Vini vis & natura. 1.11.1.& 8.
abſtinentia in pueris. 1.11.1.ſeq.
Vinum quale alimentum. 1.11.1.
tenue, flavum & album laudatur. 4.6.8: 5.5.2.
τὸ ξανθόν. 5.5.2.
Vinum cydoniate. 6.14.8.
Vina varia. 5.5.2.
Græca. 5.5.1. Aſiatica. ib. Italica. ib.
Quale Vinum ſenibus commodum. 5.5.1.
Vitæ ſervilis conſtitutio. 6.5.4.& ſeq. cura. 6.6.2.& ſeq.
Vitæ genus actuoſum. 2.1.3.
Vnguentum Amaracinum. 3.10.5.
Anethinum. ib.6. Acopon. ib.
Comagenum. ib.5. Irinum. ib.
Sonſinum. ib.
Vnguenta, Nardinum, Melinum, Maſtichinũ, Foliatum & ſpicata. 6.10.4.5: & 6.12.4.
Vomitus quibus convenit. 6.6.9.
Vomitus ex aqua tepida. 6.3.4.
Vri & tendi. 3.5.4.
Vrinæ color. 2.2.11.
Vrinarum contenta. 1.3.8: 4.4.18.ſeqq.

Υ.

Ὑγιεινή. 1.1.1.
Ὑγιεινόν. 1.15.1: 2.8.5.
Ὑπερβερεταῖος. 4.8.2.

Φ.

Φαλλοφόροι ἢ ὀλισβοφόροι. 2.4.1.
Φθόη. 6.9.4.
Φιλίατρος. 4.5.14.
Φιλοπαλτρίδες. 1.10.12.

X.

Χρηστόν. 2.4.1.

Z.

Zingiberis probatio. 4.5.18. adulteratio. ib. Conditura. ib.

Ω.

Ὠμοτριβές. 3.6.2: 6.9.10: 6.14.3.
Ὠμογέροντα. 5.12.14.
Ὠχρασία. 1.5.20.
Ὠχρόν. 5.5.2: 6.3.3.
Ὠχρόξανθον. 4.4.15.
Ὠτεργύτης inſtrumentum. 6.17.3.

ORATIO

ORATIO PRIMA
DE
DICTERIO ILLO,
MEDICE VIVERE ESSE PESSIME VIVERE.

QUod olim in ſacris Ethnicorum Eleuſiniis, Samothraciis, aliisque fiebat, cum ſacerdos ingreſſuros inclamabat, ut eſt apud Callimachum,

——— ἑκὰς ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός,
——— procul ô procul eſto profanus:

id liceat mihi, AUDITORES, in hoc exordio cum Galeno facere, jubere, inquam, faceſſere hinc intemperantes, quà corpore, quà animo.

Qui enim neſciunt habere vitæ ſuæ modum; qui pecorum ritu terræ affixi ſunt; qui ventri, gulæque dediti non vivunt ſecundùm rationem; non minus, qui avaritiæ, ambitioni, aliiſque vitiis ancillantur: ii capere, quæ dicentur, neutiquam poſſunt.

Scire cupitis, quod ſit illud tam grande ϭοφῶς, quod affero? Eſt id, quod plerique omnes tantùm non pro deridiculo habent; quod ſibilo, & paſtoritiâ fiſtulâ dignum cenſent; quod in circulis ſui ſimilium, in compotationibus & comeſſationibus ſuis beluinis odiosè jactant; quod pueris pro oraculo Delphico declarant, MEDICE VIVERE eſſe PESSIME VIVERE. Idipſum ego in contrarium ſenſum verto, & διαῤῥήδην dico, MEDICE VIVERE eſt OPTIME VIVERE, quia eſt cum virtute vivere. Ex quo ipſo ſtatim intelligitur, puto, loqui me de homine ſano, quique rebus ſuis rectè præeſſe poteſt: non autem de cauſario aliquo, aut prorſus lecto affixo. Is enim non magis cum virtute vivit, quàm ſapiens Stoicorum in Phalaridis tauro. Imò, ne vita quidem dicenda eſt, quæ perpetuò cum morte luctatur.

Extra hanc qui damnant tamen vitam Medicam, illos ego hinc abire jubeo in maximam malam rem, ne præſentiâ ſuâ polluant ſacrum hunc ſermonem, quem Conditori noſtro paro. At vos, quibus Virtútis ſtudium cordi eſt, adeſte,

 conſi-

conſideraturi mecum, Quo modo ingenuus aliquis vivere debeat, ut quietè & ſine torminibus exſpectare poſſit fatalem ſuum diem.

Principiò hoc vehementer miror, cum totum hoc Univerſum ſit ordo quidam certus & infallibilis adeò, ut Pythagoras, (at quí vir!) Mundum inde appellârit *κόσμον*, *ordinem*: quemquam eorum, qui ratione utuntur, perſuadere ſibi, ſanitatem, rerum omnium pulcerrimam, conſervari poſſe abſque ordine, adeoque, perinde eſſe, quo modo quis vivat? quibus cibis, potibusve utatur? quâ quantitate? quâ diei parte? Breviter, qua ratione, modove in uſu ſex rerum non naturalium nobis dictarum, ſe gerat? Tantò magis, quod homo apud Philoſophos eſt *μικρόκοσμος*, *parvus mundus*!

Non eſt mihi nunc animus inſtituere comparationem inter utrumque mundum: ſubjiciam tantùm oculis quàm pulcra & concinna ſit gubernatio corporis humani. Ariſtoteles ſimilem hanc facit ſtatui Monarchico, in quo Cor quidem locum & dignitatem regiam habeat, Cerebrum autem Cancellarii, Hepar Majoris domus, & ſic deinceps. Ut enim in aula regia omnia pendent ab arbitrio unius, ita tamen, ut ipſe non agat omnia, ſed pleraque mandet miniſtris ſuis, qui, uſi autoritate Regis, præſint rebus, unuſquiſque ſuo loco: ita in animali omnia quidem fiunt à Corde, quod, uſum ſpiritu vitali dicto tanquam accenſo, omnium actionum præſtes eſt. Veruntamen non fiunt omnes actiones in corde, (quei enim id fieri poſſit?) ſed hæc in hac parte, illa in alia, illa rurſus in alia. Ut rem exemplo declarem. Confectio ſanguinis pertinet ad *τὸ εἶναι* animalis, quâ non benè habente, tota œconomia labaſcit. Ut igitur ſit quàm puriſſimus, & alendo aptiſſimus, quas non fecit machinas Natura? Nimirùm, nullum alimentum tàm purum eſt, quod non vehat ſecum multas ſordes. Has ut ſeparare ad unguem poſſit, in ore primùm quaſi in mola lævigat, mox in ventriculo quaſi novam *ἀναστοιχείωσιν* facit, ut in inteſtinis exacta fieri poſſit utilis ab inutili diſtinctio. Huic operi præfecta ſunt vaſa Meſaraica dicta, quæ utile quidem ad hepar, ejuſque ſuccenturiatum lienem ſubvehunt, ut ibi in ſanguinem faceſſat: inutile autem relinquunt. Sed hoc nondum ſatis eſt. Cum enim chylus, ad dicta duo viſcera delatus, etiamnum habeat *ἑτερογενῆ τινα*, hinc quidem defixit veſicam felleam dictam: illhinc autem lienem, quæ duo viſcera abducunt duûm generum ſuperflua, & ad dicta nuper inteſtina abjiciunt. Sed neque hoc ſatis eſt. Sanguinis enim partem multò maximam, verùm rudiuſculum ad Cor ipſum ablegat, ubi ſummam adipiſcitur perfectionem. Tum verò ſanguinem quidem illum rudiuſculum per venas in univerſum corpus: ſanguinem autẽ elaboratiſſimũ per arterias dimittit. Hæc duo vaſa ſanguiflua, per mutuas *ἀναστομώσεις* Græcis dicta juncta, refundunt in ſe invicẽ ſanguinem, ut hac ratione ex duobus his ſanguinibus, ſi ita loqui mihi fas eſt, fiat tandẽ ſanguis unus, qui demum perfectè nutrit.

Viden' ô tu, Bœotûm in patria, craſſoq; ſub aëre nate, contemtor omnis ordinis divini, carnifex proprii corporis, voluptatum beſtialium affectator perpetuus, deriſor te longè præſtantiorum: viden', inquam, quot partes, quaſi in choreâ conſtitu-

ſtitutæ,ut Galenus noſter comparat,quâlibet earũ conſtantiſſimè locũ,officiumque ſuum tutante, καθ' ἐνδελέχειαν ſingulis operãtibus,pro uno ſanguine laborent?

Nam veluti olim in officinâ fabrili Vulcani, ſiquidem Homero credimus, ancillæ aureæ, non vivæ illæ quidem, ſed viventibus adoleſcentibus ſimiles, (quippe quibus mens inerat,& vox,& vis divina, habebantque operum ſuorum ſcientiam ab immortalibus:) in conſpectu Regis laborabant ſponte & injuſſæ, prorſus ut Vulcanus vellet, & opus perficiendum requirebat:ita,(ſic iterum Galenus noſter,) heic nihil otioſum eſt,nihil immobile, ſed omnia varium, expeditumque opus faciunt, divinis quippe inſtructa virtutibus, ſive, ut alibi loquitur, ita juſſa agere à Conditore.

Fortaſſis retinet te vilitas operum quorundam! In nave ſcis eſſe,non tantùm navarchum,& officiarios ipſius,ſed remigès quoque,& qui ſentinam exhauriunt. In Rep.ſcis eſſe non tantum Conſules & Senatores,ſed & ſutores,ſartores,fartores,alios,quos honeſtè nominare non licet, ſine quibus tamen totus ſtatus ſalvus eſſe non poteſt: & miraris tu in corpore humano eſſe partes, quæ ſervilibus muneribus ſunt dicatæ! quæ ex accidenti ſunt neceſſariæ,ut Philoſophi loquuntur!

Audi verò, quisquis es, apologum veterem, quoquo modo rebus noſtris accommodatum: Tempore, quo in homine nondum omnia conſentiebant in unum, indignatas fuiſſe ferunt quasdam ventri, qui, in medio corpore quietus, voluptatibus tantùm frueretur, & conſpiraſſe, fame domare illum velle. Quid fit? Dum id agunt, ipſæ unà, totumque corpus ad extremam tabem venerunt, apparuitque inde, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe.

Ita profectò eſt,ut Galenus de hac ipſa ſanguinis confectione loquitur,Nullum magnum & perfectum opus repentè abſolvitur,totumque ſuum ornatum ab uno inſtrumento nanſciſci poteſt. Ad conſtructionem domûs alicujus ſplendidæ quot requiruntur opifices,& inter eos quidam infimæ conditionis,in eum finem tantùm,ut commodè ibi vivi poſſit: & tu vis heic Momi tibi perſonam ſumere,ſi in pulcerrimo illo cauſarum,ad unum hunc effectum concurrentium,nexu, partes quædam ſunt contemtibiles? Contemtibiles, vero quo modo? ſi omninò absque illis res abſoluta non eſt?

Et prorſus ſtat hoc, ſervat Natura in productione hujus ſui dilectiſſimi filii, ſanguinis, ordinem ſtrictiſſimum; eſt quin etiam in illo ordine concordia admirabilis partium operantium? tu verò ordinem illum contemnis? tu concordiam illam turbas? dum non æque diligenter in curam illam incumbis, ut ſanguis ſit quàm puriſſimus? ut vita ſit quam fieri poteſt quietiſſima, minimeque morbis obnoxia? Uno verbo, non vivis Medicè?

Menenius olim Agrippa, orator parum comtus,&,quod rei caput,contemtus ob inopiam, perſuadere potuit Romanis ſuis tumultuantibus unico apologo dicto,ne divinitus inſtituto ordini repugnarent in defectu: ego, non multò felicior illo,Germãnos meos potatores perpellere eò non potero,ne porrò peccent in dictum ordinem in exceſſu?

Fortaſſis aliquid effecero, ſi ſecuros illos reddidero, ſiquidem Medicè vivere volent mecum, & cum rebus ſuis, fore, ne Medicè cogantur vivere cum iis, qui lecto affixi ſunt, & tandem ad Libitinæ rationes accedunt? Hujus voti compotes erimus, ſi, Platonis Remp. ingreſſi, alieni erimus ab ebrietate, à comeſſationibus, à varietate ciborum, præcipuè aromatis conditorum. Inde enim morbi ſunt. Atque huc quia veni, libet mihi ex 3. de Rep. commemorare quædam, quæ inſtituto noſtro familiaria ſunt.

Comparans ibi loci Juridicorum & Medicorum opera; Varietas, inquit, morum apud iſtos quidem proterviam peperit: apud hos autem varietas ciborum morbos. Contrà, ut ſimplicitas apud illos temperantes animo facit: ita apud hos ſanos. Proterviæ autẽ, & morborum in urbe quod majus indiciũ eſſe poſſit, quàm opus habere & tribunalibus officinis Medicis plurimis? Profectò non ſunt hæc duo aliunde, quàm ex diſciplinâ in urbe corruptâ, cum judicibus & medicis opus habent, non viles tantùm homines, & fornacarii: ſed ii quoque, qui liberaliter inſtitutos ſe eſſe jactitant. Et quomodo turpe non eſt, & magnum indicium neglectæ inſtitutionis, ibi quidem, ſi faciant cives officium, h.e. juſtè agunt, non niſi coacti à dominis, & judicibus: heic autem, ſi opus ſit medicis ob otium, luxumque? Nimirùm, quid inhoneſtius, quàm defluxionibus laborare, & flatibus, corpusque adeò omne eſſe inſtar paludis cujusdam fætidæ, è quâ ſubinde exhalet quid, quod cogat medicos Aſclepiadas nova nomina morbis imponere? talia, inquam, quæ ſub Æſculapio ipſo nondum erant? & quæ ſequuntur alia, non indigna quidem veſtris auribus, ſed longiora, quàm quæ abſque tædio recitet quis. Et vero quia alioquin etiam finem ſpectat oratio mea, jam hoc generale præceptum do ei, qui rectè valere optet, & ſine Medico-clinico. Is ex Plat. præſcripto, allaborabit, ut corpus ſit ſiccum, & ab omnibus excrementis liberum. Earum domorum, inquit Diogenes apud Stobæum; in quibus copia frugum eſt, multi ſunt mures & feles: ſic corpora, quæ multùm cibi capiunt, multos quoque morbos cumulant. Eodem penè ſenſu Plutarchus ait in Sal., Ubi humorum redundantia eſt, veluti cœnum quoddam impurum agitantur illi, & omnia difficilia faciunt. Et mox, Qui multa quotidiè ingurgitant, quæque purgationibus iterum exhauriunt, ſimiles ſunt nautis, qui quotidiè ſentinam deplent. Atque ut noſtros quoque advocem Doctores, D. Baſilius corpus humoribus onuſtum comparat navi, quæ valdè ſit gravata ſarcinis. Quemadmodum enim talis ortâ tempeſtate facilè mergitur; contrà quæ mediocriter onuſta eſt, à ventis hinc inde fertur: ita corpus plenum facilè à morbis vincitur, ſiccum verò & prohibet morbos, & qui jam ſupervenerunt, diſcutit. Sicut terra, inquit D. Chryſoſtomus, quæ quidem valdè humecta eſt, ſive ex pluviis, ſive ex ſe, vermes gignit, & putria quæque; ſed quæ libera eſt, ſive colatur, ſive non colatur, & gramina & fructus præbet: ita corpus noſtrum vitioſum & inutile fit, adeoque mala moleſcunt illi per cibos immoderatos. Et D. Auguſtinus: Corpora noſtra terrena

ſunt.

ſunt. Quomodo pluvia, nimis grandis & diuturna ſi fuerit, terra confunditur, & in lutum reſolvitur, in quo nulla cultura locum habet: ſic & caro noſtra, quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec ſpiritalem culturam recipere, nec fructus animo neceſſarios exhibere poteſt. Ideò, quomodo omnes homines ſufficientem pluviam in agris ſuis deſiderant: ita & in agro corporis. Hinc tantùm deberent bibere, ne ebrietate ipsâ corporis terra velut in paludem converſa, vermes potius & ſerpentes vitiorum generare, quàm fructus bonorum operum afferre poſſit. Omnes enim ebrioſi tales ſunt, quales paludes: videntur ſerpentes, ſanguiſugæ, videntur ranæ, & diverſa vermium genera, quæ horrorem alicui citius incutere poterant, quàm aliquid exhibere, quod ad victum proficiat. Herbæ, quæ in ipſis paludibus, & circa ripas earum naſci ſolent, nihil utilitatis habere videntur, quamobrem ſingulis annis concremantur. Ita, quod de ebrietate naſcitur, igni præparatur. Hæc vir ſanctus graviſſime & prudentiſſime: à quo redeundum mihi eſſe video ad ſapientes Ethnicos. In Indiâ, inquit Strabo, pauciores ſunt morbi ob frugalitatem & vino abſtinentiam. Cœlius Rhod. tertiam cauſam addit, Exercitium corporis, & frictiones, in quibus fere nimios illos eſſe ait. De Perſis Varro ſcribit ex Xenophonte, propter exercitia puerilia, eam conſequi corporis ſiccitatem, ut neque ſputatione indigeant, neque emunctione, nec ſufflato corpore ſint. Hujus ſiccitatis ſignum ex Herodoto afferre licet. Perſarum capita, inquit, adeò fragilia ſunt, ut, ſi velis ferire, ſolo calculo perforare poſſis: Ægyptiorum contrà ita firma, ut ea vix ictu lapidis perfringas. Talia cum eſſent Perſarum capita, perſpirabilia eſſe poterant, nec opus habere emunctione. Sed & in illâ victus tenuitate veriſimile eſt non niſi paucos vapores ex inferioribus aſcendiſſe. Contenti enim eſſe poterant pane & aquâ, quibus obſonii loco addebatur naſturtii aliquid, ut eſt apud eundem Xenophontem. Spartani non ultra ſatietatem comedebant, ut idem Xenophon habet. De Eſſenis novimus ex ſacris, melle victitâſſe & ſquillis. At Joſephus ſcribit, ſolum panem cum uno ſolo pulmento ſingulis appoſitum fuiſſe. Interim diutiſſime vixiſſe, pleriſque centeſimum annum attingentibus. Gorgias interrogatus, ut eſt apud Stobæum, quam vitæ rationem ſervando ad tantam ſenectutem pervenerit, Nihil, reſpondit, unquam aut comedi, aut bibi voluptatis gratiâ. Quò tendit Socratis dictum, Cavendum eſſe à cibis, qui non eſurientes ad comedendum invitant, & à potibus, qui non ſitientes ad bibendum. Hâc vivendi ratione effecit idem Socrates, ut, cum peſtis ſæpè popularetur Atticam, ipſe ſolus fuerit immunis, ut quidem Laërtius narrat. Gellius enim ad illam tantùm peſtim adſtringit, quæ tempore belli Peloponneſiaci ſæviit. De quâdam etiam peſte Rhaſis ſcribit, in quâ ſoli venatores extra periculum fuerint, & quidem propter exercitium. Intellige autem cum parco victu. Apud Philoſtratum enim lego, Apollonium Thyanéum interrogatum, Quei potuerit Epheſiis peſtem prædicere? Ego, inquit, præ aliis victu tenui utens, ante alios etiam vim morbi ſenſi. De M. Catone ſcribit ſuprà memora-

moratus Plutarchus, Corpus ſuum à primâ ſtatim ætate præparâſſe ad robur juxtà & ſanitatem ſobrio victu, laboribus & expeditionibus. De Cicer. tradit idem, habitum firmum, validumque comparâſſe ſibi frictionibus & ambulationibus. Fuiſſe etiam temporis cœnæ obſervantiſſimum, &, propter ventriculi debilitatem, nunquam ante Solis occaſum accubuiſſe, non tàm propter occupationes, quàm valetudinis gratiâ. Plato quantoperè victus ſimplicitatem laudârit, & contrà inceſſerit luxuriam, videre poſſunt, qui volunt conſiderare illa, quæ in 3. de Rep. habet. Modò libet mihi meminiſſe cœnarum tantùm Platonicarum, quæ etiam in proverbium abierunt. Ad has enim in Academiam invitatus Timotheus, dux belli, ſolitus intereſſe magnificis & regiis epulis, *Qui cum Platone cœnant*, dixit, *etiam poſtridiè delectationem ſentiunt.* Hinc illud Ariſtonis Philoſophi, ab Athenæo laudatum, quum jubet compotationes inſtituere tales, quæ non in præſens tantum, ſed & in poſterum jucundæ ſint. De Tiberio Imp. Tacitus ſcribit, Valetudine uſum fuiſſe proſperrimâ, tempore quidem principatûs penè toto illæſum, quamvis à 30. ætatis anno rexerit vitam proprio, non Medicorum conſilio. Atque hoc poſterius fuerit, quod Suetonius de illo narrat, Eludere ſolitum fuiſſe Medicorum artes, eosque, qui poſt 30. annum, ad internoſcenda corpori utilia vel noxia, alieni conſilii indigerent. Hoc aliis verbis, ſed eódem tendentibus, Plutarchus inſinuat, Ridiculum eſſe poſt 30. annum Medico manum porrigere. Porrigunt autem, inquit Eraſmus, qui conſulunt Medicum explorantem pulſus venarum. Verum enim verò, ut tandem noſtros quoque homines advocem, Lud. Cornarus, patritius Venetus, quem Aloyſium Cornelium Muretus, vocat Notis in Senecam, cum ætatis anno 40. valetudinis eſſet profligatiſſimæ, & à Medicis pro deſperato haberetur: ipſe ſibi vivendi modum præſcripſit, quo uſus ſuperavit annum 95. ut teſtatur de ſe ipſo duobus libellis Italicis à ſe editis. Leonartus Leſſius, Jeſuita non ignobilis, in Hygiaſtico ſuo, de ſe, plurimiſque religioſis teſtatur, quantoperè ad vitæ longævitatem, animique vigorem diuturnum proſit ſobrietas, & frugalitas. Hoc enim eſt, quod Plut. ait, Saniora ſunt corpora, quæ non multum ſaginæ habent. Et iterum, Magnum profectò viaticum eſt ad benè vivendum bona corporis temperies, non obruti, ſed expediti, & ad omnes promti. Summa, ἡ αὖξις ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη, *Corpus ſiccum, anima ſapientiſſima*, Heracliti dictum eſt apud Galenum. E quo ipſo ſi non elucet inſuperabilis ſplendor ſanitatis, è vitâ hac Medicâ exſiſtentis, non habeo, quod dicam amplius, niſi hoc, Fundamenta quidem tantum jeciſſe me nunc futuri ædificii: exſtructurum autem, & quà pote exornaturum alio tempore, ſi volet DEUS.

DIXI.

ORATIO

ORATIO ALTERA.

AUdite, quicunque ſani eſſe vultis, (vultis autem procul dubio omnes:) audite, inquam, edictum tantum non prætorium Medici inter Latinos principis, Cornelii Celſi: *Sanus homo*, inquit, *qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullũ obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque Alipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri eſſe, modò in urbe, ſæpiusque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. Illa maturam ſenectutem: hic longam adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti. Nullum genus cibi fugere, quo populus utatur. Modò in convivio eſſe, modò ſe ab eo retrahere. Modò plus juſto, modò non amplius aſſumere. Bis die potiùs, quam ſemel cibum capere, & ſemper quamplurimùm, dummodo hunc concoquat,* & quæ ſequuntur.

In hæc verba dum commentariolum meditor, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, idque eam ob cauſam, ut amplius confirmem, quod ante quadriennium cœpi facere, *Medicè vivere eſſe optimè vivere*: quæſo vos, date mihi hanc ſemihorulam, ſi modò tamdiu loqui mihi facultas dabitur.

Principiò, mirari aliquis poſſit, cur Medicus dicat, *Sanus homo*? Nimirũ, ita eſt, Sanitatis magna eſt latitudo, ſaniq; dicuntur, non ii tantùm, qui pancraticè valent; ſed & ii, qui quomodocunque, dummodò ὀρθοςάδιοι ſunt, h.e. *erectâ cervice*, poſſuntque obire res ſuas. Quamobrem excludere vult eos, qui tam malè nati ſunt, ut ne quidem Æſculapius omni ſuâ dexteritate ſufficiat prorogandæ ipſorum vitæ. Quò cautiores nos eſſe oportet, nec fruſtrà occupari circa illos, qui Orci victimæ ſunt inde uſque ab incunabilis. Sed neque riſui debet eſſe ars, ſi mortalitatem præſtare non poſſit, ut Plinius ferè loquitur. *1. Sanitu. 12.*

Hoc ipſum velle, videntur docere ea, quæ ſequuntur, *Qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt.* Benè enim valet ille, qui temperamentum, quæque illi cohærent, nactus eſt, ſi non optimum, tamen optimo proximum. Hinc Galenus ubi catenam texit earum artium, quæ ſanitatis negotium agunt, Naturam collocat ad clavum navis, quâ benè dirigente curſum, feliciter itur in portum. Sed quia quantumvis benè habens corpus perennare non poteſt, niſi in uſu ſex rerum non-naturalium caute procedat: ideò addit, *Et ſuâ ſpontis ſit.* Tu dictum puta, Ut nemo illum impediat, quò minus cibo, potuque utatur corpori ſuo ſalubribus; in eâ quantitate, quâ fas eſt; eo tempore, quo conſuetudo fert; ut debitum ineat exercitium, antè cibum videlicet, non poſt; ut ne ſomnus noct. interrumpatur ante per-

fectam concoctionem , & ſi quæ ſunt alia. Et de hac libertate omnes accipiunt hoc Celſi dictum : ego verò ſatis eſſe nego , niſi & liber animo ſit. Qui enim ventri, gulæque dediti ſunt , qui libidinoſi , qui aliis vitiis obnoxii: illi mancipia ſunt, & ſerviunt ſervitutem turpiſſimam. Hinc eſt Platonis illud in Charmide, & repetit inde Plutarchus & Stobæus, referuntque ad Zamolxidem, quem Thracum regem & ſacerdotem fuiſſe memorant. Quemadmodum, (dicebat ille,) oculos ſine capite curare non decet, nec ſine reliquo corpore caput: ita neque ſine animâ corpus. Et hæc cauſa eſt , (addit,) cur plerique corporis morbi lateant Medicos Græcos, quia ignorant , quid ſit id, quod inprimis curam ſui deſiderat ? quo malè affecto, fieri non poteſt, ut illa pars benè habeat? ANIMA hæc eſt, è quâ in corpus, hominemque totum manant omnia , tam bona, quàm mala, non ſecus ac ex capite fluxiones fiunt. Hanc igitur ante omnia curare oportet , ſiquidem rectè curatum volumus corpus. Inſtituitur curatio ἐπῳδαῖς τισι, quæ ſunt, ut ſe explicat Plato, non *Incantationes*, ut vulgò vertunt: ſed docta ad capeſſendam temperantiam præcepta, quâ introductâ, facilis eſt affectionum corporearum ablatio. Atque hinc exſiſtere potuit illud, quod Democritus apud Plutarchum, in Salub. ait, Si corpus vocaret animam in jus, effugere non poſſet, quò minus rea ageretur malè adminiſtrati officii. Quo cum, meo judicio, coincidit, quod Theophraſtus per tranſlationem dicit, Animam ſolvere corpori ingens ἐνοίκιον, ut loquitur Varro. Plurima namque, (addit,) corpori ab animâ eveniunt mala, ſi illa non utatur corpore κατὰ λόγον, h.e. curam illius gerat tantam, quantâ opus eſt. Anima enim perturbata ſolet perturbare corpus. Hinc idem Plutarchus ita concludit Salubria ſua, Rectè conſulit Plato , neque corpus movendum eſſe ſine animâ, neque animam ſine corpore: ſed obſervari debere æquabilitatem eam, quam bini equi juncti. Ut enim ibi neuter præcurrit alterum, ſed mutuis operis trahunt currum ſuum : ita quo maximè tempore corpus juvat animæ conatus , eo vel inprimis curandum eſt, fovendumque , ut rectè valere poſſit, nec impediat virtutis curſum , tàm in agendo , quàm in loquendo. Hoc ipſum dixit alicubi Cic., Quemadmodum oculus conturbatus non eſt probe affectus ad munus ſuum fungendum, & reliquæ partes , totumque corpus, ſtatu ſuo motum, officio ſuo, munerique deeſt: ita animus conturbatus non eſt aptus ad exſequendum munus ſuum. Munus autem animi eſt, ratione uti.

Rurſus, Ut ab animâ in corpus redundant multa mala ; ita viciſſim à corpore in animum non minora repunt incommoda. Hoc D. Chryſoſtomus explicat ſimili pulcerrimo. Ex horto aliquo, ait, qui ventis & tempeſtatibus patet, ſume arbuſtum, & depange in loco opaco, caliginoſoque, videbis multum mutari tàm in nativâ ſoliditate, quàm in fructuum bonitate: ita corpore mollificato, & quaſi effœminato, neceſſe eſt animam participare ex corporis morbo. Ita, (pergit ille,) fit in fidibus. Ut enim cum non ſatis ſunt tentæ, ſed molle quid , & flaccidum ſonant, depravatur ars ipſa, & cogitur ſervire fidium vitio ; ita fit in corpore

pore. Multas enim à corpore accipit anima noxas, multas neceſſitates. Cum enim multis opus habet ad curationem, amaram ſervit ſervitutem.

Sed quò dilabor? Ut ſuis deſcribam vobis coloribus ſpontaneum illum Celſi, & doceam, non eſſe rem tam facilem, ut quis putet Mileſius. Hinc adeò liquet, non eſſe illum tantum σώφρονα Ariſt. in Eth. , cujus virtus conſiſtit in dextro uſu voluptatum corporalium: ſed eum potius, qui didicit in univerſum vitæ ſuæ modum habere. Id verò non requiras ab adoleſcente aliquo furioſo, quales ſæculum hoc Martium dat: ſed ab eo, qui notitiam ſui corporis habeat. Id verò quale ſit, dicetur, ſi DEUS volet, alio tempore. Liquet & hoc, ſpontaneum hunc opponi illi, qui verſatur ἐν βίῳ περιστατικῷ, ut Galenus noſter vocat, qui, inquam, vel fortunâ, vel ſpontè ſervit aliis. Talis enim à negotiis quà publicis, quà privatis, ſæpè rapitur aliorſum, ut cogatur facere invitus, quod alii faciunt coacti propriâ voluntate. Quâ de re quia agendum eſt alibi, videamus, quid porrò facere velit Celſus ſpontaneum ſuum: *Nullis*, inquit, *obligare ſe debet legibus.* Hui verò, dixerit Apitius aliquis, hoc placet! Quid igitur muginaris tu? Non oportet, inquam ego, verba captare, ſed intueri ſcopum ipſum autoris. Quia enim vult erudire ſanum ſuum, quomodo inſtituere debeat res ſuas, ut ſanus permaneat: putaſne ablegare voluiſſe ad ganeam, popinamque? Neutiquam verò! Quia enim corpus noſtrum adamantinum non eſt; quin cum æternâ conſtet, poſitumque lege ſit, ut conſtet genitum nihil: profectò, niſi Corœbus alter ſis, διάνοιαν potiùs quæres, quàm fruſtrà ludes verbis. Illa verò, meo ſenſu, hoc volunt, ne nimis anxius ſit in tuendâ valetudine. Imaginatio enim imprimit caſum, ajunt Philoſophi. Quamobrem jure ſubjicit, *Neque Medico, neque Aliptâ egere.* Hoc nemo melius explicârit Cicerone, qui in Epiſtolâ quâdã ad Lentulum ait, Vellem, non ſolùm ſalutis meæ, quemadmodum Medici, ſed etiam ut Aliptæ, virium & coloris rationem habere voluiſſent. Nimirùm, ſatis eſt Medico tantum tribuiſſe, quantum requirit corpus, ut in ſtatu ſuo permaneat: at Gymnaſtæ (ita enim accipio vocabulum,) propoſitum eſt augere etiam vires, propterea ἀναγκαιοφαγίαν inſtituit, ut athletæ ſint firmioribus lateribus, adeoque nitidiores & toroſiores aliis. Quæ ſequuntur de *vario vitæ genere*, non videntur magnæ rei eſſe: niſi de viciſſitudinibus quibuſdam intelligas, quum honeſtus vir interponit ſuis interdum gaudia curis, ut cum Poëta loquar. In hoc verò maximum rei momentum eſt, quod addit, *Quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere.* Dici enim vix poteſt, quantoperè neceſſaria ſit alternatio iſta quietis & laboris, qua demta, ſanitas funditus perit. Et eſt penè ambiguum apud me, utrum majoris pondo ſit. Licet enim Medicus noſter manifeſtè inclinet ad exercitium, cum ellogio inſigni, Ignavia corpus hebebat, labor firmat, Illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit: obſcurum tantum nemini noſtrûm eſt, niſi quiete interpoſita coctionibus dictis ſtudeamus, ſtatum naturalem perennare non poſſe. Nutritio enim,

quæ fit genito bono ſanguine, & vita pari paſſu ambulant, ut vulgus loquitur: imò tam non poſſunt disjungi, ut res una lateat ſub duobus nominibus. Quod ſubjicit de *balneo & aquis frigidis*, eſt tacita luxûs Romani taxatio. Quem cecidiſſe nunc ut nemo bonus dolet: ita optat unà mecum, Utinam ſupereſſet nobis vel tantillum Gymnaſticæ, non vitioſæ illius, ad immanem gladiatorum lanienam ſpectans, ſed laudabilis, quæ ſanitatem concernit. Quod deinceps eſt, *Nullum genus cibi fugere, quo vulgus utatur*, auro contrà carum eſſe debet: veruntamen aſſumere illud, quod mox dicetur, *Dum modò concoquat*. Hoc enim illud eſt, quod nuper dixit, Nullis obligare ſe legibus debet, ut poſſit elidere ſannas & ludibria τῶν μισιατρῶν, quæ ſæpè expertus ſum à liguritoribus quibusdam, Ah quàm miſer eſt omnis Medicus! quid eſt vitam leporinam agere, in perpetuis angoribus & querelis, ſi hoc non eſt? Quibus ego ſæpè in os reſtiti, oſtenſo privilegio hoc ſpeciali, à ſummo Medico juxtà & JCto, ut quidam volunt, datum omnibus, qui cupiunt ſani vivere. Non oportet autem inſuper habere, quod in veſtigio dicit, imò ἐξηγήσεως loco accipere, *Modò in convivio eſſe, modò ab eo ſe retrahere.* Quaſi dicat, Nolo ſanum meum abdere ſe in clauſtrum aliquod: quin volo ſit inter homines, convivetur aliquando, ſed hac conditione, ne altero die repetat. Cruditates enim ſuper cruditatibus ſine periculo non ſunt. Quò minus intelligo, quæ mox ſubjungit, *Modò plus juſto, modò non amplius aſſumere.* Quo enim modo non cruditates gignet, quod plus juſto eſt? Error quippe externus dictus in quantitate. Quamobrem venio in hanc ſententiam, παρέλκειν hæc. Quâ de re quidquid ſtatuerit ſenaculum Criticum, cum probat conſuetudinem, *Bis die potius cibum capiendi, quàm ſemel, & ſemper quamplurimum, dummodo concoquat*, nimis ἀδιόριςος eſt. Primùm enim involvit nos confragoſæ diſputationi, de quâ tot libri ſunt ſcripti; Prandiumne cœnâ largius eſſe debeat, an contrà? Ut pro cœnâ pronuntiem, facit inprimis vetus conſuetudo, quæ erat, quàm parciſſimè prandendi, tantùm puto, quantum concoqui poſſe veroſimile ſit illo temporis ſpacio, quod prandium & cœnam interjacet. Facit & experientia, quæ docet, eos, qui largiùs prandent, utplurimum abſque appetitu venire ad cœnam. Signum verò hoc eſt certiſſimum, coctionem nondum eſſe abſolutam. Ergò, dum cibi recentes ſuperveniunt cruditatibus, & ſimul coquuntur, quid boni inde ſperas? Ideò concludo, Tantò ſecurius eſt in cœnâ liberalius ſe invitare, quàm in prandio, quantò plures horæ interſunt cœnam & prandium, quàm inter prandium & cœnam. Imò, ſi verum fateri volumus, non poteſt inſtitui comparatio inter hæc tempora, quod cœnam & prandium interjaceat ſomnus, qui, de confeſſione publicâ, coctionis utramque paginam abſolvit. Deinde ſubolet mihi neſcio quod σολοικοφανὲς. Cum enim ſint relata, quomodo, quod concoquit (calor) ſuperare id poteſt, (alimentum,) quod plurimum eſt? in quantitate non proportionatum? Quidquid ſit: ego hinc occaſionem capto monendi

quoſdam

quoſdam è purpuratis de duobus, quorum alterum eſt, Non ſatis eſt excuſaſſe ingluviem appetitu bono. Imò verò appetitus tuus eſt vitioſus, pendens à frigidiori ore ventriculi. Argumento certiſſimo, quia poſt cibum ſentis vel gravitatem tantùm, cum denſâ reſpiratione: vel cum eâ κλύδωνας καὶ βορβορυγμοὺς, ab infirmo quippe ventriculo, non valente amplecti, ſtringereque devoratum cibum, ne de potu ἀθρόως infuſo dicam. Hos ſi, tu, deſinere, adeoque coctionem feliciorem eſſe, ſi componas te in lectulum, pulvinari ſuperjecto etiam abdomini, in te ipſo didiceris: audebisne porrò mihi objectare, Me ſomno meo meridiano decepiſſe totum mundum? Quæ ipſa ratio, confirmata mihi experientiâ 40. annorum, elevat autoritatem Celſi, heic infrà ſugillantis meridiationes his verbis, Somnus interdiu pejor eſt. Sed hâc de re alibi. Alterum, Stultum eſſe in conviviis quærere, Eſtne hoc, illudve ſalubre? Si maximè omnes appoſiti cibi ſint ſalubres: tamen copia & varietas, præcipuè, ſi multis eſculentis addas varia & copioſa vina, quin cereviſiam quoque, ita ſaburrat ventriculum, ut neceſſe ſit corrumpi totum id, quod demiſſum eſt, niſi & validiſſimus ſit ventriculus, & ſomnus longiſſimus. Tandem claudit Celſus inſigni dicto, Hæc firmis ſervanda ſunt: cavendumque, ne in ſecundâ valetudine adverſa præſidia conſumantur. Quo loco unguem primùm imprimo τῷ *Firmis*. Quo vocabulo quàm certus ſum ſignari non illos tantum, qui athleticè valent, quorum numerus certè non magnus eſt, ſed omnes, quicunque in latitudine ſanitatis non habent, quod conquerantur de viribus ſuis: ita non dubito, excludi illos, de quibus ex Galeno dixi ſuprà, Tam malè natos eſſe quoſdam, ut ad 60. annum perduci non poſſint, nec ſi Æſculapium ipſum præfeceris illis. Quo loco ſi ἔνςασιν dare voles Galeno hiſtoriam Aloyſii Cornari, Nobilis Veneti, cujus in primâ Oratione memini: dicetur tibi, Non ſatis certum eſſe de bonis aut malis natalibus viri. Quin fieri poteſt, ut optimè natus ἀσωτίᾳ perdiderit bonum ſuum. Sed enim cum ad ſanam mentem rediiſſet, reſuſcitatâ ſub favillis latente Calidi-nativi ſcintillulâ reliquâ, in ignem luculentum abiiſſe. Quidquid hujus ſit, Certum eſt, indubitatumque, τὸ παρὰ μικρὸν, quod in Polit. adeò vituperat Ariſtoteles, heic quoque immane quantum nocere! Hoc conſiſtit apud Galenum in duo- *de Ci-*
bus, in vitandis erroribus in victu, & debitis exercitiis. Quorum utrum- *bus. 1.*
que qui ſecurè præternavigant, non poſſunt non crebrò morbis corripi: qui alterutrum, immunes quidem prorſus non ſunt, ſed tamen minus infelices. De erroribus dicit idem Galenus, nec ſanis eos eſſe impunes. Quò magis abſtinen- *9.Meth.*
dum eſt à cibis, vel qualitate ſuâ vitioſis, vel quantitate: etiamſi noxa non oſten- *1.*
dat ſe ſubitò. Poſt aliquod enim temporis ſpatium, quod in aliis majus eſt, in a-

hiis minus, pro vitium robore, exſerit ſe modò ſenſim., modò ſubitò, Scilicet, morbum facit, non quivis exceſſus, ſed magnus, qui ferè conſtat ex multis parvis. Materia enim morbifica, longo temporis tractu collecta (cauſam *προηγουμένην* vocamus,) non prius ſe oſtendit, quàm accedat cauſa aliqua externa, *προκαταρκτικὴ* dicta. Hæc enim, motâ ſaburrâ, quam in corpore invenit, ignem ſuccendit. Hoc rectè conſideráſſe Henricum Smetium, Medicum olim Electoralem Palatinum, conjicimus ex eo, quod CL. DD. Scipionem Gentilem, JC. Collegam & amicum olim noſtrum, ſæpè narrare audivimus in conviviis. Cum enim Scipio diſcederet è mensâ appotus, acclamavit Smetius, Tu poſt 20. annos ſentires te hodiè fuiſſe ebrium. Has admonitiones quia facilè contemnimus adoleſcentes, fit etiam ut luxurioſæ vitæ damna luamus in ſenectute. Hâc in re non poſſum non aliquandiu immorari, quod apprimè utile ſit in omni ad virtutē *προκοπῇ*, non in temperantiâ tantum. Veriſſimum eſt in univerſum illud Nigrini, Philoſophi Platonici, apud Lucianum, *δεῖ ἀμέλλητον εἶναι τὴν πρὸς τὰ καλά.* Si poſſidere quid pulcri velis, non oportet procraſtinare, quin cum Alexandro M. *μηδὲν ἀναβαλλόμενος*, nihil in craſtinum differre. Hunc morem ſcitè vellicat Perſius, inſtituto dialogiſmo, in quo cauſator, Cras hoc fiet, ait. Cui ſapientior, Idem cras fiet. Quaſi cum Ovidio diceret, Qui non eſt hodiè, cras minus aptus erit. Mala enim illa diſpoſitio, inquit Ill. Caſaubonus in Perſium, quotidianis dilationibus alitur, donec tandē mutetur in habitum. Quod ubi accidit, animus occalluit, ægerrimeque medicinam admittit. Nempè decipit nos ratio illa ſophiſtica, Quid intereſt, ſi hunc diem comburamus, cras erimus parciores? Reſpondet enim Philoſophus, *εἰ ἕκαστον μικρὸν, καὶ πάντα.* Si contemtibilis eſt tibi dies unus, in quo poſſis conſulere corpori, contemnes ſequentes omnes. Hoc pulcerrimè explicat D. Chryſoſtomus: Qui ad ſingula in victu peccata ſvevit dicere, *οὐδὲν παρὰ τοῦτο*, *Quid tum poſteà?* parvos contemnens morbos, maximos in corpore excitat. Hoc accepiſſe videbitur ex Plut., qui initium virtutis, (dicamus nos Sobrietatis:) eſſe ait, repudiâſſe voces illas, Quid tum poſteà? Nunc quidem ſit ita: aliâs vero melius. Ne dicas, addit alibi idem os aureum, Ne dicas mihi, parum hoc eſt, neque differas in craſtinum: craſtinus enim dies finem nullum habet. Τῷ παρὰ τὸ μικρὸν Ariſtot. quia valdè affine eſt τῷ μηδὲν εἰκῇ Hippoc., poteſt de illo videri Oratio Piccarti olim noſtri doctiſſima. Mihi hæc dicta ſunto de erroribus: venio ad alteram Orationis Galenianæ partem, exercitiorum omiſſionem. Hâc in re quo ambitioſiores erant veteres Græci & Romani, in luxum vertentes, quod ſanitatis gratiâ inſtitutum erat: hoc remiſſiores ſumus nos, qui totum negligimus. Non diffundam me in omne vitæ genus, ſed continebo me intra ſcholam. Ab hujusmodi hominibus peccatur dupliciter: Altero, cū exercent ſe, vel poſt crapulam, vel certè, nondum concoctis cruditatibus. Utroque

Sat. 5. — *Hom. 12. in Ep. ad Rom.* — *Hom. 19. ad pop. Antioch.*

troque enim modo inferciuntur vaſa meſaraica, & fiunt obſtructiones primùm inſenſiles, ſubinde graviores, uſque dum in nervum erumpant. Altero, cum in victu etiam ſobrio negligunt leviora corporis exercitia, quibus excutiuntur ferè excrementa illa, quæ in habitu colliguntur. Colliguntur autẽ plura in iis, qui altero die à comeſſationibus benè habent, quam qui cruditates ſentiunt, corriguntque inediâ. Summa, omnium noſtrûm pejor eſt conditio quàm ruſticorum; & qui inter opifices motus habent validos. Sedere enim, *Lib. 2.*
& contentione animi avocare calorem à coctione, eſt ſibi ipſi manus afferre. Ve- *Lib. 1.*
rùm, ut redeam ad τὸ μικρὸν, Ægyptii propterea olim ſingulis menſibus purga- *de Sal.*
bant ſe per triduum vomitibus & clyſteribus, exiſtimantes, morbos omnes ex *diæ. 21.*
cibis eſſe, ut ſcribit Herodotus, & poſt eum Diod. Siculus. Apud Græcos *de In-*
biduanus erat uſus vomitionum, ut ex Hippoc. ſcimus, & qui inde deſcribit *ſom.*
Avicenna. Apud Romanos ad diem unum redactum fuit negotium, ut ex Cic. *4. 1.* *cap. 31.*
novimus, qui ait, Cæſarem habuiſſe diem ἐμετικήν. Alicubi fiebat circa 4. tem- *Ep. ad*
pora, ut loquimur, h. e. ſingulo trimeſtri, ut autor eſt Ariſtoteles. Et Gale- *Att.*
nus quidem non improbat hanc conſuetudinem: ſed neceſſarium non putat, *1. Pro-*
ut vel ſingulis menſibus id fiat, & in omnibus ſemel, bis, ter, ſed toties in ſin- *bl. 4.* *5. Vs. p.*
gulis, quoties opus eſt. Non improbat etiam, ut ſingulis menſibus ſubſtituatur *4. H.*
inedia unius diei. Quin nec venæ ſectionem, nec purgationem reſpuit, ſed ob- *Com. in*
ſervatis obſervandis. Huc pertinet & victûs ratio attenuans, tanti momenti à *l. de Sal.*
Galeno habita, ut peculiarem de eâ condiderit librum. Ego *diæ.*
vero heic interjungo. *de Cibis* *2. A.*

ORATIO TERTIA.

NOn ignota pleriſque veſtrûm, ô Auditores, eſſe poteſt Panætii, Stoici Philoſophi, aurea ſententia, quæ monet omnes homines, Caveant! *Cum enim vita hominum*, inquit, *improviſis multis, & propè quotidianis periculis obnoxia ſit: operæ pretium fuerit, animo eſſe ſemper vigili & intento, non ſecus atque gladiatores in arenâ. Quemadmodum enim illi caput manibus oppoſitis, quaſi vallo, præmuniunt: ita animum ſapientis, tàm adverſus petulantiam malorum, quàm alios fortunæ inſultantis ictus, ſemper erectum eſſe par eſt, arduum, obſeptum, ne qua derepentè incurſio hoſtilis accidat, quæ imparatum, improtectumque vulneret.* Hæc diligentia, cùm in aliis vitæ partibus, tùm præcipuè in curâ ſanitatis cum maximè neceſſaria ſit: ne heic quidem defuit Panætius incautis, ſi Ciceroni fides, qui eum in doctrinâ Officii, velut ipſe
2. Off. appellat, ſecutus eſt: *Valetudo*, docet Orator, *ſuſtentatur notitiâ ſui corporis, & earum rerum obſervatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: non minus continentiâ in victu omni atque cultu, corporis tuendi causâ, & prætermittendis voluptatibus. Poſtremò arte eorum, ad quorum ſcientiam hæc pertinent.* Hæc ille. Cujus orationem eſſe trimembrem vel infans viderit. Non minus clarum eſt, directò opponi ſcommati illi veteri, *Medicè vivere eſſe peſſimè vivere.* Quod licet jam bis exagitaverim publicè; nec tamen pervenerim ad optatum finem: ne quid in me deſiderari poſſit, quæſo vos, Auditores, date mihi attentionem veſtram per hanc ſemihorulam.

Principiò, & antè omnia ſciendum eſt, Quemadmodum curatio eſt, non hominis, ſeu ſpeciei, ſed Petri, Pauli, hujus, illius, adeoque extremè ineptum eſt, ut Galenus loquitur, putare, omnium eſſe unam & eandem curam: ita ejusdem vox eſt, Diætam unam non magis præſcribi poſſe omnibus, quàm unum calopodium. Τὸ γνῶθι igitur σεαυτὸν, quod cœlo deſcendiſſe ferunt, ut ſe extendit in omnes vitæ actiones: ita in negotio ſanitatis primas tenet. Et hæc eſt prima pars orationis Ciceron. Valetudinem conſiſtere in notitiâ ſui corporis, &c. Hoc verè dici, roboro ex aliis autoribus. Seneca, (at qui vir!) Tunc demum, inquit, intelliges, quid faciendum tibi ſit, quid fugiendum, cum didiceris quid Naturæ tuæ debeas. Plutarchus, non πολυἵστωρ tantum, ſed & Philoſophus non unus è multis, Ita ſentio, ait, debere unumquemque non ignorare, quâ temperie corpus ſit, calidum an ſiccum? quibusve rebus juvetur & lædatur? Se ipſum non ſentit, ſuoque in corpore cœcus inhabitat, & ſurdus, qui hoc ex alio cognoſcit, & Medicum percunctatur, quo tempore melius valeat? commodiusne humidis quàm ſiccis veſcatur? crebrum an rarum pulſum habeat? Expedit etiam, (addit,)

dit,) ciborum habere notitiam utilium potiùs quàm ſvavium, convenientium quàm adverſantium, qui concoctionem non perturbant, quàm qui ſenſum ſui ſvavem faciant. Nimirùm, è Medico quærere, quid ſibi facilè concoctu ſit, quid difficile? quid ventriculo amicum, quid inimicum? non minus turpe eſt quam ſciſcitari, quid dulce, quid amarum, quid auſterum? Super hac re Galeni verba ſunt, Omnibus perſuaſum velim, iis præſertim, qui Medici ipſi non ſunt, ſed tamen prudentes: ne, veluti vulgus, ita illi quoque pecorum ritu vivant, ſed uſu explorent, quinam cibus potuſque illis ſit noxius? præterea, quod, quantumque exercitium. Ita de Venere, &c. Et mox, Iis, qui non prorsùs rudes ſunt, ſuadeo obſervent, ex quibus lædi ſe, juvarive ſentiant? Ita fiet, in in pauciſſimis Medicorum operâ indigeant, quamdiu ſani fuerint.

Hoc omnium ſeculorum prudentiſſimi quique exemplo ſuo comprobârunt, quorum catalogum cum dederim fine Orationis primæ, non eſt pudoris mei repetere. Fortaſſis quidam è vobis deſideratis unicum? Dabo vobis Tiberium, Principem omnium mortalium callidiſſimum, de quo Taciti verba ſunt, Valetudine uſum fuiſſe proſperrimâ, quamvis à 30. ætatis anno vitam rexerit proprio conſilio, non Medicorum. Et hic in ruborem dare poſſit Principum noſtrorum quoſdam, qui totis pergræcantes noctibus, jubent tamen aſtare Medicos, propriæ turpitudinis teſtes potius, quam valetudinis tutores. Exſurgat heic aliquis, velitque erudiri, unde pendeat hæc ſui notitia? A duobus. Primò quidem à temperamento tàm totius corporis, quam partium: deinde autē ab uſu dextro ſex rerum non-naturalium dictarum. Quo loco ſciendum eſt, Illud quidem pertinere ad primum membrum Orationis Panætianæ, ut ſic appellem: hoc autem ad alterum ejuſdem. Ut res de temperamento fiat manifeſta, oportet huc advocare cautelam, quā Galenus in libb. de Temperamentis diligenter explicat, Eum, qui velit de temperamento totius corporis ſententiā dicere, debere antè omnia diligenter anquirere in illud, An omnium partium eadem ſit temperies? h.e. an omnes vel calidæ ſint, vel frigidæ? An potius hæc quidem calida ſit, hæc autem frigida? Et ſic de cæteris. Et licet res hæc reverà ſit difficilis: non eſt tamen impoſſibilis attento diligenter obſervatori. Natura enim, inquit Galenus, proprio motu huc inclinat, oſtenditque ipſa modum & rationem, ſi modò anima benè ſe habeat. Quæ προϑήκη revocat nos ad ſuperiora, de curatione morborum animi ex Zamolxide & Platone. Re enim verâ, niſi animus ſit repurgatus, h.e. qui, contemtis voluptatibus, ſolam ſanitatis tutelam ſpectet, ne curabit quidem hanc diligentiam, ſed brachio toto à ſe repellet. Hi ipſi cogunt me interrumpere cœptam Orationem: Quid hoc rei eſt? inquiunt. Enimverò, accurata illa, & ad unguem, ut dici ſolet, exacta vivendi ratio, quam meditaris, non corpus tantum formidoloſum reddit, & periculis obnoxium: ſed & animi vigorem frangit, dum omnium pœnitet, neque quidquam intrepidè ag-

dè aggrediuntur homines. Vetus hæc quidem eſt querela, & inde uſque à Socrate propagata. Sed quid ille frontonibus talibus? Nolo, inquit graviſſimè, contemni corpus; nolo etiam onerari cibis; nolo plus laborare quam decet: ἀλλ' ὅσον ἡδέως ἡ ψυχὴ δέχεται, ſed quantum animæ, (intellige, benè moratæ,) volupe eſt. Nempè, hoc eſt ſecundum naturam vivere apud Platonem, quo modo nunquam & nuſpiam inimicum inimico adhibitum prælia in corpore ciet: ſed potiùs efficit, ut amicum amico junctum, pulcerrimam corporis harmoniam, in quâ ſanitas, tueatur. Hoc luculentâ comparatione illuſtrat Plut., & ex eo Stobæus, Ut nautæ, inquiunt, ſereno cœlo nonnihil laxant vela, cum eſt ſuſpicio tempeſtatis contrahunt: ita corpori rectè affecto nonnihil permittendum eſt; contrà, ſi quid timebitur morbi, cautiùs agendum eſt. Nimirùm, non eſt heic ulla tortura, ut voluptuarii ſibi imaginantur: ſed eſt jugum ſuaviſſimum Temperantiæ, ſub quâ mera eſt libertas, ut ex Celſo dictum eſt in ſuperioribus. Ho, ho, Temperantiæ, dicunt? Ergaſtulum eſt, in quo Medicè vivitur. Mirum, pleroſque omnes ita nauſeare ad nomen temperantiæ! Si saperemus, cogitaremus potius de moleſtiis, quas in morbis ſuſtinemus, quàm ſineremus rem eò uſque delabi, ut ægrotandi nobis neceſſitas incumbat. Et eſt negotium omninò facilius quam plerique putamus. Quod ut perſuaderent magni viri, exempla nobis antè oculos poſuerunt brutorum, quæ domi alimus. Inter alios venuſtè hoc proponit Rabbi Moyſes, in Ep. ad Soldanum Babyloniæ, Ea dico vobis, ait Int. ipſius, Domine reverende, in rei veritate, ſi quis regeret ſe eo modo, quo regit animal ſuum, quod equitat, evaderet à multis & diverſis ægritudinibus. Quoniam non reperitur homo, (addit,) qui non propinet annonam, ſemper & omnibus horis cibandi in tali proportione, ſecundum quod cogitare & ſcire poteſt, quod poſſit digerere, & ferre competenter, ſine difficultate & labore. Quam benè ſcit quilibet, ſi cibis inordinatè cibaretur, vel ſuperfluè, aut etiam fatigaretur ultra debitum, & inordinatis horis: quod infirmaretur abſque dubio. Et hoc faciunt in equo, quod non faciunt in ſe ipſis. Hæc ille, ùt tempora tum tulerunt. Idem Theologi quoque inculcant. Quam curam canum habent, inquit D. Chryſoſtomus, ne plus quàm expedit impleantur, ut veloces ſint, & venatici, dum fame premuntur: ſe verò non curant, nec comeſſationibus abſtinent? Et bruta quidem temperanter agere docent: ipſi verò ad brutorum feritatem declinant. Quid enim? An non opus temperantiæ eſt, cum canis, qui venando aliquid cepit, non facit, quod fames illi ſuadet, ſed à præſenti eſcâ ſe continet, ut nutum exſpectet heri ſui? Quin igitur reveremur nos ipſos, & ventres proprios ita philoſophari docemus: Canis, futuræ voluptatis ſpe, præſentem contemnit: tu non vis præſentia contemnere, ſpe futurorum bonorum? Sed querelarum ſatis: redeo ad illum, qui velit ſibi comparare notitiam ſui corporis? Hunc reor principium inquiſitionis facere debere à ventriculo, qui œconomus eſt hujus reip. quatenus res-non-naturales

turales

turales pleræque ab illo pendent. Cum enim plurimùm referat, qualis ſit futura concoctio, vel ideò, quia vitium ipſius in ſequentibus non corrigitur, quod vulgus etiam novit: operæ precium profectò eſt ſcire, Quale & quantum alimentum ventriculus hic, ille ve deſideret? Cum enim optimum ejus temperamentum tantùm, non deſideret plus quam concoquit; id autem inventu ſit rariſſimum: non eſt difficile judicatu, quanti referat hoc ſciri. Hinc quidam ventriculi, calidiores ſcilicet, melius coquunt cibos duros, difficiliſque digeſtionis, quàm molles, quos corrumpunt. Contrà quidam ſubitò atque tale quid comederunt, ſentiunt anguſtias & compreſſiones. Frigidior enim eſt ventriculus, quàm ut ſufficiat. Eodem modo in quantitate ſe habet res. Heic verè magnus eſt ſcopulus, in quem plerique impingunt. Quibus enim frigidior contigit ventriculus, ii plus appetunt quam concoquunt. Hi niſi frenent appetitum, brevi temporis ſpatio accerſunt ſibi malum. Eodem modo quidam, tàm in prandio quàm in cœna, aſſueverunt certis horis, quas ſi non obſervent, & moleſtiâ afficiuntur, & deterius coquunt. Et hæc talia debet unuſquiſque in ſe diſcere, non autem requirere à Medico. Hoc dico, autoritate Galeni in Libb. *κ. τόπ*, quâ agit de diætâ illorum, 2. κ.
qui ex ventriculo caput dolent. Hos jubet mane, (tu puta, jentaculi loco, quod τόπ.
accommodabis prandio noſtro,) ſumere pauxillum, modò panem ſine obſonio, 1. 55.
modò cum eo, obſervando, quid ex iis præſtet, cum aliud alio melius ſit, ſecundum Naturæ proprietatem. Viden' tu, unumquemque in ſe experiri debere? Poſſent hac de re plura dici: ſed ratio loci & temporis non ſinit. A partibus igitur ad totum convertor, & dico, Proprii cujuſque corporis Notitiam coïncidere cum recto uſu ſex rerum non-naturalium, quod fuit alterum membrum ſubdiviſionis Panætianæ, quod ille ait conſiſtere in curâ & culturâ corporis, quæ in continentiâ eſt, & abſtinentia ab omni voluptatum genere, quæ bonæ valetudini ſunt adverſæ. Ita loquor: quia ſunt, qui quiritant, his præceptis averti nos ab omni voluptate, ab omni converſatione civili, & efficere ex homine, animali politico, *μορμωλυκεῖον* quoddam nulli rei. Minimè gentium! Quin imò, autore Plutarcho, patrocinantur præcepta iſta ſalubria multis, magniſque voluptatibus, quas ſentiemus, ubi conſideraverimus, â quot nos immunes reddant morbis. Qui enim ſanus eſt, ex Celſi conceſſione, de quâ ſuprà, nullis ſe obligat legibus: quin magiſter & dictator ſibi ipſi eſt, & abjectâ tyrannide ſociali, modò agit hoc, modò illud, prout animo commodum eſt. Sanitas quippe condimentum eſt optimum maximum, adeoque ſano corpori ſincerus & integer eſt appetitus, qui omnia facit dulcia, &, ut cum Homero loquar, *ἀρπάλιμα*. Hoc melius intelligetur ex oppoſitione. Qui ſe pridiè ſaburravit variis cibis, variis potibus, nauſeat ad omnia, elumbis eſt totus, neque ſcit, quid agere, quid non agere debeat. Sunt quidem aliqui, qui poſtquam ſomno excoxerunt crapulam, benè habent, & redeunt ad conſueta. Verùm, longè deterior eſt horum conditio, quàm illorum, qui ſentiunt, ſe fuiſſe ebrios. Hi enim vel coacti corrigunt intemperan-

tiam: illis vitium rapitur in habitum, & vel totum corpus fit cachecticum, vel pedes, manuſque podagricæ, vel denique morbus aliquis periculoſiſſimus. Tu igitur, quiſquis es, elige tibi, dum licet, de Plutarchi conſilio, vitam optimam: hanc dulcem etiam faciet conſuetudo. Si initium feceris licentioſius vivendi, & incipias ſentire incommoda, Cave canem! Quo tempore ſi abſtinentia gravis tibi videbitur, dura ad breviculum tempus, quo ſuperato, reliquum omne merum mel, merus favus erit. Cujus rei ſponſorem do tibi dictum polyhiſtora, à quo, ne quid diſſimulem, diſſentio, quod velit, dum ſani ſumus, nos guſtare inſuavia quædam, ut in morbis animoſiores ſimus. Qui enim victor eſt in primo illo duello, non curat talia in morbis. Hinc Zeno, Stoicorum pater, ne per morbum quidem uti voluit cibo delicato, ſed Medico, ſuadenti pullum columbinum, reſpondit, Curaret ſe non aliter ac Manen ſuum. Si enim, addebat, ſervus recuperare poteſt ſanitatem abſque ſumptuoſis alimentis: quid prohibet, quò minus idem fiat de me? Tale quid quo minus fiat à noſtris quæ cauſa ſit dum cogito, reperio illud, Non frenamus appetitum, quia nec in animum quidem venit victoria: ſed ebrii voluptatibus pecorum ritu vivimus. Nimirùm, intemperantes ſumus omnes, inde uſque à cunis, in quibus matres, nutriceſve ita farciunt, ſtipantque nos pultibus & vocatis ſuppis, ut, diſtento ab ingluvie ventriculo, non poſſimus non in adultâ etiam ætate intemperantes eſſe. Intemperantia autem morbus eſt ſecundum Platonem, in quo dulce quidem & gratum eſt, quidquid obeſt: inimicum contrà, quidquid bonum, & morbo contrarium. Non enim obedimus, quod ipſo morbo pejus eſt, inquit D. Chryſoſtomus. Accedit Medicorum ſervilis adulatio. Ut enim gratificentur mulierculis, virium prætextu, dant quidvis quovis tempore. Earundem imperio ſubditi, interponunt varia analeptica, ſingulis horis, quid dico autem? ſingulis quadrantibus, tàm noctu, quàm interdiu. At vos, ô tales, cogitaretis, nec cibos, nec potus, nec medicamenta poſſe vires augere, niſi in ventriculo actuentur! Quei poſſunt verò? cum mora nulla ſit, quies nulla, ſed aliud alii in momenta ſu-
3. *Temp.* peringeratur? Quinimò, cogitandum quoque fuerat Galeni illud, Nullum ali-
4. *H.* mentum, nullum medicamentum eſt, quod non vim faciat Naturæ, quæ nihil aliud eſt heic quàm Calor nativus. Quidquid enim patitur, agit aliquid in id, à quo patitur. Et hoc fit, etiamſi accures omnia. Sed de hâc juſtiſſimâ querelâ alibi: redeo ad penſum, ad ventriculum, inquam, quatenus ab illo pendent pleraque non-naturalia. Hunc habere benè moratum, ut Seneca loquitur; præcipuæ felicitatis eſt. Si enim rectè obeat officium ſuum, & Somnus benè abſolvit coctionem, hominemque ſuo tempore ad debita munia dimittit: & excrementa, à coctionibus ſingulis facta, ſuo tempore abeunt: & exercitia commodè inſtitui poſſunt. Ad delicatus eſt talis, inquit Muſonius apud Stobæum, qualis mulierum picâ laborantium, ut enim illæ, ne-

glectis

glectis cibis familiaribus, ſectantur abſurdos: ita hi aliud poſt aliud quærunt, & ut plura quærere poſſint, condimentis, ſcitamentiſque acuere volunt appetitum. Tu verò, quiſquis nobiſcum eſſe voles, ſequere Democriti conſilium apud Maximum Tyrium, Bonus eſt cibus, inquit is, non qui ſuavis eſt, aut multus: ſed qui valetudinem tuetur. In univerſum enim tale eſt, cibos multos & diverſos in ventrem demittere, quale, ſi quis in cloacam mittat, inquit D. Chryſoſtomus. Imò verò pejus, inquam ego. Heic enim quidquid fit, ſine tuo damno fit: ibi plurimos morbos ſubſequi neceſſe eſt, qui diuturnâ cum moleſtiâ corpus macerant, & tandem crudeli morte abſumunt. Quò magis cum Platone deteſtanda eſt ciborum varietas, adeoque voluptates cœcæ omnes, cogitandumque Senecæ illud, Si mundum ipſum, mortalem non minus quàm nos, providentia periculis eximit: poſſe tandem aliquando noſtrâ quoque providentiâ prorogari noſtro corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus pars major perit, regere poterimus & coërcere. Plato ipſe, (pergit,) ad ſenectutem diligentiâ ſe pertulit. Erat quidem validum & forte ſortitus corpus, & nomen illi latitudo pectoris fecerat: ſed navigationes & pericula multùm de viribus detraxerant, Parſimonia tamen, & eorum, quæ aviditatem evocant, modus, & diligens ſui tutela perduxit illum ad ſenectutem, multis prohibentibus cauſis. Nam hoc ſcis, puto, Platoni beneficio diligentiæ ſuæ contigiſſe, quod natali ſuo deceſſit, & annum unum ſupra 80. implevit, ſine ullâ deductione. Ideò Magi, qui fortè Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quàm humanæ rati, qui conſummâſſet perfectiſſimum numerum, quem novies novem multiplicata componunt. Poteſt frugalitas producere ſenectutem, quam ut non puto concupiſcendam: ita ne recuſandam quidem. Jucundum enim eſt eſſe ſecum quàm diutiſſimè, cùm quis ſe dignum, quo frueretur, effecit. Hæc Seneca.

Præceptorem ſequatur diſcipulus, Ariſtoteles, de cujus diligentiâ in victu hæc ſunt Cenſorini verba, vel ideò huic loco apta, quia de contrariâ ventriculi conſtitutione loquuntur. Ariſtotelem Stag. ferunt, inquit ille, naturalem ſtomachi infirmitatem, variaſque morbidi corporis offenſiones adeò virtute corporis ſuſtentâſſe, ut magis mirum ſit ad annos 63. (ita lego ex aliis autoribus,) eum vitam pertuliſſe, quàm ultrà non pertuliſſe. Ubi interloquendum fortè, & monendum, Janum Guilelmum expungere poſterius *Non*, vix ullo idoneo ſenſu, ut cenſebat CL. Virdungus olim noſter. *de Natali die, c. 14. fine.*

Habet Puteanus quoque, Lovanii, 1628.

Quidquid autem illius ſit, ex hac Cenſorini ſententiâ patet, Calumniam eſſe, quod de diſſoluto vitæ genere in adoleſcentiâ, de militia, de officina unguentaria Philoſophi noſtri commemorant Athe-

Athenæus & Ælianus. Et ſcripſit quidem pro illo vindicias CL. Queccius olim noſter, cui ego heic, quamvis aliud agens, geminam ſubmitto exceptionem, alteram quidem contra Ælianum, alteram vero contra Athenæum. Hic ait, ab Epicuro ſolo proditum hoc eſſe, cum Eubulides & Cephiſodorus, (qui tamen peculiariter contra illum ſcripſerint,) nihil tale habeant. Epicurus autem erat juratus Ariſtotelis hoſtis. Ille non unam hanc falſimoniam habet. Scripſit igitur uterque fide alienâ, eâque ſubleſtâ. Reſtabat pars ultima Orationis Ciceronianæ, quæ jubet, ni fallor, temperantem, ni mavis continentem noſtrum conſulere Medicos, ſiquidem præter ſpem ſuccreſcat aliquid morboſi, ut fieri ſolet, & pendet ex hoc tenui filo totum de Climactericis annis commentum. Verum enim vero cum jubeat me Plato heic quieſcere, pareo, alio tempore, ſi DEUS volet, uberius dicturus hac de re.

D I X I.

AD D. PRO-CANCELLARIUM.

NUnc ad Te, Ampliſſime & Conſultiſſime D. D. Georgi Richtere, Pro-Cancellarie digniſſime, me converto, & eâ, quâ debeo obſervantiâ oro, uti, pro autoritate, ab Incluto Senatu Noribergenſi in te collatâ, facultatem mihi des Doctores in Medicinâ creandi præſentes DD. Candidatos meos NN. Pro quo beneficio veluti memorem animum promitto ego: ita DD. Candidatos magnoperè tibi devincies, & ad redhoſtimenta, quà pote, incitabis.

Renunciatio. Quod ergò felix, fortunatumque eſſe jubeat velit DEUS ter opt. max. EGO Caſp. Hoffman, Med. D. legitimè promotus, ejuſdemque in hac Univerſitate P. P. Decanus, & LL. ſcitu datus Promotor, autoritate principali ab Ampl. D. Pro-Cancellario jam mihi conceſſâ vos, NN. poſt obita agoniſmata omnia, à LL. vobis impoſita, in Doctores Med. Hippocraticæ & Galenianæ promoveo, promotos renuncio, & tales vos ab omnibus agnoſci & haberi volo, quod eſt, Ut nemine, prohibente, uti frui poſſitis privilegiis & immunitatibus iis, quibus à S. Cæſ. Maj. donata eſt Academia noſtra. In nomine SS. & Individuæ Trinitatis, cui ſit laus & gloria in æternum. AMEN.

Cæterùm, quia veneranda antiquitas huic inaugurationi addidit cerimonias quaſdam ſolennes, quas deſeruiſſe piaculum ſit, addam ego quoque.

Cathedra. Principiò, jubeo vos, NN. aſcendere in ſuperiorem hanc Cathedram, in qua rectius conſpici poſſitis ab omnibus præſentibus. Hoc aſcenſu primùm vos moneo, adeoque in utramque aurem inſtillo vobis Terentianum illud, *Hæc dies*

aliam

aliam vitam ,. *alios mores poſtulat*. Proinde jam non amplius homines militares eritis: ſed Doctores Med. Deinde jubeo vos conſiderare, eximi vos hoc gradu è fæce populi, & ſiſti Reip., tanquam perſonas publicas, cui arte veſtra ſerviatis καθ᾽δύναμιν, & ſerviatis ita, ne colluturetis conſcientias veſtras. Conſpectiores enim eſtis quàm ut latere poſſitis.

Eccum vero etiam libros vobis porrigo, primò quidem apertos, ut ſciatis, non deſerenda vobis ſtudia eſſe, ne ſenes quidem ex juvenibus facti: deinde autem clauſos, uti ſciatis, opus vobis eſſe expromtâ memoriâ, adeoque, gladiatoris in modum, in ipsâ arenâ conſilium vobis ſæpè deproperandum eſſe. *Libri.*

Ne vero cum vulgo cenſeamini, do vobis poteſtatem geſtandi pilei hujus, qui olim libertatis ſignum erat. Hic ipſe admonebit vos officii veſtri ſacroſancti, quod eſt, ex verâ methodo practicandum eſſe, ſi ita loqui mihi licet, non ex nudâ & ſolâ experientiâ, uti Pſeudodogmatici ſolent. *Pileus.*

Eâdem de causâ annulum hunc aureum indo digitis veſtris. Hoc ſibi vos deſpondet Hygiéa, bonorum omnium Copiæ donum, juberque ſibi ſoli ſervire, non vetitis artibus aliis, multò minus vitiis ſervilibus. *Annulus.*

Tandem amplector vos, & oſculo in civitatem Medicam recipio. Hoc communicabitis cum ægris veſtris, quos, benedicente DEO, citò, tutò, jucundè curabitis. *Oſculum.*

Quod reſtat, gratulor vobis primus omnium, Cl. DDes., hunc honorem, & veneror DEUM, uti vobis, veſtriſque propinquis cedat quam feliciſſimè. AMEN.

ORATIO QUARTA.

DUm meditor mecum, Auditores, quid ſit in penu eruditionis meæ, quæ exigua eſt, quo & delectare poſſim & prodeſſe: ultrò occurrit mihi promiſſa fides, Debitor es in negotio omnium maximo, de Sanitatis negotio! Agnoſco, inquam, ſed odioſus eſſe porrò nolo! Quis enim omnium eſt, qui non caput obvelet ad mentionem illius, Medicè vivere eſſe optimè vivere? Et alioquin non ignota eſt Perſii, Sat. 5. querela, Adeò non ſolere homines de alienis vitiis tacere, ut contrà nihil faciant libentius, quàm ut proferant illa in lucem, & exaggerent. Conſentit Perſio Longinus, φύσει, inquit, πάντα τὰ ἀνθρώπεια ἀπὸ τοῦ χείρονος μᾶλλον ἐπιγινώσκεται. H. e. verbis Zenonis Veronenſis, Notitiam viri, non ex bonis geſtis dictiſque, ſed ex minus probabilibus fieri volunt, quo quid nequius? Epictetus ait, Unicuique & hominum, & rerum humanarum, anſas geminas eſſe, quibus prehendi, tractarique poſſint, alteram bonam, alteram malam, & hâc potius uti vulgus, illâ ſapientes. V. g. Nôſti tu HOFMANNUM, Altorfinum illum, ſenem jam capularem? Quid ni nôrim? Quæſo, qualis eſt? ἰδιογνώμων, δύσκολος, φορτικὸς, καὶ ὀξέα διαμυκτηρίζων. Amabo te, quid hæc ſibi volunt? Neſcio equidem, niſi quia ita accepi ab aliis. Satis eſt: præſtat hæc talia tegere, ne plures intelligant. Tegere verò, quod jam publicè legitur? Non refert: novi ego longè alia judicia bonorum, ſapientumque, in quibus acquieſco, tanti facturus inpoſterum ISTOS, quanti eſt Ægyptiorum numen infimum. Quò minus eſt, quod me moretur, & à propoſito avertat. VERUM amo, ſed FALSUM deteſtor: Cætera RISUS!

Niſi fallor, duo reſtant exponenda, Alterum, quid faciendum illi, qui & ſuæ ſpontis eſt, & propoſitum habet, ſecundum Pythagoræ præceptum, τὸ μέτρον obſervandi, ſicubi vacillet diligentia? Alterum, quid illi, qui ſuæ ſpontis non ſit, & cogatur conviviis intereſſe?

Quod ad priorem, Quæ conditio eſt vitæ humanæ, ille etiam, qui tantum ſumit, quantum nihil ſit exhibiturum moleſtiæ, & quidem ex victu viliore, ſeu puriore, qui appetitum intra naturam cohibet: tamen poteſt peccare in aliis. Non in cibis ſolùm, (verba ſunt Plutarchi,) ſed & in exercitationibus convenit obſervare, num corpus præter ſolitum gravatim & illibenter membris ſuis utatur? & contrà, num quis famelicus, ſiticuloſuſve amplius ſit quàm ſolebat? Item, ſi ſomnus non ſit æquabilis & placidus: ſed turbatus & interciſus, ſomnia varia & abſurda, ſi triſtis quis abſque causâ manifeſta fiat, ſi iraſcatur quis facilè, cum aliàs

aliàs iracundus non ſit. Tale quid ſi ſe oſtendat, (vult dicere,) non minus cogitare oportet de exigendis è corpore pravis humoribus, quam de ſanguine mittendo in habitu athletico. Tum verò videndum eſt, non quàm bonus ſit cibus, (ita de cæteris hujus generis,) ſed quale ſit corpus, cui adhibendus eſt. Nempè enim quia morbus præ foribus eſt, non oportet exſpectare, dum vel alvi fluxus, vel febris ſuperveniat: ſed iſtis, tanquam apparitoribus ſeu nunciis monitum, ad Medicum confugere. Ac veluti nautæ, (pergit ille,) præſentiunt tempeſtatem, ut agricolæ, ventos, imbreſque jam tum metuere incipiunt, cum corvi crocitant, gallinæ cantillant, ſues in cœno ſe volutant: ſic prudens inſolitos corporis ſui motus animadvertit, & initia futuræ in ipſo tempeſtatis obſervat. Ita, cum amicos ægrotantes inviſimus, inquirere debemus in cauſam morbi, non ut diſputemus, ſed ut exempla nobis paremus, ne & nos lecto affixi, nimis ſerò laudemus pretioſiſſimam ſanitatem. Quin ſi aliquid contrà morem fecerimus, etiamſi læſio non ſubitò adſit: tamen obſervare nosmetipſos debemus, & contraria errori noſtro opponere. Hæc & alia multa πολυΐςωρ facundè ſimul & graviter: hunc adeat, qui ſui, ſuorumque amans eſt. Et hæc de priori hominum genere: poſterius, quod vel propriâ voluntate coactum facit, quod facit, vel quia aliter non poteſt, hoc ſibi à Galeno ſummum mandatum habeat, Exceſſus in vitâ omnis contrario exceſſu corrigitur. Qui ergò hodiè plus ingeſſit, quàm oportuit, poſtquam ſomnum longiùs extraxit, quàm conſuetudo ipſius fert, altero die jejunet. Si non liceat id propter os ventriculi, parùm ſumat. Inambulationibus autem, præcipuè vehementioribus, ut & aliis talibus, inter quæ Venus eſt, neutiquam utatur. Rapiuntur enim cruditates in habitum corporis, & fiunt obſtructiones. Si conſcius ſit ſplendidioris convivii alicujus, Plutarchi conſilio parcior erit per aliquot dies antè. Ita enim minori ſuo cum periculo gratificabitur amico, nec injucundus, parùm civilis, tetricus videbitur. In ipſo convivio non ſit illi nefas, & morte luendum piaculum, decepiſſe propinatorem. Ut enim honeſtum mendacium à Politicis admittitur: ita tergiverſatio hæc apud modeſtos laudem meretur. Sed & meminerit hoc, parùm comedat, quod inter præcepta potoria vulgo eſt. 1. Aph. 3. 2. San. tu. 2. B.

Hac ratione duo lucrabitur, & ventris ſaburra erit levior, & ignis igni additus tolerabilior. Hoc ſtudium ſi cui ſit perpetuum, tantò erit à morbis ſecurior. Ut enim tranquillitate corpus redditur expeditum adversùs imminentem tempeſtatem: ita tenui, parcâque diætâ hoc efficitur, ut, ſi incidas in opiparum convivium, poſſis enatare. Quidquid horum ſit, ſiquidem inter pares ſis, & valeas autoritate, fortaſſis imitari tibi licebit Cliſthenem, qui Alexandro M. urgenti reſpondit: Nolo committere bibendo, uti Æſculapio mihi ſit opus. Si hoc non liceat, fingere te hilaritatem jubet idem Plut., ludendo

in te

in te ipſum, (non autem in alios, quod litium ſeminarium eſſe ſolet,) licet, ſemper excuſando pocula. De cibis, ex Epicteti conſilio, ita ages. Circumacto diſco, inquit, ſi aliquid ad locum tuum venerit, manu extentâ modeſtè ages, ſiquidem commodum videatur rebus tuis: ſi præterierit, noli repetere: ſi nondum appropinquaverit, ne nimis extendas appetitum, ſed exſpectes, donec ad te venerit. Sin abhorreas, ſubinfert Plut., noli naturam onerare, licet pretioſum, rarumve ſit, videaturque glorioſum, non contemnere tale quid. Sit autem, quod accipies, vulgare potius, quàm exquiſitis condimentis fucatum. Nam coquorum artes, & (ut vetus Comicus loquitur,) τὰ πανȣ̃ργα ταῦτα ὀψάρια, καὶ ὑποτρίμματα, ulteriùs quàm par eſt, ferri ſinunt appetitum. Hoc verò unicè agendum eſt, ne, poſtquam Naturæ ſatisfactum eſt, adeoque tantùm cibi, potuſque ſumtum, quantum illa ferendo eſt, ſuperingeras quid. Hoc enim modo Alexander M. periit. Hoc Domitius Afer, orator, Neronis tempore. Hoc Septimius Severus. Hoc infiniti alii. Non minus accurandum & hoc eſt, ſi ſcias, non poſſe te effugere, quò minus bibas nimiùm, ut non niſi ſuſpensâ manu ſumendas tibi eſcas eſſe ſcias. Si enim ventriculum invenerit vinum non valdè diſtentum, facilius & vincetur & tranſibit. Fortaſſis inter regulas burſales, ut ſic dicam, hoc quoque fuerit, quod de ſe ſcribit Feliciſſimus nunc Platerus, Doctor mirus. Redditurus enim cauſam, quei fieri potuerit, ut, cum minimè omnium Medicè vixerit, perveneri tamen ad tantam ſenectutem? Non bibiſſe ſe, inquit, uſque dum ad ſatietatem comediſſet. Hoc enim per ſitim facilè ſibi eſſe. Tum verò, etiamſi liberalius bibiſſet, non ſenſiſſe tamen ullum incommodum. Intelligo autem ego ſatietatem pauco definitam. Aut valdè fallor, aut talem adhibuit Bonoſus, (ut eſt apud Vopiſcum in Probo,) dux limitis Rhætici, poſteà Imp., qui tantum bibit, quantum hominum nemo, neque tamen inebriabatur, quin adhuc in vino prudentior erat. De hoc Aurelianus quidem dicebat, Natum eſſe, non ut viveret, ſed ut biberet: habuit autem in honore, quod, ſi quando Legati barbarorum, (ita loquitur ille,) undecunque gentium veniſſent, ipſis propinaret, ut eos inebriaret, atque ab ipſis per vinum omnia cognoſceret, ipſe, quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius. Nimirum, hoc habebat mirabile, ut quantùm biberet, tantùm mingeret, neque unquam, aut ejus pectus, aut venter, aut veſica oneraretur. Huic verò vacuationi viam ille ſtravit parùm comedendo, ut auguror. Quidquid ſit, ut neminem invito, ad ejuſmodi intemperantiam: ita omnes & ſingulos, qui ſui non ſunt, aut nec eſſe volunt, hortor, moneoque, ut omni ſtudio, ingenioque ad ejicienda excrementa ſenſim collecta, incumbant. Eſt re quidē ita, ut Gregorius Nyſſenus alicubi docet, Medicina in honore habetur, quia cum morte pugnare videtur, adeoque curæ hominum omnes eò ſpectant, ut in vita maneant: ſed officium ipſius longè latius ſe extendit, quam vulgus putat. Nam quod ad κλινικὴν, Medici ipſi, inquit Max. Tyrius, qui rectè judicant, & humani generis amantes ſunt,

1. Obs. f. 38.

ſunt, periiſſe illam optant unà cum morbis: ut *τὴν ὑγιεινὴν* ſervatam cupit, non vulgus tantùm, quod non planè beluinum eſt, ſed & Philoſophi omnes, præter Epicurum, ejuſque congreges inficetos. Hæc enim invitat nos, & commendatione ordinis divini, & uſu voluptatum in totâ vitâ ſinceriſſimarum, ſiquidem obtemperare velimus, ceu in aliis comprehenſum fuit. Quò minus quiſquam ad vocem Temperantiæ contremiſcat: ſed certò credat, divinitus hanc illi inſtillari. Vellem, dicat aliquis, morem tibi gerere, niſi nimis multa præcepta cumulares. Olim non ita Hippoc., qui in tribus ſtatuebat, in *ἕξει*, (ita enim lego,) *τῆς ὑγιείνης, ἀκορίη τροφῆς, καὶ ἀοκνίη πόνων*, Benè natum eſſe, non ſatiari cibis, impigrum eſſe ad exercitia. Et fuiſſe olim magnæ dignationis, inde patet, quod Ill. Scaliger nobis ſuggerit, Apud Tectoſagos in Galliâ eſſe ſaxum, cum hac inſcriptione, *4. in 6. Epid. 22.* *In l. de notitiâ Galliæ.*

Veſci citra ſaturitatem,
Impigrum eſſe ad labores,
Vitale ſemen conſervare,
Tria ſaluberrima.

Sed reverà plurima heic deſunt. Benè natum eſſe, non nego eſſe *κεφάλαιον τῆς ὑγιεινῆς διαίτης*, ut Galenus loquitur. Sed ſi quis conculcet pedibus, perinde eſt, ac ſi malè natus eſſet. Nec tenent me monſtra quædam Naturæ, quæ quosvis errores tolerant, & ſatis diu. Non enim huc pertinet, quod rarum eſt. Hoc rei caput quia omittit lapicida, oſtendit ſe ex imâ plebe eſſe. Contrà reliqua duo excipit Valleſius in Comm. Conſtat, inquit, neutrum horum convenire æque omnibus, ſed, pro cujuſque naturâ abſtinendum eſſe à cibis plus minus, & laborandum plus minus. Quin addit, Naturæ quædam, ob ingentem diſſipationem, plurimo cibo, & nullo motu indigent. Tales ſunt, inquam ego, bilioſi, quos ſi juſſeris hoc facere, intra annum necabis. Contrà pituitoſi hac ratione plurimùm juvantur. Eodem *διορισμῷ* indiget ſeminis retentio, quam jactat ille è medio trivio. Quanta igitur ſanitatis latitudo, tanta quoque præceptorum ſalubrium eſt, neç poſſunt facilè uno pugno comprehendi. Quanta igitur? dicat liguritor aliquis tenui voce. Dicat tibi Plato, non Medicus, quem odiſti. Ægrotamus ex iis, *In ſymp.* ex quibus vivimus, quandoquidem ea ipſa, quæ alimenti loco data ſunt nobis, & juvare ſolent, & exitio ſunt, ſi immodica ſint, ſi vehementiora, ſi intempeſtivè offerantur. At ſi cum debito modo, & valere juſſis voluptatibus, & animo & corpori conſultum eſt. Scire vis, quæ & quot ſint illa, quæ Plato deſiderat? Viden' (obiter dicam,) ne ſi velis quidem, poſſis carere Medicis! Illi redegerunt in methodum, & concluſerunt numero ſenario rerum non-naturalium, ut ſæpe jam nominavi. De his verba ſunt Galeni, Multi, benè alioqui nati & educati, bona *2. San. tu. 7. ex.* ſua perdunt, dum luxurioſè & deſidioſè vivunt: multi contrà infeliciter primis annis habiti, ſi temperanter, & non ſine exercitiis vivant, corrigunt jam concepta vitia. Horum ipſorum laudes habe tibi ab eodem, Si ſecundum ſex res *11. Meth. 5.* non-naturales, Diæteticam, non minimam, aut contemtibilem artis partem conſtituen-

ſtituentes, viveremus, ne morbi quidem eſſent. Ad has ipſas reſpexit Aſclepiades Pruſienſis, cum apud Plinium ait, Sponſionem ſe cum fortunâ facturum, ſi unquam ægrotaret! Et evenit, quod dixit. Caſu enim per ſcalas exanimatus eſt. Hanc cauſam eſſe credibile eſt, cur primi noſtri parentes, tàm antè, quàm poſt diluvium, tàm longævi fuerint? Cibus enim erat εὐτελής, ut Græci vocant, & labores ferè ruſtici continui. Contrà, cur nos hodiè vix centenarii fiamus, luxus & otium. Quò majorem laudem merentur illi, qui morbos futuros arcent potius, quàm præſentes expellunt. Magis quippe optandum eſt, ajebat Dæmades, non ægrotare, quam ab ægritudine liberari. Tu autem, qui jam ægrotas, habe tibi hoc abs Socrate, Curari te non poſſe, niſi & obtemperes Medico, & voluptatibus renuncies. Nihil enim magis adverſatur bonæ valetudini quàm bonus coquus, inquit ille. Et vulgare in intemperantes dicterium eſt, Qui vivit, ut vult, curatur ut poteſt. Horum unum & alterum audivi dicentes, Faciam, quæ volupe mihi ſunt: patiar, quæ conſequuntur. At verò quàm faciles erant in loquendo ſani: tàm difficiles erant poſteà in morbo. At tu, qui ſapis, ante quidem morbum
7. Epiſt. 26. cautus eſto; morbo autem defunctus, talis perſevera, qualem profitebaris te futurum infirmus, ut ferè loquitur Plinius ſecundus. Finem heic facerem, Audito-
Com. in 11. Vs. p. 5. San. tu. 1. D. res, niſi juberet me Orationem pertexere fabula de GALENO ſparſa, quem ajunt, obſervatione eorum, quæ dicta ſunt, perveniſſe ad annum 120., quem vitæ terminum ſuperiori ſæculo ſtatuit Thomas Philologus, homo Græcus, noſtro Claudius Deodatus, amicus olim meus in Italiâ. At verò de Suida habemus,
1. Alim 40. B. ultra 70. non aſcendiſſe. Hoc vero ſimile reddam hiſtoriolis quibuſdam, ex ipſius operibus promtis. Natum eſſe Pergami in Aſiâ, Olymp. 227. circa A.C.
de Cibis, 1. H. 3. K. 130. deduxi alibi: ſed neque feliciter, bilioſus quippe, nec ſuæ ſpontis, praxi ſcilicet deditus. In pueritiâ & adoleſcentiâ laboravit gravibus morbis, febre ter-
de Tremore, 7. N. tianâ quater, cauſo ſemel, colicâ ex pituitâ vitreâ intenſiſſimâ, apoſtemate lethali, idque ferè ex fructuum horæorum, quibus bilis fervorem reſtinguere volebat, minus dextro uſu. Quibus, de conſilio patris, abdicatis, & ad normam Medi-
4. Loc. aff. 2. L. & 5. C. de Lib. prop. 2. D. cam inſtituto victu, ſanus fuit uſque adeò, (niſi quod aliquando Ephemerâ laboraret ex laſſitudine,) ut cum alii fortè percuſſi, inflammationibus & bubonibus infeſtarentur, ipſe nunquam tale quid paſſus ſit, palæſtricis quippe exercitiis in victu moderato utens. Victus ille erat lactuca, ob bilem puta, in juventute quidem cruda: in ſenectute autem cocta, ob dentes malè habentes. Ex quo ipſo
2. Alim 40. B. 2. San. tu. 8. D. 1. Alim. 2. G. 1. Art. 62. A. colligo, nec à catarrhis fuiſſe immunem. Aliis ab æſtate temporibus tenuem fuiſſe victum concludere licet ex ſano illo habitus ſtatu, de quo dixi, cui, cum Romæ non eſſet, aut alibi, ubi palæſtræ non erant, jungebat, aut provinciam caudicalem, ut Comicus ludit, aut, pro culinâ ſuâ, hordeum in pilâ deglubiſſe. Hinc tantæ apud ipſum ptiſſanæ laudes. Exercitia gymnaſtica frequentâſſe, argumento ſit, quod aliquando flexuram claviculæ paſſus ſit per 40. dies. Ventri-

culi

culi ſui præcipuè modum ſciviſſe, inde præcipuè ſumo, quod officium ipſius divinum potius quàm humanum eſſe nôſſet, quippe, qui non pro ſe tantùm laboret, ſed pro toto corpore, cujus partes omnes & ſingulæ alimentum inde petunt, veluti plantæ è terrâ. Nec ignorare potuit, errorem ventriculi corrigi, nec in hepate, nec in habitu, in quo tandem putreſcere ait. Quod verbi valdè notandum eſſe cenſeo. Quâ de causâ, autoritate præcipuè Celſi, de ventriculi in ſanitatis negotio imbecillitate quaſi in exemplo egi, oſtenſurus omnibus, valetudinem neutiquam conſtare poſſe, niſi diligens cura ineatur, ut hic promus-condus benè valeat, benè agat. Quo magis neceſſarium eſt, ut omnes, qui in cœnâ liberiores fuerunt, animadvertant manè, qualis fuerit per noctem concoctio. Si enim gravatum ventriculum ſentiant, nihil melius, nihil conſultius, quàm reddere ſe plumis, & cruditatibus mederi. At, qui ſaburrati denuò accumbunt, audiant monitorem Plutarchum, Corpus nullum tàm validum eſt, cui conturbato & inflammato adhibitum vinum non noceat. Eſt enim ὁ οἶνος πλήκτης, καὶ ὀξὺς, ut venuſtè Græci. Atqui, inquiunt Centauri, Lapithæque, vinum vino curari, & crapulam crapulâ tàm verum eſt, ut in proverbium abierit. Id ſapientem nullatenus movet: quin opponit Catonis illud, Firmam ſanitatem hoc modo debilitari: infirmam prorsùs dejici. Hoc tantò verius eſt apud nos, quò meracius bibimus, quod nec Itali, nec Galli, nec Hiſpani, nec alii Europæorum faciunt. Ah nimis verum eſt, ô populares, accidit heic, ut Plutarchus ſcribit, tale quid, quale cum temulenti, furibundique, irrumpunt in domum luctu funeſtam. Sed eſto modus, cum hoc Corollario, Si, poſtquam pietate animum armaverimus, corpus quoque ciborum modeſtiâ ornabimus, atque adeò vitam ita inſtituemus, ut perſequamur, non divitias, ſed ea tantùm, quæ ad victum neceſſaria ſunt: omnes vitæ moleſtias ſecurè & ſine morſu præternavigabimus, nec malè nos agemus quidquam, nec malè nos agentibus ſociabimus.

4. Fr. P. 1. 11. Meth. 15. H. 1. Cauſ. ſym. 3. C.

DIXI.

ORATIO QUINTA,

Viri Ampliſſimi, Nobiliſſimi, & Excellentiſſimi
Dn. JOANNIS GEORGII VOLCKAMERI, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris apud Noricos famigeratiſſimi,
in laudem
VIRI Incomparabilis
CASPARI HOFMANNI,
Anno CIↃ IↃC IL. Scripta.

Σὺν Θεῷ.

Pier. or. Scip. hab. Lucas Fridericus Boheimus. STetimus adhuc alto dolore, tanquam recenti plaga ſtupentes attonitique, triſtiori paſſim perſonante rumore de Ampliſſimo Septemviro, ſummoque Inclytæ hujus Univerſitatis Rectore ac Protoſcholarchâ quondam digniſſimo fatis ſublato: necdum coaleſcere cæcum ſub pectore vulnus videbatur; quin novo prorſus mœrore perculſis hujus loci undique celeberrimi incolarum animis, recrudeſceret querulâ hinc inde ſparsâ in publicum famâ, Hofmannus obiit. Ille, qui venerabili ſuâ canitie inter ſpectatiſſimos quoſvis Univerſitatis cives chorum ſuo ducere potuit meritiſſimo; qui quam fortiter (per) ætatem ſuſtinuit, provinciæ abſq; conſimili candoris, eruditionis, & in aſſerendâ Veritate cõſtantiæ exemplo pro conceſſo viriũ ſuarum modulo ſolerti præfuit ingenio, ævumq; in eidem ſatagendo cæteris longius protraxit, rarum pietatis, frugalitatis & induſtriæ exemplar. Hujus promeritas, quibus cluebat, Virtutes deteſtanda obliterare oblivione ut ingratiſſimi eſſet hominis, ſic laudes illius tacito prorſus ſiccoque præterire pede vetat ipſa, cujus ſtudioſiſſimus fuerat, Pietas. *Cic. pro Archiâ.* Fortunatum olim Achillem judicavit ad ejus tumulum in Sigæo adſiſtens Magnus ille Alexander, quod dignum virtutis ſuæ præconem Homerum invenerit. Firmâ Hofmannum primo licet adſpectu, vanâ tamen deinceps ſpe lactarunt fata conſimilis felicitatis æmula; præmatura vitæ uſura privato Clariſſimo, heu quondam noſtro, Ruperto: Videbatur tunc cum exanimi contumulari corpore omnis rerum cum laude geſtarum gloria, inque auras faceſſebat evanidas ſpes antehac prolixè concepta; turba Rhetorum in laudes Viri inclyti compoſitorum obmuteſcente: At in *hoc alto ſilentio, dum omnia tacent, ut ipſum noctis conticinium videatur eſſe*, cicindelæ inſtar *ſcintillare*, Hofmanni τοῦ πάνυ, inter cæteros *laudem atque exiſtimationem*, quis niſi ſtimulis actus invidiæ prohibere auſit? Heſperidis triſtiſque mihi Geranii ſpeciem præferre videmini, beatiſſimi Manes, dum tanti, cujus abſentiam lugemus,

gemus, Viri ad ſilentem halatis Lunam, odores laudum famæque ejus ſvaveolentiſſimos, quorum fragrantiam ad vos penetrare dum velim, quis veſtrûm, Auditores omnium ordinum Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Excellentiſſimi mihi vertet vitio? *Utut autem plurima fuere quæ me ab hoc inſtituto retrahere poterant, non ſivit tamen me aliter facere affectus meus*, cumulo beneficiorum adſtrictus, vel *ſic vel alio modo nullo, hoc quidem tempore declarandus.* Quoad enim longiſſimè meus reſpicit animus, principem hunc mihi ad hanc ſtudiorum, quam inivi rationem extitiſſe memoria teneo. Hunc meos non ſaltem conformaſſe auſus, ſed & ad altiora adſpirantis in propoſito animum confirmaſſe, & ob id privato adoptaſſe conſortio, *communique ſecum menſa ſaleque uti* voluiſſe, optimè recordor. *D.Var. A.4.* *D.Var. A.3.*

Hunc liberali ſua dextra mihi poſtremùm ſummos in arte medica honores in auguſto & ſplendidiſſimo veſtro conſeſſu contuliſſe, animo veſtrûm nullius, quos præſentes ſubmiſsè vereor, excidiſſe autumo. Tandem me, *quem antehac tacito duntaxat quodam naturæ inſtinctu amaverat, colere cœpit obſervareque*; cumque naturæ debitum ſe tunc perſoluturum metueret, gravi affectu linguæ paralyſi, per literas Cl. Ruperti quondam ſui, me tanti muneris indignum, ſibi ſucceſſorem exoptans declaravit. *In hac tanti Viri ejusque meritorum admiratione defixus dubiusque, præſtaretne* Hofmanni noſtri *ſilere nunc laudes, annalibus poſterorum nunquam ignorandas; an ingenii imbecillioris culpa deteri imminuique? Vicit tandem pietas & gratitudo*; ut niſi furtivæ tantæ mihi præſtitæ benevolentiæ oblivioni, quantum pote, obniterer, impius verè haberer mortaliumque ingratiſſimus. Beatam proinde ejus memoriam totiens colenti audere quid libuit, & prodire in conſpectum doctiorum, non quod ſufficientes huic propoſito mihi adeſſe vires, divinamque ingenii felicitatem, quæ condignas pro merito laudes efferre poſſent, ſomniem, ſed ut nobiliſſimo huic cœtui conſtet, me *plurimis iiſque non obſcuris* obviæ in me voluntatis *ſignis*, quibus, vitali dum frueretur aura, palàm perpetui amoris in me ſui cultum demonſtravit, *compulſum quærere debuiſſe occaſionem declarandæ meæ gratitudinis.* Quo verò argumenti genere id efficerem ſolicitus paſſim animum explicui meum; nec me abluſurum à ſcopo huic propoſito meo conſentaneò confido, ſi poſthumæ, quæ ſola eſt cum Virtute ſine funere, famæ memoriam ad omnem poſteritatem, à quorumvis calumniis immunem atque illibatam conſervarem. Alieniſſimum noſtrum fuiſſe ſciatis ab omni aſſentationis ſtudio, nec *ſe unquam palpare didiciſſe, nec ſtomachari niſi malis*; hinc rigidiori in cenſura pepercit nemini, *dummodo Veritati placeret.* Judicem proinde dum vivus egit, benè Hofmannum peregiſſe vobis demonſtraſſe enitar, adductis ſingulis requiſitis τῆς συςάσεως τῆς ἰατρικῆς, quæ in *Viro Sapiente, legitimo controverſiarum, quibus artes omnes perſtrepunt, Iudice* ex *Galeno, vel alio quiſquis fuerit*, Authore, Maximus Scherbius elegantiſſima ſerie diducta deſiderat. (Naturæ præſertim vim, rectam in diſciplinis inſtitutionem, Magiſtrorum in arte præſtantiam, laborum amorem, veritatis ſtudiũ, methodum diſcernendi verũ à falſo, crebram deniq; ejus exercitationẽ.) *D.Var. A.3.* *Pier. orat. ſ. Scip. hab.* *D.Var. 4.6.* *D.Thom. fui.* P.*Com.* ſ. *Scherb. or. de id. Iud.* P.*Com.* ſ.

Huic circulo à Scherbio affabrè adornato floſculos ſcito, quâ per vires ingenioli licebit, ordine adornabo, non ex inculto ſterilique noſtræ ignorantiæ ſolo, ſed ex amœniſſimis & variegato florum cultu lætiſſimis piè defuncti ſaltibus decer- D. Gen. A. 3. b. ptos. *Hymnorum* alioquin *exordia voluit* Pindarus *omnibus eſſe modis ornatiſſima; qualia ſunt magnificarum ædium veſtibula*; ſic doctiſſimorum Hoffmanni *librorum frontes, quas optimo quis jure dixerit pulcherrimas*, pererrando *ſpicilegium facere* decrevi. P. Var. A. 6. *Collegi autem* ex floridis iiſdem aditis *pleroſque* ſaltem floſculos; neq; *enim producere omnes animus erat*, *ſed celebriores tantùm*, *& ex quibus lux aliqua ſplendorque* no- D. Gal. ſtro *affulſerit* Hofmanno. Filo denique tenui tenuis noſtra Muſa colligare ſtude- And. Schetz. bit & adaptare ſubſultim coacervatos Circulo flores, pro pangendo virenti perpetim memoriæ ſerto, mortuis quoque antiquitus imponi ſolito. Cum vero haud φιλοκαλ. 208. facilè celeritatis juxta & perfectionis gratiam ſapiat quidquam, immaturo huic pauciſſimorum dierum fœtui, obſtetricante gravi laborum mole concepto editoque quod deerit gratiæ, tantum apud bonos ſapienteſque viros mihi petenti fore datum haud gravatim ut indubiè ſpero; ſic vitæ Hofmanni tramitem ad cygneam uſque illius canitiem percurrenti benevolè auribus animiſque fauturos Vos penitus confido.

Con- firm. Philoc. 371. Adeſte Beatiſſimi Manes, tantique, cujus umbrem geritis, Viri memoriam ab alto vindicate ſilentio, quam obliterare velle, ut ſummum penes quemlibet nefas: ſic mihi præcipuè fuerit religio. Hunc *bono natum publico fœtum* DEUS

Natal. Hof.
Inter conſtituit primores urbis & orbis,
Juſſitque auricomi tuba ſit clariſſima veri;

D. Loc. Aff. x. 2. Quis reboare audebit aut coruſco huic tenebras offundere lumini? *In ſe ſpuunt, qui verſus Olympum ſpuunt, ut notum habet Alciati emblema:* Nobis ne id accidat, altius paulò exordiri hunc noſtrum licebit ſermonem, atque in condigno Hofmanni τῦ πάνυ meritarum laudum præconio, quantum pote, ritè evolvendo initiam ducere ab eo, quod paucis contingere Princeps ingenii Plato confirmavit.

1. Natura vis. Auſpicabimur verò à ſingulari illi divinituſque conceſsâ εὐφυΐᾳ, quâ per omnem ſuam fruebatur vitam ob nativi ubertatem caloris; quo nunquam deſtitutus munere, licet jam *verè τυμβογέρων* eſſet; quin *præter ſpem* ſuam *votumque in* tali *provectâ* Ep. P. Ver. 9. *ætate morborumque agmine vires* adeò *benignè ſuppeditatas tàm corporis quàm animi ſenſit*, *ut meditari potuerit aliquid*, *quod utile illis foret*, *qui poſt eum* idem *æquor* P. Inſt. e 3. b. *eſſent araturi*. Quam *inſtituti mei rationem probatam* à vobis eò mage ſpero, quò certius à vobis judicium impetravero, illum acumine in inveniendo, docilitate Plat. in ep. ad prop. Dion. in addiſcendo, ingenio in diſcernendo, memoriâ in retinendo à teneris ſtatim, quod ajunt, unguibus alios antevertiſſe quamplurimos.

Tantâ verò naturæ felicitate præ cæteris beatus fuerat, non quod ex proſapiâ aliquâ nobilitate fulgentium, aut eruditionis laude micantium originem duxiſ- Nat. Hof. ſet: ſed loco natus humili *patrem* habuit *Johannem, opificio fabrum ferrarium, oriundum pago Schueina*; avum *Cyriacum*, *in dicto pago operarum fabrilium præfectum*;

utrum-

utrumque vitæ honeſtate, amœno ſapientique judicio commendatum. Primus itaque ille, *qui lumen in familiam intulit* Hofmannianam, *Solem adſpexit anno Lanienâ Pariſienſi, novaque in Caſſiopéa ſtellâ famoſo*, quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, *octavâ Novembris* vulgò Saturno dicata; nemine ambigente, ὅπως ψεκάδες ὄμβρον γεννήσωσι, *quin minutulæ ſtillæ imbrem interdum pariant, quod proverbio dici ſolet. Quamvis* verò *generis claritas & præſtantia, quà literis, quà armis*, cui obtingunt, non *ſint abjicienda*, cum *illa* ipſa *domeſtica* fore *virtutis exempla & incitamenta* videamus: *tamen iis niti* noſter non potuit, *ut ad veram adquirendam gloriam tantopere graſſaretur*, quaſi à nobiliori exorto ſtemmate ſolùm virtutem ſectari competeret. D.Gen. A.2.b. D.Lien. Nat. P.Var. A.4. P.p.

Quot enim noſtras veniunt in manus, qui *præter Majorum imagines nobilitatis nihil habent, nec in aliud valere gentis claritatem putant, quàm ut ſub ejus prætentu omnes nequitiæ partes impleant. Quinimò rectiſſimè* noſter *exiſtimavit, cum è virtute profecta ſit omnis nobilitas, virtute nobilitatem augeri, decusque, vilioris licet, familiæ magis illuſtrari. Quid enim? Deceantne benè natum illa, quæ nullum non mortalem dedecent? Enimverò longè turpius eſt, progenitorum lumini* maculas aſpergere, *quàm obſcuris editum eſſe. Atque ut laus ea nobis propria* eſt, *ſi ita vivamus, ut à nobis incipiat nobilitas, ſic dedecus illud noſtrum eſt, ſi degenere vitâ nobilitatem paternam collutulemus.* D.Gen. A.2.

Ecquis jam eſt veſtrûm, Auditores, qui ignobili editum loco, variiſque objectum iniquioris fortunæ procellis, virtutis tamen tramiti preſſius inhærentem non longioribus præferat ſpatiis illi, cui ſors avita etſi illuſtriorem largita exortum, ab illuſtri tamen imaginum ſplendore degenerare, majeſtatemque ampliſſimi honoris tetro inquinare facinore non eſt turpe? Age mente concipiamus par æquali jugo virtutis honorumque Societate junctum, & *inter quos triduum non ſit ætatis, uter major ſit*; inſtinctu autem æmulationis animo diffidens, adeò ut *ingenium plus triginta annis majus ſit uni, quàm alteri*; ecquis eſt, qui non bonæ illius indolis vim non accuratè notet, obſervetque probè præſtantiam congenitæ ſic naturæ felicitatis; quæ ultrò comitata noſtrum adeò ejus animo inſedit, ut per totum ætatis decurſum nihil in eâ remitti, quin recedentibus paulatim præ ſenii languore, viribus intendi; & gravi cum facundiâ vel ex literis debili manu exaratis eniteſcere adparuit. Val. Max. Plaut. in Bacchid.

Hoc εὐφυΐας bonum rectam ſecum traxit in primis diſciplinis inſtitutionem. *Primo* quippe *is anno mirâ fati conditione in domum translatus avitam, & ad plenam inibi pubertatem* moratus, ſtrenueque *contra privignos* ab aviâ fuit *tutatus*; *quæ licet* ἄπαις, *adeoque expers in liberos amoris, ut alicui videri poſſit, fuerat*; cum vero ipſi ante oculos ſubinde obverſaretur, qui II. Recta educatio. Nat. H.

> Ore puer, puerique habitu, ſed mente ſagaci
> Æquârat ſenium, atque aſtu ſuperaverat annos: Sil. de Piſon.

mirificè hunc amavit, eique de victu & amictu, extincto poſt quadriennium parente, deinceps quoque abundè proſpexit.

Cum

Cum proinde *in primâ ſtatim pueritia immenſa quædam in eo cupiditas animi ardentis incredibili amore literalis cognitionis & eruditæ doctrinæ* palàm ſe daret conſpi-
D.Lien.2. ciendam, ſexennem *in verâ & ſincerâ inſtitui pietate* voluére ſanguine juncti; *ſubque Recturâ primùm Rev. olim & Clariſſimi Viri, Dn. M. Ioannis Dinckelii Superintendentis, poſtea Generalis Coburgi: Deinde Reverendi item & Clariſſimi Viri, Dn. M. Ioh. Helderi, Superintendentis Gothani, Præceptorum ſuorum affectu filii colendorum hominem ſe eſſe Chriſtianum didicit.* Felicibus hîc ejus auſis obſiſtere primùm fortunæ voluit ini-
Nat. H. quitas, & cum *in Scholam ductus eſſet oppidanam, tàm duriter primo ipſo die ab iſtis,* quorum curæ ſubfuit, *Orbiliis exceptus fuit, ut nollet ſe amplius illis committere.* Huic tanquam alter ὁ θεὸς ἀπὸ τῆς μηχανῆς Helderus, qui *Dominaſtris ſe illis oppoſuit, prædicatis inſignibus adoleſcentis profectibus.* Neque tamen hunc *indefeſſum* in Ephe-
D. Gen. A. 3. bejo Gothano *Cultorem ſuum Virtus unquam deſtituit,* quin *præmium ingenii, ſtudii, induſtriæ ſponte ſua* oblata obtinuerit. *Id verò eſt ſecundum Homerum*

——— ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Præſtantiorem aliis eſſe:

Scilicet ut Græci dicunt, οὐδεὶς κοιμώμενος οὐδενὸς ἄξιος,

——— *niſi certanti nulla corona datur.*

D. Gen. A. 3. Hinc adeoque *non videri poterat neceſſarium, excitare illum ad laude digna perſequenda, cum* optimorum quorumvis *exemplis pungeretur atque exſtimularetur, quæ ignaviſſimum quemque propellere poſſint, nedum illum, qui proprio impetu ad palmæ honores*
P. Var. A. 5. *contenderet. Properantem* proinde *ad auguſtiora illa, ad quæ partim genius illum ſuus invitârat, partim* honeſta *poſtulârat origo*, probaque indoles, *admodum* etiam *ado-*
P. Var. A. 3. *leſcentem Magiſtri loco exempli & quaſi ſpeculi proponere aliis* non dubitaverunt, *è quo diſcerent, quanta ingenii vis, ſanctimonia, moderatio, humanitas deſideretur in eo, qui aliquando Virtutis & Honoris ædes eſſet occupaturus.*

P. Thor x. 3. b. Æmulationem verò apud ignavos ſuos meruiſſe pædagogos veroſimile fit ex eo, quod *ſatis* haud raro *fuerat ipſis inveniſſe velum aliquod, quo tegerent clientem ſuum, id verò in hoc negotio tam fuit tenue & lacerum, ut undique pelluxerit.* Benefico tamen naturæ indultu ipſe Copiam illam, quam in ſe ſemper exiguam credidit,
P. Inſt. e. 3. (ut tamen aliqua eſſet, à puero ſe allaboraſſe fatetur,) ſibi acquiſivit: quid? quod in *vocabulis technicis* laborem *eò mage neceſſarium, quò contemtiorem apud ſuos* ſubterfugere noluerit, turpe ſibi ducturus, ſi à quopiam quæſitus ex *Rufo in libello appellationum: Quid in Cithariſtriâ primùm didiciſti? Quid in Grammaticâ? Quid in Geometriâ? Quid in aliis diſciplinis? Imò quid in ſutrina? in officina ferraria, in artibus manuariis omnibus? appellare unumquodque vel inſtrumentum vel ſubjectum ſuo nomine* non
P. IP. 6 b. noviſſet: Certus *errorem in nominibus errorem parere in rebus.*

Nat. H. P. Var. A. 3. In hac per tredecim annos continuos exercitatum palæſtrâ, variiſque interea expoſitum ſortis inimicæ telis, *ſervili* ex trivialibus *imperio eripuit* Helderus, cum *ingentes eruditionis progreſſiones conjunctas cum parili morum optimorum fertilitate* tacitè ſecum notaſſet; eundemque ætatem ad quatuor penè luſtra extenden-

tem

tem *Clariſſimo Matthæo Dreſſero, Hiſtorico Lipſenſi* Celeberrimo, anno ſupra ſeculum quintum nonageſimo primo. Hic quamvis *pro Hofmanno ſolicitè laboraret,* Nat. H. *præter duram pro illo conditionem non reperit*, *quæ eum à Muſis prorſus alienare* potuiſſet, niſi præparatum *præcepto Epicharméo*, *quod apud Xenophontem eſt*, attuliſſet pectus: D. Gen.

> Μὴ τὰ μαλακὰ μώσο, ἵνα μὴ τὰ σκληρ᾽ ἔχῃς,
> *Ne ſis nimis deditus mollibus, ne dura tibi obtingant.*

Victus tandem *malo victûs* genere καχεξίας redditus *domum autumno illo rediit*, *hydrope per hyemem totam* illum infeſtante adeò, ut de *alio vitæ genere ineundo* ſecum deliberaret. Nonne hunc, Auditores, à Muſarum ſacrario fortunæ ludibriis omninò protelatum arbitramini, adeò caperata illum fronte excipere viſa fuit Dea illa? Quomodo verò noſter ſe geſſit? Conſideranti tum literarum *ſeculique illius infelicitatem, cui alioquin temperandæ remedium qualecunque inveniſſe non minimæ felicitatis eſt*, commodùm Philippus Waltekerus de cœlo quaſi miſſus Argentinâ redux, Nat. H. P. Inſt. c. 3.

Parmam enſemque coruſcum,

adverſus hos ſævientis fortunæ impetus viſus eſt, ſuo hunc juvans conſilio, *ſtudium Argentinenſium in promovendis pauperibus* evehendo. Ad amicum hujus monitum mox *obrepſit in* noſtri *animum* præcedentium *oblivio malorum, quæ & paſſus fuerat, & tunc pateretur*: quin *& illorum, quæ veriſimiliter metuerat.* Præcipuus cognatorum *Melchior Hertingus* perſuaſus ſuo *de ſe illuc mittendo conſenſu* non defuit. *Adiit ope* ſublevatus *avi ſub initium Veris Anni nonageſimi ſecundi* Argentoratum; ſed in itinere fati ilicò ſiniſterioris malignitatem perſentiſcere cœpit. *Incipiebant* enim, dum Spiram contenderet, Argentorati *ire tempora tàm iniqua literatis, ut vix quisquam animum ad altiora erigere poſſet.* Defuncto nim. Epiſcopo Argentinenſi, *Canonici illius Civitatis* in ſubſtituendo novo ab iis, *qui Tabernis præfuere Alſaticis,* diſſidentes, *bellum minari, victum omnem incendere, omnia fieri* metus fuit, *quæ fugam potius, quam* aditum noſtro *ſvaderent*: ſuſque tamen deque inſuper habitis his omnibus, ivit ille. Ab omni tunc procul ope remotus varia tentandæ fortunæ gratiâ apud Literatos feciſſe pericula non gravatus, *molendinum demum ingredi plus quam aſinarium* adactus fuit, præfectus ſcilicet *petulcis valdè*, quos erudiret pueris: *victu* verò cogente ſic neceſſitate, uſus *à natura ſua & morboſa conſtitutione alieno*, tædio tandem affici cœpit, ſe *ſaltem non negligi, ſed & cubito quaſi protrudi* ab omni Muſarum conſortio ingemiſcens. P. Path. B. 2. Nat. H. P. Inſt. c. 3. b. Nat. H. P. Gal. 18. Nat. H. Nat. H. D. Path. 11.

Hæ *Calamitates* non *niſi ſubſultim ſivere illum cum Muſis ſuis eſſe*; *nec* tamen *perire ſibi medias illas*, quæ concedebantur *horulas*, neque ullum temporis momentum abſque agitatione literarum ſubrepere paſſus. *Tulit* deinceps *fecitque omnia, quæ ſors adverſa volebat. Adverſæ* ſcilicet *fortunæ ſarcina hæc ipſi ultima* fuit, *ut miſer cum eſſet, perſuaderet ſibi ſe meminiſſe.* P. Var. B. b. Nat. H. P. Inſt. c. 4.

Qualis,

Jan. Qualis, heu, morum ſiniſtra temporumque triſtitas!
Gunter. Exclamare mihi cum Celeberrimo Germaniæ vate liceat.

Quiſque laurum Apollinarem, quiſque olivam Pallados
Cenſet eſſe laude dignam, ſplendidoque encomio,
Plebs, eques, ſenatus omnis literatorum gregem
Innocentem honorat ore, fronte plauſibus:
Ordinem ſed ecquis horum eſt, qui teruncio juvet
Vel Camœnarum clientes, vel Minervæ antiſtites?
Imò quiſnam promovere publicè deſiderat
Vel Camœnarum clientes, vel Minervæ antiſtites?
Præmia interim omnia horum tranſeunt ad ſimias
Nudiclunes, aut nigrante corde corvos, aut lupos,
Aut Leonis pelle aſellos involutos mortui.
Talibus ſagæ pericla, talibus cedunt togæ,
Talibus ſellæ curules, talibus provinciæ
Oggeruntur.

Verùm quò rapitur animus indignitate rei atque ſucceſſuum Hofmanni ſterilitate percitus?

P. Ver. 9. Annon, *verbis Flori paucis immutatis*; *Cauſa calamitatis omnis eadem, nimia felicitas*. Quis vitio vertat circumgyratâ nonnihil cæcæ divæ dicere orbitâ: Cauſa felicitatis omnis eadem, nimia calamitas? *Sic* enim, quiſquis es, *cogita, quantò con-* Ib. *tentius hoc agit Satanas*, ut deſtitutum quempiam & orbatum omni auxilio conſilioque reddat, *uſus quibusdam hominibus* non commiſerante, ſed robore & ære pluſquam triplici duriori corde, ſcopulorum inſtar *è medio mari proſilientibus*; *tanto ſolicitius Deum quaſi cœlitùs extrudere in ſubſidiũ viros cordatos, qui* faveant *Muſis*. Rari D. Rhed. 2. verò admodum ſunt, qui *aureo*, ut voluit *Socrates apud Xenophontem*, ſint *corde*, plures quibus *argenteum*, plurimi quibus *æreum*, quibus *plumbeum* ex mente piè defuncti, cor ſit, haud pauci. Nec tamen illicò manus dandæ, aut penitùs ſuccum- Ib. bendũ aleæ fortunæ, quin *ſpei, cum Tacito, & quaſi contra fortunam inſiſtendũ*. Nempe *& magnus Gubernator ſciſſo navigat velo, quia naufragus putri confiſus aſſerculo enatare cupit*, donec impetuoſos maris vortices eluctatus tranquillum evadat in portum.

Nat. H. Hucuſque conflictato ſuccurrit *Henricus Faber Leucopetræus*, quem pro Angelo excepit noſter, recordatus *Michaëlis Iulii Superintendentis ſui, Deum*, ajentis, *non rarò bonis ingeniis ſuos ſubmittere Angelos, qui, quà ſit eundum, moneant, ut emergere poſſint*. Is, mirum! quàm divinam evexerat noſtræ Urbis Norimbergæ, unde venerat, commoditatem, & incolarum in ſtudioſos humanitatem, *quod multis*, qui inibi literis operam darent, *contingeret*, ut *poſt labores unius atque alterius anni mitterentur in Academias, in quibus abſolvere*, ut dici ſolitum, *poſſint ſtudia ſua*. Audivit has noſtræ virtutes patriæ longo ordine recenſentem. Dictum, factum; nec ullum conatui obfuit impedimentum. Conſenſére in id fautores, avi numos itineri ineundo

ſuppe-

ſuppeditantes paruére. Hiemis anni nonageſimi tertii *aurâ blandiore* afflâte, *duobus* Nat. H.
comitatus fratribus Waltheris viæ ſe dedit, ad almamque ſtudiorum nutricem civita-
tem noſtram ante Paſcha adpulit. Hic etſi *vilis* nonnunquam *hominum doctorum* P. Th.
(ut ſic loquar) annona inclytis pleriſque naturæ & ingenii auſibus minus favere ſo- 4. a.
leat, blandioris tamen jam fortunæ nutu ducta principem ſibi ad ſua confirman-
da ſtudia offendit *Clariſſimum Matthiam Schilherum, Incluta Reipub. noſtratis Protono-* Nat. H.
tarium, qui propenſo in literatos affectu benignum & facilem *commendatitias Fa-*
bri literas offerenti ſe præbuit; *habitumque ſecum in cœnâ, viaticoque inſtructum lætum*
dimiſit in diverſorium. Annon *ſemina virtutum, quorum invidendam illi copiam dederat* P. Gen.
naturæ genius, ipſi *ad virtutem viam ſtravere?* quod *quamvis apud Pholios quoſdam o-* A. 2.
dioſum fiat futurum, nullatenus tamen, quin affirmetur, dubitandum. Stultorum P. P.
proinde opinione humilius, reverà tamen longè ſplendidiſſimum ſuſcepit mu- Philoc.
nus, privatum agens apud generum Schilheri præceptorem, *cui præcipuè natu* 350.
major curæ eſſet, quem ſtudiis mancipârat avus maternus. Hîc intimius inſinuare Schil- Nat. H.
hero ſe potuit noſter, ſuoſque inſignes probare in ſtudiis profectus, qui quem di-
ligere ante, nunc amare eundem cœpit, deſideria ejus, quibus ad eruditionem
plenis vehebatur velis, quà potuit, ope ſua promovendo.

Sunt homines, quibus adversâ, quâ premuntur, fortunæ tempeſtate hu-
mi ſerpentibus condoleas; evectos non ſine faſtidio intuearis inſoleſcen-
tes ſubitò, & inani præconceptæ eruditionis gloriâ intumeſcere admireris, more
utrium putido flatu turgeſcentium. Ex eorum ſerie non fuit noſter, nec ſe, ante-
quam ad ſolidam acceſſerat prudentiam, perveniſſe ratus, cùm quodam arrogan-
tiæ prætextu, juvenibus valdè nocivo. *Ut enim, quod Ludovicum XII. Galliæ Regem* P. Com.
dixiſſe ferunt, in alio ſolo rapum intra biennium vertitur in napum, in alio contra napus in 3. b.
rapum: Ita dum ignorantia unius ſublevat ſuperbiam alterius, immane, quantùm inſo-
leſcit uterque.

Et in his præcipuè apparet vinculum inſcitiæ cum ambitione indiſſolubile. P. Path
At ille noſter non demiſſis, quod ajunt, in ſinum manibus ſedens, ſed tantò con- 8.
tentioſius literis incumbens, dies noctéſq; in ſtudiis jungendo ſolidã venari eru-
ditionem ſecum decrevit; quo aſſiduitatis fervore tantum ſibi apud Schilherum
conciliavit favorem, ut *octavo Novembris* nonageſimi ſecundi anni, qui noſtro Nat. H.
ante viginti duos tum natalis fuerat, *ſeorſim laudata ejus induſtriâ, civem ab illo effe-*
ctum Noricum, impetrato dapſili *in Altorphinum Lycæum ſtipendio* intellexerit; quo ſe
principio ſextilis anni ſupra nonageſimum quinti contulit, immorigero ſtipatus
diſcipulo, *quem tamen frugi eſſe multùm intererat ſua.*

Placuit quibuſdam, Auditores, *literarum ſtudia conferre cum mercaturâ, qui* D. Thor
mihi longius videntur proſpicere, quàm vulgò creditur. Ut enim Mercurius non 2.
minus quàm Mars eſt ἀλλοπρόσαλλος, ita non minus fortuitum eſt adoleſcentem ſtu-
diis dicatum evadere in bonum virum, quàm Mercatores diteſcere. Non dicam,
quod alicubi Ioſephus Scaliger; artes non tribui æquali Lege, & eſſe alium

alio doctiorem, licet hic non minus laboret, quàm ille; pendere verò totum ab eo, qui deſuper diſpenſat. Quot offendicula juvenibus poſuit ſeculum hoc militare? Nimirum ut in bellis noſtris omnes injuriæ locum habuere, ita quidam ſtudioſorum volunt ſibi licere omnia. Nec quidquam proficiunt bonæ leges, cum ipſi eò audaciæ progreſſi ſint, ut proprias condant, quas invito Magiſtratu omnibusque bonis defenſant, non ſine violentiâ. Ab his non ſimul abripi in breviâ & Syrtes, ut raræ felicitatis eſt, ita multò rarioris eſt, conſiſtere, & ſecum morari, ut Seneca loquitur. Id verò eſt, niſi fallor, à propria potius conſcientiâ pendere, quam ab externis judiciis, & cogitare, non tam ne malè audias, quàm ne quid mali dicas ipſe faciasve. Nam quis ſis, in te ſitum eſt, qualis audias, in vano vulgo. Quamobrem Pythagoras apud Stobæum facere jubet honeſta, quamvis inglorius ſis futurus. Omnis enim, inquit, honeſtæ rei pravus judex eſt vulgus. Cujus igitur laudes contemtui habes, ejus vituperationes cur non ſpernas? In hoc Herculis bivio verſantes multi equidem hactenus viſi ſunt peſſum ire; viſi rurſus non pauci etiam ad frugem pervenire. Inter hos nomen ſcripſerat ſuum Hofman-
Schirb. nus noſter, qui ob id cymbam non adverſo vortice propulerat remis, nec ſe tandem monſtra, quod Platonis eſt, in diſciplinis pariturum, manifeſtis tum oſtenderat auguriis. Quamprimùm enim is Altorphium tanquam ad mercaturam bonarum artium fuerat profectus, nuntium Virtuti remittere pro ſummo habuit dedecore; nec aliorum mores imitari voluit,

P. Inſt. ——— *hoc vitii quibus eſt, ſcire omnia velle,*
Gal. 2. *Sed didiciſſe parùm.*
Criſ. 8.

Quin Ephorum dum ageret, hoc ſibi curæ eſſe maximæ duxit, ut induſtriæ exemplo præfulgens ad officium invitaret clientem; adeò, ut nulla habitâ valetudinis ratione immoderatius ſtudiis incumbendo, Epidemîam incurreret dyſenteriam. A quâ paternâ Schilheri curâ ſumptibuſque, præcipuum amoris ſignum! Libero *anſas Philoſophiæ*, quas jam attingere cœperat, apprehendere propius ſecum animo conſtitutum voluit.

P VP. 6. b. *Deteſtatum hunc* maximoperè fuiſſe, ſciatis, *hominum noſtrorum* στρατιωτικὴν ἀλογίαν, *militarem inſcitiam, quâ perſuadere volunt adoleſcentibus, jam perveniſſe ad culmen eruditionis, cum tres quatuorve philures Dialecticæ aut alterius diſciplinæ edidicerunt:*
P. Inſt. c. 3. *Pervenerunt ſcilicet, quia perveniſſe ſibi videntur,* ex voto *matrum, quæ, ut intra paucos annos videant filios ſuos Doctores, feſtinant.* Noluit ab ore talium pendere, qui valida ſibi ex Clariſſimorum Virorum ſcriptis principia ſeligere, eaque animo confir-
P. Ver. 10. mata ſuo ad cõformandam ſolidam veritatis idéam condere voluit. *Vidit* etenim *potiſſimam diſſonantiarum cauſam neglectum principiorum, quò fit, ut huc illuc temere lapſent, nec uni Veritati ſe applicent* ſcolares.

P. Cer. H. 6. b. Cui verò mage ſe addiceret *Veritati*, quàm *Philoſophicæ, quam Ariſtoteles docuit?* Hui, inquiunt delicatulorum quidam, quis ſe tanto committat Philoſopho, tanto ſcientiarum pelago? Græcis benè imbutus ſit oportet, qui in vaſto illo æquore,

re, litus ne aret, cavere vult. Aſt quantis ſe difficultatibus exponit, qui Græca
exemplaria geſtit *Hor.*

Nocturnâ verſare manu verſare diurnâ.

Quin igitur contenti ſumus iis Latinis, quæ habemus, & ſicubi correctione opus habere viden- P. *Gal.*
tur, corrigimus, judicium lectori liberum relinquentes. Id verò noſter quid oneris ſe- 20.
cum linguarum acquiſitio traheret, haud inſcius, ne *ipſi* perinde *accideret quod ſi* P. *Rej.*
miis, cùm altas ſcandunt arbores, deſertis multorum litigiis, ſtudio haud vulgari *didicit* p. 100.
Græca, ut ſi quid controverſiæ oriretur, non interpretum ipſi foret fidendum authori- P. *Gal.*
tati, ſed *ad Græcos iret* rectà *fontes.* Noluit enim *in ſolis penè rerum corticibus, in ver-* 20.
bis eſſe occupatus, ſed in res ipſas ſe penetrare. Hanc tandem Græcarum literarum ad- P. *Var.*
eptus fuit notitiam, ut an Atticâ vel Romanâ ſuperior, perſcrutanti fecerit am- *A.*6.
biguum. *Propter commune autem vinculum, quo omnes artes & ſcientiæ liberales inter ſe* Ib. *A.*4.
aptæ ſunt colligatæque, egregiam ſibi de more Rhetorum ſvaviloquentiam com-
paraſſe locus hic valdè conſpicuus teſtis ſufficiat, ex quo gravi totiens ore diſſe-
rentem audiviſtis. Carmine inſuper elegantiſſimo pleraque fuiſſe effatum, quæ
paſſim diſperſa latent, Heroico fuſa ſpiritu metra edocent. Polyhiſtora arguunt P. *V.*
doctiſſimi ejus, quos conſarcinavit, Commentarii, antiquitatis exactã cognitio- 6. *b.*
nẽ ſpirantes; quos amœniſſima *Philologicorum miſcella* mirificè commẽdat, *à doctio-* *Medici-*
ribus ἐπινομίδ@ aut certè ἐμβαμμάτων loco in dubio aliquo & opiparo convivio habenda: *na* Phi-
quæ non, ſubtilis Scaligeri judicio, *ſupercilium nimis contrahunt*, ſed *amœnitates capta-* *loſophia*
re ſolent. Tanto virtutum proventu divitem ſapientiſſimæ infectum Genetricis *filia,*
amoribus, cujuſque latice ex uberibus largè ſtagnante affatim huc uſque, non- *Matris*
dum tamen ſatiatum ſuis ad ſe pertrahere illiciis gnata tentavit venuſtiſſima, nec *veſtigia*
irritò certè auſu. Voti illius conſcius noſter mutuo genuinam illam amaſiam pro- *calcet.*
ſequi affectu, quin deperire cœpit. Huic ſe dedere, hujus continuis irretiri am- P. *Lien.*
plexibus, huic denique totum ſe devovere conſtituit. Muſteo huic proco in tanto 7.6.
Doctorum doctrinâ præſtantiſſimorum authoritate graviſſimorum inſtitor adſtitit *mun-* *Ill.*
dus ille omnium virtutum & diſciplinarum Scherbius, qui *Vir verè Magnus, ejusque per* *Præce-*
ſeptennium continuum Doctor, nunquam ſine honore ipſi nominatus, cujus ductu & au- *ptorum*
ſpiciis *filiam* hancce Magnæ *Philoſophiæ Medicinam* ſibi deſponſavit. Ductum, in- *præſtan-* *tia.* Ib. 6. *b.* D. *Sch.*
quam, *immortalis hujus Viri* attento ſecutus ſtudio *ſe in viridi etiamnum ætate man-* P. *An-*
cipandum duxit Medicinæ Ariſtotelicæ & Hippocratis, quem πάντων ἀγαθῶν ἡμῖν ἡγεμόνα *tiſern.*
non uno loco appellat Galenus, & verè, uti cenſeo. Huic primas ex gente Aſclepiadum P. *Epit.*
præ cæteris omnibus dedit, ejuſque, quod docet Baſſus, diſcipulo Ariſtoteli, cu- *a.*2.*b.*
jus aurea tranſcendere dicteria *ἀνθρώπινα μέτρα*, humanos terminos ex Ammo- P. *Gal.*1,
nio didicit, quemque ſæpius in Anatomicâ veritate viciſſe Galenum haud ob- 1. *De-*
ſcuris collegit indiciis. Svaviter ſic delicianti opportunè ex Italia redux occurrit *cret.*
Dominus Sonerus, qui primus Aicholziani uſura ſtipendii, dicti aurei fruiſcens, *Hipp.*
quod iis, qui Medico addicti ſtudio ad exteras regiones artis hujus incre- & *Ariſt.*
menta capturi meditantur, adjumento è Magnifici noſtræ Urbis Magiſtratûs li- *De ſcript.*
beralı *Ariſt. Nat. H.*

berali venit manu; hoc gaudens noſter ſubſidio Patavium contendit. Nec enim
ſatis habuit, huic Univerſitati plurimorum præconio decantatæ teſtatum feciſſe,
ſe non ad Syrenios adpuliſſe ſcopulos, aut penitus conſenuiſſe ibidem, ſed magno
quodam animo hanc ſtudiorum ſuorum rationem iniiſſe, eamque modis pro-
D.Gen. motum ire omnibus; *voluit* inſuper, *ejus ſe ſententiæ eſſe, exteris ſignificare,* & ni par-
A.2.b. ticipem ejuſdem felicitatis Sonerum, cujus fama etiamnum ambulat per docto-
rum ora virûm, *veris animi dotibus vel æquaret, vel antecederet*, parùm ſibiipſi *tantâ
dignam videri benevolentiâ. Hæc adeò res illum compulit, ut in floridâ ad* Italos *properaret
juventâ, inſpecturus Campum honoris, in quo ante ſe decurrerunt* plerique *illuſtres* do-
ctrinâ & eruditione Viri, *certus interim nolle ab iis vinci, ſi quidem Deus non permitte-
ret illos vincere. Et benè* tunc *habuere initia. Poſtquam enim à Sapientioribus* inibi *cogni-
tum fuerat, quo ardore in* ſtudia *incumberet, imo vero quibus ſtimulis perpetuò foderetur
latus,* eorundem ſubinde intuentis exempla, *ſategerunt iidem,* ut *honeſtiſſimæ ejus vo-*
Næ.H. *luntatis ratio haberetur.* Aditum vero ad Illuſtrem Herculem Saxoniam de Manni-
pettis *febricula*, qua primo ſtatim acceſſu *correptus* fuit, ſubornavit, cujus inſigni
in *ſedanda* illâ *ſolertia, criſin* ſpōte *natura* moliente, priſtinæ redditus fuit incolumi-
P.Lien. tati. Præter hunc Præceptoribus uſus aliis, *inter quos honoris cauſa nominandos duxit*
4.6. *D.Hieronymum Fabricium ab Aquapendente,* Chirurgum & Anatomicum *nunquam*
D. Off. *ſibi ſine honoris præfatione laudandum. D.Ioh.Thomam Minadoum. D.Iulium Caſſerium*
p.5. P.Lien. *Placentinum, & D.Franciſcum Mantellum, dictum Campanam,* quibus alibi accenſet
4.b. *Clariſſimum Cæſarem Cremoninum, ſuum Præceptorem honorandum, quos non tantum*
P. Gen. *plurimùm amaverat, ſed & admiratus, pro ratione authoritatem eorundem magnifa-*
A.5. *ciens. Neque enim alios vel ingenio fuiſſe acriori ad ſtabiliendas veras ſententias, vel judicio*
P.Lien. *excuſſiori ad refellendas falſas ſat ſcivit. Nec etiam fuiſſe iſtos ex illorum numero, qui* λίθον
4.b. P.Gen. ποτὶ τὰν σπάρταν ἄγουσι, *lapidem ad funiculum elaborant, quod Proverbii eſt apud Chryſo-*
A.5. *ſtomum & Baſilium: multò minus ex illorum, qui ad incitas redacti dicunt aliquid, è quo
majus incommodum, quàm ex priori, h.e. mendacium mendacio tegunt, ne perpluat. Quin
hoc unicè egerunt, ut ſciretur, quid veri ſit, quid falſi. Qua in re diſcipulum ſe illorum fuiſſe
profeſſus eſt, cupiitque conſtare publicè, nullo ſe raptum affectu fuiſſe, ſed hoc duntaxat,
quod conſcientia illum juſſiſſet, dixiſſe.* Horum proinde fidelibus obtemperans præ-
ceptis, non ſe in confertam mutorum Præceptorum congeriem, quorum am-
plam in Bibliothecâ inſtructiſſimâ Germanorum uſibus ſacrâ ſegetem habuiſſet,
præcipitem dedit, quin optimis ſaltem authoribus crebrò multumque legendis
Conſ.ad inſudavit. Onerat, teſte Sapientiſſimo Senecâ, diſcentem librorum turba, non
Helv. inſtruit; multoque ſatius eſt, paucis ſe tradere Authoribus, quam errare per
multos.

Cum dulci æſtivam temperantes flagrantiam quiete à lectionibus feriaren-
tur, nec inerti ſe tantum dedere otio, nec in medio conatuum curſu conſiſtere
P.Lien. ipſi libuit, ſed commodam nactus occaſionem, Romam orbis urbiumque Re-
4. ginam contemplaturus excurrit. Inibi *fortè fortunâ incidens in Artem Medicam An-*

drea

dreæ Cæſalpini, tunc ab operis Typographicis adhuc calentem, Celebritateque nominis ſcriptorumque excitus, quæ is Author antea publici juris fecerat, amœnitate juxta & utilitate; cœpit librum in ipſis etiam itineris moleſtiis avidiſſimè percurrere; ne quam diſcendi occaſionem temerè amitteret. Ut verò pecoribus fatigatis velocior domum greſſus eſt, ſic huic noſtro ex itinere iſto reduci ad ſe ſuaque, relictis aliis. Moniti à *Præceptore obſervandiſſimo Scherbio diſcedenti viatici loco oblati* non immemor, *ſe nimis profundè controverſiis, quas vocant, Theoreticis immergere* noluit, ſed *exercuit ſe potius in practicis, ibique laudem quæſivit. Per quadriennium penè in illo nutritus & altus Gymnaſio hauſit illius doctrinæ ſemina, quæ ſata per quadraginta deinceps profeſſionis ſuæ annos in eam excreverunt* molem, & *amplitudinem*, quam *res ipſæ oſtendunt*, ſcriptaque ejus illuſtria *diligenti excutienda lectori.* P. Gen. A. 3. Seneca. P. Lien. 4. b. D. Com i. b.

Onere Conſiliarii, ibi dum moraretur, *per menſes aliquot aggravatus*, cœpit *faſtidium Patavini perſentiſcere aeris*, eique *ſe* muneri cum omnium benevolentiâ *ſubducturus Baſileam cogitavit.* Voluntatem hanc ſuam effectus comprobavit, charus ibidem habitus ab Excellentiſſimo nominis ejuſdem Bauhino, quem non abſque præfatione *ſuum Doctorem honorandum* indigitare ſolitus fuit. Feliciſſimo Medico Felici Platero curæ illum cordique fuiſſe ex mutuo, quo eum proſecutus, affectu claret. Nec minus Maximum *Stupanum*, alterum verè Galenum *Præceptorem ſuum Opt. Max.* nuncupare pietas ſvaſit. Eorundem hortatu *ibi aliquandiu, uſque dum collecta diſſiparentur nubes*, perſeverans, præſentibus ex voto competitoribus tribus, tantam hanc ſcientiæ ſegetem ad frugem hujus Academiæ maturaturus, Doctoris titulos & privilegia præviis periculis, ſolennique *Diſputatione, ipſo octavo* natalitio *Novembris* die, trigeſimo tertio ætatis anno habitâ primo inter ſodales loco impetravit. Nat. H. Lib. de oſſib. ad tyr. 9. P. Lien. 11. Nat. H.

Hiſce locuples opibus illâ ipſa hyeme Argentinam conceſſit, in convictu Cl. Aggerii ad *ſequentes* attendens *nundinas vernales* Francof. Eo temporis articulo ulterius quid addidiciſſe non verecundabatur plurimorum *deterrimo φιλαυτίας vitio*, qui *hauſtis leviter primis labris ſtudiis ſtatim inſoleſcunt, ſe ipſos amant, ſe circumſpiciunt & admirantur, nihil omnium eſſe rati, de quo non feliciter judicare poſſint.* Hi mihi, Auditores, ebriis revera ſimiles videntur, quibus omnia videntur duplo majora. Noſtro huic, *cui ingenuus ſemper præſens in pectore fuerat animus*, cum annis vegetiorem eſſe ad labores, non turpi torpeſcere otio, ſed per continuum Virtutis, cujus laus omnis in actione conſiſtit, exercitium ſubinde nihil non agendo inclareſcere, *adeoque* P. Lien. 8. b. P. VP. 3. b. P. Inſt. c. 2. b. Superbi literiones.

Γηράσκειν ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενον, P. Gen.
Seniorem quotidie fieri multa diſcentem A. 4. b.

volupe fuit. Inſtante nundinarum puncto Francofurtum penetrans, almam ſuam reviſit ſtudiorum nutricem Norimbergam, accepta Urbi beneficia gratiſſimo cũ animo relaturus. Nec inanem rediiſſe illum exinde apparet; illum enim ob raram eruditionis famam locum inter Gratioſiſſimi Collegii Norimbergenſis Medicos ſpecta- Nat. H.

ſpectabilem, ceu præcipuum in arte Medica Virum unanimi facto ψηφίσματι obtinuiſſe non exiguæ laudis argumentum eſt. Horum ordinem conſpicuâ ſuâ per ætatem dignitate multimodè exornaſſe quis ambigit? Inclinante tunc æſtate, cum autumni delitiis peſtis ſe inſinuaret ſævitia, ſublatis è medio Viris pleriſque literatis, & ex iis Clariſſimo quondam Nicolao Taurello, Theoricæ Medicinæ Profeſſore, *totâque diſſipata* ob illam *Academia*, ab Ampliſſimis juxta & Nobiliſſimis Dominis Scholarum & Provinciarum Curatoribus viſis ejus felicioribus in curando ſucceſſibus, *peſtilentialis* oppidi hujus *conductus eſt Medicus*. Detumeſcente paulatim luis vehementiâ, cum *rem citra periculum* à ſe geri animadvertiſſet, tempore illo *ad conciliandum ſibi* Clariſſimorum *Dn. Profeſſorum amorem uſus fuit*. Qui ſingulari ejus humanitate, cum peculiari junctâ dexteritate plurimum delectati, omnium illum favore quàm digniſſimum judicarunt, eumque ſuis meritis locum Taurelli depoſcere, apud Prudentiſſimos Univerſitatis Moderatores detulére. Literas hujus voti & voluntatis ſuæ indices ipſi Norimbergam eunti dedére, quarum tenore Ampliſſimi hujus Athenæi Rectores haud parum delectati, ambienti locum faciles promptoſque ſe exhibuere, deſignata tùm eidem vacuâ piè defuncti Taurelli ſede, quâ *feſto Petro-Paulino* mox inſequente potitus, inque numerum Profeſſorum adoptatus fuerat, ut *exactis* dein *canicularibus diebus Cathedram conſcendens* publicè doceret.

D. Path 20. IV. Laborum patiens. *In hoc munere* ſi quis *dixerit de illo, quod in elogiis Illuſtrium Virorum Patavinorum amicus ait de Triſimelica, pro ſomno illi vigilias fuiſſe, pro otio laborem, pro delitiis induſtriam, pro vacatione occupationem, mentietur?* Annon *illa ſemper fuerat ſtudiorum ſuorum ratio, ut dum Muſas coleret ſeveriores, non contemneret Volupiam elegantioris literaturæ? Quin eò usque progreſſus ſingulis diebus, quò ſerenus eum comitatus fuerat animus, permiſitque ſenilis corporis cura, imò non rarò de induſtria quæſivit amœnitates. Nimirum nec laboribus diffringi, nec otii rubigine conſumi voluit. Illud qui faciunt, non habent corpori honorem eum, quem debent: hoc qui committunt, animo malè conſulunt. Otia enim dant vitia. Otio igitur dum didicit uti, expertus reipſa denique, plus ipſi negotii fuiſſe, quàm cum negotium eſſet in negotio. Tardum quippe ſe eſſe credidit, ſed omnia aſſequi potuiſſe, dum properaret.* Hæc mens adeoque hic animus in primo ſtatim ipſi ſuæ profeſſionis

P. Cat. A. 2. limine fuit, *idque ſibi negotii ab Ampliſſimis Scholarchis tradi ſcivit, uti prodeſſent labores*

D. Gen. *ejus. Publica* etenim eorundem renunciatione *quaſi in theatrum ſe fuiſſe protractum*

A. 3. 6. exiſtimavit, *è quo non ſe ſurripere poſſet, niſi benè ſaltata fabula. Strenuè verò currentem,*

P. P. *& ad omnis perfectionis metam ſubinde properantem ſecuti à tergo* multi Illuſtres Viri *applauſibus & acclamationibus votivis*; inter quos Aquilæ inſtar Georgius Remus, Vir quondam patriæ noſtræ Reipubl. Conſultiſſimus fuit, reſiduis illius literis

P. P. teſtibus. Nec ipſus verò ſaltem ſordido omnem aditum præcluſit otio, ſed *ſolicitus* ſubinde *fuerat de machinis, quibus* ad labores *pertraherentur* ſtudioſi ſui, ii præcipuè, *quod homines ſe eſſe neſcirent; tantò magis, quò frequentius id nos jubent facere ſacræ noſtræ literæ, earumque interpretes.* Unde non rarò animi reficiundi gratiâ illos *de-*

duxit

duxit privatim in latiſſimum Naturæ hortum, agros & ſylvas vicinas, ut inſpicerent ipſi, D.Ca-
& cognoſcerent plantas, quibus olim uſuri eſſent : Publicè autem & poſt lectiones ſingulas tal.A.
oſtendit illis easdem, ne contingeret, quod magni nominis Medicis juxta & Pharmacopœis 2.
contigiſſe meminerat. Duravit id ſtudium, quamdiu ſedit in Cathedrâ Botanica, poſtquam P.Of-
illa tradita fuit Clariſſimo Iungermanno, tunc ſtudio in Eyſtetenſium hortum col- fic.a iiij.
lato apprimè inſigni, *ad alia ſe convertit, quæ nota ſunt*. Amœnitatem culturæ Chlo-
ridis nonnunquam felici, quâ valebat, ἐνχειρήσεων Anatomicarum dexteritate P. Cer.
attemperavit. Nam cum *omnis ἀπαιδευσίας inſcitiæ cauſam latius patere* intelligeret, 170.
quia anatomica non tantum negligimus in juventute, ſed & poſtea non diſcimus rectè atque
ordine, ſagacius in minutiſſima inquirere nõ gravatus. *Quot* quæſo in hac *arte errores,* P. VP.
quot hallucinationes Anatomicorum ad oculũ demonſtravit aſſiſtentibus? Unicus mihi ſit ſ.b. m.
inſtar omnium elaboratiſſimus multiplicique refertus doctrina de uſu partium
tractatus Galeni, ſcitiſſimis illius commentariis illuſtratus; in quo *judicare & fa-* P.Lien.
teri toties contendit, *Ariſtotelem in obſcuro illo tantumque non maligno Anatomiæ lu-* ſ.
mine plus aliquando vidiſſe, quàm Galenum, & qui hodie illum ſequuntur longiſſimo agmi-
ne Anatomici in manifeſta ejus luce. Quid? quod *comparare ipſi aliquando libuerit oculos*
Ariſtotelis cum Tiberii Imperatoris, & duorum Scaligerorum, quorum alia fuit natura,
quàm cæterorum mortalium, ut Plinii verbis utar: Galeni autem cum promiſcuâ hominum
multitudine.

Reliquum ſuæ profeſſionis ordinem quâ alacritate curaque duxerit attentâ
& valdè circumſpectâ, innuunt excitatiſſimo ingenii vigore conſcriptæ, & cum
maximo ſemper auditorum frequentium adplauſu habitæ diſputationes: *Figuli-* P.Gen.
nam quippe cũ *ab urceolis inchoandam ex parœmia non ignoraret, dederat tenuia*, ut ipſe A.4.
loquitur, *quædam laborum ſuorum ἀποσπασμάτια, quæ ſi contingeret in circulum eru-*
ditorum admitti, ſubinde majora daret. Ex his minutiora ſunt illa opuſcula, quæ in
anteceſſum præmittere cogitavit, de Lienis cerebrique uſu, deque Ichoribus non
mole, quæ parva eſt, ſed dignitate metienda. In hunc deinde cenſum venient A-
nimadverſiones in Comitem Montanum, & Th. Eraſtum de morbis, de Locis
affectis libelli tres, ipſaque hiſtorica judicii contra Galenum coràm Rhada-
manto acti relatio. Quilibet illorum ut

Parvus ab aſpectu eſt, magnus at arte liber.

Nobilis hoſce excepit de Generatione hominis contra Mundinum Mundinium
tractatus, ſubjecta de formarum origine ſecundum Ariſtotelem ſententia. Hinc
multorum admirationi expoſitus divini planè ingenii illius fœtus, Commenta-
rii in de uſu partium corporis humani libros ſeptendecim ſplendidiſſimi, non
Medicis ſaltem, ſed & Philoſophis, nec minus Philologis pertinaci parati ſeduli-
tate. Nec minoris pretii aut dignitatis fuerit Commentarius de Thorace triparti-
tus, controverſa quæ ſunt inter Galenum & Ariſtotelem eruditè diſcutiens. Ex-
hibiturus *quoddam quaſi γεῦμα Magni operis Galenici*, librum de Oſſibus Galeni D.Oſſ.
notis adauctum perpetuis *delibandum* expoſuit omnibus, ut *guſtus emptorem voca-* A.2.

ret. Furente per dulciſſimam patriam noſtram Bellonâ, ſex inſtitutionum Medicarum libros cum ejuſdem epitome, duos de Medicamentis officinalibus tractatus, cæteraque pro Veritate aſſerendâ opuſcula Galli, nec in hoc ſua laude defraudandi typis divulgarunt.

Latent paſſim multa alia æternitatis ſplendore coruſca ejus monumenta, quæ maxima temporum injuria hactenus à prælo arcuit, tamdiu iniquitatis fortunæ non expertia, quamdiu favorabili deſtituta Patrono & Promotore hæſerint, qui munifica illam et dexterâ à blattis tineiſque aſſeret.

Præ cæteris verò omnibus tanquam ſingularis induſtriæ perraræque eruditionis, ut mole vaſtius, ita immortalitate digniſſimum Galeni opus emicat; quod Ætnâ gravius humeris impoſitum onus lubens elimandum, ab innumeris, quibus refertum erat, nævis perpoliendum, concinniorem in ordinem redigendum, variiſque adcumulandum lectionibus in ſe ſuſcepit.

In Græco exemplari exaſciando comitem laborum Johannem Cornarium expertus, qui de caſtigatione Græci codicis primus inter Germanos homines cogitaſſe fertur: Hujus veſtigia ſecutum ſe in moliendâ Latini operis correctione fatetur ipſe noſter; à quo potuiſſet immenſum Chaos illum revocare propoſito: at obſtitit, fluctuantem graviori increpans oratione, æthereus quondam Germaniæ Sol Gruterus, illumque in conceptâ ſemel lubricum opinione confirmatiorem reddidit, ne receptui ante impetratam caneret victoriam.

Ad umbilicum tandem poſt duodecennalem auſum perducto hoc abſque exemplo immenſæ eruditionis ſpecimine in quo adornando illum herclè

P. Gal. 23. *——— multos ſubiitque graveſque,*
Et quos Herculeis poſſit conferre labores.

qui velit, ſuo poterit meritiſſimo. Cruentâ Martis ſævitiâ literarum fautores juxta atque cultores paſſim diſſipante, ſubſidiis Minervæ debitis bellicis addicente furoribus, quodque ſaluti quondam humanæ ſubveniebat, in necem atque perniciem hominum convertente, hic tantus multorumq; jam dudum deſideriis expetitus in ſpem melioris tandem eventûs ſuppreſſus quievit theſaurus: Hujus verò amore captus nobilis Gallus, Guido Patinus, eruditioris orbis ocellus, ſibi ſuiſq; deſtinatum uſibus illum comparare decrevit. Oblato ad mittendum è Germania ad Druidas Gallorum nobiliſſimo hocce κειμηλίῳ carere non poſſe gentem noſtram perſvaſiſſimum habui: Tibique, Magne Dilherre, Conſultori prudentiſſimo, qui mihi illud Muretianum ſubinde obtonueras, non *minoris felicitatis eſſe, incidere in bonum Manuſcriptum, quàm theſaurum invenire*; hoc verò invidendum viri hujus ſeculi doctiſſimi opus, quam univerſam nanciſci Bibliothe-

P. Gal. 19.

cam,

eam, ſatius eſſe. Dicto me æquiſſimo obedientem illicò geſſi, inque literarii boni publici gratiam, noſtræque gloriam patriæ paratâ redimere ab Authore pecuniâ cogitavi : ſpem unice ſub revocatæ poſtliminio diæ pacis aurorâ fovens indubiam, tales fore oblatos huic faventes operi Patronos, qui, *ne tenebris objectum perpetuis rejiciatur in annum forte Platonicum*, ſedulò caverint. P. *Var.* B. 1. D. *Oſſ.* A. 3. b.

Hoc Te honore jam tum mactum voluit, Ampliſſime & Conſultiſſime Richtere, Magnifice Univerſitatis noſtræ Procancellarie, beatiſſimus ſenex, cui de nitidiore auro finxiſſe præcordia Apollinem teſtatus eſt, *qui editionem Galeni hujus tantopere promotam cupiiſti, quantum nec Medici quidam. Nimirum, qua ſumma eſt in regendâ Rep. prudentia tua, optimè intelligis, quàm non poſſit illa carere præſtantiſſimo hoc authore, quem Deus ſingulari conſilio in tantâ literarum jacturâ per tot annorum bella & incendia flagrantiſſima conſervavit : Eò minus deſperabimus de ſumma rei*, favente præcipuè nobis divâ jam recuperatæ pacis gratiâ, *ne patiamur ſpem de* felici *eventu infringi aut debilitari; ut Germania tandem noſtra gaudeat brevi bonis illis, quorum luculenta jam initia in propinquo vident omnes.* D. *Form* D. *Rhad* D. *Var.* A. 5. b.

In ſtupendo hoc theatro, ut & in cæteris omnibus Veritatis amantiſſimum ſemper fuiſſe Hofmannum noſtrum, nec niſi benè penſitatis & agitatis paſſim inter doctiſſimos ſententiis, innixum undique ſole meridiano clarius. Hujus virtutis ſingulari tactus amore, quod *Heſpero* & *Lucifero* vidiſſet Deam illam *pulchriorem*, tantò ardentius inſectatus eandem. Anne unquam hanc quærere ipſum piguit? ut piguiſſet, laboremque in perſequenda illâ ſubterfugiſſet, tantum abeſt, ut vel in profundiſſimis abditam latebris, ſpretis ſudoribus, quorum amantiſſimus, poſthabitiſque quibuſve ærumnis, quorum patientiſſimus erat, nullum temporis aut ſumptuum æſtimans diſpendium eruere & educere in apricum pro virili contenderit. V. *Veritatis ſtudium.* P. *Inſt.*

Quantùm, vah, moleſtiarum nonnulli inſumunt in pigmentis meretriciis, magnâ bonarum horarum impensâ ſubinde illinendis? Quid non faſtidii in comendâ falſitate tolerant nonnulli? Veritas autem unica cum ſit, unoque ore loquatur unum; quæ multitudinis pertæſa, amica prudentiæ eſt, non tam faſtidioſo aditu excitata ad ſe ingenia vivida penetrare patitur; quin ubivis *ſuum latiſſimè extendens jubar non latet, quod in æternum fieri non poſſe* Athanaſius & Polybius docuére, *quin tandem caput attollat, & agnoſcatur ab ipſis etiam adverſariis*: qui Adraſteæ invictæ victas tandem dare manus coguntur, cujus vim innumeri nequiverant ſuſtinere. P. VP. 4. b. P. *Ver.* 9 P. *Ver.* 113. P. *Inſt.* c. 2.

At quorum πανδαμάτωρ ἀλήθεια *percuſſit pectora thyrſo, ut Poetæ verbis utar, veris & naturæ conſentientibus immorari mage placet, quam falſis vel ideò, quia nimis quàm ſvaviter arridet auribus omniũ vox illa, Philoſophus*. Nec quidquam *in vita jucundius eſſe* P. *Thor.* P. VP. 6. D. *Ver.* A. 3. 4.

 poteſt,

poteſt, quàm patrocinari illi Deæ, quæ eſt, ut verſus habet vulgaris, neſcio cujus, ſed certe
P.Path *ex Arte expreſſus:*
18. Εἷς θεός ἐστι, θεῷ δ' ἓν σύμφυλον, ἀλήθεια.
1. Poſter. Connaturatum Deo bonum; quin Dea eſt ipſa, *quæ Dei gloriam reddit ampliorem,*
P.Com. *Diaboli offucias deteſtabiliores*: &, quod *Polybius* larvatis quibuſdam Philoſophis ex-
7.b. hibendum *eſſet:* (placeant Latina) *videtur nobis,* Naturam hominibus pro maxi-
P.Thor mâ Dea declaraſſe Veritatem, cui ipſi maximam etiam dederit poteſtatem. Re-
4.b. vera enim omnibus illã oppugnantibus, quin omnibus aliquando probabilitati-
Lib.14. bus unà cum Mendacio quaſi in acie collocatis, ipſa tamen per ſe ipſam ani-
mis hominum irrepens, aliquando quidem ſubito vim ſuam oſtentat, aliquando
autem, poſtquam longo tempore preſſa eſt, tandem ipſa per ſeipſam obtinet, pro-
D. Ver. ſternitque Mendacium. Adeò *non opus hæc diva, teſte* Tullio, *humano habet præſidio,*
A ij. *quin à ſeipſa tuta.*

Hujus attentis legere oculis veſtigia quàm in deliciis & voluptate habuit no-
ſter nunc ὁ ἐν ἁγίοις, quàm oblectamento ſibi duxit *nihil in cultu Veritatis mutare?*
P.Rej. teſtium loco fidem adſtipulentur omnia illius, quæ æternitati conſecravit volu-
p. 101. mina; qui quamvis Aſiaticâ polleret facundiâ, *verbis tamen planis,* ut ſibi viſum,
P.VP. *nulloque madidis fuco fuit uſus.*

6.b. *Nimis enim oderat* ἐλασίβροντα ἔπη, *magnifica & quaſi fulmine adacta verba, quibus illi ſolent paſci, qui ex ſectâ potius, quam ex re judicant*: Quin ſcapham vocare ſca-
pham, & quamcunque rem ſuo nomine adpellare conſueverat, nil moratus *odia*
P. Ver. Vatiniana, quæ *veritas ipſi paraverat.* Adeò

100. *Qui veritatem perſequitur, incedit per ignes*
D.Ver. *Suppoſitos cineri doloſo, ut ille ex Horatio pingit.*
A.ij.

P. Rej. Fortiter vitia aliorum tulit, *convitia pertulit*, ſeque *ad generoſum erexit contemptum,*
99. exemplo illius *hominis pagani*, qui procaces *canis latratus aſpernari potuit, ut nec in-
candeſceret,* cur non *ipſe Chriſtianus* dedecori habuiſſet *ad levidenſes quoſvis contriſta-
ri inſultus.* Nihiloplus quorundam homuncionum contumelias fecit, *quàm teſtudo*
P.VP. *muſcas*, aut *crabrones, ſed inermes, quibus præter ſonum nil ſupereſt*: nec ullatenus me-
7. tuendos duxit quoſdam θεομάχους, ſed ſecuro contemtu tranſmittendos ὅπη
P. Ver. φθογγὰ ἐνθανέοιτο, ut Callimachus ait. Quos grandiloquos de Regia Veritatis via
8. deflectere animadvertit, hos duro ſæpè tractavit articulo, gravis & aſper in eos
P.Cer. invexit, non *verniliter illis inſultans*; ſed *abhorreſcens* ab iis *animo, funeſta eorum demon-*
H.4. *ſtravit mendacia, fœditatemque iſtam ſuis reliquit authoribus.* Sæpius conqueſtum au-
P.Com. divimus; *Homines vani* καὶ κενόδοξοι, *qui ut eſt apud Lucilium, aquam in animo habent,*
7.b. *nolunt me de Veritate ſolicitum eſſe, ſed omnia ſolis Authorum teſtimoniis confirmare. Aſt*
P.Gen. *iſtud ſolùm liceat vobis, ô tales! quibus Philoſophia ventoſa in lingua eſt, ut Turnus Virgi-*
A.4. *lianus loquitur, quibus ſatis eſt edidiciſſe, quorundam verba, quæ paſſim jactetis, veritati-*

que

que obſtrepatis: Mihi, cui Veritatis, citra cujusquam injuriam, magnum eſt ſtudium, lubet anquirere in res ipſas; lubet admirari nihil, antequam conſtet, quibus rationibus fultum ſit, lubet de his ipſis non niſi timidè pronunciare. Hinc rationem non habuit, quis dixe- P. Var.
rit hoc vel illud, ſed examinavit ad veritatis trutinam, ſine tamen animi morbo, B.2.
quod quiſq; dixerit. Nec facilè à quovis *quæque ſibi paſſus perſuaderi*; mentem cum D.Oſ.
Galeno conſentientem fovens, *qui Hippocrati non crediderat, tanquam teſti, ſed quia* A. 2.b.
firmas haberet dogmatum ſuorum probationes. P.Thor.

Nec Galeni quoque tanti *Præceptoris*, *cujus ungues hodie tota Europa plus facit,* 3.b. D.Path
quam quemvis alium totum, movit eum authoritas, quin *laudem* cum pluribus, 9.10.
non niſi apud Philoſophiæ ignaros habere illum, ediceret; dignèque ſæpius ab eo vapu- P.Thor
laret. *Quod dum egit, ſi fortean contra Galenum verbum aliquod aſperius excidit, noluit* 3.b.
tamen *illius æſtimationi nocere, ſed humanitati petiit adſcribi*. Hoc ipſi quoque *Galeno* P.Gen.
contigiſſe in conſimili *negotio*, cui dubium. *Excidit* enim *aliquando, præſertim in fervo-* A.5. P.Thor
re diſputationis verbum minus commodum, quod omni poſtea conatu aſſeritur. Tale quid ac- 4.a.
cidiſſe in publicis illis diſputationibus quas Romæ in templo pacis obitas fuiſſe ſcimus, tã cuivis creditu facile eſt, quàm dictu. Conatus vero ita pugnare in Galenum ſocioſque noſter, ut quo- P. VP.
ad licet, etiam faveat iſtis, modo aliquid humanitati dans, modo aliquid civilitati, ne pro- 6.
broſum videri poſſit falli. Simili *prorſus lege & methodo* in coarguendis aliorum virorum in arte Clariſſimorum, quos in opellis pro veritate notavit, uſus, penequeinvitus illa contra Præceptores alioquin ſibi obſervandiſſimos ſcripſiſſe innuit.

In hoc Servium Sulpicium æmulatus, qui magnæ in jure civili authoritatis, Valla
ſive aliorum exemplo, ſive privato conſilio fretus, non exiſtimavit turpe ſibi ad præf.
famam fore, ut librum de notis Scævolæ conſcriberet, non modo Antiſtitis in eâ eleg.
facultate atq; omnium Principis, qui Cic. teſtimonio jurisperitorum eloquentiſſi- De O-
mus, eloquentiũ jurisperitiſſimus fuerat, verùm etiam Præceptoris ſui. Cogitabat rat.
enim neq; id poſſe vitio dari ſibi, quod publicæ utilitatis cauſa ſuſciperet, neque injuriam illi fieri, qui reprehenderetur, ſi modo reprehenderetur, quod in ipſo ſe fuiſſet facturus, ſi modo errata ſua animadvertiſſet. Cum multorum vero *natura* P.Var.
adeò *ſit depravata*, *ut putent*, *extare ſe non poſſe, niſi alios deprimant*; *apud noſtrum* A.8. P.Thor
plus valuit virtutis ſtudium, quàm litigare, more hujus ſeculi unico. Docent equidem Sa- A.5.
pientes, in rebus magni momenti non eſſe agendum ſine aliqua animi contentione, contra P. VP.
eos præcipuè, qui falſa tuentur: Ecquis verò tàm compoſitæ mentis eſt, qui vel oblatâ re ri- 5.b.
dicula non rideat? vel indignâ non indignetur? Olera enim olla ipſa legit, ait Parœmia. In medio tamen conſiſtere ipſi placuit, nec approbare omnia, nec improbare, ſed uti libertate quadam in judicando, veruntamen eo adhibito temperamento, ut omnis abeſſet contumeliæ ſuſpicio.

Nec abſe manus abſtinet ipſo, quin hominem ſe fuiſſe perbenè novit, nec pleraque ſcribendo contra τὸ πρέπον *ſe admiſiſſe* inficiatur: hoc *genuini eſſe Philoſo-* P.Ver.
phi donum ratus; ſuam agnôſſe infirmitatem humanam, quæ ex puteo Veritatis Democri- 2.

teo nihil ſibi ſumit temerè eorum, quæ natura Omniparens ſtudio ibi abſcondidit. Quo in Dramate eximios quoſvis Viros Ædiles conſtituit curules, cum poteſtate corrigendi, quæ aliena à Veritate forent, minuſque eorundem arriderent palato. Tales inſuper exoptavit Judices, qui *ſint liberi animo: non repudiatis ſectæ cuidam deditis, ſi bonum afferent animum. Omnibus præſuppoſuit rectè inſtitutum, inque re probabili probabilem ſufficere rationem agnoſcente, quando Mathematica certitudo in naturalibus locum non habet: quin hominem ſe eſſe juxta ſecum, ut ſi non omninò falſa afferantur, judicium peragere tur ex æquo & bono.*

D. Tor. Orium.

Judices Vos jam appello, Auditores Prudentiſſimi, æquos & benevolos, ipſimet de hoc noſtro decernite, veſtramque haud gravatè mentem exprómite,

Cui veri Nomen? quis erit, qui nunc feret illud?

Chr. Ad. Rup

Meam facilè pedibus ituros vos in ſententiam haud dubito, mecum acclamantes,

Hofmannus, vero judice, ferre poteſt.

P. Ver. 6.

VI. Methodus diſcernendi verum à falſo.

Quantum vero Veritatis æſtu flagravit ille, tàm felici ejus inveſtigandæ & diſcernendæ organo inſtructus libros doctiorum adivit, ne cum cæteris abſque hoc ſimile experiretur periculum, quod illi, qui ad Circen acceſſére ſine herbâ moly: *Ingenio* quippe, *acri, judicioque*, quibus vigebat, *non diſſimili in hâc*, quamdiu peregit fabulam, *mundi hiſtrionia diſtinguere bonos à malis potuit, imò virtuti ſuum voluit præmium tributum*: novit quinetiam, *quod ſcrophis paſcendis potius, quam ſacris literarum tractandis nati* forent, nec *pro acutiſſimo quovis, qui tamen imbecilli argueret judicio, cicum dediſſet. Non ex cœco quodam affectu amore proſecutus, quæ indigna amore fuere, aut odio habuit, quæ chariſſima nobis eſſe ſolent. Tam validam quippe imaginationem penes complures animadverti.* Veſtrûm quem latet, *ut negligant, nec rarò cum pipulo rejiciant, quæ veriſſima ſunt & optima, ob hoc tantum, quia non amant: rurſus ut amplectantur & prædicent, quæ vaniſſima ſunt, & vituperio digna, quia amant. Simili noſter caruit ἀρρωςίᾳ τῆς διανοίας, quæ Nubem, quod ajunt, pro Iunone amat, alioſque arietum more non ſecutus, aut deſpectui habuit rectis Solem intuentes oculis: neque ad rumorem, quod Seneca* ait, *compoſitus fuit, optima ratus illa tantum, quæ magno cum aſſenſu recepta ſunt, & quorum exempla multa ſunt, ut illi neque ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivunt*: Annon *ſervitus hæc nimis foret dura, quamque à nobis amobili ſunt ipſimet Vett. & exemplo & præcepto, quod haberent perſvaſiſſimum, neminem ſcire omnia? Et quis Margitæ non eſſet ſtultior, qui torneamentis, ignoſcite aſperiori verbo, quorundam σκαιῶν* præcipuè, ceu Polypus ſcopulis alliſus adhæreret? licet *inter micantia eſſent ſidera, & quidem juxta Herculem Eugonaſin collocati. Quò magis diſcedere nos fas eſt à ludionibus iſtis, qui vel authoritate ſolâ fultas, vel nudo verborum lenocinio tectas opiniones non defenſant modo audacter, ſed contra ſentientes calumniantur, quaſi parùm intelligant, quaſi fruſtra ſe opponant illis, quaſi præſtet ſilere; quàm proferre talia, quæ deſtruunt Vett. ὁμόνοιαν. Quaſi verò talis eſſet in malo conſenſus, ut ſiniſtri illi Patroni non tantum inter ſe*

Scherb. P. Ver. 9. P. Thor. 3. P. a. 2. b P. Th. 3 P. Inſt. c. 2. P. Path. 9. P. Gen. A. 4. P. Com. 6. b. P. Anti-Fer. P. Com. 7.

diſſen-

diſſentiant, ſed ipſi à ſeipſis. In tanta hâc mentium diſcrepantium colluvie quid noſter? *Arbitrum agens non adverſarium dum veritatem dijudicare voluit, de receptu aliquo, in quo lateret, cogitare cœpit, præmonitis ſubinde adoleſcentibus, ne haſce incauti Syrtes incurrerent. Quid enim? Barbaries altis invecta quadrigis jam tum paſſim triumphabat, oſtenſo medio digito omnibus iis, qui ſe opponerent. Verendum prorſus fuerat, ut literæ propediem futuræ eſſent nullæ, nullaque adeo poſteritas literata.* Diſcuſsâ tandem hâc nubium Caligine tanquam ex equo Trojano prodiens Heros, verioribus innixus veſtigiis, ex *veris* ſcilicet *deductis principiis*, filo in anfractuoſis falſi ſaltibus Ariadneo confiſus pro viribus egit, quod debuit, certus Deum ſibi fore præſentem: *Strenua ſumamus*, hortatur ſuo Illuſtrem Severinum exemplo, P.Gen. A.4. P.Gal. 18. Sub icone Severini.

——— vim contra arma hoſtis amari,
Ne quà progreſſus inſubidus faciat:
Ut poſtquam Europam turbat Mars improbus annis,
Conſpirantque adeò cuncta elementa neci,
Muſarum, Charitumque, & Apollinis arcitenentis,
Et fera Barbaries undique conſpicitur.
Tu quoque nobiscum tendas quaſi fœdere pacto
Velle adjutam omni tempore Ἀληθείαν.

Excelſo hujus ſpiritui vultum quis obvertere auſus fuiſſet, mille licet comitatus calumniis? Ille verò

Quò ſe ambulando cunque vertit gentium, P.Lien.
Vitare non eſt (veritus) *diſputatorum genus* 8.
Pugnax, protervum, faſtuoſum, garrulum: Scal.

Apud quos tamen *firmi nihil aut conſtantis reperit, quod ipſum commune eſt Symptoma omnium falſorum dogmatum*: Nihil præter eructantes convicia offendit, *quibus certarunt, adverſus quos cum omnia feciſſet, arma tandem ſilentio potiora nulla invenit, ut loquitur Berneggerus.* In hâc ſuâ dum perſeveraret ſtatione, non *litigioſum aliquid ſerendi in animo habuit, quod non ſani eſſe hominis nō ſanus juret Oreſtes*; nec voulit ubivis παντάπασι φυσᾶσθαι ἐξ ὧν ἀλόγως φλυαρῇ, *nodum in ſcirpo quærere, ut haberet, ubi oſtenderet ſapientiam ſuam.* Ille potius odiſſe ſolitus τοὺς λίαν δικαίους, *qui ad unguem omnia exigunt, nec unquam cedunt: Et ſilere in tempore potuit*, monitus à Cicerone, *contentionem*, ajente, *tamdiu ſapientem eſſe, quamdiu proficit aliquid, aut non obeſt.* Adeò ſufflaminatis licentiæ frenis ſibi imperare, ſeque ab intempeſtivis quorundam altercationibus, quibus nimiis veritas amittitur, temperare quàm optimè ſcivit. P. Ref. 118. P. Inſt. e.i.b. P. Var. A.7. P.VP. 5.

Crebrâ

VII. Crebrâ tandem in gravioribus Philoſophorum & Medicorum quæſtioni-
Crebra bus exercitatione entheum hunc animi ſanioris acquiſiviſſe habitum Hofman-
exerci- num noſtrum, in aprico eſt. Hujus enim mirificum quis auſit detrahere indu-
tatio. P. *Var.* ſtriæ illud Hippocratis ξυνέσιος ἐπιθυμήματε καὶ ἔργον, *opus ſapientis cogitationis*,
A. 8. quod aſſiduo eò redegit uſu, ut frequenti optimorum quorumvis Lectione *men-*
P. *Thor.* *tes penitus intelligeret authorum.* Nec enim *ſaltem legit, ſed & intellexit*, longè aliter,
3. *b.* quam quibus illud *Euxeni Philoſophi* competit, *quem Philoſtratus, ſciviſſe quasdam*,
L. 1. *de* ait, *Pythagoræ ſententias, ſicut aves, quæ ab hominibus edoctæ humana verba ſonant, Sal-*
vitâ Apollonii. *ve felix ſis, Iupiter propitius*, & his ſimilia. *Quam turpe enim ſit, refutare Authorem,*
P. *Cer.* *antequam mentem ipſius penitus perſpexerit quispiam*, Vos, Auditores, cenſete.
173. *Et hoc faciunt noſtrò hoc ſeculo non modo ſenes, ſed & pueri, propè dixerim, Alphabe-*
174. *tarii. Quod enim vident facere Præceptores ſuos, facere ſe impunè poſſe rentur*: Illos pro-
inde, qui cruda ſua propalare ſtudia, præmaturamque ſcilicet Sapientiam pro-
dere non ſunt veriti, quam immani eos odio dignos cenſuit? quàm præcox ille
P. *VP.* judicium ſemper acerbo infeſtum affectu habuit? Ipſe interim *nec omnia perperam*
6. *tradita emendare, omniumque animos ad rectitudinem componere, quod nec Atlas quidem*
P. *Ver.* *totis ſuis viribus, quibus cœlum ſuſtinet, poſſit*, voluit: *fuit* ἀκινόσπουδος, *non tamen faci-*
9. *lè vana pro ſeriis amplectando, neque falſa pro veris.*

Verùm ut nihil eſt ab omni parte beatum; ita nec eundem noſtrum omnes penitus evitaſſe Charybdes ipſe non ivit inficias. Hominem nimirum ſe agnovit, nihilque humani à ſe alienum ratus. Hinc illiberalius fortè, quàm par fuerat, excepit potiſſimæ Pharmaceutices partis, antiquiſſimæ artis Chymicæ cultores, indignoque habuit odio promiſcuè omnes, vili prorſus pendendo omnia, quæ ſua haud tractaverat manu.

Excidiſſe vero Optimo Virorum in limine tractatûs de Medicamentis officinalibus contumeliosè in quoſvis dicta, qui tàm artificiosè præparando, quàm ingeniosè exhibendo operam, in Chronicis præſertim morbis, nullo alioquin præſidii telo expugnandis non locârunt inanem, lapſus humani & odii ex artis illius ignoratione, haud exiguum eſt indicium.

Hæc vero adduxiſſe nobis non vitio detur, quaſi obinde debitum ipſi honoris palmam infringere, aut de illuſtri laudum ejus promeritarum famâ ſecius ſentire, eamque labefactare habeamus in animo; quin ſuus conſtet, ſuaſu ipſius, Veritati honos, nec formæ nitori optimi ſenis quidpiam ademptum cupiamus, ad virginum cultum attendentes, quæ nativos faciei nævos nigricante incru-
ſtant velamento; candorem cuticulæ venuſtum ex vicino nigrore commen-
P. *VP.* datiorem inſtruentes. Adeò *nemo eſt, quem non aliquâ in re videre nonnunquam ſuf-*
4. *b.* *fenum poſſis.*
VIII. *Pietas* Ad præcipuum verò Veritatis amorem quid eum mage inſtigârit, quàm in-
in Deũ. ſignis verſus ſupremum Numen, quod intimis ex animi fibris devotè coluit,
pietas,

pietas, haud reperio, quam ipſam *cum lacte imbibiſſe materno* fuit viſus. *Nihil* adeo- P. Gen.
que *magni audendum & conandum abſque divino voluit adjutu*, cujus benefico indul- A.3.
tu & *illa, quæ ſuper ſpem ſunt & opinionem facilia evadant, ſi pia fuerit voluntas.* Nempe P. Var.
ita credidit *eſſe in noſtris ſtudiis, ut de politicis negotiis ait Nicephorus Gregoras*; *qui, ho-* A.8.
mo cum ſit, faſtu animi conditionis humanæ modum excedit, ſuorumque Conſiliorum &
actionum exitum & ſucceſſum ad Deum non refert, hujus inimicitias ſuſcipiat neceſſe eſt,
fruſtratusque ſpe ſuâ animadvertat, ſe humana cum animo agitaſſe conſilia, Deum vero
in conſilium nunquam adhibuiſſe. Alieniſſimus autem noſter à tali animi faſtu Deum
veneratus ſuum ceu πανεπιστήμονα καὶ καρδιογνώστην, *ultorem boni malique certiſ-* P. Path.
ſimum, æquiſſimum. 17.

Illis qui communi cum illo victu fruebantur, ideæ inſtar pietatis præfuit, quam in abditis vibrans pectoris receſſibus infinitis ſæpe ſuſpiriis, religioſoque Zelo teſtatam abunde fecit. A precum præmiſſo ordine antelucana ſua exorſus ſemper fuit ſtudia, quibus ad prandii cœnæque tempus continuatis, è ſedeculâ ſurgens inambulanſq; ædibus hymnos Deo ſonora obtulit voce: Sacris, quantum per vires licuit, haud temerè ſe ſubduxit; quod ſi ſuum præter propoſitum abeſſe cogeretur, privato cultum divinum ſacrarum Concionum ſtudio compenſavit. Teſtem præter alia devotæ ejus pietatis exempla ſe ſiſtit ampliſſimum pium, quod frequenti ſecum cogitatione volvit, votum, arduis quibuſve conatibus ejus prævium:

Omnia, (rogitans) *cum fluitent incerto lubrica caſu,* P. Inſt.
Nî tu conſilium deſque juveſque Deus: c.4.
Hùc ades, & magnis nomen conatibus affer,
Ne ſecus eveniat, quem modo verſo, labor.

Quibus felici beatis ſucceſſu, ſubjunxit ingeminans:

Ingenii quicquid comparet judiciique, P. Gal.
Notitiæ quicquid Grajæ Muſæ atque Latinæ,
Et quicquid ſtudii heic indefeſſique laboris,
Eſt Domini: Huic laus ſit, ſit honor, ſit gloria perpes. In ſe.

Corporis habendo curam pium in ſe quis neget fuiſſe eundem? Et, quod *volupta-* D. Ver.
tum & divitiarum ſtudium aliis admere temporis ſolet permultum, ipſi quid obfuit? A.ij.b.
A quibus nimirum beſtiis quia alienus fuerat, vidit aliquando, ad quod alii caligarent. *Cu-* P. Gen.
rium illum dixiſſes, *& Catonem, animo tam* fuerat *pudico*; Et qui voluptatis ejus, ho- A.5.b.
neſtioris putate, participes ſecum eſſe voluére, à ſale iſtos abhorrere Ægyptio- Philoc.
rum more oportuit nimio, ut ſubmotis omnibus nequitiæ irritamentis vitæ inprimis puritatem adamare ſe oſtendere poſſint. 247.

Si enim in opere præcipuè naturæ omnium maximo, ut Generationem Galenus vocat, P. Gen.
rimando, *in quo Deus inprimis conſpiciendam præbet omnipotentem bonitatem ſuam, in-* A.5.b.
verecundè agerent, & ſe verbis cogitationibusq; obſcœnis polluerent, Mercurium ſubitò adfu-

turum Platonicum cum Caduceo, violatique pudoris pœnam præ foribus irrogaturum, conceptis affirmavit verbis: *quin tertium è cœlo Mercurium longè nobiliorem ſuperventurum; & cur Chriſtiani cum eſſent, paganorum ad inſtar Deum agnitum, non ut Deum colerent, gratique ejus opera celebrarent; ſed vanis cogitationibus impliciti cor ſuum in inſcitiâ obtenebraſcere ſinerent; cauſam exacturum graviſſimè minitatus.*

P.Com. A.ij. *Platonico non opiparo* cœnæ cultu, *quo victûs genere non minus quam Timotheus Athenienſis contentus, optimè ſe vivere credidit, tantum* ſcilicet *comedens, quantum be-* A.2.b. *nè ferre potuit.* Quod ipſum, *cur in victu præ aliis Germanis ſtrictior fuiſſet, ut nulla vitæ oblectamenta quæreret, mirari peregrinos* ſubiit, quibus ex ſcriptis innotuit: Ad naturæ P.Com. A.2.b. tamen legem eum vixiſſe, non *adeò ad libellam* ſciatis, *quod Aloyſium olim Cornelium feciſſe, quem hoc vitæ genere uſum ad annum nonageſimum acceſſiſſe, ferunt.* Studioſus quamvis famæ & exiſtimationis pari ſibi cum vitâ paſſu ambulantis fuerit P.Rej. 100. cuſtos, quam *palàm fortè forcillatam,* priſci ſit venia verbi, *palàm ſibi tuendam cenſuerit,* nec ſe *deſertorem veterum, aut Veritatis proditorem* audiri paſſus; leves tamen P.Lien. 8. leviſſimorum præcipuè injurias æquo perferre novit animo, ut *admonitus à non nemine, ne ſuos viléſcere canos permitteret,* ſubmiſſo hoc Diſticho

In ſola libeat Caſpare *ſeneſcere Spartâ,*
Namque alibi, ut video, rarus honor ſenio eſt.

P.Rej. 100. Ad tales ut ſe geſſit noſter Stimulos? Tetragono firmior ſaxo nil motus: *Ite,* inquit, *ite nubes, quà ventus incumbit; Scio enim unde omnia ſint: A Deo, qui tacitè in aurem mihi, Diſce pati: cujus voluntati ut libenter paream, facit inprimis ἡ πλυθυγίεια, quâ abunde gaudeo in hâc tàm gravi ætate, temporibus his difficillimis:*

Nat.H.

Scilicet αὐ͗ἀρκεια mihi ſua commoda præſtat,
Ut quamvis habeam pauca, omni ex parte beatus
Eſſe tamen dicar: Nec ego diſſentio. Certè
Par eſt, ne ſeptum teſtudo ſe exerat extra.

In ſuos. Calido pietatis affectu ſuos quoque complexus ſemper fuit, conjugem præcipuè adamatam, de genere Buſcarenthio, ex Nobiliſſima Fürerorum ſtirpe oriundam; quam ſub profeſſionis noviter delatæ primordia legitimo ſibi matrimonii vinculo jungendam duxit, ex quâ ſobolem ſaltem fœminei ſexus ſuſcepit, defunctis quatuor innuptis, reſiduâ ex deſponſatis viduâ Lauxiâ, orphanis binis puellis, tertiaque ex matre Kerniâ ſuperſtite: Hiſce, vitæ morumque integritate, omniumque virtutum ſtudio facis adinſtar præluxit, ſeriis pro earundem ſalute fuſis ſubinde precibus, ad ultimum uſque triſtiſſimumque Vale, quod multis cum lachrymis circumgementium aures excepére.

In Magiſtratum. Debitæ Inclyto Ampliſſimæ noſtræ Reipublicæ Senatui pietatis non immemor, omni illum obſervantiâ ſubmiſſaque veneratione devotè coluit, verum

rum id ſecum reputans, quod *C. Memmius apud Saluſtium dixit*, Nihil *æquè concordiam humani generis diſſociare & diſtrahere, ac vitium ingratitudinis*; ex eorum verò numero, *qui ſecretò accipiunt beneficium, tantò ſceleratiores judicavit, quò beneficium ipſum eſt majus.* Horum averſatus commercium *ipſe tegere* id, quod *publicè ſciri intererat benefactorum, noluit, ne videretur tacitè negaſſe, ſe quidquam boni accepiſſe.* *Tanto enim ſemper intervallo ab hac abfuit culpâ, ut nihil magis haberet in votis, quam cumulatè collata in ſe merita propalare, non in concione quâdam, quod Seneca jubet, ſed in conſpectu quotquot ullibi ſunt bonorum.* P. Inſt. D. I P. 2.

Neque *etiam fateri illum puduit, quin clavo affixum trabali cûpiit utrique polo, Patres ſcilicet Patriæ noſtræ amantiſſimæ fuiſſe eos, qui intercedente authoritate Viri Optimi, D. Matthiæ Schilheri p. m. ſtudiis Philoſophicis Medicisque & adhibuerint, & eousque provexerint illum, ut iisdem docendis in Academia hâcce dignus fuerit habitus. Statuam* dein *æternùm perennaturam erigere ſecum cum decreviſſet*, commentum illud toties laudatum in divinum Galeni de uſu partium hymnum, gratiſſimam beneficiorum *memoriam in frontiſpicio ejus, pro more ſeculi hujus, de animo ſuo quaſi ſignatis tabulis teſtari voluit.* Simili amoris monumento Prudentiſſimi ſuæ Urbis patriæ Magiſtratûs, *ſub cujus umbra Solem ſe non tantum adſpexiſſe, ſed & ſacris Chriſtianiſmi initiatum* cum maximo ejuſdem præconio palàm faſſus eſt, merita in ſe innumera conſervata & ad omnem poſteritatem propagata voluit. *Alterum ſibi contigiſſe parentem* Maximum Schilherum, quem toties laudibus ſuper æthera evexit, publicæ prodidit memoriæ. Ergà *Doctores* ſuos *Optimos Maximos* ſe ità ſemper geſturum pollicitus, *quod erga Præceptores optimos fas fuerit facere memorem diſcipulum.* Ded. Com. Nat. H. D. Ich.

Officioſam Clariſſimis ſuis Collegis pietatem, quandiu functus fuit munere profeſſionis ultrò demonſtraſſe fidem facit ſincerus, quo illos coluit, amor, ipſis lege ſolduriâ addictiſſimus: *Abfuit à moribus ejus palpandi ſtudium, quàm quod longiſſimè.* Nec ſtatim, niſi quem candoris veritatiſque amatorem intellexit, ad amicitiæ jura admiſit, admiſſum ſerio deinceps dilexit: hujus animi ſenſa *quæ* in *verſiculos hoſce conjecit*, paucis audire placeat: In Collegas. P. Var. A. 2. D. Path. 15.

Si tibi amicus erit, noli committere, ut unquam
Perfidiam poſſit jure tibi objicere:
Si temerè faxis, fugiet quantò ocyus à Te,
Nec, ſi fortè velis, hunc retinere queas.

Arrogantiæ faſtu turgidus inter cæteros eminere noluit, ut illis ſolitum,

Ambitio inſanum cor quibus ægra quatit.

D.Gen. A.2.b. *In virtutis tamen curſu alios prævortere non dubitavit*: & hæc eſt *illa ἀγαθὴ ἔρις, contentio bona, ſeu ambitio honeſta Heſiodo celebrata, quâ qui deſtituuntur, ad omnem laude dignam actionem languere & torpere neceſſe eſt.* Ille verò ab inani gloria & jactantiâ omni P. Inſt. e.2.b. *tantum abeſſe voluit, quantum Alexandri ara ab Herculis columnis.* Non enim illum movit D.Com *Illuſtrium ſtudii Patavini Reformatorum beneficium, qui præeunte judicio Clariſſimi* quondam *Zeamanni, Conſiliarii tunc ℐ.N.G.A. indicium fecerunt ipſi ordinariæ Medicinæ in primo loco, cum ſalario ſplendidiſſimo & libera praxi*: *pro* quo honore gratias agens publicè

Hunc fumum & ſtrepitum non magno pondere pendit,
Rerum humanarum, quas levis aura rotat.

P. Gal. 17. *excuſavit ſe cum aliis, tùm lateribus ſuis parùm firmis, uſus in eam rem verſiculo veteri,*
ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ᾽ ἐπιθέσθαι.

In Auditores. Locuplete hoc pietatis quæſtu dives fidelem navavit operam Auditoribus ſuis, *quorum incremento favere ſtuduit prolixiſſimè.* Nec verò *proponere illis veriſimilia potiora* P.VP.ſ 1b.b. *veris, & probabilia præ ſolidis commendare aliorum rationibus ſolitus* fuit, quin τὰ χρήσιμα διδάσκων τοὺς ἀναγνωσομένους, non *quæ breviſſima, ſed quæ utiliſſima*; non *quæ* P.Th. 3.b. *receptisſima, ſed quæ veriſſima*, unde ſolidè ſolida gloria, habuit, *docenda ſibi* pro- P.Gen. A.3. poſuit; hoc perpetim *Euripideum ab Ariſtotele in Pol. laudatum* inculcans,
μή μοι τὰ κομψ᾽, ἀλλ᾽ ὧν πόλις δεῖ.
Nolo mihi diſcas, quæ ad oſtentationem; ſed quæ utilia ſunt Reipub.

P. Inſt. e.2.b. Hoc *adeoque laboris divinitus ſibi impoſitum credidit, hinc quidem caveri καθ᾽ δύναμιν, ne juvenes cogerentur dediſcere cum maximo temporis diſpendio; illinc vero ne irretirentur non minus ſtultè receptis opinionibus; quàm imprudenter fictis, ut loquitur Vir quidam magnus.* Quibus eorundem conſultum non fuerat ad ingentes & vaſtas librorum P.Com. 11.a. moles ablegare, *ſuarum credidit partium* è reque futurum, *in compendium redigendi vaſtitiem illam, ut ſub uno eſſent intuitu tàm τὰ χρηστὰ, quam τὰ κίβδηλα.* P. Inſt. e.3. In omnibus, quæ rudi etiam pubertati propoſita voluit, *perſpicuitatem perpetuò ſectari allaboravit, obſcuritatem autem cane pejus & angue odit: Contra illam peccant qui deliciantur in verbis: Ille verò uſurpaſſe conſuevit, non ſordidum, neque contrà ampulloſum, ſed didacticum ſcribendi genus. Ita enim cenſuit, tum ſua fore ſcripta ornata, ſi ornatum neglexerit: Plus ſiquidem arbitratus candorem & ſimplicitatem addere Veritati gratiæ, quàm fucum & ceruſſam.*

Auditoribus præterea ſuis non multa ſed multùm, ad eorundem captum ſe Peror. Ant. Arg. 135. accommodans, proponere in more habuit, dicas ſcribentium, quod *Hofmannus ſua ſæpè nimis repeteret,* nil moratus latratum. *Socraticum enim hoc eſſe, pro capitis ſui tutelâ,* quondam, *divus nunc Rupertus dixit: Ut enim ille ſolam juſtitiam voluit perſuaſam civibus ſuis: ita hic Veritatem. Adeò τὸ γλυκὺ τῆς ἀληθείας, quod apud Plutarchum eſt,* Lib. de Iſide. *jucundum fuit ejus auribus ut nihil aliud, ſi pote voluerit.*

Pieta-

Pietatis ſuæ immemorem fuiſſe ergà cives ſuos, nemo uſpiam effari audeat, *In Cives.*
qui facilem ſe ipſis exhibuit, quoties illius ope ſe ſublevandos fruiſci deſiderârunt; nec vero ſaltem conſilio eos, quin & auxilio opiferaque adjutos dextrâ; nec *levatam verbis ſaltem humanam inopiam, omnium parentem actionum, ſed rebus in id à Summo Creatore factis voluit.* *P. Var.* Munificum illum & liberalem, qui duriore egeſtatis conditione ſaltem non oppreſſi opem efflagitârunt, vidêre: quos dira Martis feritas à ſolo abegiſſet patrio, auxiliatrices ejus exoſculati manus; talibus de exiguo ſuo, quo victitabat, lucello ſubveniens, & ſurrogans ea, quæ neceſſitatis lex ab illis exigebat. Animo nimirum quàm divitiis locupletior neminem à ſe triſtem dimiſit, ſed in eroganda plus quam contrahenda pecunia occupatus fuerat, *Val. Max.* adeò, ut domus ejus quaſi quædam munificentiæ officina à miſeris habita fuerit.

Tam conſtantem fidei pietatiſque ad omnia proficuæ aſſertorem, in felici noſtro dum intereſſet contubernio, hoc præcipuè temporis puncto, quo *Campus Martius tàm latè patebat, quoque Germania ipſa,* *D. Path. ſ.* divinæ addictiſſimum curæ & protectioni fuiſſe nullus dubitat: quinetiam

Noluit in ſenio hunc deſeruiſſe Deus.

Cujus paternæ ſe tutelæ ſubinde committens, voluntatem ſuam ad divina conformari cupiit arbitria. Adeò

Summa ſuo didicit temerè nil Numina velle
Exemplo —

Propius denique accedente fatali termino, cum

——— hanc animam levem, *Sen.*
feſſamque ſenio, nec minus quaſſam malis
in ore primo ———

tenere ſe intelligeret, ſacræ Synaxeos beneficio cœlitum numero ſe adſcribi petiit, Deoque, concidentibus paulatim viribus, animam reddere abſque ullâ parendi morâ, ſuis intimis luctuoſum poſt ſe relinquere deſiderium, non dubitavit, tertioque id præſtitit nonarum Novembris die, Anni jam feliciter exacti quadrageſimi octavi, ſat ingruente jam pacis redivivæ crepuſculo.

Hujus abitus, quin obitus, inquam, quàm acerbus Celeberrimæ extiterit huic Univerſitati, quæ fatis ſuum per octo & quod excedit, luſtra venerabilem Doctorem reddidit: quam dolendus venerit Clariſſimis Dominis Collegis ſuis, qui fidum muneris ſodalem ereptum plangunt, quàm lugubris fuerit ſtudioſæ cohorti, quæ ob candidum ſuum Profeſſorem morte ſublatum ſubinde ingemiſcit, quàm triſtis acciderit civibus ſuo orbatis Medico, quàm egeno orpha-

norum cœtui intolerabilis contigerit, qui lamentabili planctu ſuum etiamnum deplorant Evergetam, nec eſt hujus loci enarrare, nec temporis, in memoriam revocare. Sit ſuus ſingulis dolor, ego cum gemitu profero, querulaque atteſtor voce, Præceptorem & Patronum mihi optimum

Extremo ſua fata die

clauſiſſe: Patronum verè, quin ſancti ſubinde parentis loco habui, & re talem ipſa comperi. Præceptorem, quem etiam nunc ceu vivum in vivis divinæ mentis operibus veneror, perennique memoriæ cultu venerabor.

Hancce nunc, feliciſſimi urnæ illati cineres, in veſtri gloriam ære perenniorem, rudi licet meâ minervâ compilatam habete coronam, ſemper vivam, ſemperque virentem. Quæ volui tutelæ vobis loco ſiat, ne

qui veſpertinus circumgemit urſus

vos turbet: Siat amuleti inſtar, quævis venenatarum linguarum malevolorumque toxica averruncantis. Quieſcite, Beatiſſimi cineres, & interminâ hac quiete fruimini, donec reſtitutum è pulvere corpus diviniori particulæ auræ glorioſo S.S. Triadis adſpectu gaudebit.

Nec tamen defuerint tantæ felicitatis roſores, quos mortuo noſtro Leoni inſultare non pudebit; quos vivo etiam illo in Rhodo ſaltare mage fuiſſet glorioſum, quam nunc cum larvis & umbris manus conſerere Andabatarum more. Moniti verò iſti, dum geminos cippo adpictos viderint angues, ſacrum hunc ſcient locum, extraque mejant, cineribus tam Inclyti Viri parcentes. Fuerint, qui tantæ μισανθρωπίας fervore honorandi noſtri Senis gloriam involare, &

D. VP. ſ. *hærentem capiti multâ cum laude coronam*
detrahere

non erubeſcant: Fuerint invidiâ macilenti Momi, qui auguſtam tanti Nominis famam ceu Lunam allatrare non vereantur: Fuerint amici luto porci, quibus ſcabiem affricare ſuam placido indulgenti ſomno non turpe videbitur, fœda ipſiſmet porrigine inquinatis: quinimò

P. Th 4. *Ipſi cum ſint groſſi, nihili, & inſipidi, adeoque inutiles,*
Ad eſum, alios tamen verbis increpant, tanquam ignavos & inſipidos.

D. Rḗ. Nunc liber à curis, liber à calumniis nec movet ſe, contemnens tam contempti-
100. biles animas noſter Hofmannus. En *Adraſteam vobis tanquam caput Gorgonis objicit.*

cit. En! ſed omittamus ingratos, & potius de piis loquamur; aliquando enim ſatius eſt favorabili quam inviſæ rei vacare. *Val. Max.*

Poſſem Auditores in enarrandis, quibus Sapientiſſimi plerique Viri meritiſſimum noſtrum decorarunt, laudibus diem ducere; ſed ut ſatis prolixum hoc accumulandi ſtudium, cui anguſtus nimis temporis non favet terminus; ſic politiſſimis veſtris auribus, quas longiori hactenus, quam æquum fuerat, ſermone offendi, tædioſum ſuſpicor futurum. Sit ex confectâ eorum ſerie *quod Heracliti eſt apud Galenum* εἷς ἐμοὶ μύριοι, *unus mihi inſtar decem millium: neque enim Veritas multitudinem quærit, verùm prudentiam.* *Inſt.e.1.*

Prodeat inter bonos & cordatos Viros, Servios, Patinos, Severinos pluresque alios ut dignitate clarus, ſic raræ eruditionis famâ maximè conſpicuus, Janus Gruterus, Hofmanni virtutum digniſſimus præco, vateſque honorum, qui ceu Verator Apollo pro tantis illi meritis unanimi literatorum conſenſu decretam jam dudum conferat ἀποθέωσιν: *P. Gal. 25.*

Circus eſt vitæ puſillus: nulla meta gloriæ eſt.
Haud dies profectò longè eſt, quâ Deæ Novenſiles,
Quâque Apollo, Apolliniſque multiplex cognatio,
Te, velut Pompam, per orbis cuncta ducent climata,
Omnibus palàm colendum pro Deo mortalibus.
Nempe de terrâ levatum bis ter ulnas, aëre
Pendulum te ſuſtinebit hinc Minerva, inde at Venus,
Et volatu delicato quatuor per angulos
Ambulabis Univerſi. Vos ſupra Cupidinum
Ludibunda natio alas pandet umbellæ in modum,
Ante Comus ibit, atque Juno, ternâ cum Chari,
Ponè Flora cum Juventa, cum Lubentia, ac Choro
Subſequentur, inque laudes ora diſſolvent tuas,
Abſque fine hymnis beatis, quorum ad accentum Noti
Flabra ponent, fluminum unda ſtabit immutabilis,
Montium umbra jubilabit, vallis attollet comam:
Terra ſed novos colores ſuggeret cum balſamis,
Vina petræ, mella rupes funditabunt: Aëris
Atque Vocis filia Echo plaudet ad miracula
Talia, integriſque lingua mutilata reddere
Neſcia odas, verba ſaltem reppetet noviſſima,

Pauſam

Pauſam ad unamquamque Famæ, Gloriæque ingens tuba,
Subditas gentes monebit, ut ſacro ſilentio
Hos honores, hos amores inſequantur cœlitum,
Et ſimul te, Hofmanne, nôrint eſſe factum cœlitem,
Dum ſcientia medendi multa Mortis millia,
Peſtilenti è fauce purum provehis rurſum ad jubar:
Dum Galeni mille libros, perditos rubigine,
More ſerviliqueplagis oſtreatos, liberas
A malò, damnoque turpi, daſque luce perfrui
Solis æmulâ, atque Lunæ, grandiumque ſiderum.

DIXI.